


INTEGRITAS
CONCORDIA
INDUSTRIA
LIONEL
WALTER
ROTHSCHILD
1886


251 D




BRIT. MUS.
ENTOMOLOGY

SYNONYMIA INSECTORUM.

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM.

TOMUS QUARTUS. — PARS PRIMA.

PARISIIS. — EX TYPIS JULII DIDOT, NATU MAJORIS,
Aggere d'Enfer, n° 4.

GENERA ET SPECIES
CURCULIONIDUM,

CUM

SYNONYMIA HUJUS FAMILIÆ;

A

C. J. SCHOENHERR.

SPECIES NOVÆ AUT HACTENUS MINUS COGNITÆ,

DESCRIPTIONIBUS

A Dom. LEONARDO GYLLENHAL, C. H. BOHEMAN
ET ENTOMOLOGIS ALIIS

ILLUSTRATÆ.

TOMUS QUARTUS. — PARS PRIMA.

PARISIIS,

Apud RORET, via hautefeuille, n° 10 bis.

LIPSIÆ,

Apud Fred. FLEISCHER.

1837.



VIRIS

ILLUSTRISSIMIS ET CELEBERRIMIS

DOMINIS

OLAC IMMANUELI FAHRÆUS,

PRÆFECTO DIST. VECTIGALIUM, EQUITI DE STELLA REG. POLARI.

ET

AUGUSTO CHEVROLAT,

VERIFICATORI PRIMÆ CLASSIS IN ADMINISTRATIONE CENTRALI DICTA VULG.,
(Octroi de Paris),

ENTOMOLOGIS EXIMIIS;

HAS PLAGULAS

SIGNUM VENERATIONIS, AMICITIÆ ET ANIMI GRATI

OFFERT

AUCTOR.

LECTORI.

In manuscripto Tomi quarti hujus operis perficiendo, tempus præter voluntatem aliquantum protractum fuit, quod plures menses diuturnus morbus præcipue effecit, labore vero assiduiore insuper opus fuit in ordinanda et examinanda amplissima copia rerum, opus locupletantium, quibus plures litttera-rum cultores benigne me adjuvarunt. Hoc vero, quo excitati sunt, litterarum studio ostenderunt, se magnas collectiones non ideo possidere, ut tantummodo possideant, sed ut major quædam graviorque utilitas per eas efficiatur.

Cum Dom. Fredr. Drège, 12 annos in desertis Africæ australis versatus, post reditum in Europam hoc opus existere cognovit, præeuntibus Dom. Ecklon et Zeyher, totam suam collectionem Curculionum, plus quam 500 species ex hac remota parte orbis complectentem, ad meum usum tradere properavit. Mei officii et existimo et animus vere desiderat, ut Dom. Drège propter præstitam benignitatem non solum scientiæ sed etiam mihi ipsi utilitatem afferendi intimam meam venerationem, gratiam debitumque hoc loco publice præstem.

Neque silentio est prætereunda eximia liberalitas, qua me plures alii litterarum cultores continuo amplexi sunt quoque copiam mihi præbuerunt, ex suis collectionibus plurimis raris utendi Curculionibus, quos cognoscere alias mihi non contigerit. Quo respectu plurima imprimis debeo Prætori Dom. Comiti G. Mannerheim, Viburgi, qui id maximi sane præstitit amicitiæ pignoris, ut omnes Curculiones, sibi unicos, collectioni meæ vero desideratos, liberalissime mihi donaret; et Dom. Aug. Chevrolat, Parisiis, qui insuper plurimis maximi momenti interpretationibus, intricatam hujus Familiæ synonymiam illustrantibus, benigne me ditavit, nec non Dom. Faldermann Petropoli, qui omnes, quæcunque locupletes eorum collectiones in hac parte præstare potuerint, liberalissime mecum communicarunt. Musea quoque Imperiale Russico-Alexandrinum, Regium Gallicum et Danicum nec non Academiæ Upsaliensis haud exigua copia Curculionum rariorum ad hoc opus locupletandum benevole contulerunt; quod meum publice

enunciatum grati animi documentum non solum testetur eximiam meam venerationem debitumque erga omnes, qui ad scientiæ emolumentum tam benigne contulerunt, sed etiam ostendat, quantæ sit utilitatis, naturæ investigatorem, cum quandam scientiæ partem elaborandam susceperit, benevole adjuvare.

Prout vita et valetudo fert, spero, fore, ut Supplementum hujus operis quam citissime offeram, quod præter quandam emendationem dispositionis systematicæ ex consilio meo non solum plurimorum generum novorum descriptiones continebit, sed etiam circiter 1500 novas, antea indescriptas species, quæ ad maximam partem a venerando Entomologiæ veterano Dom. Gyllenhal nec non a Dominis Boheman, Fabræus et Munck of Rosenschoeld diligentia his viris solita jamjam sunt descriptæ, excipiet; si vero, Supplemento nondum ad finem peracto, numini placuerit, labori meo finem imponere, opere meo desisto, lætam fovens spem, amicum et coadjutorem venerandum et æstimatissimum Dom. Boheman, qui in progressu hujus prolixi operis tantum temporis tantumque laboris ei impendit, id continuandum et perficiendum benigne esse suscepturum et omnibus, qui quid utendum mihi demandarunt, id diligenter et accurate restituturum, quod eo certius effici potest, quod collectio mea venditione non erit dispersa, sed Regiæ Speciæ Academiæ Scientiarum Holmiensi donata, cujus liberalitas pro hoc meo desiderio et debito spondebit.

Sparresæter prope Scaram d. XX Septembr. MDCCCXXXVI.

FAMILIA

CURCULIONIDES.

ORDO SECUNDUS.

GONATOCERI.

Antennæ geniculatæ; scapus plerumque elongatus, sæpissime in canalicula seu scrobe ad latera rostri insertus.

LEGIO II. MECORHYNCHI. (*Rhynchænides* FABR.)

Rostrum cylindricum vel filiforme, plus minusve elongatum, raro thorace brevius. Antennæ ante vel prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertæ.

SECTIO I. — *Antennæ articulis* 11, 12; *clava sæpissime 4-articulata.*

Divisio II. APOSTASIMERIDES.

Pedes antici basi distantes, inter quos pectus aut planum, aut plus minusve distincte canaliculatum.

(CONTINUATIO.)

SUBDIVISIO III. CRYPTORHYNCHIDES. — *Pectus inter pedes anticos in plerisque distincte canaliculatum.*

COHORS I. — *Thorax infra pro receptione rostri distincte canaliculatus; canalicula profunda, argute marginata, in pectore continuata, distincte terminata.*

GENUS 300. CRATOSOMUS. *Nobis.*

Cratosomus SCHH. (1), DEJEAN. — *Cryptorhynchus* GERMAR, DEJEAN, STURM, STEVEN. — *Rhynchænus* FABR., OLIV., KIRBY, DALM. — *Curculio* LINN., HERBST.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; scapo breviusculo, clavato; funiculo 7-articulato; articulis 1, 4 elongatis,

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 278. 163.

sub-obconicis, 5-7 brevibus, aut sub-rotundatis, aut oblongis apice rotundatis; clava minuta, breviter ovalis.

Rostrum aut latum, complanatum, subrectum, aut arcuatum, basi teres, in nonnullis (quos opinor esse masculos) utrinque pone basin cornibus, validis armatum; mandibulæ exsertæ, supra planæ, intus vix dentatæ, apice acutæ.

Oculi plus minusve approximati, modice convexi, ob-ovati.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius valde angustior, apice oblique sub-truncatus, pone oculos non sinuato-lobatus; rima pectoralis inter pedes intermedios distincte terminata.

Elytra oblongo-ovata, convexa, humeris obtuse angulatis, subelevatis; apice aut singulatim mucronata, aut obtuse rotundata.

Pygidium inflexum, valde distinctum, articulum sextum ventris formans, non tamen ultra elytrorum apicem prominens.

Observ. — Corpus sæpissime majoris magnitudinis, oblongo-ovatum, convexum, squamosum, durum, in plerisque tuberculatum; alatum.

Patria: America meridionalis.

STIRPS 1. — *Rostrum sublatum, complanatum, subrectum, æquale.*

♂♀ 1. C. REIDI. *Kirby.*

Ovatus, ater, thoracis limbo vittaque media, elytrorum fasciis subquatuor, margine connexis, nigro-punctatis, tarsisque flavo-squamosis; thorace subtiliter granulato; elytris remote, inæqualiter punctato-striatis.

Rhynchænus id. KIRBY, LINN. *Soc. Trans.* XII. p. 435. 75.
Cratosomus Heros. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 279.
Cryptorhynchus pardalinus. DEJ. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.
Cratosomus id. DEJ. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Patria: Brasilia. Mus. Dom. CHEVROLAT et SCHH.

E majoribus, *Cratosomo lentiginoso* paulo brevior sed non angustior. Caput rotundatum, atrum, fronte impressa, subtiliter granulata, vertice sub-lævi, canaliculato; oculi majusculi, ovati, atri, nitidi, modice prominuli; rostrum vix longitudine thoracis, latum, complanatum, confertim punctatum, atrum, basi obsolete carinatum. Antennæ atræ, sub-nitidæ, extrorsum fusco-pilosæ, clava opaca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito multo angustior, apice oblique truncatus, intra apicem con-

strictus, tubulatus; lateribus pone stricturam ampliatus, basi bisinuatus, elevato-marginatus, lobo scutellari sub-emarginato; supra minus convexus, subtiliter granulatus, in medio anguste carinatus, ater, antice lateribusque late, et in vitta dorsali, antice posticeque dilatata, dense flavo-squamosus, squamis angustis, lanceolatis, depressis. Scutellum majusculum, triangulare, atrum, parce squamulosum. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; inæqualiter striata, striis nempe sub fasciis flavis angustis, sub-lævibus, inter fascias vero profundioribus, remote catenato-punctatis; interstitiis latis, alternis tuberculis magnis, remotis, deplanatis, denudatis, instructis; atra, margine laterali, apice, litura bis arcuata baseos fasciisque duabus latis, flexuosis disci, dense flavo-squamosis, ornata, in quibus tubercula supra memorata maculas sparsas atras formant. Pygidium inflexum, ventri contiguum, granulatum, nigrum, margine fulvo-squamoso cinctum. Thorax subtus et pectus subtiliter granulata, atra, lateribus dense fulvo-squamosa; venter antice rugulosus, posterius fere lævis, ater, parum squamosus. Pedes validi, atri; tarsis dilatatis, dense flavo-squamulosis et pubescentibus. — Ghl.

♂♀ 2. C. Impluviatus. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, inæqualiter pallescenti-squamosus, thoracis plagis quinque vel sex denudatis, parce tuberculatis notato; elytris sub-remote punctato-striatis; interstitiis alternis maculis majusculis, elevatis, sub-quadratis, denudatis nigris seriatim adspersis, nonnullis in disco confluentibus. — Ghl.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 265. 397.

Observ. — *Cratosomo stictico* similis et affinis, sed triplo major, tubercula thoracis pauciora, elytrorum majora, sub-quadrata, elevatiora; corpus subtus minus nigro maculatum, etc.

Patria : Brasilia.

♂♀ 3. C. Sticticus. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, inæqualiter pallescenti-squamosus; thorace tuberculis numerosis, nigris, nitidis, inæqualiter acervatis, adsperso; elytris sub-remote punctato-striatis; interstitiis alternis maculis sub-

elevatis, rotundatis, denudatis, nigris, seriatim digestis, ornatis, antice in fascias irregulares confluentibus. — GHL.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 265. 398.

♂♀ VAR. β. Dimidio major, maculis elytrorum seriatis nigris, distinctis, non confluentibus.

Observ. — Differt ab α, magnitudine fere dimidio majori et maculis elytrorum omnibus distinctis, nec anterius in fascias confluentibus.

Patria : Brasilia.

♂♀ 4. C. MULTIPUNCTATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense ochraceo-squamosus; thorace tuberculis numerosis nigris, nitidis, irregulariter acervatis, adsperso; elytris punctato-striatis; interstitiis omnibus tuberculis numerosissimis nigris, nitidis, seriatim digestis, ornatis.

Patria : Brasilia. A Dom. FALDERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Cratosomo stictico similis, et ejus var. β magnitudine æqualis, interstitiis elytrorum omnibus seriatim tuberculatis præcipue distinctus. Caput rotundatum, profunde, sub-remote punctatum, nigrum, squamulis lanceolatis, obscure ochraceis, tectum, fronte plana, ambitu oculorum elevato; oculi majusculi, ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, latum, parum arcuatum, apice deplanatum, versus basin leviter carinatum, rugulosum et squamosum, extrorsum subtiliter punctulatum, nudum, nitidum, totum nigrum. Antennæ nigræ, flagello parce albido-piloso. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice utrinque parum emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus fere rectis; supra modice convexus, niger, squamis lanceolatis, depressis, obscure ochraceis tectus, tuberculisque numerosis inæqualibus, nigris, nitidis, poro pertusis, irregulariter acervatis, adspersus. Scutellum oblongum, apice acuminatum, medio impressum, nigrum, squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi valde latiora, humeris obtuse angulatis, rotundatis, callo alte elevato instructis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, anguste striata, et in striis punctis sub-remotis, squamula sub-ocellatis impressa. inter-

stitiis latis, planis; nigra, squamulis depressis ochraceis dense tecta; in singulo interstitio series sat regularis e tuberculis circiter 16 vel 18, nigris nitidis, unde elytra dense tuberculata evadunt. Pygidium inflexum, semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, squamosum. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense ochraceo-squamosum, ventre maculis nonnullis denudatis nigris notato. Pedes validi, punctati, nigri, dense ochraceo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, posticis subtus dente obsoleto armatis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

Observ. — Squamositate detrita tubercula elytrorum majora apparent et facies aliena evadit; nulla vero nota essentialis distinctionem specificam, postulat. — GHL.

5. C. MEXICANUS. *Hope.*

Oblongo-ovatus, niger, pallide griseo-squamosus; thorace plaga semicirculari baseos maculisque decem denudatis atris notato; elytris obsolete punctato-striatis, atro-sub-bifasciatis, sutura interstitiisque alternis seriatim atro-tuberculatis.

Gorgus id. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

Cratosomo stictico facie similis, paulo major, textura thoracis præcipue distinctus. Caput rotundatum, granulatum, nigrum, fronte impressa, dense griseo-squamosa; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum capite duplo longius, latum, complanatum, subtiliter alutaceum, basi leviter carinatum, nigrum. Antennæ breves, nigræ, parce cinereo-pubescentes. Thorax latitudine vix brevior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, alutaceus, squamositate densa pallide grisea vestitus, relicta plaga majore semicirculari baseos maculisque decem denudatis atris, per paria collocatis, excepta infima laterali utrinque solitaria. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, griseo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, callo humerali alte elevato, sub-rectangulo; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, squamositate pallide grisea inæqualiter vestita, relictis fascia anteriore interrupta, abbreviata, aliaque media communi, latiore, margines non attingente, denudatis, atris; præterea in sutura interstitiisque alternis tubercula numerosa, seriatim digesta, atra, ni-

tida. Pygidium inflexum, dense griseo-squamosum. Corpus subtus subtiliter alutaceum, nigrum, thorace dense squamoso, pectore ventreque sub-nudis. Pedes mediocres, nigri; femoribus clavatis, griseo-squamosis, subtus obsolete dentatis; tarsis dilatatis, fulvo-squamosis et pulvinatis. — GHL.

* 6. C. PUNCTULATUS. *Sturm.*

Oblongo-ovatus, niger, inæqualiter albido-squamosus; thorace punctulato, disperse tuberculato, albido-squamoso, plaga baseos maculisque sex denudatis nigris insignito; elytris obsolete punctato-striatis, fascia media, tuberculisque numerosis sub-planis, denudatis, nigris, notatis.

Cryptorhynchus id. Dom. STURM *in Litteris.*

Patria: Mexico. A Dom. STURM amice communicatus. Mus. SCHH.

Cratosomo pustulato et præsertim *Cratosomo Mexicano* simillimus, nimisque affinis; thorace punctulato et disperse tuberculato tamen distinctus videtur. Caput sub-globosum, obsolete, sub-disperse punctulatum, saturate nigrum, fronte inter oculos impressa, dense albido-squamosa; oculi ovati, nigri, parum convexi; rostrum capite dimidio longius, latum, deplanatum, lateribus obsolete punctulatum, basi leviter carinatum, nigrum, apice nitidum. Antennæ breves, nigræ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice oblique sub-truncatus, lateribus posterius ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, subtiliter punctulatus et tuberculis aliquot elevatis, poro pertusis, in disco, præsertim posteriori adspersus; niger, squamositate depressa albida dense tectus, relictis plaga magna, sub-quadrata baseos, punctis duobus approximatis in medio apicis et duobus remotis in singulo latere, denudatis, nigris. Scutellum semi-ellipticum, planum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulatis, callo alte elevato instructis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, obsoletissime punctato-striata, nigra, squamositate densa, depressa, albida, vestita, relictis callo humerali, fascia media communi, margines non attingente tuberculisque majusculis, parum elevatis, in sutura interstitiisque alternis seriatim digestis, nudis, nigris. Pygidium inflexum, semi-circulare, punctulatum, ochraceo-squamulosum. Corpus subtus punctatum, nigrum, inæqualiter albido-squamulosum. Pedes medio-

eres, nigri; femoribus clavatis, subtus versus apicem obtuse dentatis fasciaque albido-squamosa cinctis; tarsis dilatatis, dense squamosis, subtus brunneo-spongiosis. — Gyll.

* 7. C. Pustulatus. *Sturm.*

Oblongo-ovatus, niger, inæqualiter pallido-squamulosus; thorace subtilissime granulato, lateribus ampliato; elytris obsolete punctato-striatis, densius pallido-squamosis, basi, fascia media, plaga ovata intra apicem, tuberculisque depressis interstitiorum denudatis, nigris.

Cryptorhynchus id. Dom. Sturm *in Litteris.*

Patria : Mexico. A Dom. Sturm amice communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et statura *Cratosomi stictici; Cratosomo Mexicano* similis et affinis, sed thorax lateribus magis ampliatus, supra fere nudus, niger. Caput rotundatum, subtiliter punctulatum, obsoletius canaliculatum, nigrum, parce pallido-squamulosum; oculi ovati, nigri, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, latum, sub-planum, subtiliter granulatum et punctulatum, nigrum, versus basin leviter carinatum. Antennæ breviusculæ, nigræ, pallido-squamulosæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior, apice oblique sub-truncatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, subtilissime granulatus, niger, parce pallido-squamulosus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, granulatum, nigrum, pallido-squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, anguste et obsolete punctato-striata, interstitiis subtiliter alutaceis, suturali et alternis exterioribus seriatim tuberculatis, tuberculis magnis, parum convexis; nigra, squamositate depressa pallida inæqualiter adspersa, relictis fascia lata baseos, alia media, inæquali, plaga ovata intra apicem, tuberculisque omnibus denudatis, nigris. Pygidium inflexum, ventri contiguum, granulatum, nigrum, dense pallido-squamosum. Corpus subtus confertim granulatum et punctatum, nigrum, plagiatim pallido-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri; femoribus clavatis, nitidis, subtus dente valde obsoleto instructis, ante apicem annulo

pallido-squamoso cinctis; tibiis compressis, arcuatis; tarsis valde dilatatis, dense flavescenti-tomentosis, subtus fulvo-spongiosis.
GHIL.

* 7 *bis*. C. NODIERI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, opacus, atro-hirtus; thorace confertim alutaceo, signaturis numerosis albo-quamulosis notato; elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis alternis tuberculis depressis seriatis instructis, interjectis maculis plurimis sub-transversis albo-squamulosis, interdum fasciatim confluentibus.

Patria : Mexico inter Oaxara et Acapulco. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cratosomo impluviato magnitudine æqualis ; *Cratosomo pustulato* valde similis et affinis, sed plus duplo major, aliter signatus. Caput breve transversum, supra obsolete punctatum et alutaceum, leviter canaliculatum, atrum, opacum, fronte inflexa, plana, dense albo-squamulosa; oculi ovati, convexi, nigri; rostrum longitudine thoracis, latum, fere planum, punctulatum, obsolete carinatum, atrum, opacum. Antennæ breviusculæ, nigræ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice duplo angustior quam basi, apice subtruncatus, pone apicem late sed leviter transversim impressus, lateribus oblique versus medium ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete punctatus et alutaceus, ater et atrohirtus, opacus, signaturis variis albo-squamosis ornatus: margo nempe anticus totus inæqualiter, litura angularis ad basin utrinque, et in disco maculæ plures, inæquales, ejusmodi. Scutellum oblongum, sub-elevatum, apice rotundatum, supra rugulosum, atrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris sub-rectangularis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, ad suturam nonnihil producta, thorace fere triplo longiora, supra convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; sutura et interstitia alterna disci serie e tuberculis oblongis, parum elevatis, nudis, sub-nitidis insignita; cæterum, atra opaca et atro-hirta, maculis numerosis, transversim quadrangulis, passim confluentibus, albo-squamulosis, cum tuberculis alternantibus ornata. Pygidium inflexum, ventri contiguum, dense albido-squamulosum. Corpus subtus obsolete punctatum, atrum, sub-nitidum, maculis numerosis albo-squamulosis, in ventre bifariam ordinatis, variegatum. Pedes longiusculi, validi, nigri; femoribus crassis, nitidis, subtus tumidis,

posticis dente parvo armatis, omnibus ante apicem annulo albo-squamoso cinctis; tibiis arcuatis, compressis; tarsis valde dilatatis, undique dense pallido-tomentosis et spongiosis. — Ghl.

Dom. Carolus Nodier, nobilis, Biblioth. Arsenal. præfectus; in litteris et quoque in entomologia maxime emeritus. Denominatione hujus insecti rari ego quoque memoriam hujus viri celeberrimi servare itemque in illum intimam meam venerationem et obligationem demonstrare optarem. — Schh.

* 8. C. Dejeanii. *Schh.*

Niger, thorace plaga laterali utrinque, lineolisque duabus baseos flavo-aureo-squamosis ornato, in disco utrinque tuberculis paucis parvis acervatis instructo; elytris profunde, sub-remote punctato-striatis, plagis quinque flavo-aureo-squamosis decoratis, interstitiisque alternis tuberculis remotis, posterioribus conicis acutis adspersis.

Cryptorhynchus Bombina. Dej. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85. — Ab ipso Comite sub hoc nomine donatus.

Cratosomus id. Dej. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Rhynchænus Bombina. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 16. 130. T. I. f. 12.?

Curculio Bombina. Oliv. *Enc. Meth.* V. p. 501. 138.?

—— Herbst. *Col.* VI. p. 183. 146. T. 72. f. 13.?

Patria: Cayenna. Mus. Dejean, Schh. et Ghl.

Magnus, *Cratosomo tauro* statura similis, sed dimidio major et ultra. Caput breve, nigrum, fronte angusta, punctulata, antice foveola rotunda impressa; oculi maximi, sub-ovati, nigri, modice prominuli, in fronte approximati; rostrum capite cum thorace paulo brevius, latum, complanatum, parum arcuatum, supra versus basin leviter carinatum, obsolete punctulatum, nigrum, apice læve, sub-nitidum, bifurcatum. Antennæ breves, subtenues, nigræ, cinereo-pilosæ. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice fere dimidio angustior quam basi; apice sub-truncatus, flavo-fimbriatus, lateribus posterius ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio baseos impressus, subtiliter, obsolete punctulatus, niger, opacus, in utroque latere plaga majore et ad basin utrinque lineola brevi e squamulis angustis flavo-aureis notatus, et in medio disci utrinque tuberculis nonnullis parvis, nitidis, acervatis, instructus. Scutellum ob-ovatum, punctatum, nigrum. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris oblique angulatis, callo elevato instructis;

posterius attenuata, apice singulatim tuberculo sub-conico aucta, thorace triplo longiora, supra in dorso antico fere plana, profunde, sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, scabris; nigra, opaca, simul plagis quinque magnis flavo-aureo squamosis ornata, quarum una transversa in singuli elytri basi, juxta humerum; alia pone medium disci, posterius attenuata, oblique in apicem elytri excurrens; quinta communis in medio dorsi, sub-cruciformis; in interstitiis alternis præterea, tubercula elevata, nitida, conspiciuntur, in exterioribus pauca, remota, in sutura et interstitio secundo a sutura numerosa, anteriora rotundata, posteriora conica, acuminata. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, parce, subtiliter squamulosum, pectore antice plaga flavo-aureo squamosa notato. Pedes longiusculi, nigri, femoribus sub-clavatis, punctatis, subtus dente mediocri armatis; tibiis flexuosis; tarsis valde dilatatis, subtus flavo-spongiosis. — GYLL.

Observ. — In diagnosi et descriptione *Rhynch. Bombinæ* Cl. Fabricii, notæ sequentes indicantur: « Rostrum cylindricum; thorax lævis, glaber; elytra punctis elevatis globosis, etc., » speciei jam descriptæ minime convenientes, quare nomen mutandum.

9. C. SCHOENHERRI. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, subtus et lateribus dense, supra maculatim flavo-aureo-squamosus; thorace subtiliter alutaceo, in medio carinato, lituris sex flavo-aureis ornato; elytrorum sulcis remote punctatis, interstitiis convexis, tuberculis inæqualibus, nitidis, absque ordine adspersis, maculisque numerosis flavo-aureo-squamosis notatis.

Patria : Cayenna. A Dom. CHEVROLAT nominatus et ex ejus Musæo descriptus.

E majoribus, *Cratosomo cornuto* sub-æqualis. Caput sub-globosum, disperse punctatum, nigrum, dense flavo-aureo-squamosum; oculi maximi, sub-ovati, convexi, nigri, in fronte carinula angusta tantum distincti; rostrum thorace paulo brevius, validum, valde arcuatum, supra posterius convexum, versus apicem deplanatum, in medio leviter carinatum, sat confertim punctulatum, nigrum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice fere dimidio angustior quam basi, apice supra in medio leviter emarginatus, flavo-fimbriatus; lateribus anterius obliquis, dein nonnihil ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, lobo scutellari emarginato; supra parum convexus, confertissime

subtiliter punctulatus, in medio carinula angusta, apicem non attingente instructus, niger, subtus et lateribus dense flavo-aureo-squamosus, supra maculis sex ejusmodi ornatus, quarum duæ apicis, parvæ, approximatæ, duæ discoidales majores, antice attenuatæ, et extra illas posterius linea nonnihil obliqua utrinque. Scutellum majusculum oblongum, apice acuminatum, nigrum, dense flavo-aureo-squamosum. Elytra ampla, antice sinuata et ibi thoracis basi vix latiora, sed pone basin subito in angulum subacuminatum valde ampliata, posterius angustiora, apice singulatim tuberculo conico aucta; thorace plus triplo longiora, supra convexa, anguste sed profunde sulcata, sulcis remote punctatis, interstitiis convexis, subtiliter alutaceis, et tuberculis numerosis nigris, nitidis, magnitudine inæqualibus, absque ordine adspersis; nigra, maculis plurimis oblongis, interdum fasciatim collocatis, flavo-aureo-squamosis, decorata. Corpus subtus sub-disperse punctatum, nigrum, lateribus dense flavo-aureo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, nitidi, disperse punctulati, parce squamulosi; femoribus sub-clavatis, omnibus subtus dente mediocri armatis; tibiis arcuatis; tarsis valde dilatatis, subtus dense flavo-spongiosis. — GHL.

* 10. C. DELIRUS. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-opacus, subtus inæqualiter fulvo-squamosus; thorace subtilius, parce granulato; elytris punctato-striatis, interstitiis disperse tuberculatis, basi, fascia ante medium lituris que ante apicem fulvo-squamosis ornatis.

VAR. β. Signaturis squamosis pallide flavescentibus.

VAR. γ. Fronte fovea lata impressa.

Patria : America meridionalis, Brasilia. Ex Musæis Regio Gallico, Imperiali Alexandrino et Dom. FALDERMANNI descriptus; etiam a Dom. von WINTHEM benevole donatus. Mus. SCHH.

Statura et facies *Cratosomi pterygomalis*, minores etiam illi magnitudine pares, alii duplo, imo triplo majores; structura rostri aliisque characteribus tamen abunde distinctus. Caput sub-globosum, sat confertim punctatum, obsolete canaliculatum, nigrum, parce fulvescenti-squamulosum; oculi laterales, ovati, nigri, parum convexi; rostrum vix longitudine thoracis, subrectum, latum, deplanatum, supra obsolete carinatum, punctulatum, nigrum. Antennæ breves, nigræ, parce pilosæ. Thorax latitudine postica brevior, antice subito dimidio angustior quam basi, apice utrin-

que leviter sinuato-emarginatus, fulvescenti-fimbriatus, intra apicem late transversim impressus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, in dorso obsolete punctulatus, versus latera densius, in disco parce, disperse granulatus, seu tuberculis parvis, nitidis, obsitus; niger, opacus, lateribus dense fulvescenti-squamosus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, nigrum, dense fulvo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, cum acumine parvo suturali; thorace triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata et in striis punctis remotis impressa, interjectis tuberculis elevatis; interstitia striarum sub-convexa, tuberculis oblongis, sub-depressis, parce obsita; nigra, sub-opaca, fasciis fulvescenti-squamosis ornata, prima in basi, utrinque abbreviata; secunda paulo ante medium, fere transversa, et tertia pone medium, in maculas interrupta. Corpus subtus punctatum, nigrum, lateribus inæqualiter fulvo-squamosum. Pedes validi, punctati, nigri, magis nitidi, nigro-pilosi; femoribus clavatis, posterioribus obsolete dentatis; tarsis dilatatis, undique dense fulvescenti-squamosis.

* Var. β colore squamularum in signaturis pallide flavescente tantum differt.

* In Var. γ, frons fovea lata, sed non profunda impressa.

GHL.

* 11. C. MELANCHOLICUS. *Schh.*

Ovatus, niger, albo-squamosus, thorace sub-remote tuberculato, elytrorum interstitiis alternis, costatis, nigris, interjacentibus dense albo-squamosis, antice nigro-tuberculatis.

* VAR. β. Duplo major, thoracis disco lævi, absque tuberculis.

Habitat in Brasilia. Dom. FALDERMANN et MÉNÉTRIÉS. Mus. SCHH.

Minor in hoc genere, *Otiorhyncho ligustici* æqualis. Caput breve, punctatum, nigrum, squamis depressis albis adspersum, fronte inter oculos impressa, densius squamosa; oculi laterales, ovati, nigri, modice prominuli, iride elevata, glabra, cincti; rostrum capite duplo longius, latum, compressum, nigrum, versus basin rugulosum et albo-squamosum, extrorsum glabrum, remote punctulatum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, parce albo-setosæ, clava parva, ovata, picea. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice utrinque late, sed parum profunde emarginatus, intra api-

cem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bisinuatus, supra convexus, sub-pulvinatus, tuberculis plurimis, inæqualibus, parum elevatis, in dorso remotioribus obsitus, superficie interjacente fere lævi; totus niger, squamis depressis, lanceolatis albis, in dorso rarioribus, subtus et in limbo condensatis, adspersus. Scutellum ovatum, depressum, dense albo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris valde elevatis, obtusangulis, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, punctato-sulcata, punctis magnis, remotis, squama alba ocellatis, interstitiis alternis alte elevato-costatis, costis anterius interruptis, posterius integris, nigris, glabris; interjacentibus depressis, dense albo-squamosis, versus basin tuberculis nonnullis remotis adspersis; nigra, vittis albo-squamosis ornata. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, squamis ovatis albis tectum. Pedes validi, nigri, punctati, dense albo-squamosi; femoribus parum incrassatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

* Var. β differt magnitudine duplo majori et thoracis disco lævi, limbo tantum tuberculato; forte femina. — Ghl.

Stirps 2. *Rostrum arcuatum, aut æquale, basi teres, versus apicem complanatum, aut inæquale, in mare sæpius cornutum.*

* 12. C. Roddami. *Kirby.*

Ovalis, niger, squamulis cinereo-albidis inæqualiter vestitus, supra disperse nigro-tuberculatus; thoracis fascia semi-circulari maculaque baseos, elytrorum plaga scutellari, fascia pone medium maculaque intra apicem helvolo-squamulosis ornatus. Ghl.

Rhynchænus id. Kirby, Linn. *Soc. Trans.* XII. p. 434. 74.

Cratosomus superbus.? Dej. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Var. β. Albidius squamulosus, fasciis maculisque thoracis et elytrorum griseo-lutescentibus.

Rhynchænus Herculeanus. Dalm. *Analecta Ent.* p. 85. 91.

Patria: America meridionalis, Brasilia.—α, ex Musæo Dom. Say, ad conferendum benevole communicatus. Var. β in Musæo Reg. Acad. Scient. Holm. asservatur.

♂♀ 13. C. Lentiginosus.

Niger, squamis piliformibus helvolis, aureo-micantibus, undique dense tectus; thorace postice leviter canaliculato, tuberculis globosis, de-

nudatis, versus latera et canaliculam acervatis adspersus; elytris remote striato-punctatis; interstitiis tuberculis inæqualibus nigris, nitidis, vage sparsis, instructis, maculisque nonnullis albido-squamosis ornatis. — GHL.

Mas: rostro cornibus duobus validis, antrorsum arcuatis, armato.

Femina: rostro mutico.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 264. 396.

Cryptorhynchus pollinosus. DEJ. *Catal. Col. ed.* 1. p. 85.

Cratosomus id. DEJ. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Curculio calcaratus. VOET. *Col. ed.* PANZ. IV. p. 61. 26. 7. 37. f. 26.

Cratosomus (Gorgus) lentiginosus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 280.

Patria: Brasilia.

* ♂ ♀ 14. C. BOS. *Schh.*

Niger, squamulis helvo-flavescentibus undique vestitus; thorace tuberculo unico oblongo ante medium disci instructo, basi plaga tricuspide densius squamosa notato; elytris sub-remote punctato-striatis: interstitiis inæqualiter tuberculatis.

Mas: rostro cornibus duobus validis arcuatis armato.

Femina: major, longior, densius et pallidius squamosa, rostro mutico.

Cratosomus (Gorgus) cornutus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 280.

* VAR. β maris. Cornibus rostri brevibus, conicis.

Patria: Brasilia. A Dom. FREYREISS, WESTIN et LEYON communicatus. Mus. SCHH.

Cratosomo lentiginoso magnitudine sub-æqualis et similis. Caput sub-orbiculatum, punctatum, nigrum, in ambitu oculorum dense helvo-squamulosum; oculi magni, sub-rotundati, convexi, nigri, in fronte approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, latum, compressum, valde arcuatum, punctatum, nigrum, a basi ad antennarum insertionem carinatum, parce helvo-squamosum, anterius glabrum, nitidum; — paulo ante basin antennarum in margine superiore rostri maris utrinque, cornu longum, validum, sub-acuminatum, antrorsum et extrorsum arcuatum, nudum, nigrum, conspicitur; in var. β cornua ista brevia, conica, in femina

vero omnino desunt. Antennæ nigræ, albido-pilosæ. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice utrinque leviter sinuatus, margine elevato, dense pallido-fimbriato; intra apicem transversim late impressus, lateribus in medio ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus fere rectis, lobo medio emarginato; supra parum convexus, subtiliter granulatus, niger, opacus, parce pallido-squamulosus; in medio baseos plaga magna, anterius tri-cuspidata, densius squamosa, præsertim in apicibus lateralibus, et in utroque latere macula parva albido-squamosa; in medio antico dorsi thoracis, carinula brevis, apice nuda, nitida, observatur. Scutellum magnum, semi-ellipticum, nigrum, squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi valde latiora, humeris fere rectangulatis, alte elevatis, tuberculatis; lateribus inflexa, posterius attenuata, apice singulatim acuminato-sub-spinosa, thorace quadruplo longiora, supra convexa, sub-striata, striis punctis majusculis, profundis, remotis impressis, interstitiis planis, sub-lævibus, tuberculis numerosis, inæqualibus, plerisque oblongis reclinatis, glabris, nitidis, adspersis; nigra, squamulis helvolis in cavitatibus vestita. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, anterius dense helvo-squamosum, ventre magis nudo, sub-nitido. Pedes elongati, validi, punctati, nigri, parce pallido-squamulosi: femoribus parum crassis, subtus dente obtuso armatis; tibiis rectis; tarsis dilatatis, subtus helvo-spongiosis. — Ghl.

* 15. C. Gyllenhali. *Schh.*

Niger, supra dense helvo-squamosus; thorace posterius impresso, utrinque crista tuberculata instructo, liturisque albo-squamosis notato; elytris striato-punctatis, plagis pluribus albo-squamosis variegatis; interstitiis alternis inæqualiter tuberculatis.

Patria: Brasilia. A Dom. Westin communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Cratosomi lentiginosi.* Individuum nostrum masculini sexus. Caput sub-globosum, nigrum, squamulis piliformibus albidis, in fronte ochraceo tinctis, dense tectum; oculi magni, sub-ovati, nigri, modice prominuli, in fronte sub-approximati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, latum, compressum, valde arcuatum, supra punctatum, leviter carinatum, nigrum, basi dense, anterius parce albido-squamosum, paulo ante basin antennarum utrinque triangulariter dilatatum. Antennæ nigræ, albido-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter tri-

sinuatus, margine sub-elevato, dense pallido-fimbriato; intra apicem transversim impressus, lateribus posterius ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio sub-emarginato; supra inæqualis, in disco postico depressus, intra marginem utrinque crista tuberculata instructus; in disco antico tuberculo majori oblongo et ab utroque latere cristæ nonnullis parvis adspersus; niger, squamulis lanceolatis helvolis undique sat dense tectus, puncto parvo laterali, macula oblonga baseos et parte postica cristæ squamositate densa alba ornatis. Scutellum oblongo-ovatum, sub-elevatum, nigrum, in medio albo-versus margines helvo-squamosum. Elytra antice sinuata, pone basin oblique valde ampliata, in angulum obtusum, vix elevatum excurrentia, lateribus inflexa, posterius valde attenuata, apice singulatim in mucronem conicum producta, thorace quadruplo longiora, in dorso antico fere plana, parum profunde, sub-remote seriatim punctata, interstitiis planis, alternis seriatim tuberculatis, tuberculis inæqualibus, in interstitio tertio a sutura majoribus, in exterioribus interstitiis parvis, paucis, remotis; nigra, squamositate densa helvola vestita, liturisque difformibus albo-squamosis variegata, quarum una communis in sutura a basi ad medium, ibique dilatata; alia utrinque ab humero exiens, elongata, et quarta pone medium transversa. Pectus et venter nigra, dense cinereo-squamosa. Pedes longiusculi, validi, nigri, cinereo-squamosi; femoribus parum crassis, subtus dente minuto armatis; tarsis longis, dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

GHL.

* 16. C. MANNERHEIMI. *Schh.*

Oblongus, sub-cylindricus, niger, brunneo-squamosus, signaturis albidis variegatus; rostro carinato, antice bi-sulcato, medio cornu brevi, conico, utrinque armato; thorace vage tuberculato; elytris apice mucronatis, supra tuberculis conicis, seriatis, instructis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amicissime donatus.

Hylobio pineti longior, sed non latior, sub-cylindricus. Caput rotundatum, remote punctatum, nigrum, squamis lanceolatis tectum, in fronte erectis, helvolis, pone oculos depressis, albidis; oculi ovati, nigro-brunnei, parum convexi, in fronte non approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassum, valde arcuatum, a basi ad apicem usque carinatum, supra antennarum insertionem utrinque cornu brevi, conico, divergente ar-

matum, et anterius utrinque alte elevato-marginatum, unde anterior rostri pars bi-sulcata evadit; totum nigrum, remote punctatum, a basi ultra medium dense helvolo-squamosum. Antennæ nigræ, cinereo-setosæ, clava pubescente. Thorax latitudine vix brevior, anterius angustior, apice oblique truncatus, albo-ciliatus, et intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, margine elevato; supra convexus, sub-pulvinatus, subtiliter granulatus et punctatus, niger, squamulis fusco-ochraceis in cavitatibus tectus; tuberculis numerosis, alte elevatis, rotundatis, nigris, nitidis, inæqualiter acervatis, adspersus, unico longiore in medio dorsi anterioris; in basi utrinque vitta abbreviata, arcuata, interrupta, e squamis longis, angustis, albidis, fasciculatis. Scutellum ovatum, elevatum, nigrum, scabrum. Elytra antice profunde sinuata, thoracis basi arcte applicata ibique illo non latiora, sed ad humeros alte elevato-tuberculatos oblique ampliata, dein ultra medium sub-linearia, versus apicem subito angustata, apice singulatim in mucronem conicum producta, thorace triplo longiora, supra valde convexa, vix sulcata, sed punctis majusculis, profundis, remotis, seriatis, setula umbilicatis impressa, interstitiis alternis seriatim inæqualiter tuberculatis; in ipsa sutura nempe posterius tubercula nonnulla, parva; in interstitio secundo a sutura series e tuberculis sex vel septem, plerisque magnis, conicis; in quarto tubercula tria, remota; in sexto quatuor, posteriora approximata et sub crista humerali unicum, omnia nigra, glabra; elytra præterea nigra, opaca, squamulis obscure ochraceis in cavitatibus tecta; signaturæ variæ e squamis elongatis, angustis, albidis, præterea elytra ornant; in medio baseos singuli elytri nempe maculæ tres, in triangulum positæ; pone humerum plaga major, sinuata et in medio juxta suturam alia irregularis; intra apicem fascia fere communis, abbreviata, et extra illam in margine macula transversa. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctatum, ochraceo-et cinereo-squamosum. Pedes nigri, cinereo-et ochraceo-squamosi, antici longiores et robustiores; femoribus omnibus clavatis, subtus dente valido armatis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, supra dense ochraceo-squamosis, subtus helvolo-spongiosis.

Obs. — *Cryptorhynchus porriginosus*, Germ. *Ins. Sp.* I. p. 266. 399. Secundum descriptionem huic in plurimis conveniens videtur, sed forma rostri longe alia, thorax non transversus dicendus et color macularum in thorace et elytris non idem, unde vix pro ejus masculo censendus. — GHL.

17. C. PORRIGINOSUS (1). *Germar.*

Oblongus, sub-cylindricus, niger, opacus, thorace vage tuberculato, elytris spinosis, flavo-maculatis, apice mucronatis; femoribus dentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 266. 399.

Patria : Brasilia.

♂ 18. C. CORNUTUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, ater, opacus, parce cinereo-squamulosus; thorace confertim tuberculato; elytris rude, remote punctato-sulcatis, apice vix acuminatis; interstitiis inæqualiter tuberculatis.

Mas : rostro cornibus duobus validis, subrectis, acutis, armato.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 457. 98.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 160. 128. T. 15. f. 193.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 421. 117.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 500. 134.

HERBST. *Col.* VI. p. 375. 352. T. 89. f. 11.

Cratosomus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Patria : Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN donatus. Mus. SCHH.

Magnus, *Hipporhino pillulario* major, latior. Caput cum oculis sub-globosum, nigrum, nitidum; oculi maximi, rotundati, nigri, in fronte carinula angusta, tantum distincti; rostrum thorace brevius, validum, valde arcuatum, supra a basi ultra medium carinatum, versus apicem deplanatum, totum atrum, læve, nitidum, supra antennarum insertionem utrinque spina valida, acuminata, parum arcuata, armatum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine medii fere brevior, anterius angustior, apice leviter tri-emarginatus, fulvo-aureo-fimbriatus; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio profunde triangulariter inciso; supra convexus, tuberculis hemisphæricis, nigris, nitidis, versus latera confertissime aggregatis obsitus, in disco paucioribus, dispersis, relictis areis tribus tuberculis destitutis; niger, in cavitatibus squamulis angustis cinereis sat dense vestitus. Scutellum majusculum, sub-ellipticum, atrum, læve. Elytra antice valde si-

(1) Mihi invisus.

nuata, thoracis basi fere dimidio latiora, angulo humerali elevato, tuberculato; lateribus inflexis anterius ampliatis; posterius angustiora, apice etiam sub-sinuata, angulo suturali parum prominulo; thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata et in sulcis foveis majusculis, sub-remotis, plerisque oblongis, impressa, præsertim anterius; interstitiis sub-convexis, secundo a sutura serie fere continua tuberculorum altiorum instructo, reliquis parce, inæqualiter tuberculatis; tota atra, parum cinereo-squamulosa. Corpus subtus obsolete punctatum, atrum, opacum, cinereo-squamulosum. Pedes elongati, validi, atri, parce cinereo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, subtus dente obsoleto armatis; tarsorum articulo tertio valde dilatato, subtus dense pallido-spongioso.

GHL.

♂♀ 19. C. SCORPIO. *Fabricius.*

Niger, thorace lateribus valde ampliato, supra fere pleno, tuberculis duobus parvis discoidalibus instructo, basi plaga magna dense cinereo-squamulosa notato; elytris inæqualiter striato-punctatis, dorso dense cinereo-squamulosis, lateribus sinuatim denudatis, tuberculis paucis adspersis, antico singuli elytri reliquis majore. — GHL.

Mas : rostro cornibus duobus validis, arcuatis, armato.

Femina : dimidio major, rostro mutico.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 462. 117.

Curc. id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 424. 128. — MANT. I. p. 105. 96.

HERBST. *Col.* VI. p. 460. 465.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 502. 141.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1765. 238.

Cryptorhynchus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Cratosomus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Rhynchænus varicosus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 162. 131. T. 1. f. 14.

Curculio id. PALL. *Icon.* p. 22. 1. Tab. B. f. 1.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 501. 140.

HERBST. *Col.* VI. p. 304. 277. T. 84. f. 1.

HERBST. (Borowsky) *Naturg.* VI. p. 111. 8. T. 14. f. 4.

Patria : Cayenna.

20. C. TAURUS. *Fabricius.*

Breviter ovatus, niger, plagiatim ochraceo-squamosus, rostro cornibus duobus antrorsum arcuatis armato, thorace tri-tuberculato, elytris

apice obtuse mucronatis, supra foveis magnis, profundis, seriatim insculptis; interstitiis anterius remote tuberculatis.

Rhynchænus Taurus. FABR. *Syst. El.* II. p. 457. 97. — ILLIG. *Mag.* V. p. 242. 97.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 159. 127. Tab. 6. f. 60.?

Curculio Taurus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 421. 116.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 500. 133.

HERBST. *Col.* VI. p. 369. 345. T. 89. f. 4.?

Curculio Rhynchoceros. PALL. *Icon.* p. 23. 2. Tab. B. f. 2.?

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1762. 455.?

Habitat in Cayenna. In Musæo Reg. Acad. Scient. Holm. asservatur.

Statura brevis *Cratosomi scabri*, sed minor. Caput cum oculis sub-orbiculatum, punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum; oculi ovati, nigri, maximam capitis partem supra occupant, in fronte tantum linea angusta, elevata, lævi, distincti; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassum, arcuatum, punctatum, nigrum, basi supra convexum, fornicatum, in medio ante antennas impressum, marginibus ibi elevatis, apice deplanatum, supra antennarum insertionem utrinque cornu valido, antrorsum arcuato, armatum. Antennæ nigræ, cinereo-setosæ, clava brevi, pubescente. Thorax latitudine brevior, antice multo angustior, apice sub-truncatus, parum emarginatus, dense cinereo-ciliatus, intra apicem transversim impressus, lateribus pone medium ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato; supra parum convexus, inæqualis, subtiliter remote punctulatus, niger, intra basin utrinque plaga ochraceo-squamosa ornatus; in medio dorsi tubercula tria majuscula, elevata, primum paulo anterius, oblongum, lateralia paulo posterius utrinque, sub-conica; intra basin præterea tubercula nonnulla parva, acervata, obsoleta. Scutellum ovatum, elevatum, remote punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, tuberculato-cristatis, lateribus non ampliata, posterius valde angustata, sub-triangularia, apice singulatim in mucronem brevem, conicum, producta, thorace vix triplo longiora, supra convexa, evidenter sulcata, sulcis remote punctatis, punctis seu foveis in disco et lateribus magnis, profundis, ovatis, versus apicem et in plaga media baseos cujusvis elytri minoribus, obsoletioribus; interstitiis subtiliter, remote punctulatis; ni-

gra, parce cinereo-squamulosa; in medio baseos singuli elytri plaga latior et versus apicem vitta abbreviata e squamulis densioribus ochraceis; in dorso anteriore singuli elytri tubercula quinque majora, sub-conica, nitida, tria nempe in interstitio tertio et duo in quinto a sutura. Corpus subtus nigrum, punctatum, lateribus anterius dense helvolo-squamosis, ventre nudo, nitido. Pedes elongati, validi, nigri, remote punctulati, parce squamulosi; femoribus parum crassis, subtus dente obsoleto armatis; tarsis dilatatis, subtus dense helvolo-spongiosis.

Obs. — Synonymia hujus speciei dubia: *Rhynchænus Taurus* Oliv., l. c. vix cum jam descripto idem, nam statura longior, corpus densius squamosum et thorax multi-tuberculatus describitur; *Curculio Taurus* Herbstii, l. c. in pluribus adhuc magis diversus.

Ghl.

21. C. Fabricii. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, thorace medio gibbo, utrinque uni-tuberculato, arcu semi-circulari ochraceo-squamoso ornato; elytris inæqualiter punctato-sulcatis, singulo antice tuberculis tribus instructo, vittaque media cinereo-ochracea notato.

Habitat in Remedios Americæ. Dom. Nisser. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Cratosomo scabro non brevior, sed multo angustior. Caput parvum, sub-orbiculatum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte antice sulco lanceolato impressa, vertice sub-carinato; oculi maximi, ovati, nigri, in fronte approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, remote punctatum, nigrum, nitidum, glabrum, supra versus basin convexum, fornicatum, versus apicem deplanatum. Antennæ breves, nigræ, cinereo-setosæ et pubescentes. Thorax latitudine vix brevior, antice subito angustior, apice sub-truncatus, margine dense flavo-ciliato, lateribus rotundato-ampliatus, basi tri-sinuatus, margine elevato; supra inæqualis, in disco posteriori gibbere sub-triangulari instructus, subtilissime punctulatus, niger, opacus, arcu lato, semi-circulari, ochraceo-squamoso, ornatus; prope medium marginis utrinque tuberculum elevatum, rotundatum, nitidum. Scutellum ovatum, valde elevatum, punctatum, nigrum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi arcte applicata ibique illo vix latiora, sed mox pone basin oblique ampliata, humeris oblique angulatis, tuberculatis; lateribus inflexa, versus apicem angustata, sub-triangu

laria, apice singulatim conico-mucronata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sub-sulcata, sulcis dorsalibus et lateralibus anterius foveis magnis, profundis, ovatis insculptis, intermediis vero et omnibus postice punctis minoribus, oblongis, remotis, impressis; nigra, vitta lata, arcuata, in medio baseos incipiente, ad spinulam apicis producta, antice ochraceo, posterius cinereo-squamosa ornata; in humeris et pone illos tubercula numerosa, elevata, nitida et interne versus basin duo majora, tertiumque oblongum, compositum in medio versus suturam. Corpus subtus nigrum, remote punctulatum, lateribus parce squamulosum, ventris medio glabro, nitido. Pedes elongati, validi, nigri, punctati; femoribus parum incrassatis, subtus dente parvo, obsoleto, armatis; tarsis dilatatis, supra dense ochraceo-squamosis, subtus brunneo-spongiosis. — GHL.

Dom. J. C. FABRICIUS. « Le premier Entomologiste de son temps. » — COMTE DEJEAN, *Species génér. des Coléopt.*, I, p. XXI.

♂♀ 22. C. VAGINALIS. *Linn.*

Ovatus, ater, thoracis disco tuberculis tribus, lateribus plurimis instructis; elytris profunde, remote punctato-sulcatis, apice singulatim mucronatis, antice tuberculis nonnullis majoribus adspersis.

Mas : rostro cornibus duobus validis, antrorsum arcuatis armato; elytris corporisque lateribus maculatim fulvo-squamulosis.

Femina : duplo major, rostro inermi, elytris corporeque vix maculatim squamosis.

Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 47. 6. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. 51. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1764. 51.

DE GEER. *Ins.* V. p. 266. 2. T. 15. f. 23.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 521. 139.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* I. II. p. 458. 102.

ILLIG. *Mag.* V. p. 242. 102.

Cryptorhynchus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85. — *Cratosomus id.* DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Curculio Senegalensis. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 422. 121.

HERBST. *Col.* VI. p. 454. 458.

Curculio guttatus. HERBST. *Col.* Tab. 72. f. 11. ?

OLIV. *Icon.* 83. Tab. 5. f. 45. (*Rhynchænus taurus* ♀. p. 159. 127.) ?

GRON. *Zooph.* p. 168. 581. T. 14. f. 6.

Patria : America meridionalis, Cayenna. Mas a Dom. Com. DEJEAN donatus. Mus. SCHH.

Femina magnitudine fere *Cratosomi cornuti*, mas duplo minor. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, atrum, squamulis minutis cinereis parce adspersum; oculi maximi, rotundati, nigri, in fronte carinula angusta tantum distincti; rostrum thorace paulo brevius, validum, valde arcuatum, supra basi carinatum, versus apicem dilatatum et deplanatum, in masculo supra antennarum insertionem cornibus duobus compressis, acuminatis antrorsum arcuatis armatum, totum atrum. Antennæ mediocres, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine medii brevior, anterius angustior, apice supra late leviter emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, margine antico flavescenti-fimbriato; lateribus pone stricturam versus medium oblique ampliatis, lævibus, dein versus basin sub-angulatim inflexis, confertim tuberculatis; basi leviter bi-sinuatus, lobo medio parum profunde emarginato; supra in disco transversim modice convexus, subtilissime punctulatus, tuberculis tribus oblongis instructus, medio anteriore et majore; totus ater, sub-nitidus, squamulis minutis cinereis parce adspersus. Scutellum elevatum, sub-ellipticum, atrum, nitidum, disperse punctulatum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi dimidio latiora, angulo humerali tuberculo conico aucto; posterius angustiora, apice singulatim in mucronem conicum producta, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sub-sulcata, sulcis anterius foveis magnis, profundis impressis, posterius remote, subtilius punctatis, interstitiis convexis; in anteriore parte singuli elytri tuberculis 5 vel 6 instructis, quorum unum interne non procul a basi, reliquis majus; atra, nitida, in masculo plaga communi scutellum ambiente et alia paulo pone medium singuli elytri, fulvescenti-squamosis, ornata. Corpus subtus sub-disperse punctulatum, atrum, in medio nitidum, thoracis et pectoris lateribus, fasciisque nonnullis posticis ventris, dense fulvescenti-squamulosis. Pedes longiusculi, validi, atri, nitidi; femoribus sub-clavatis, subtus dente parvo armatis; tibiis sub-arcuatis, externe scabris; tarsis longiusculis, articulo tertio valde dilatato, bilobo, subtus dense pallido-spongioso. — GHL.

23. C. LUCIFUGUS (1). *Olivier.*

Ater, thoracis dorso tri-tuberculato, elytris striato-dentatis; femoribus quatuor posterioribus dentatis. — OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 168. 140. T. 29. f. 425.

Patria : Cayenna.

* 24. C. SCABER. *Fabricius.*

Ovatus, niger, parce flavescenti-squamulosus; thorace in medio anguste carinato; elytris remote punctato-sulcatis, apice singulatim sub-acuminatis; interstitiis interioribus anterius seriatim tuberculatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 463. 123.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 161. 129. T. 16. f. 205.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 425. 134. — *Mant.* I. p. 105. 97. — *Spec. Ins.* I. p. 174. 77. — *Syst. Ent.* p. 137. 54.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 502. 142.

HERBST. *Col.* VI. p. 461. 467.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1765. 239.

Patria : Cayenna. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Cratosomi cornuti.* Caput sub-globosum, nigrum; oculi magni, nigro-brunnei, in fronte carinula angusta, antice bifida distincti; rostrum thorace paulo brevius, validum, valde arcuatum, supra subtiliter alutaceum, apice deplanatum, nigrum, opacum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine postica brevior, antice fere dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio parum emarginato; supra transversim convexus, in disco lævis, glaber, versus latera subtiliter alutaceus, pallido-squamulosus, in medio carinula angusta, utrinque abbreviata instructus, totus niger. Scutellum elevatum, sub-ellipticum, alutaceum, nigrum. Elytra antice valde sinuata, thorace latiora, angulo humerali tuberculo aucto; posterius attenuata, apice singulatim acuminata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sulcis remote punctatis, interstitiis convexis, alutaceis, interioribus anterius seriatim tuberculatis, tuberculis

(1) Mihi invisus.

mediocribus, sub-conicis, nitidis; nigra, opaca, parce flavescenti-squamulosa. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, anterius dense flavescenti-squamulosum, ventre magis nudo. Pedes longiusculi, validi, nigri; femoribus parum crassis, subtus in medio dente acuto, reclinato, armatis; tibiis arcuatis, scabris, tarsis longiusculis, articulo tertio valde ampliato, bilobo, subtus brunneo-spongioso. — Ghl.

25. C. Lacrimans. *Schh.*

Ovatus, niger, parce flavescenti-squamosus; thorace medio carinato; elytris apice mucronatis, supra foveis magnis, profundis, seriatis, insculptis; interstitiis angustis, sub-costatis, tertio antice tuberculo magno instructo.

Habitat......... Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. E Mus. Dom. Payk.

Magnus, *Cratosomo scabro* æqualis et similis, elytrorum textura tamen abunde distinctus. Caput parvum, nigrum, parce punctatum; oculi maximi, ovati, modice convexi, nigri, in fronte carinula angusta, elevata, tantum distincti; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, confertim punctatum, basi convexum et squamulosum, apice depressum, glabrum. Antennæ breviusculæ, subtenues, basi nigræ, extrorsum piceæ. Thorax latitudine vix brevior, anterius angustior, apice sub-truncatus, parum profunde sinuato-emarginatus, flavo-ciliatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde sinuatus, lobo medio triangulariter exciso; supra parum convexus, inæqualis, in medio carinula angusta, lævi, antice posticeque abbreviata, instructus, confertim punctulatus, niger, squamulis minutis, depressis, fuscis, adspersus. Scutellum sub-elevatum, triangulare, punctatum, nigrum, squamosum. Elytra antice profunde sinuata, humeris valde elevatis et angulato-ampliatis, apicem versus sensim angustata, apice singulatim in spinam acuminatam, divergentem, excurrentia, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, lacunis magnis, profundis, ovatis regulariter striatim digestis insculpta, interstitiis angustis, convexis, confertim punctulatis; nigra, squamulis fuscis et pallescentibus parcius adspersa; in interstitio tertio a sutura, tuberculum parvum in ipsa basi et aliud huic contiguum, magnum, oblongum, alte elevatum. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, sat profunde punctatum, pallido-squamosum et setosum. Pedes elongati, validi,

nigri, punctati, sub-nudi femoribus parum incrassatis, subtus dente valido armatis; tibiis arcuatis, apice helvolo-fasciculatis; tarsis dilatatis, subtus helvolo-spongiosis. — GHL.

* 26. C. STELLIO. *Olivier.*

Ellipticus, ater, sub-nitidus, punctis paucis albido-squamosis adspersus, antennis ferrugineis; thorace ante medium tuberculo oblongo instructo; elytris punctato-striatis, disperse tuberculatis, apice singulatim acuminatis.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 164. 133. T. I. f. 3.

Cratosomus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Patria : Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN donatus. Mus. SCHH.

Cratosomo cornuto vix brevior, sed angustior. Caput sub-globosum, punctulatum, atrum, nitidum; oculi magni, nigri, in fronte approximati; rostrum longitudine thoracis, validum, arcuatum, supra basi carinatum, versus apicem deplanatum, undique disperse punctulatum, totum atrum, nitidum. Antennæ mediocres, piceo-ferrugineæ. Thorax latitudine postica multo brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice sub-truncatus, parum emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, margine antico elevato, albido-fimbriato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio leviter emarginato; supra transversim convexus, pulvinatus, in medio antico tuberculo oblongo, lævi, nitido, instructus, undique subtiliter punctulatus, ater, sub-nitidus, squamulis minutis, depressis, nigris, adspersus, punctisque quatuor albido-squamosis, transversim positis, notatus. Scutellum semi-ellipticum, nigro-squamulosum, atrum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, rectangulatis; lateribus inflexis ampliata, posterius valde attenuata, apice singulatim acuminata, thorace quadruplo longiora, supra modice convexa, anterius late sulcata, sulcis punctis magnis, profundis, rotundatis, impressis; versus apicem subtilius punctato-striata, interstitiis sub-convexis, alutaceis; secundo a sutura prope basin tuberculo magno, alte elevato, et in medio tribus oblongis, depressis, approximatis, instructo; in quarto interstitio tubercula duo aut tria remota, sub-depressa; tota atra, sub-opaca, intra apicem plaga oblonga, et in disco maculis nonnullis albido-squamulosis notata. Pygidium pone elytra prominens, semi-ellipticum, convexum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Corpus subtus subtiliter, disperse punctulatum, atrum, nitidum,

squamulis minutis cinereis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, nitidi, parce cinereo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, subtus dente obsoleto instructis; tibiis sub-arcuatis, scabris; tarsis longiusculis, articulo tertio valde dilatato, bilobo, subtus fulvescenti-spongioso. — GHL.

* 27. C. BISPINOSUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, ater, sub-nitidus, inæqualiter cinereo-squamulosus; thorace pulvinato, confertissime punctulato, obsolete carinato; elytris apice mucronatis, anterius rude punctato-sulcatis, interstitiis inæqualiter tuberculatis, punctis numerosis albido-squamulosis adspersis.

Gorgus bispinosus. GUÉRIN, *Iconog. du Règne anim.* V. T. 39. f. 9.
Cratosomus Chevrolati. SCHH. *in Litteris.* — Olim.

Patria: Cayenna. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Cratosomo stellioni magnitudine æqualis et similis, in pluribus tamen distinctus. Caput sub-globosum, confertim punctatum, fronte inter oculos carinula parum elevata instructa, totum atrum; oculi magni, rotundati, nigri, in fronte minus approximati quam in prioribus; rostrum longitudine fere thoracis, validum, arcuatum, supra confertim punctulatum, basi leviter canaliculatum, apice deplanatum, totum atrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine postica brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice utrinque leviter emarginatus, intra apicem constrictus, margine apicis elevato, pallido-fimbriato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein subrectis; basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato; supra transversim valde convexus, pulvinatus, confertissime subtiliter punctulatus, in medio antico carinula tenui, obsoleta, instructus, totus ater, nitidus. Scutellum ellipticum, sub-elevatum, punctulatum, atrum, nitidum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice singulatim in mucronem conicum, acuminatum excurrentia, thorace quadruplo longiora, supra convexa, anterius late sulcata, et in sulcis punctis vel foveolis profundis impressa, versus apicem tantum sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, interioribus, præsertim secundo a sutura, tuberculis pluribus inæqualibus adspersis; atra, sub-nitida, punctis numerosis albido-squamulosis adspersa. Corpus subtus subtiliter punc-

tulatum, atrum, nitidum, squamulis minutis albidis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati et squamulosi; femoribus modice clavatis, subtus dente acuminato armatis.

GHL.

* 28. C. MALEFICUS. *Olivier.*

Elongato-ovatus, niger, nitidus, squamulis minutis virescentibus parce adspersus; thorace subtiliter punctulato, elytris sulcatis, anterius profunde foveolatis; interstitiis dorsalibus tuberculis paucis elevatis instructis, antico magno, rotundato.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 168. 139. T. 29. f. 426.
Cratosomus (Gorgus) minax. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 288.
Cratosomus morbillosus. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Habitat in Cayenna. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Cratosomo dubio parum brevior, sed multo angustior. Caput breve, confertim punctatum, nigrum, parce squamulosum, fronte angusta, carinata; oculi ovati, nigri, parum convexi; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, basi convexum, confertim punctatum et subtiliter squamulosum, exterius deplanatum, anguste marginatum, parce punctulatum, glabrum, totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, totæ nigræ, parce setosæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius dimidio angustior, apice sub-truncatus et intra apicem transversim late impressus, margine elevato; lateribus nonnihil ampliatus, basi sinuatus, angulis lateralibus sub-acuminatis; supra transversim convexus, pulvinatus, confertim subtiliter ruguloso-punctatus, niger, squamulis minutis fuscis adspersus. Scutellum ovatum, elevatum, punctatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apicem versus sensim angustata, apice conjunctim sub-acute rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, profunde sulcata, sulcis in dorso anteriore et lateribus foveis magnis, profundis, inæqualibus impressis, versus apicem punctis minoribus, remotis, notatis; interstitiis convexis, sub-punctatis; in interstitio tertio a sutura, prope basin, in singulo elytro tuberculum magnum, alte elevatum, rotundatum, et in sutura interstitiisque illi proximis, tubercula plura minora; tota nigra, squamulis minutis, pallide virescentibus parce, inæqualiter adspersa. Corpus subtus convexum, nigrum, nitidum, parce punctatum et squamulosum. Pedes elon-

gati, validi, nigri, nitidi, parcius punctati et squamulosi; femoribus sub-clavatis, subtus obsolete dentatis; tarsis dilatatis, subtus helvolo-spongiosis. — Ghl.

29. C. Vespertilio. *Fabricius.*

Oblongus, niger, parce, inæqualiter cinereo-squamosus; rostro utrinque dente obtuso armato; thorace disperse granulato; elytris profunde seriatim punctatis, sutura interstitiisque alternis dorsalibus remote tuberculatis.

Curculio id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 458. 104.

Patria : America meridionalis. Ex Musæo Regio Danico descriptus.

Cratosomo malefico affinis, sed dimidio minor et ultra; thorax granulatus, elytra aliter tuberculata. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, fronte antice sulco lanceolato impressa; oculi magni, sub-ovati, convexi, nigri, in fronte carinula angusta tantum distincti; rostrum longitudine fere thoracis, validum, valde arcuatum, difforme, basi supra carinatum, in utroque latere dente magno, obtuso, nonnihil adscendente armatum, ante dentem elevato-marginatum, punctatum, nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, albido-pilosæ. Thorax latitudine postica brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter sinuato-emarginatus, elevato-marginatus, pallido-fimbriatus; lateribus anterius obliquis, dein modice rotundato-ampliatis; basi bi-sinuatus, supra sub-convexus, pulvinatus, granulis parvis, sub-nitidis, undique parce obsitus, et in medio dorsi lineola brevi, elevata, nitida, notatus; niger, opacus, squamulis minutis cinereo-albidis parce adspersus. Scutellum majusculum, sub-ovatum, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, posterius angustiora, ante apicem leviter impressa, apice conjunctim rotundata, sed tuberculo parvo suturali aucta; thorace plus triplo longiora, supra convexa, anterius punctis magnis, profundis, versus apicem successive minoribus, seriatim digestis impressa, interstitiis planis, sub-lævibus; in utroque margine suturæ et in interstitiis tertio et quinto singuli elytri tubercula pauca, remota, nitida, seriatim digesta conspiciuntur, anteriora obtusa, posteriora sub-conica· nigra, opaca, parce, inæqualiter cinereo-squamulosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, magis nitidum, parce squamulosum. Pe-

des mediocres, validi, nigri, nitidi, obsolete punctati; femoribus clavatis, posterioribus subtus dente obsoleto armatis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, undique dense flavo-aureo-squamosis. — GHL.

30. C. SUBANGULATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, inæqualiter pallido-squamosus; thorace subtiliter alutaceo, anterius utrinque sub-gibboso; elytris remote punctato-sub-sulcatis, sutura interstiisque inæqualiter tuberculatis, pone humeros angulatis.

Patria : Cayenna. A Dom. CHEVROLAT nominatus et ex ejus Musæo descriptus.

Cratosomo vespertilioni magnitudine æqualis et facie subsimilis. Caput parvum, sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, pallido-squamulosum; oculi magni, sub-ovati, convexi, atri, in fronte carinula angusta tantum distincti; rostrum longitudine fere thoracis, validum, arcuatum, supra convexum, obsolete carinatum, confertim punctulatum, nigrum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine vix brevior, antice subito angustior, apice sinuato-emarginatus, pallido-fimbriatus, intra apicem leviter transversim impressus, lateribus mox pone stricturam ampliatus, et gibbere elevato instructus, dein posterius nonnihil rotundatus, basi tri-sinuatus, lobo scutellari nempe profunde sed anguste emarginato; supra parum convexus, subtiliter alutaceus, niger, opacus, parce, inæqualiter pallido-squamosus. Scutellum oblongo-ovatum, convexum, obsolete punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Elytra antice valde sinuata, pone basin subito in angulum obliquum sub-acutum, tuberculo nitido auctum, ampliata, dein posterius attenuata, apice singulatim acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, et in sulcis punctis magnis, remotis, impressa, sutura interstitiisque convexis, plerisque tuberculis obtusis, nitidis, fere absque ordine sparsis, obsitis, præsertim anterius; nigra, opaca, parce, inæqualiter pallido-squamosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, magis nitidum, parce squamulosum. Pedes longiusculi, validi, disperse punctulati, nigri; femoribus clavatis, nitidis, posticis subtus versus apicem dente obsoleto armatis; tibiis arcuatis; tarsis valde dilatatis, subtus totis dense saturate flavo-squamosis et spongiosis. — GHL.

* 31. C. ECHINATUS. *Deiean.*

Ellipticus, ater, opacus, parce cinereo-squamulosus; thorace tri-tuberculato, postice impresso; elytris rude, remote punctato-striatis, dorso tuberculatis, apice sub-acuminatis.

Cryptorhynchus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Cratosomus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Patria : Cayenna. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Ius. SCHH.

Statura et facies *Cratosomi vaginalis*, sed longe minor, *Cratosomo multipunctato* sub-æqualis. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, atrum, fronte foveola oblonga impressa; oculi maximi, ovati, convexi, nigro-brunnei, in fronte valde approximati; rostrum longitudine thoracis, arcuatum, latum, complanatum, punctatum, atrum, sub-nitidum, basi leviter carinatum. Antennæ subtenues, nigræ, cinereo-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior, apice sub-truncatus, lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, lobo medio emarginato; supra inæqualis, posterius impressus, tuberculis tribus oblongis, nitidis, instructus, primo ante medium disci et uno versus marginem utrinque; cæterum lævis, ater, opacus, parce cinereo-squamulosus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, atrum, dense cinereo-squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, elevato-marginata, humeris elevatis, sub-rotundatis; lateribus inflexa, apice singulatim sub-acuminata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, punctis majusculis, remotis, striata, interstitiis dorsalibus tuberculis numerosis, sub-conicis, adspersis; atra, opaca, in cavitatibus cinereo-squamulosa. Pygidium inflexum, punctatum, dense cinereo-squamulosum. Thorax subtus confertim punctatus, ater, dense squamosus; pectus sub-læve, squamosum; venter ater, nitidus, parce punctatus, fere glaber. Pedes elongati, validi, punctulati, atri, nitidi; femoribus clavatis, muticis; tibiis arcuatis, externe versus apicem fasciculo fulvo-squamoso instructis; tarsis dilatatis, fulvescenti-squamosis et spongiosis. — GHL.

* 32. C. DUBIUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, parce cinereo-fuscoque squamulosus; thorace confertim subtiliter punctulato: elytris punctato-sulcatis, interstitiis planis, plerisque seriatim tuberculatis, apice obtuse rotundatis.

Lixus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 504. 34.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 427. 141. — *Mant.* I. p. 106. 104.

HERBST. *Col.* VI. p. 128. 89. T. 68. f. 8; et p. 463. 470.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 505. 197.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1766. 244.

Habitat in Cayenna. Mus. Reg. Galliæ et Mus. SCHH.

Statura et facies *Cratosomi scabri*, sed paulo minor, præsertim angustior. Caput sub-orbiculatum, confertim ruguloso-punctatum, parce fusco-squamulosum, fronte et vertice opposite triangularibus; oculi majusculi, ovati, convexi, brunnei, posterius valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, deplanatum, basi rugulosum, dein remote punctulatum, totum nigrum. Antennæ nigræ, flagello piloso, clava ovata fusca. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, sub-conicus, apice vix emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis, basi bi-sinuatus, lobo medio sub-emarginato, angulis lateralibus fere rectis; supra convexus, sub-pulvinatus, in medio antice carinula brevi angusta, lævi, instructus, confertissime subtiliter punctulatus, niger, opacus, squamulis parvis, depressis, cinereis, virescenti-micantibus, præsertim versus latera adspersus. Scutellum oblongo-ovatum, sub-depressum, punctatum, nigrum, squamulosum. Elytra basi valde sinuata, ad humeros elevatos, rotundatos ampliata, posterius sensim nonnihil angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, regulariter sulcata, sulcis anterius profunde, versus apicem obsoletius catenato-punctatis, interstitiis latis, planis, subtiliter granulatis, tuberculis elevatis, nitidis, seriatim adspersis, in interioribus numerosis, externe paucis, remotis: tota nigra, opaca, squamulis depressis pallescentibus adspersa. Corpus subtus convexum, nigrum, parce punctatum, anterius dense pallido-squamosum, ventre parce cinereo-squamuloso. Pedes elongati, validi, nigri, confertim ruguloso-scabri, cinereo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, subtus obtuse dentatis; tarsis dilatatis, subtus nigro-spongiosis. — GHL.

33. C. PASTILLARIUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, supra inæqualiter, subtus dense griseo-squamosus, thorace convexo, parce tuberculato; elytris obsoletius, remote punctato-striatis, apice sub-acuminatis, interstitiis alternis tuberculis paucis adspersis.

Patria: America meridionalis. Ex Musæo imperiali Russico ad describendum benevole communicatus.

Statura oblonga et magnitudo *Cratosomi pterygomalis.* Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, opacum, dense griseo-squamosum; oculi magni, ovati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine thoracis arcuatum, latum, versus apicem deplanatum, obsolete punctatum, nigrum, opacum, basi supra carinatum. Antennæ mediocres, nigræ, griseo-pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine medii vix brevior, antice multo angustior, apice sub-truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, vix vel obsoletissime punctatus, niger, opacus, inæqualiter griseo-squamosus; in medio dorsi tubercula duo, paria, remota, reliquis paulo majora, hemisphærica, nitida, et inter illa ut et versus marginem utrinque nonnulla minora utrinque, sparsa. Scutellum oblongum, apice rotundatum, nigrum, dense squamosum. Elytra antice sinuata, elevato-marginata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, apice sub-acuminata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, minus distincte, remote punctato-striata, nigra, opaca, inæqualiter griseo-squamosa; in interstitiis alternis tubercula nonnulla parva, nitida conspiciuntur, quorum duo in tertio a sutura, antice, reliquis majora, approximata. Pygidium breve, inflexum, nigrum, dense griseo-squamosum. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, dense griseo-squamosum, præsertim antice. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctulati, griseo-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis: tarsis dilatatis, fulvo-spongiosis. — GHL.

* 34. C. SCABRICOLLIS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, supra parcius, subtus dense fulvescenti-squamosus; thorace convexo, tuberculis numerosis, inæqualibus adsperso; elytris profunde punctato-sulcatis, apice obtuse rotundatis, interstitiis omnibus parce tuberculatis.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Patria : Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN, sub hoc nomine benevole donatus. Mus. SCHH.

Statura *Cratosomi pterygomalis* et illo paulo major; *Cratosomo pastillario* proximus, sed thorace crebrius tuberculato, elytris fortius punctato-sulcatis, apice obtuse rotundatis distinctus. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, dense fulvescenti-squamosum, fronte linea sub-elevata, nuda, notata; oculi magni, ovati, nigri, modice convexi; rostrum vix longitudine thoracis, validum, arcuatum, versus apicem deplanatum, basi punctatum, carinatum et fulvo-squamosum. Antennæ mediocres, nigræ, fulvescenti-pilosæ. Thorax latitudine medii vix brevior, antice angustior, apice sub-truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, vix punctatus, niger, opacus, squamulis fulvescentibus inæqualiter adspersus; in dorso antico tuberculum oblongum vel carinula abbreviata, nigra, nitida, et præterea tubercula numerosa, majora et minora, poro pertusa, absque ordine sparsa, nitida. Scutellum oblongum, punctatum, apice rotundatum, nigrum, fulvescenti-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, fornicata, late sulcata et in sulcis profunde punctata, nigra, in cavitatibus fulvescenti-squamulosa; interstitia sulcorum plana, tuberculis minoribus nigris, nitidis, parce, inæqualiter adspersa. Pygidium inflexum, semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, fulvescenti-squamosum. Thorax subtus ruguloso-punctatus, niger, dense fulvescenti-squamosus; pectus et venter disperse punctata, nigra, nitida, parcius squamosa. Pedes longiusculi, validi, confertim punctati, nigri, fulvescenti-squamulosi; femoribus modice clavatis, subtus valide dentatis; tarsis dilatatis, fulvescenti-spongiosis. — GHL.

* 35. C. UNDABUNDUS. *Schh.*

Niger, opacus; thorace antice leviter carinato, lateribus valde ampliato, basi lineolis duabus brevibus pallido-squamosis notato; elytris sub-remote punctato-striatis; interstitiis alternis parce tuberculatis, fasciis flexuosis pallido-squamosis ornatis; tarsis undique dense pallido-squamulosis.

Patria: Brasilia. A Dom. WESTIN communicatus. Mus. SCHH.

Cratosomo scabricolli magnitudine et statura similis. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, squamulis minutis pallidis parce adspersum, fronte obsolete canaliculata; oculi sub-ovati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, latum, arcuatum, basi punctatum, opacum, extrorsum læve, nitidum, apice complanatum, totum nigrum. Antennæ nigræ, funiculo albido-piloso. Thorax latitudine medii brevior, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, margine parum elevato, dense pallido-fimbriato; lateribus valde ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio antico leviter carinatus, ater, opacus, hirsutie brevissima concolori vestitus, in utroque latere baseos lineola brevi pallido-squamosa ornatus. Scutellum oblongo-ovatum, sub-elevatum, punctatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, elevato-marginata; pone basin subito modice ampliata, callo humerali rotundato, sub-elevato; lateribus inflexa, posterius attenuata, apice singulatim mucrone brevi, conico, aucta, thorace quadruplo longiera, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis alternis, præsertim dorsalibus, tuberculis parum elevatis, seriatim digestis, nigris, nitidis, adspersis; nigra, opaca, fasciis liturisque pallido-squamosis ornata, quarum fascia anterior ab humero versus medium dorsi oblique ducta et cum opposita conjuncta; posterior pone medium, fere transversa, ambæ undulatæ, et præterea in basi et apice lituræ irregulares pallido-squamosæ. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce, inæqualiter pallido-squamulosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce pallido-squamulosi; femoribus sub-clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis compressis, arcuatis; tarsis dilatatis, undique dense pallido-squamulosis, subtus spongiosis. — GHL.

*₊ 36. C. PTERYGOMALIS. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus; rostro carinato, utrinque interrupte elevato; thorace inæqualiter tuberculato; elytris seriatim foveolatis, sutura dimidiata, fascia postica maculisque quatuor rubro-testaceo-squamosis, apice sub-mucronatis.

SCHH. *Curculio. Disp. Meth.* p. 279.

Habitat in Brasilia. Dom. STEVEN. A. V. WINTHEM benevole missus. Mus. SCHH.

Statura fere *Hylobii pineti*, sed dimidio major et ultra. Caput rotundatum, remote punctatum, nigrum, parce cinereo-et ochraceo-squamosum, fronte inter oculos carinula brevi, antice puncto profundo abrupta, instructa; oculi ovati, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, latum, crassum, valde arcuatum, remote punctatum, nigrum, versus basin parce ochraceo-squamosum, dein glabrum, supra ultra medium alte carinatum, apice deplanatum, lateribus utrinque bis elevatum, lobo baseos majore. Antennæ nigræ, flagello dense cinereo-setoso, clava fusco-pubescente. Thorax latitudine parum brevior, apice utrinque vix emarginatus, pallido-ciliatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio emarginato; supra valde convexus, pulvinatus, vix punctatus, niger, opacus, tuberculis plurimis, minoribus, supra poro setifero instructis, inæqualiter adspersus; in medio dorsi anterioris carinula brevis, parum elevata; in medio baseos utrinque macula ovata, ut et latera tota, antice adscendentia, dense rubro-testaceo-squamosa. Scutellum ovatum, elevatum, nigrum, parce punctatum et squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, versus apicem attenuata, apice brevissime mucronata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, punctis magnis, profundis, remotis, plerisque oblongis, striatim dispositis, a basi, longe ultra medium insculpta, apice striata, striis punctis parvis, remotis, impressis; nigra, opaca, signaturis squamosis rufo-testaceis ornata; in ipsa sutura nempe vitta, antice bi-furcata, in medio dorsi desinens, ibique utrinque ampliata; ante medium singuli elytri fascia brevis et pone medium alia major, transversa, communis, margines fere attingens; intra apicem cujusvis elytri denique punctum parvum, rotundatum. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, remote punctatum, parce albido-squamulosum, thoracis pectorisque lateribus dense rubro-

testaceo-squamosis. Pedes mediocres, nigri, punctati, parce albido-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente acuminato armatis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, supra pallido-squamosis, subtus testaceo-spongiosis. — GHL.

Obs. — Femina paulo minor, rostro lineari, lateribus non elevato.

37. C. CLATHRATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, inæqualiter flavo-aureo-squamosus; thorace subcarinato, disperse tuberculato, postice vittis tribus flavo-aureis notato; elytris profunde seriatim punctatis, sutura interstitiisque alternis tuberculis oblongis, depressis, nitidis, obsitis, basi liturisque flavo-aureo squamosis ornatis.

Patria : Cayenna. A Dom. CHEVROLAT nominatus et ex ejus Musæo descriptus.

E minoribus, *Cratosomo echinato* sub-æqualis. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum; oculi magni, sub-ovati, convexi, nigri, in fronte carinula angusta tantum distincti; rostrum thorace paulo brevius, validum, arcuatum, supra convexum, punctulatum, basi leviter carinatum, nigrum, nitidum. Antennæ longitudine fere thoracis, subtenues, nigræ, cinereo-setulosæ. Thorax latitudine postica fere longior, antice dimidio angustior quam basi, apice utrinque leviter emarginatus, flavo-fimbriatus; lateribus anterius obliquis, posterius fere rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio antico carinula nitida instructus, in disco tuberculis parvis, obtusis, nitidis, adspersus, niger, opacus, basi vittis tribus abbreviatis flavo-aureo-squamosis ornatus, media obsoletiore. Scutellum, ovatum, convexum, nigrum, dense flavo-aureo-squamosum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito valde ampliata, angulo sub-humerali rotundato; dein posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, cum tuberculo parvo suturali in singulo; thorace vix triplo longiora, supra convexa, punctis magnis, profundis, seriatim digestis, confertim impressa, fere favosa, marginibus suturæ interstitiisque alternis paulo elevatioribus, tuberculis oblongis, depressis, nitidis, seriatim obsitis; nigra, fascia baseos, plaga communi in medio dorsi et alia posteriore in singulo elytro e squamis lanceolatis flavo-aureis ornata. Corpus subtus punctatum, nigrum, anterius opacum; pectoris lateribus dense flavo-aureo-squamosis, ventre nitido, fere nudo. Pedes longiusculi, subtenues, nigri, nitidi, disperse punc-

tulati; femoribus omnibus subtus dente parvo armatis; tarsis valde dilatatis, undique dense flavo-aureo-squamosis et spongiosis. GYL.

* 38. C. KIRBYI. *Schh.*

Oblongus, angustior, niger, sub-nitidus, inæqualiter cinereo-squamulosus; thorace sub-conico, lateribus vix ampliato, antice leviter carinato; elytris punctato-sub-sulcatis, interstitiis convexis; callo humerali tuberculoque oblongo prope basin singuli elytri alte elevatis, nitidis.

Patria: Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER benevole communicatus. Mus. SCHH.

E minoribus generis, *Cratosomo stictico* angustior et vix longior. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte inter oculos longitudinaliter impressa; oculi magni, sub-ovati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus latum, valde arcuatum, supra confertim punctatum, basi distincte, antrorsum leviter carinatum, nigrum, versus basin parce cinereo-squamulosum, apice complanatum, nudum, nitidum. Antennæ nigræ, parce cinereo-pilosæ. Thorax latitudine baseos fere longior; antice dimidio angustior quam basi; apice leviter tri-sinuatus, margine parum elevato, dense albido-fimbriato; lateribus obliquis, vix ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus subrectis; supra modice convexus, subtiliter, confertim ruguloso-punctatus, ab apice versus medium leviter carinatus, niger antice et in vitta laterali utrinque, basin attingente, cinereo-squamulosus. Scutellum ovatum, sub-elevatum, disperse punctatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, mox pone basin angulatim valde ampliata, callo humerali alte elevato; pone callum posterius sensim attenuata, apice singulatim sub-acuminata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sub-sulcata, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis convexis, subtiliter punctulatis; prope medium baseos singuli elytri tuberculo oblongo, alte elevato, nitido instructa, nigra, sub-nitida, basi, apice et in plagis duabus dorsalibus communibus densius cinereo-squamulosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, nitidum, parce cinereo-squamulosum. Pedes elongati, nigri, tenuiter cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, subtus dente parvo, acuto armatis; tibiis sub-compressis, arcuatis; tarsis elongatis, undique cinereo-tomentosis, articulo tertio valde dilatato, subtus pallido-spongioso, unguiculari longo, clavato. GYL.

Dom. William Kirby. Præter plura optima opera Entomologica, etiam egregium de genere *Apione* edidit et primus huic generi plenum et perfectum lumen attulit.

39. C. Bombina (1). *Fabricius.*

Ferrugineo-fuscus, elytris striatis, tuberculis elevatis atris. Fabr.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 460. 112.

Illig. *Mag.* V. p. 242. 112.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 423. 127. — *Mant.* I. p. 104. 95.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1765. 237.

Patria : Cayenna.

Genus 301. CATAPYCNUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulo 1° breviter ob-conico; 2° et 3° elongatis, sub-clavatis, illo triplo longiore, reliquis rotundatis; clava ovata.

Rostrum longiusculum, validum, subrectum, basi apiceque nonnihil ampliatum, apice deplanatum ibique rotundato-emarginatum; mandibulæ exsertæ, arcuatæ, intus edentulæ.

Oculi distantes, ovati, depressi, inferne acuminati.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus ampliato-rotundatus, anterius subito angustior, antice supra in medio paulo productus, pone oculos vix lobatus, supra modice convexus.

Elytra sub-ovata, convexa, sub-gibba, humeris obtuse angulatis.

Pedes validi, longitudine sub-æquales; tibiæ latiusculæ, compressæ.

Descriptio. — *Corpus* ovatum, convexum, rigidum, squamosum, opacum, alatum; mediæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, mox ante medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° seu scapo oculos sub-attingente, clavato; 2° breviusculo, ob-conico, crassiore; 3° et 4° elongatis, sub-clavatis, illo triplo longiore; 5-8 brevibus, rotundatis, æqualibus, omnibus distantibus; clava ovata, sub-acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite fere duplo longius, validum, inflexum, basi apiceque paulo ampliatum, apice deplanatum, rotundato-emarginatum; scrobe lineari, profunda, pone gulam in

(1) Mihi invisus

basin rostri exeunte; mandibulæ paulo productæ, validæ, arcuatæ, intus curvatæ, edentulæ, apice sub-acuminatæ. — *Oculi* laterales, ovati, depressi, inferne acuminati. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus ampliato-rotundatus, anterius subito angustior, haud coarctatus, antice supra in medio paulo rotundato-productus, pone oculos perparum lobatus, supra modice convexus; rima pectoralis profunda, in pectore continuata. *Scutellum* apice rotundatum. — *Elytra* thoracis parte postica paulo latiora, et latitudine vix duplo longiora, ovata, humeris obtuse angulatis; basi leviter sinuata, supra præsertim in medio valde convexa, sub-gibba, versus apicem haud callosa, sub-attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* longiusculi, longitudine sub-æquales, validi; femoribus sub-linearibus, basi sub-comprimatis, in medio parum incrassatis, subtus dentatis; tibiis latiusculis, comprimatis, subrectis, apice unco valido intus armatis; tarsis mediocribus, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, profunde bi-lobo, unguiculari valido, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Catapycnus granulosus*; e Brasilia.

A καταπυκνος condensus.

Obs.— *Cnemargo* generi proximum, sed corpus supra convexius, rostrum latius et aliter constructum, etc. Hoc vel *Catapycnus* genus quoad formam rostri haud omnino dissimile est generi *Cratosomo*, quod tamen præcipue propria pygidii structura aliisque nonnullis characteribus ab hoc genere discrepat.

1. C. GRANULOSUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis silaceis supra parcius subtus dense vestitus, antennis ferrugineis; thorace remote granulato, medio carinula parum elevata, antice posticeque valde abbreviata, instructo, basi dense silaceo-squamoso; elytris basi dense silaceo-squamosis, parum profunde punctato-striatis; interstitiis sub-elevatis, granulatis, scutello sub-orbiculato.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Longitudo *Cleoni trisulcati*, sed latior, magis convexus. Caput rotundatum, crassum, supra convexum, crebre rugoso-punctatum, nigrum, opacum, squamulis silaceis dense adspersum; oculi laterales, ovati, inferne acuminati, brunnei, haud prominuli; ros-

trum capite fere duplo longius, deflexum, validum, paulo arcuatum, basi apiceque nonnihil ampliatum, apice deplanatum, lateribus perparum angustatum, supra paulo convexum, basi confertim rugoso-punctatum, silaceo-squamosum, dein apicem versus denudatum, subtiliter sub-remote punctulatum. Antennæ subtenues, dilute ferrugineæ, parce cinereo-pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine postica fere brevior, apice in medio modice rotundato-productus, pone oculos vix lobatus, a medio apicem versus subito angustatus, dein lateribus versus basin rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, tuberculis parvis, remotis, nitidis, obsitus, medio carinula parum elevata, antice posticeque valde abbreviata, instructus; niger, opacus, squamulis silaceis antice parcius postice densius adspersus, squamositate postice in lituras 3 antice exeunte. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum. Elytra ovata, basi truncata, antice thorace paulo latiora, humeris obtuse angulatis, vix elevatis; lateribus inflexa, medio vix dilatata, pone medium apicem versus sub-attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra valde convexa, sub-gibba, postice modice declivia, punctato-striata, punctis striarum sat magnis, parum profundis, squamula ocellatis, interstitiis sub-elevatis, basi vix, dorso evidenter, apicem versus obsoletius granulatis, inter strias 2 et 3 non procul a basi tuberculo obtuso, paulo elevato, instructa; tota nigra, in ipsa basi dense dein parcius silaceo-squamosa. Corpus subtus nigrum, silaceo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamulis crassis, suberectis, silaceis, tecti; femoribus sub-linearibus, subtus ante apicem dente parvo armatis; tibiis compressis, latiusculis, subrectis, apice valide uncinatis; tarsis ferrugineis, subtus brunneo-spongiosis. — Bhn.

* 2. C. Nodulosus. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis rotundatis, ochraceis, supra parcius, subtus densius vestitus, antennis ferrugineis; thorace remote granulato, medio abbreviatim leviter carinato, basi profundius bi-sinuato, fasciis tribus longitudinalibus ochraceo-squamosis instructo; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis sub-elevatis seriatim tuberculatis, basi utrinque litura dense ochraceo-squamosa, scutello ovato, sub-elevato.

Patria: Brasilia. A Dom. Fahræus amicissime donatus. Mus. Schh.

Catapycno granuloso quoad partium formationem simillimus,

magnitudine tamen paulo minore, distributione coloreque squamarum, sinu thoracis postico profundiore formaque scutelli aliena forte distinctus. — MUNCK OF ROSENSCHOELD (1).

GENUS 302. — EPIPEDORHINUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus ob-conicis, reliquis sub-rotundatis; clava oblongo-ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, complanatum, subrectum, basi apiceque paulo ampliatum; mandibulæ exsertæ, intus obtuse tri-dentatæ.

Oculi laterales, sub-ovati, paulo convexi.

Thorax sub-trigonus, basi distincte bi-sinuatus, lateribus obliquis, anterius valde angustior, apice in medio productus.

Elytra breviter ovata, humeris obtuse angulatis; versus apicem sensim angustata, apice singulatim rotundata.

Pedes validi, antici paulo longiores; tibiæ latiusculæ, compri-matæ.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, ob-conicis; 4-8 brevibus, lenticularibus, sub-rotundatis, sub-æqualibus, omnibus distantibus; clava oblonga, ovalis, acuminata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validiusculum, complanatum, subrectum, inflexum, basi apiceque nonnihil ampliatum, supra carinatum; scrobe laterali, lineari, profunda, recta, ad angulum inferum oculi protensa; mandibulæ exsertæ, intus obtuse tri-dentatæ. — *Oculi* laterales, sub-ovati, inferne acuminati, paulo convexi. — *Thorax* latitudine postica vix brevior; basi distincte bi-sinuatus, lateribus obliquis, anterius sensim angustior, ante apicem leviter constrictus, apice in medio rotundato-productus, pone oculos vix lobatus, supra modice convexus; rima pectoralis profunda, in pectore continuata. — *Scutellum* distinctum, rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora illoque triplo longiora, breviter sub-ovata, basi prope scutellum singulatim modice rotundato-producta, humeris lateraliter extensis, obtuse angulatis; lateribus obliquis, versus apicem sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse ro-

(1) Hocce nomen post sequentes descriptiones in BOH. abbreviatur.

tundata, anum obtegentia, supra valde convexa. — *Pedes* longiusculi, validi, antici paulo longiores; femoribus parum incrassatis, subtus leviter canaliculatis, obtuse dentatis; tibiis latiusculis, comprimatis, basi arcuatis, apice unco valido, intus flexo, armatis; tarsis mediocribus, articulo 3° lato, bi-lobo; subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ἐπίπεδος æqualis, planus, ῥὶν nasus.

TYPUS. — *Epipedorhinus Chevrolatii.*

Patria : Brasilia.

Obs. — Respectu habitus fere cum *Cryptorhyncho* genere convenit, sed rostri forma ut et aliarum partium characteres sunt diversa.

1. E. CHEVROLATII. *Schh.*

Ovatus, niger, squamositate cinereo-albida undique dense tectus; thorace fasciculis quinque fusco-setosis instructo, postice carinato; elytris subtiliter striatis, striis remote punctatis; interstitiis alternis dorsalibus sub-costatis, seriatim fasciculatis.

Cryptorhynchus betulinus. KLUG, sec. Dom. CHEVROLAT *in Litteris*, sed vix jure?

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo fere *Cryptorhynchi lapathi; Cr. divergenti* Germarii subsimilis, sed plus duplo major. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, dense cinereo-squamosum, setisque validis, erectis, fuscis adspersum, fronte plana; oculi sub-ovati, convexi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, subrectum, latum, depressum, supra confertim punctulatum, carinatum, nigrum, basi cinereo-squamulosum; mandibulæ exsertæ, validæ, nigræ. Antennæ subtenues, ferrugineæ, albido-pilosæ, clava oblonga fusca, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice duplo angustior quam basi, apice utrinque leviter sinuatus, lobo medio obtuse rotundato; longe intra apicem transversim impressus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, lobo scutellari leviter emarginato; supra inæqualis, fasciculis quinque e setis validis, erectis, fuscis, compositis, instructus, quorum duo in margine antico, approximati, tertius in medio disci, reliquis major, altior, et demum in utroque latere unus, parvus; pone fasciculum discoidalem carinula elevata conspicitur; cæterum obsolete punctatus, niger, squamositate densa cinereo-albida

vestitus. Scutellum ovatum, elevatum, nigrum, dense albido-squamosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, pone basin subito valde ampliata, angulo sub-humerali rotundato; dein posterius angustiora, apice singulatim obstuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, subtiliter striata et in striis remote punctata, interstitiis alternis dorsalibus, secundo nempe et quarto a sutura singuli elytri elevatioribus, sub-costatis, et fasciculis pluribus oblongis, e setis erectis fuscescentibus compositis, obsitis; in angulo humerali utrinque etiam fasciculus ejusmodi observatur; nigra, squamositate densa cinerea albida tecta. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense albido-squamosi; femoribus parum crassis, subtus dente parvo armatis. — GHL.

GENUS 303. — PROTOPALUS. *Nobis.*

Cryptorhynchus BOISDUVAL, HOPE. — *Hypsophorus* DEJEAN. — *Gorgus* GERMAR *in Litteris.*

Character generis. — Antennæ longæ, subtenues, infra medium rostri apicem propius insertæ; scapo elongato, extrorsum incrassato; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 longiusculis, clavatis, reliquis breviusculis, turbinatis, ultimo clavæ adpresso; clava minuta, angusta, oblongo-ovata.

Rostrum longum, arcuatum, sub-teres, apice planiusculum, infra crenulatum.

Oculi laterales, ovati, parum prominuli.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, infra oculos lobatus.

Elytra oblongo-ovata, gibba, pygidium obtegentia; humeris lateraliter extensis, acutis.

Pedes longiusculi, quatuor antici longiores; femora sub-linearia, haud clavata.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, convexum, sculpturatum, parce squamulatum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* longæ, subtenues, longe infra medium rostri insertæ, fractæ, 12-articulatæ; scapo tenui, versus apicem sensim modice incrassato, oculum vix attingente; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 elongatis, clavatis, sequentibus turbinatis, sensim crassioribus, ultimo clavæ adpresso; clava minuta, angusta, oblongo-ovata, 4-articulata, articulis obliquis, arctissime connexis. — *Rostrum* thorace longius, subtenue, modice arcuatum, teres, apice latiusculum, paulo deplanatum, infra crenulatum, inflexum; scrobe laterali,

recta. — *Oculi* laterales, oblongo-ovati, perpendiculares, parum convexi. — *Thorax* latitudine longior, basi leviter bi-sinuatus, antrorsum versus apicem angustatus, lateribus vix rotundato-ampliatus, versus apicem paulo coarctatus, antice supra in medio modice productus, mox infra oculos eminentissime lobatus, supra valde convexus, in medio alte carinatus; canalis inferus profundus, usque ad pedes intermedios productus, argute marginatus. — *Scutellum* parvum, rotundatum. — *Elytra* basi conjunctim leviter trisinuata, antice thorace latiora et illo vix triplo longiora, humeris valde prominulis, acutis; a basi ad apicem sensim attenuata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, anum tegentia, supra valde convexa, dorso medio gibba, alte carinata. — *Pedes* longiusculi, validiusculi, basi distantes, quatuor antici longiores, postici breviores; femoribus sub-linearibus, infra pone medium denticulo parvo armatis; tibiis rectis, sub-comprimatis, apice unco valido intus armatis; tarsis elongatis, dilatatis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A πρωτοπαλος luctator primarius.

Typus. *Protopalus Stephensi.*

Patria : Nova Hollandia.

Observ. — Forma corporis singularis : corpus gibbum; structura antennarum, clava minuta, angusta, rostrum infra granulatum, femoraque anteriora longiora, quæ omnia in his a structura *Cryptorhynchi* generis longe sunt diversa, diversitatem ab eodem merito postulare videntur.

* 1. P. Stephensi. *Hope.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cervinis et fuscis adspersus, fronte carinata, rostro modice arcuato, basi bi-sulcato; thorace tuberculato, dorso antico carina valde elevata notato; elytris dorso gibbis, antice non procul a sutura uni-tuberculatis, profunde seriatim scrobiculatis; interstitiis lateralibus elevatis, nitidis, humeris valde prominulis, acutis.

Cryptorhynchus Stephensi. Dom. Hope *in Litteris.*

Gorgus Stephensi. Dom. Germ. *in Litteris.*

Cryptorhynchus dromedarius. Dejean, — Boisduval. *Voy. de l'Astrol.* I. p. 428. 1.

Hypsophorus id. Dejean. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Habitat ad Port Jackson Novæ Hollandiæ. A Dom. Hope benevole communicatus. Mus. Schh.

Larino cardui major, sed variat etiam nonnihil minor. Caput

mediocre, rotundatum, nigrum, sub-opacum, subtiliter remote punctulatum, utrinque supra oculos impressum, squamulis cervinis parce adspersum; fronte carinula elevata instructa; oculi oblongo-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, crassiusculum, modice arcuatum, teres, apice deplanatum, basi bi-sulcatum, lateribus ad antennarum insertionem canaliculatum, supra in dorso sub-carinatum, totum nigrum, sub-opacum, remote punctulatum, squamulis cervinis adspersum. Antennæ versus apicem rostri sitæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, subtenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava elongata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice in medio nonnihil rotundato-productus, mox pone apicem coarctatus, anterius angustatus, lateribus basin versus sensim ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, marginatus, supra convexus, tuberculis sat magnis poriferis undique obsitus, dorso antico carina valde elevata notatus, totus niger, squamulis cervinis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum, læve. Elytra basi sub-truncata, antice thorace latiora et illo vix triplo longiora, humeris valde prominulis, acuminatis, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, dorso mox pone scutellum alte elevata, carinata, scrobiculis magnis minus profundis seriatim impressa, interstitiis dorsalibus parum elevatis, tuberculatis, lateralibus convexis, nitidis, basi subtiliter disperse punctulatis, tuberculo sat magno, non procul a basi inter striam a sutura secundam tertiamque instructa; tota nigra, squamulis fuscis et cervinis mixtis pubeque obscura adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-læve, squamulis cervinis parce obsitum. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamulis pallidis parce adspersi; femoribus vix clavatis, subtus pone medium dente parvo, sub-obtuso, armatis; tibiis compressis, rectis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

Denominatus in memoriam Ill. J. F. STEPHENS, Londinensis, cui Catalogum systematicum Insectorum Angliæ, illustrationes Entomologiæ Britannicæ et plura hujus scientiæ incrementa debemus.

Genus 304. — CRYPTORHYNCHUS. Illiger.

Cryptorhynchus Illiger, Germar, Latreille, Stephens, Schh. (1), Dejean, Sturm. — *Rhynchænus* Fabricius, Olivier, Herbst, Gyllenhal et plures alii. — *Curculio* Linn. et auctorum reliquorum veterum.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis primis reliquis paulo longioribus, sub-obconicis, ultimis sub-rotundatis; clava aut oblongo-ovata aut ovalis.

Rostrum sæpissime longum, validum, arcuatum, teres.

Oculi laterales, plus minusve remoti, ovati, sub-depressi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, antrorsum multo angustior, pone oculos sæpissime lobatus; rima thoracis infera ad pedes secundi paris in pectore continuata, distincte terminata et alte marginata.

Elytra aut oblongo aut breviter ovata, convexa, anum obtegentia, in nonnullis linearia, sub-cylindrica, humeris sæpissime obtuse angulatis.

Descriptio. — *Corpus* sæpissime oblongo in paucis breviter ovatum, in nonnullis sub-lineare, convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut majusculæ aut minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* capitis thoracisque longitudinem vix adæquantes, sæpius pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo elongato, clavato, oculos sub-attingente; funiculo 7-articulato : articulis basalibus 2 vel 4 elongatis, sub-obconicis, exterioribus sensim brevioribus, reliquis brevibus, sub-rotundatis, gradatim parum latioribus, ultimo clavæ haud adpresso; clava 4-articulata, articulis sæpissime arcte connexis, aut oblongo-ovata, aut ovalis. — *Rostrum* inflexum, crassitate longitudineque varians; plerumque thorace fere longius, sæpe arcuatum; in aliis longitudinem dimidii corporis adæquans, teres, minus crassum; in paucis sub-filiforme, nonnunquam basi teres, versus apicem paulo ampliatum, sub-complanatum, (ex. gr. *Cryptorhynchus stigma*); scrobe pone medium incipiente, lineari, curvata, in basi rostri cum altera coeunte. — *Oculi* laterales, plus minusve remoti, ovati, oblique positi, parum prominuli, majusculi. — *Thorax* in plerisque latitu-

---

(1) Illig. Magaz. VI. p. 330. — Germar. Ins. Sp. I. p. 263. — Lat. Règne anim. p. 395. — *Id.* Considér. génér. p. 221. 226. — *Id.* les Crust. les Arach. et les Ins. II. p. 87. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 46. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 280. 164.

dine postica vix brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, antice parum coarctatus, apice medio supra sæpius paulo productus, in plerisque pone oculos eximie lobatus, supra modice convexus; canalis inferus sæpissime usque inter pedes intermedios, in paucissimis pone pedes eosdem in pectore protensus, undique argute marginatus. *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* thoracis basi in plerisque fere dimidio latiora et thorace triplo vel quadruplo longiora, sæpissime oblongo in nonnullis breviter ovata, in paucis sub-cylindrica; humeris frequenter obtuse angulatis, raro antrorsum prominulis, acutangulatis; supra convexa, versus apicem callo tuberante sæpius instructa, apice ipso conjunctim rotundata, pygidium obtegentia. — *Pedes* elongati, validi, medii sæpius paulo breviores; femoribus omnibus basi distantibus, clavatis, aut dentatis aut muticis; tibiis sub-compressis, apice unco, interdum deflexo, intus armatis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, validiusculo, bi-unguiculato.

A κρύπτω abscondo, ῥύγχος rostrum.

Patria: Tota terra, præsertim plagæ meridionales.

STIRPS 1. *Caput æquale; humeri obtuse angulati.*

Manipulus I. *Femora dentata.*

Centuria 1. *Corpus sub-ovatum.*

* *Elytra aut punctato-striata, aut striato-punctata, interstitia planiuscula.*

* 1. C. PUSIO. *Linn.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-opacus, squamulis silaceis parce adspersus, fronte remote punctulata; rostro modice arcuato, basi obsolete carinato; thorace obsolete remote punctulato, antice sub-carinato, basi utrinque vitta cuneiformi dense squamosa decorato; elytris profunde punctato-striatis, linea disci longitudinali bis arcuata, silaceo-squamosa, decoratis; femoribus posterioribus obtuse dentatis; tibiis anticis valde arcuatis; coxis anticis spinosis.

Observ. Statura fere *Hylobii pineti*, sed nonnihil tamen major.

BHN.

Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 46. 5. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. 50. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1764. 50.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 423. 125. — *Mant.* I. p. 104. 93. *Spec. Ins.* I. p. 174. 15. — *Syst. Ent.* p. 136. 53.

HERBST. *Col.* VI. p. 458. 463. T. 74. f. 10.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 501. 136.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 459. 107.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 165. 135. T. 16. f. 206.

Cratosomus id. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 279.

Patria : Surinam.

* 2. C. SCELERATUS. *Schh.*

Ovalis, niger, obscurus, squamulis albidis parce adspersus; capite, rostro thoraceque profunde minus confertim punctatis; elytris sat profunde punctato-striatis; interstitiis punctulatis; femoribus obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia. Specimen descriptum misit Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Statura fere et magnitudo *Hylobii arctici.* Caput globosum, nigrum, obscurum, profunde minus crebre punctatum, punctis squamulis parvis, griseo-albidis, obsitis; oculi oblongi, transversi, nigri, depressi; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, nonnihil arcuatum, nigrum, obscurum, remote profunde punctatum, lineola inter antennas longitudinali abbreviata, impressa. Antennæ pone medium rostri insertæ, thorace vix longiores, minus crassæ, nigræ, parum pallido-pubescentes, clava parva, oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice utrinque late emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, obscurus, undique vage profunde sat rude et crebre punctatus, dorso antico obsoletissime carinatus, versus latera et subtus punctis squamulis albidis obsitis. Scutellum elongatum, nigrum, impunctatum. Elytra thoracis basi paulo latiora, latitudine baseos fere triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa; tota nigra, sub-opaca, striata, striis punctis oblongis, remotis, parum profundis, impressis, interstitiis in dorso fere planis dein convexis, remote subtiliter punctulatis; cæterum versus latera squamulis albidis parce adspersa. Corpus subtus nigrum, opacum, sat crebre minus profunde punctatum, puncto singulo squama pallida, obtusa, fœto. Pedes elongati, validi,

nigri, punctati, squamulis et pilis albidis parce obsiti; femoribus modice clavatis, subtus præsertim posterioribus dente obsoleto armatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 3. C. MORIO. *Bhn.*

Brevior, ovalis, niger sub-opacus, squamulis albidis parce adspersus, rostro carinato, crebre punctato; thorace angustiori, nitido, remote punctato, area dorsali lævi notato; elytris profunde punctato-striatis; interstitiis punctulatis, versus latera lineis duabus albido-squamosis, ornatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS communicatus. Mus SCHH.

Summa similitudo *Cryptorhynchi scelerati*, illo vix angustior, sed multo brevior, magis convexus, thorace valde remote punctato, elytris profunde punctato-striatis, femoribus acute dentatis, etc., ab illo bene distinctus. Caput breve, globosum, nigrum, subnitidum, rude minus crebre punctatum, punctis squamulis parvis albidis obsitis; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, crebre profunde punctatum, dorso carinula parum elevata, instructum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, nigropiceæ, clava parva, oblongo-ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque emarginatus, anterius angustior, ibique coarctatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger nitidus, subtus sat crebre disco valde remote profunde punctatus, ante scutellum et utrinque area longitudinali lævi, notatus, dorso antico obsolete carinatus, subtus squamulis albidis parce obsitus. Scutellum parvum, elongatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, basi tri-sinuata, humeris paulo elevatis, obtuse angulatis, pone humeros nonnihil ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia; tota nigra, sub-opaca, striata, striis in fundo punctis magnis, oblongis, remotis, profundis, impressis, interstitiis convexis, remote subtiliter punctulatis, squamulis nonnullis albidis adspersa, in interstitiis 6 et 8 a sutura præsertim posterius condensatis. Corpus subtus nigrum, nitidum, profunde sat crebre punctatum, puncto singulo, squama pallida, fœto. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati,

squamulis et setulis albidis obsiti; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — Bhn.

* 4. C. Lemniscatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, capite rude punctato; rostro modice arcuato, subtiliter punctato; thorace rude rugoso; elytris striato-punctatis, punctis remotis, dorso umbrino-lateribus sinuatim cervino-squamosis, apice callosis; pedibus dense dilute cervino-squamosis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: America meridionalis. ? Ex Musæo Dom. Bartels ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho stigma nonnihil major. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, sub-nitidum, rude minus crebre punctatum, squamulis nonnullis silaceis præsertim supra oculos obsitum; fronte foveola profunda insculpta; oculi transversi, ovati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, teres, crassiusculum, modice arcuatum, basi nonnihil compressum, ibique utrinque canaliculatum, undique subtiliter minus crebre punctulatum, medio dorsi canalicula tenui, abbreviata insculptum; totum nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ minus tenues, piceæ, clava ovata, acuminata, dense fusco-pubescente. Thorax latitudine, baseos nonnihil brevior, apice utrinque leviter emarginatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, reflexo-marginatus, supra modice convexus, remote rude rugosus, squamulis crassis, reclinatis, silaceis tenue adspersus, subtus profunde remote punctatus; totus niger, opacus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora et illo quadruplo longiora, humeris obtuse angulatis, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, postice declivia, ante apicem gibbere obtuso instructa, in ipso apice tuberculo obtuso, sub-reflexo, armata, punctis parvis, remotis, dorso majoribus intermixtis seriatim striata, interstitiis planis; nigra, dorso umbrino-squamosa, lateribus vitta sinuata dilute cervino-squamosa, pallido marginata, ante medium introrsum dilatata, apice communi, ornata. Corpus subtus nigrum, obscurum; pectore abdomineque remote punctatis, punctis setulis silaceis obsitis. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense dilute cervino-squamosi;

femoribus parum clavatis, omnibus subtus dente obsoleto armatis; tibiis latiusculis, basi nonnihil arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 5. C. Gelasimus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis albidis parce adspersus; rostro breviori, subrecto carinato; thorace remote vage punctato; elytris striato-punctatis, plaga obliqua basali apiceque dense dilute cervino-squamosis; femoribus posterioribus obsolete dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Rus.

Cryptorhyncho stigma nonnihil longior, sed vix latior. Caput mediocre, globosum, nigro-piceum, minus crebre punctatum, squamulis crassis, dilute silaceis, sat dense obsitum; oculi ovati, transversi, modice prominuli, brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, parum arcuatum, supra fere planum, nigro-piceum, sat crebre punctatum, carinatum, a basi ad medium dense silaceo-squamosum, extrorsum nudum, parum nitidum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice utrinque leviter emarginatus, antice sensim angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo ante-scutellari emarginatus, supra modice convexus, niger, opacus, remote vage punctatus, punctis squamulis reclinatis, crassis, albidis, obsitis, subtus dense silaceo-squamosus. Scutellum oblongum, nigrum, opacum, læve. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse rotundatis, pone basin apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, punctis remotis, oblongis, parum profundis, squama albida repletis striata, interstitiis planis, sub-lævibus; tota nigra, parum nitida, squamulis silaceis parce adspersa, in ipsa basi plaga obliqua, oblonga, usque ad marginem lateralem dilatata, apiceque late cervino-squamosis, albido marginatis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, remote punctulatum, punctis squamulis albidis repletis. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, dense silaceo-squamosi; femoribus parum clavatis, anticis muticis, posterioribus obtuse dentatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

*6. C. Bistrigirostris. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger; rostro recto, breviusculo, subtiliter punctulato, dorso bi-sulcato; thorace sub-conico, remote profunde disperse punctato; elytris punctato-striatis; interstitiis supra humeros ad basin sub-elevatis, plaga basali obliqua, obsoleta, apiceque silaceo-squamosis; pedibus minus elongatis; femoribus magis incrassatis, posterioribus obsolete dentatis.

Patria: America meridionalis. Ex Museo Dom. Bartels ad describendum communicatus.

Affinis certe *Cryptorhyncho gelasimo,* sed latior et notis indicatis ab illo abunde distinctus. Quoad rostri structuram etiam quandam habet affinitatem cum *C. perinsigni*, sed hujus forma corporis longe alia, sulci rostrales ad oculos neque protensi, etc. Caput globosum, nigrum, sub-nitidum, sat profunde remote punctatum, inter oculos utrinque stria e punctis minutis notatum; oculi in fronte sub-approximati, ovati, modice prominuli, obscure brunnei; rostrum capite vix dimidio longius, minus crassum, rectum, apicem versus nonnihil deplanatum, supra fere planum, a basi ultra medium sulculo utrinque impressum, sulculis basi fulvo-squamosis; totum nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ minus crassæ, piceæ, clava ovata, parum acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice oblique sub-truncatus, anterius angustatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis profundis, remotis, sine ordine impressus; niger, sub-opacus, setulis nonnullis silaceis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse rotundatis, mox pone basin nonnihil ampliata, apicem versus angustata, thorace triplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, postice declivia, punctato-striata, punctis oblongis minus crebris, interstitiis planis, lævibus, in ipsa basi supra humeros sub-elevatis; tota nigra, opaca, in ipsa basi plaga oblonga, obsoleta, parce squamosa, usque ad marginem lateralem dilatata apiceque cervino-squamosis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, remote punctulatum, setulis nonnullis silaceis obsitum. Pedes minus elongati, robusti, nigri, punctulati, squamulis sila-

ceis obsiti; femoribus clavatis, anticis muticis, posterioribus subtus dente obtuso armatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

7. C. Perforatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis setulisque silaceis parce adspersus; antennis ferrugineis, capite rude remote punctato, rostro longiore, modice arcuato; thorace convexo, postice remote anterius magis confertim rude punctato, ibique evidenter carinato; elytris punctis remotis, profundis, oblongis, seriatim impressis; interstitiis lævibus, apice dense silaceo-squamosis; femoribus posticis obsolete dentatis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. Faldermann ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Cryptorhynchi lapathi.* Affinis certe *Cr. bistrigirostri*, sed duplo minor, rostro arcuato, haud sulcato, thorace carinato, profundius et antice crebrius punctato, elytrorum punctis profundioribus, etc., ab illo facile distinctus. Caput rotundatum, convexum, crassum, rude sub-remote punctatum, nigrum, opacum, squamulis raris silaceis adspersum; oculi laterales, ovati, subdepressi, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, modice arcuatum, supra fere deplanatum, piceum, subtiliter sub-remote punctatum. Antennæ minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, antice subito angustior, apice bis emarginatus, lobis ocularibus productis, rotundatis, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, tenue marginatus, supra convexus, posterius valde remote, anterius crebrius rude punctatus, dorso antico longitudinaliter evidenter carinatus, setulis crassis, silaceis, adspersus; totus niger, opacus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse rotundatis, non elevatis, pone medium apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, punctis profundis, oblongis, remotis, in fundo squama silacea obsitis; interstitiis planis, lævibus; nigra, squamulis silaceis parce apice dense adspersa. Corpus subtus nigrum, opacum, remote subtiliter punctatum. Pedes elongati, nigri, densius silaceo-squamosi; femoribus parum clavatis, basi obsolete remote apicem

versus profunde crebrius punctatis; posticis obsolete dentatis; tibiis latiusculis, nonnihil arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — BHN.

Specimen a Dom. Chevrolat sub nomine *C. clunifex* communicatum nuper descripto simillimum, modo duplo majus, ideoque ut species distincta vix considerari potest.

* 8. C. POROSUS. *Schh.*

Ovalis, convexus, niger obscurus, antennis piceis, rostro parum arcuato, remote punctulato, basi carinato; thorace irregulariter profunde remote punctato, carinato; elytris punctis profundis oblongis remotis seriatim impressis; femoribus obtuse dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura fere *Cryptorhynchi perforati*, apex elytrorum in individuis illæsis forte silaceo-squamosus. Caput globosum, nigrum, obscurum, sat profunde sed minus crebre rugoso-punctatum, inter oculos carinula in basi rostri continuata, instructum; fronte squamis nonnullis erectis, silaceis, adspersa; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, minus crassum, nonnihil arcuatum, basi sat profunde, apicem versus subtiliter remote punctulatum, nigrum sub-nitidum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, rostro cum capite vix longiores, subtenues, piceæ, parum pubescentes, clava elongata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, versus basin sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra valde convexus, niger opacus, antice rude, profunde, remote, irregulariter punctatus, ante basin adhuc minus confertim punctatus, dorso longitudinaliter carinatus, versus latera squamulis nonnullis fulvescentibus adspersus. Scutellum parvum, elongatum, nigrum, læve. Elytra thorace paulo latiora, latitudine baseos fere triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, pone medium usque linearia, tum versus apicem sensim nonnihil angustata, apice valde declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice callo obsoleto instructa; nigra opaca, punctis profundis, oblongis, remotis, seriatim impressis, exarata, interstitiis planis, impunctatis. Corpus subtus nigrum, profunde remote punctatum, punctis squamulis cervinis repletis. Pedes elongati, nigri, remote obsolete punctati, squamulis et pilis fulvescentibus parce obsiti, antici et postici longitudine æquales, intermedii

nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente parvo, obtuso, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 9. C. INFARCTUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis silaceis parce adspersus; rostro crassiore, parum arcuato; thorace convexo, profunde rugoso-punctato, dorso antico obsolete carinato; elytris punctis remotis, profundis, oblongis, squama silacea obsitis, seriatim impressis; interstitiis lævibus, apice silaceo-squamosis; femoribus omnibus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho perforato magnitudine et statura similis; rostro crassiore, breviore, subrecto, thorace profundius crebrius rugoso-punctato, antice obsolete carinato, apice elytrorum vix densius squamoso, femoribus omnibus dentatis, ab illo bene distinctus. Caput breve, convexum, nigrum, minus crebre punctatum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace brevius, minus tenue, teres, parum arcuatum, subtiliter subremote punctulatum, a basi ultra medium obsolete carinatum, nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, pilosæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior, apice bis emarginatus, lobis ocularibus longe productis, lateribus rotundato-ampliatus, basi-leviter bi-sinuatus, supra convexus, undique profunde sat crebre rugoso-punctatus, punctis squamulis piliformibus silaceis obsitis; dorso antico obsolete carinatus; niger, opacus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim subtruncata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse rotundatis, non elevatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, punctis profundis, oblongis, remotis, in fundo squama silacea obsitis, seriatim impressa, interstitiis lævibus; nigra, squamulis cervinis parce apice ipso densius adspersa. Corpus subtus nigrum, remote sat profunde punctatum, squamulis cervinis parce adspersum. Pedes elongati, nigri, minus crebre punctati; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis, parce silaceo-squamosis; tibiis latiusculis, basi nonnihil arcuatis, dense squamosis; tarsis modice dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 10. C. CAVERNOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovalis, ater, opacus, antennis ferrugineis; rostro subtenui, arcuato, basi obsolete carinato; thorace convexo, longitudinaliter rude rugoso, dorso apice carinato, elytris apice punctisque disci ochraceo-squamosis, seriatim profunde punctatis; interstitiis remote granulatis; femoribus griseo-squamosis, subtus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. de WINTHEM communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi statura similis, sed paulo major. Caput globosum, atrum, sub-nitidum, sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatum; oculi sat magni, ovati, approximati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, inflexum, arcuatum, teres, nigro-piceum, basi obsolete carinatum, evidenter rugoso-punctatum, dein subtilissime minus crebre punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius nonnihil angustatus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger opacus, longitudinaliter rude et profunde rugosus, dorso carinula parum elevata, postice abbreviata, munitus, setulis pallidis parce adspersus. Scutellum vix conspicuum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace paulo latiora, et illo plus triplo longiora, humeris antrorsum sub-prominulis, obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone medium apicem versus perparum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, punctis oblongis, remotis, seriatim digestis, impressa, interstitiis tuberculis parvis, minus crebris, seriatim dispositis, obsitis; atra, opaca, punctis ochraceis adspersa, apiceque squamulis ejusdem coloris tecto. Corpus subtus atrum, remote punctatum, punctis squamulis pallidis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati; femoribus parum clavatis, dense griseo-squamosis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 11. C. ANCEPS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseo-cervinis parce adspersus; thorace breviori, depresso, supra plano, sat crebre rugoso-punctato, carinato, basi profunde bi-sinuato; elytris profunde punctato-striatis; femoribus obtuse dentatis; alis nullis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. Com. MANNERHEIM ad describendum amice missus.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil major. Summa similitudo *C. rudis*, ab illo thorace latiori, breviori, magis depresso ut et pedibus brevioribus, distinctus. Caput globosum, nigrum, crebre rugoso-punctatum, squamulis cervinis adspersum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, inflexum, parum arcuatum, crassiusculum, nigrum, rugoso-punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ; articulus primus longissimus, apice incrassatus, secundus et tertius longitudine æquales, 4-8 paulo breviores, omnes parce pilosæ, ultimi valde coarctati, clavam ovatam, sub-acutam, cinereo-pubescente, conformantes. Thorax antice angustior, coarctatus, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, latitudine media vix longior, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis retrorsum productis; supra fere planus, undique sat crebre rugoso-punctatus, dorso carinula postice abbreviata, notatus; totus niger, squamulis griseo-cervinis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, griseo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim perparum rotundato-producta, basi thorace paulo latiora, quam lata triplo longiora, humeris antrorsum prominulis, lateribus inflexa, a basi ultra medium sensim ampliata, dein iterum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, striis e punctis profundis, oblongis, sub-remotis, exarata, interstitiis subtiliter granulatis, squamulis cervinis parce adspersa. Alæ nullæ. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes validi, nigri, profunde crebre punctati, squamulis pallidis adspersi; femoribus modice incrassatis, subtus in medio dente obtuso armatis; tibiis compressis, anticis ante medium intus ampliatis; tarsis elongatis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 12. C. Fasciculosus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, opacus, supra nudiusculus, subtus parce testaceo-squamosus; rostro modice arcuato, lævi, nitido, oculis approximatis; thorace crebre, sat profunde rugoso-punctato, sub-carinato; elytris fasciculis nonnullis ferrugineo-squamosis, ornatis, remote striato-punctatis, interstitiis granulatis, seriatim setosis; femoribus acute dentatis.

Patria : Brasilia interior. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim benevole communicatus. Mus. Schh.

Erirhino tortrici magnitudine æqualis; oculi majusculi in fronte triangulari sub-coadunati; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, parum arcuatum, læve, nitidum, piceum. Antennæ pone medium rostri insertæ, validiusculæ, brunneæ, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice medio supra rotundato-productus, pone oculos parum lobatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice paulo angustatus, angulis sub-prominulis, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, opacus, sat profunde rugoso-punctatus, dorso obsolete carinatus, in carina subtusque parce silaceo-squamosus. Scutellum parvum ovatum, sub-immersum, nigrum, opacum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, illoque plus duplo longiora, basi singulatim rotundata, humeris obtuse angulatis, medio vix dilatata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra æqualiter convexa, remote striato-punctata, punctis ocellatis, interstitiis remote granulatis, nonnullis sub-elevatis, convexioribus, omnibus setis muricatis seriatim obsitis; nigra, opaca, in singulo elytro fasciculi circiter sex minuti e squamis ferrugineis formati, tres in interstitio secundo ante, pone et in apice elytri, quartus in interstitio quinto, longius pone medium, quintus et sextus in interstitio septimo ante et in medio elytri, siti. Corpus subtus nigrum, opacum, remote punctatum, parce silaceo-squamosum. Pedes longiusculi, squamulis angustis testaceis vestiti; femoribus acute dentatis.

Bld.

* 13. C. Fictus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, squamulis umbrinis tectus; rostro modice arcuato, thorace profunde minus crebre rugoso-punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis planis, singulo macula elongata

prope scutellum, plaga magna pone humeros apiceque late albido-squamosis; femoribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. de WINTHEM amice communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho stigmæ statura similis, sed paulo major. Caput crassum, rotundatum, supra parum convexum, nigrum, remote minus profunde punctatum, squamulis pallidis adspersum; oculi sub-ovati, modice prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, a basi ultra medium obsolete carinatum, profunde remote rugoso-punctatum, dein sat crebre punctulatum, nigro-piceum, setulis pallidis adspersum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus crassæ, ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustatus, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, angulis baseos prominulis, acutis, postice bi-sinuatus, supra convexus, niger profunde sub-remote rugoso-punctatus, papillis squamulisque silaceis et pallidis parce adspersus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, opacum. Elytra basi singulatim sub-truncata, antice thorace latiora, illoque fere quadruplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, striis e punctis profundis, oblongis, connexis, exarata, interstitiis planis, lævibus; tota nigra, squamulis umbrinis tecta; singulo elytro prope scutellum in ipsa basi macula oblonga, plaga magna pone humeros locata, retrorsum dilatata, margine laterali non vero suturam attingente apiceque toto late, albido-squamosis, apice prope suturam brunneo variegato. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis umbrinis, pallidis mixtis, adspersum. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, squamulis umbrinis dense obsiti; femoribus parum incrassatis, subtus dente parvo, obtuso, instructis; tibiis compressis, latis apice intus uncinatis; tarsis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 14. C. Bohemani. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, cervino-squamosus; capite profunde crebre punctato, rostro modice arcuato, thorace profunde magis confertim rugoso-punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, sub-costatis, singulo elytro macula elongata prope scutellum, plaga magna pone humeros, maculam umbrinam includente, arcuque apicali albido-squamosis; femoribus obsolete dentatis.

Patria : America meridionalis. Mus. Reg. Acad. Upsal.

Statura et summa similitudo *Cryptorhynchi ficti,* nonnihil tamen minor, capite thoraceque profundius crebrius rugoso-punctatis, elytris aliter coloratis, interstitiis magis convexis, sub-costatis, ab illo præcipue distinctus. Caput rotundatum, crassum, supra modice convexum, crebre profunde rugoso-punctatum, nigrum, subnitidum, squamulis silaceis sat dense obsitum; oculi laterales, subovati, parum prominuli, brunnei; rostrum thorace paulo longius, minus crassum, teres, modice arcuatum, a basi ultra medium evidenter carinatum et rugoso-punctatum, densius silaceo-squamosum, dein apicem versus fere glabrum, subtiliter punctulatum; totum nigro-piceum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, lateribus ante medium rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, angulis baseos nonnihil retrorsum productis, sub-acutis; basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, profunde anterius crebre rugoso-punctatus, supra papillis squamulisque erectis cervinis adspersus, antice subtus dense albo-squamosus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, opacum. Elytra basi singulatim sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora, illoque plus triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, sub-elevatis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, striis e punctis profundis, oblongis, sub-remotis, exarata, interstitiis convexis, sub-costatis; nigra, squamulis cervinis vestita; in ipsa basi prope suturam macula oblonga, plaga magna, obliqua, pone humeros, macula umbrina includente arcuque communi, apicali, albido-squamosis, decorata. Corpus subtus nigrum, opacum, sub-remote punctulatum; squamulis cervinis sat dense obsitum. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, squamulis cervinis vestiti; femoribus paulo

incrassatis, subtus dente obsoleto, armatis; tibiis compressis, latis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — BHN.

* 15. C. BONSDORFFII. *Schh.*

Ovatus, niger, opacus, parce umbrino-squamosus; rostro subtiliter punctulato, basi fronteque obsolete carinatis; thorace brevi, sub-conico, rude, profunde punctato, obsolete carinato; elytris profunde punctato-striatis; interstitiis sub-elevatis, utrinque litura circinaliter flexa, albido-squamosa, ornatis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia. Mus. Acad. Imp. Alexandrin.

Cryptorhyncho Bohemani magnitudine æqualis, sed latior, thorax postice etiam latior, etc. Caput rotundatum, sat profunde remote punctatum; oculi modice prominuli; rostrum longitudine thoracis, validum, arcuatum, supra subtiliter punctulatum, basi carina obsoleta, in frontem continuata, instructum. Antennæ versus medium rostri insertæ, subtenues, brunneo-piceæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos fere duplo brevior, anterius valde angustatus, apice supra lobisque ocularibus parum productis, ante apicem sub-constrictus, versus basin sensim rotundato-ampliatus, postice multo latior, basi bi-sinuatus, supra convexus, profunde minus crebre punctatus, medio obsolete carinatus, opacus, squamulis rotundatis, silaceis, supra parcius subtus densius vestitus. Scutellum rotundatum, sub-immersum. Elytra sub-ovata, antice thorace paulo latiora, et fere triplo longiora, basi singulatim rotundata, humeris obtuse angulatis, apice sensim angustata, et conjunctim rotundata, supra valde convexa, apice subito declivia, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, sub-costatis; sutura carinata ad scutellum utrinque elevato-marginata; opaca, parce umbrino-squamosa, utrinque litura in formam spirulæ e medio elytri sursum versus suturam flexa, et in apicem exeunte, sordide albido-squamosa, ornata. Corpus subtus squamulis umbrinis dense vestitum. Pedes mediocres, dense squamosi; femoribus obsolete dentatis.

RLD.

In memoriam *Gabr. Bonsdorfii*, auctoris dissertationis anno 1785 editæ, et suo tempore meritæ, quæ inscribitur Historia naturalis Curculionum Sueciæ, hanc speciem denominatam voluit auctor.

* 16. C. STIGMA. *Fabricius.*

Ovatus, supra ferrugineus aut brunneus; rostro versus apicem paulo ampliato, sub-complanato; apice ipso nudo, thorace corporeque parcius, capite, elytris pedibusque dense, cinereo-vel ochraceo-squamulosis; elytris macula magna laterali denudata. — GHL.

α. Major, macula denudata elytrorum magna, rotundata, callum posticum fere attingente, a sutura remota.

Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 48. 7. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. 52. — Ed. GML. I. IV. p. 1765. 52.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 426. 137. — *Mant.* I. p. 105. 100. *Spec. Ins.* I. p. 174. 79. — *Syst. Ent.* p. 137. 56.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 463. 126.

ILLIG. *Mag.* V. p. 242. 126.

Curculio piger. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 169. 160. 1.

VAR. β. Major, macula denudata elytrorum maxima, rotundata, callum posticum et suturam fere attingente, et præterea macula parva ejusmodi juxta scutellum utrinque, in lobo baseos longius producto.

VAR. γ. Paulo minor, macula denudata elytrorum angustiore, sub-transversa, a callo postico magis remota, suturam plus minusve appropinquante.

Rhynchænus stigma. Oliv. Ent. V. 83. p. 197. 181. T. 34. f. 530. (minime T. 8. f. 87.)

Curculio stigma. HERBST. *Col.* VI. p. 284. 255. T. 82. f. 1.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 504. 151.

Rhynchænus nota. ILLIG. *Mag.* V. p. 243.

VAR. δ. Paulo minor, undique dilutius testaceus, rostro solo piceo, elytrorum regione scutelli et fascia media, versus suturam angustata, denudatis.

VAR. ε. Major, obscure ferrugineus, elytrorum regione scutelli, sutura antice et fascia media transversa nonnihil dentata, communis, denudatis.

Rhynchænus stigma. var. FABR. *Syst. El.* l. c.

Observ. — Majores : α, *var.* β et ε, forte feminæ, reliquæ mares. Color et signaturæ quidem, ut indicatum, diversimode variant, sed

formatio partium in omnibus eadem, ut vix specie distingui possint.

Patria : α, β et δ e Brasilia; *var.* γ e Cayenna; *var.* ε in Mus. Reg. Dan. asservatur.

* 17. C. CIRCULUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, parce silaceo-squamosus; antennis ferrugineis, rostro tenui, arcuato, basi striolato; thorace minus crebre granulato, dorso antico carinato; elytris punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, in dorso postico plaga magna, rotunda, communi, atra, silaceo marginata, ornatis.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Patria : Antioquia Columbiæ. Dom. NISSER. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho stigmæ statura fere similis, sed paulo minor, præsertim angustior. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, confertim rugoso-punctatum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi sat magni, laterales, ovati, haud prominuli, glauci; rostrum longitudine fere thoracis, minus crassum, teres, inflexum, arcuatum, nigrum, basi profunde striolato-punctatum, apice læve, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos vix longior, apice rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, anterius angustatus coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bisinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, minus crebre granulato-rugosus, dorso antico distincte carinatus; totus niger, squamulis silaceis tenuissime adspersus. Scutellum parvum, subrotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace fere dimidio latiora, quam lata duplo longiora, humeris obtuse angulatis, posterius angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra valde convexa, apicem versus declivia, minus profunde regulariter punctato-striata, punctis squamulis silaceis obsitis, interstitiis subconvexis, rugulosis, tuberculis parvis, remotis, seriatim obsitis; tota nigro-picea, in dorso postico macula magna, rotunda, communi, atro-squamosa, anguste albido et silaceo marginata, ornata. Corpus subtus nigro-piceum, pectore profunde remote ventre obsolete punctatis, fere nudis. Pedes elongati, obscure picei, subtiliter punctulati; femoribus modice clavatis, subtus dente sat valido,

obtuso, armatis; tibiis teretibus, nonnihil arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

18. C. Mutabilis. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, squamulis umbrinis et pallidis mixtis variegatus; rostro modice arcuato, subtiliter punctulato; thorace transverso, arcu transverso in medio dorsi, maculaque utrinque basali, atro-squamosis, ornato; elytris subtiliter punctato-striatis, dorso antico atro maculatis; canali pectorali pone pedes intermedios protenso.

Var. β. Cinereo-squamosus, thoracis basi immaculatus; elytris tantum macula magna basali, atro-squamosa, ornatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Desmidophoro hebeti statura subsimilis, nonnihil tamen major. Caput breve, convexum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis dilute umbrinis, depressis, sat dense obsitum; oculi magni, parum convexi, ovati, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, subtenue, modice arcuatum, nigro-piceum, basi crassius, subtiliter minus crebre punctulatum, squamulis nonnullis umbrinis adspersum, extrorsum nudum, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, thoracis basin non attingunt, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax basi longitudine duplo latior, apice utrinque leviter emarginatus, leviter constrictus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice bi-sinuatus, angulis baseos acuminatis, supra parum convexus, squamulis dilute umbrinis dense tectus, in medio dorsi arcu retrorsum flexo et utrinque in basi macula sat magna, atro-squamosis, ornatus. Scutellum oblongum, nigrum, atro-squamosum. Elytra ampla, antice thorace multo latiora, et illi arcte adæquata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis, lateribus pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace quadruplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, ante apicem callo obsoleto instructa, subtiliter punctato-striata, punctis minus crebris, oblongis, squama pallida repletis, interstitiis planis; nigra, squamis dilute umbrinis apicem et lateribus versus pallidioribus dense tecta, in dorso antico maculis plurimis parvis et in ipsa basi prope scutellum alia magna, atro-squamosis, variegata. Corpus subtus atrum, opacum, remote punctatum, punctis squamulis albidis repletis; latera abdominis silaceo-squamulosa. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamis griseis umbrinis mixtis tecti; femori-

bus parum clavatis, subtus obtuse obsolete dentatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

19. C. DELIRUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, brunneo-squamosus; rostro basi carinato; thorace lateribus rotundato-ampliato, angulis posticis minus producto, arcu obsoleto, transverso, in medio dorsi, obscuriori, notato; elytris subtiliter punctato-striatis, dorso antico obsolete fusco maculatis: canali pectorali pone pedes intermedio extenso.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Cryptorhyncho mutabili valde affinis, sed dimidio minor, colore, rostro basi carinato, thorace lateribus magis rotundatis, angulis posticis minus productis, ab illo præcipue distinctus. Caput breve, convexum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, squamulis dilute brunneis vestitum; oculi magni, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, subtenue, modice arcuatum, rufo-piceum, basi crassius, supra carinatum, obsolete punctulatum, extrorsum sub-læve. Antennæ in medio rostri sitæ, thoracis basin non attingentes, subtenues, obscure ferrugineæ, clava oblongo-ovata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos dimidio brevior, apice utrinque parum emarginatus, leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, anterius subito angustatus, basi bisinuatus, angulis posticis vix productis, supra parum convexus, squamulis brunneis dense tectus, in medio dorsi arcu retrorsum flexo e squamulis obscurioribus, notatus. Scutellum oblongum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra ampla, antice thoracis basi dimidio latiora et illi arcte adæquata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis, lateribus pone medium apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, ante apicem vix callosa, subtiliter punctato-striata, punctis minus crebris, oblongis, squama dilute cervina repletis, interstitiis fere planis; tota nigra, squamulis depressis brunneis dense vestita, basi et in dorso antico maculis nonnullis obsoletis et setulis brevibus, crassis, fuscis, variegata. Corpus subtus nigrum, opacum, remote punctatum, punctis setulis crassis, pallidis, obsitis, lateribus abdominis apicem versus apiceque dilute cervino-squamosis. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamulis brunneis tecti; femoribus parum clavatis, subtus dente obsoleto armatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♂♀ 20. C. LAPATHI. *Linn.*

Gibbosus, niger, opacus, thoracis lateribus, elytrorum fascia baseos apiceque late albo-squamosis; thorace elytrisque squamis atris fasciculatis tuberculatis; femoribus maris distincte bi-dentatis.—SAHLB.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 46. I.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 466. 140.

OLIV. *Ent.* V. 33. p. 193. 176. T. 6. f. 69. a. b.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 169. 88.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 69. 80.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 310. 16.

Curculio id. LINN. *Ins. Suec.* n° 591. — *Syst. nat.* I. II. p. 608. 20. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1763. 20.

FAB. *Ent. Syst.* I. II. p. 429. 149. — *Mant.* I. p. 106. 109. — *Spec. Ins.* I. p. 176. 86.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 508. 171.

HERBST. *Col.* VI. p. 153. III. T. 70. f. 6.—ARCH. V. p. 75. 36.

LATR. *Hist. nat. des. Cr.* et *des. Ins.* XI. p. 141. 53.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 187. 4. — *Mon. Curc.* p. 37. 35.

PANZ. *Fn. Germ.* XLII. 15. — *Ent. Germ.* p. 311. 71. — *Krit. Rev. d. Ins. Fn.* I. p. 127.

CEDERH. *Fn. Ingr.* n. 329.

LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 220. 15.

CURTIS, LINN. *Soc. Trans.* I. p. 86. T. 5. f. 1. — 5.

PREYSL. *May. Aufs.* BOHEM. *Naturg.* III. p. 201. 11.

MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 254. 47.

SCHRANK. *Enum.* p. 111. 212. — *Fn Boica.* I. p. 482. 515.

WALCKEN. *Fn. Par.* I. p. 238. 1.

VILLERS. *Ent.* I. p. 178. 16.

GOEZE. *Eur. Fn.* VIII. p. 481. 2.

BECKST. et SCHARF. *Forstins.* I. p. 168. 22.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 88. 988.

BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 103. 351. et p. 237. 808.

MULL. *Linn. Nat. Syst.* V. I. p. 220. 20.

MAGAZ. *d. Thier.* I. I. p. 13. T. 2. f. 1 — 5.

DON. *Brit. Ins.* T. 205. f. 1.

Curculio albicaudis. DE GEER. *Ins.* V. p. 223. 16. T. 7. f. 1. 2.
Curculio carbonarius. SCOP. *Ent. Carn.* p. 27. 79.
Curculio trimaculatus. VOET. *Col. ed.* PANZ. IV. p. 67. 40. T. 39. f. 40.
***Patria:* Tota Europa, Græcia, Sibiria.**

* 21. C. TIRUNCULUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra fusco-subtus silaceo-squamosus; rostro parum arcuato, confertim punctato, carinato; thorace dorso late longitudinaliter impresso, medio carinato; elytris minus regulariter punctato-striatis; interstitiis dorsalibus tuberculatis, macula obsoleta humerali apiceque albo-squamosis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. BARTELS ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho lapathi proximus, sed dimidio minor et angustior. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, crebre punctatum, squamulis nigro-fuscis obsitum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace brevius, minus crassum, parum arcuatum, nigro-piceum, a basi ad apicem carinatum, undique sat profunde crebre punctatum, basi squamulis griseis vestitum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava oblonga, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius angustatus, apice medio rotundato-productus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra in dorso late longitudinaliter impressus, medio carinatus, crebre rugoso-punctatus, niger, supra squamulis nigro-fuscis subtus cinereo-silaceis vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo fere triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, posterius attenuata, apice ipso singulatim rotundata, supra convexa, apicem versus declivia, minus regulariter parum profunde punctato-striata, interstitiis dorsalibus seriatim tuberculatis; nigra, squamulis nigro-fuscis tecta, pone humerum macula obsoleta e squamulis silaceis ornata, apiceque toto late albo-squamoso, nonnihil fusco variegato. Corpus subtus nigro-piceum, punctatum, squamulis cinereis fuscis mixtis obsitum. Pedes elongati, nigri, squamulis cinereo-albidis tecti; tibiis fusco annulatis; femoribus parum clavatis, obsolete dentatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

22. C. ALBOCAUDATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, dense umbrino-squamosus; rostro basi rugoso, carinato; thorace remote granulato, obsolete carinato; scutello albo-squamoso; elytris profunde remote punctato-striatis, interstitiis seriatim squamoso-setosis; apice late albo-squamosis, postice ferrugineo tinctis; femoribus acutius uni-dentatis.

Macromerus id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Cryptorhyncho lapathi magnitudine æqualis eique similis, sed corpore angustiore, squamis minoribus, thorace granulato, fasciculis nullis, colore alio, etc., abunde distinctus. Caput rotundatum, remote profunde punctatum, parce umbrino-squamosum; oculi majusculi; rostrum longitudine thoracis, modice arcuatum, teres, a basi fere ad medium sat profunde rugoso-punctatum carinatumque, apice subtilissime punctulatum; nigrum, nitidum, basi parce umbrino-squamosum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, subtenues, fusco-piceæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice utrinque emarginatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice paulo angustatus, basi bi-sinuatus; supra convexus, parce subtiliter granulosus, squamulis minutis umbrinis supra parcius subtus densius vestitus. Scutellum minutum orbiculatum, elevatum, albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi fere dimidio latiora, eoque triplo longiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, alte elevatis; medio vix ampliata, apice attenuata, conjunctim obtuse rotundata; supra convexa, sat profunde punctato-striata, striis obsoletis, interstitiis seriatim albo-setosis, basi seriatim granulatis; squamulis umbrinis versus latera magis condensatis adspersa, apice late albo-squamosa, hac squamositate antice pone medium elytrorum tri-sinuata, postice ferrugineo tincta. Corpus subtus punctatum, parce umbrino-squamosum. Pedes validiusculi, umbrino-squamosi, antici longiores; femoribus acutius dentatis. — RLD.

23. C. ERINACEUS. *Fabricius.*

*Oblongus, niger, squamulis griseis adspersus; rostro breviore, denudato, nitido, subtiliter punctulato, modice arcuato; thorace profunde crebre rugoso-punctato; elytris parum profunde punctato-striatis; interstitiis sub-convexis, remote seriatim granulatis; singulo elytro

tuberculis duobus, atro-pilosis, instructo; femoribus evidenter dentatis.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 464. 131.

Patria : America meridionalis. Dom. Schmidt. Ex Musæo Reg. Dan. descriptus.

Magnitudo *Cryptorhynchi lapathi.* Caput rotundatum, crassum, supra modice convexum, crebre punctulatum, nigrum, dense griseo-squamosum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, minus crassum, modice arcuatum, sub-teres, basi evidenter dein subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis, acuminatis; anterius angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, sat profunde confertim rugoso-punctatus, niger, squamulis silaceis, in vittis tribus basalibus magis condensatis, adspersus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi dimidio latiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, regulariter minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, seriatim remote granulatis; nigra, squamulis griseis sat dense adspersa, tuberculis duobus, parum elevatis, obtusis, atro-pilosis, instructa, uno non procul a basi, altero pone medium. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, dense griseo-squamosi; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, instructis; tibiis latiusculis, anticis basi nonnihil arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

Bhn.

* 24. C. Signatus. *Schh.*

Oblongus, niger, supra squamulis atris subtus sordide albidis tectus; rostro tenui, valde arcuato, punctulato, fusco-ferrugineo; thorace remote punctato; elytris striato-punctatis, singulo macula humerali et alia pone medium prope suturam albo-squamosis, ornato; pedibus fusco annulatis; femoribus obsolete dentatis.

Patria : Sierra Leona. Dom. Afzelius. Mus. Schh.

Magnitudo fere *Hylobii pinastri.* Caput rotundatum, nigrum,

punctatum, vertice squamulis fuscis tectum, supra oculos et in fronte pallidioribus; oculi laterales, oblongi, haud prominuli, brunnei; rostrum longitudine thoracis cum capite, teres, tenue, valde arcuatum, rufo-piceum, sub-nitidum, subtiliter versus basin magis evidenter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava elongato-ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, antice basi dimidio angustior, ibique leviter constrictus, postice parum profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, sat profunde sed minus confertim punctatus, niger, squamulis atris dense tectus, utrinque in medio dorsi maculis duabus parvis lateribusque dense sordide albido-squamosis. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thorace paulo latiora et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis; lateribus inflexa, pone medium usque linearia, tum versus apicem sensim angustata, apice declivia, singulatim rotundata, supra modice convexa, in dorso fere plana, regulariter sat profunde striato-punctata, interstitiis parum convexis, subtilissime coriaceis; nigrâ, squamulis atris tecta; in humero macula parva et longe pone medium alia non procul a sutura, major, sordide albo-squamosis. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis sordide sub-argenteis tectum; abdomine medio late denudato. Pedes elongati, nigri, squamulis setulisque sub-argenteis tecti, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus dente obsoleto armatis, in medio fusco annulatis; tibiis fere rectis, teretibus, versus basin annulis fuscis variegatis; tarsis elongatis, piceis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 25. C. Nubifer. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, maculis griseis variegatus; antennis rufo-ferrugineis; rostro valde arcuato, basi tri-carinato; thorace latiore, profunde rugoso-punctato, antice coarctato; elytris punctato-striatis; femoribus obsolete dentatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Afzelius. Mus. Schh.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil longior, sed vix latior magis depressus. Caput globosum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis fusco-griseis dense tectum, linea angusta a vertice in fronte usque extensa dilutiore, ornatum; oculi oblongi, transversi, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine thoracis, inflexum, teres,

arcuatum, minus crassum, a basi ultra medium tri-carinatum, profunde rugoso-punctatum, apicem versus remote punctatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, longitudine thoracis cum capite, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, fusco-holosericea. Thorax latitudine media vix longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, anterius angustior, ibique constrictus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigropiceus, grisescens, irregulariter profunde rugoso-punctatus, squamulis griseo-fulvescentibus hinc ille maculatim condensatis, adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thorace paulo latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, sub-rotundatis, thorace triplo longiora, lateribus inflexa, pone medium usque linearia, tum versus apicem sensim angustata, apice modice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, striata, striis in fundo profunde punctatis, nigro-picea, squamulis pallide griseis hinc inde fere in undulis confluentibus, adspersa. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, squamulis fusco-griseis dense tectum. Pedes elongati, nigro-picei, punctati, squamulis griseis setulisque pallidis adspersi; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum incrassatis, subtus pone medium dente parvo, obtuso, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

26. C. ILLICITUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereis et cervinis variegatus; rostro basi striolato-rugoso, apicem versus confertim punctato; thorace profunde crebre punctato, utrinque æqualiter valde rotundato; elytris punctato-striatis, interstitiis confertim rugosis; pedibus dilute miniato-squamosis; tibiis extus macula parva, nigra, notatis; femoribus posticis obsolete dentatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum benevole communicatus.

Habitus et magnitudo fere *Cryptorhynchi difficilis.* Caput rotundatum, convexum, nigrum, confertim ruguloso-punctatum, squamulis silaceis dense obsitum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, arcuatum, nonnihil deplanatum, a basi ad medium striolato-rugosum, tum apicem versus confertim punctatum, nigro-piceum, glabrum. Antennæ in medio rostri sitæ,

subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblonga, dense cinereo-pubescente. Thorax sub-rotundatus, latitudine media brevior, apice ipso modice rotundato-productus, utrinque emarginatus, antice posticeque angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, sat profunde crebre punctatus, niger, setulis silaceis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, denudatum. Elytra antice singulatim sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, posterius declivia, sat profunde punctato-striata, punctis striarum oblongis, sub-remotis, interstitiis parum convexis, confertim rugulosis; tota nigra, squamulis cervinis et albidis dense tecta et variegata. Corpus subtus nigrum, pectore profundius, ventre subtiliter punctatis, punctis squama silacea repletis. Pedes elongati, nigri, dense dilute miniato-squamosi; femoribus parum clavatis, anterioribus muticis, posticis obsolete dentatis; tibiis extus non procul a basi macula parva, nigra, ornatis; tarsis dilatatis, subtus dense fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 27. C. Illotus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis parce adspersus; antennis rufo-ferrugineis; rostro brevi, crasso, subrecto; thorace apice valde producto, obsolete rugoso-punctato; elytris punctato-striatis; femoribus dentatis; tibiis curvatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Magnitudo et statura fere *Cryptorhynchi lapathi*, sed minus convexus. Caput rotundatum, nigrum, opacum, obsolete rugoso-punctatum, squamulis griseis parce adspersum; oculi sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassum, latum, fere rectum, supra planum, nigrum, basi profunde rugosum, dein remote punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, vix longitudine thoracis, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava breviter ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice valde rotundato-productus, lateribus perparum rotundatus, antice basi duplo angustior, ibique coarctatus, postice leviter bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, grisescens, obsolete confertim rugoso-punctatus, squamulis griseis parce adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi parum

latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, callo protuberante instructa, nigra, striata, striis in fundo parum profunde punctatis; tota squamulis minutis griseis tenue adspersa. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, punctis squamulis pallidis repletis. Pedes elongati, nigro-picei, punctati, squamulis griseis dense obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, anticis acute, valido, reliquis magis obtuse dentatis; tibiis latiusculis, arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 28. C. Sordidulus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis dilute brunneis tectus; antennis rufo-ferrugineis; rostro arcuato, basi tri-carinato; thorace angustiore, conoideo, profunde rugoso-punctato, antice leviter coarctato, dorso sub-carinato; elytris subtiliter punctato-striatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. Afzelius. Mus. Schh.

Statura et similitudo præcedentis, cui valde affinis, sed duplo minor, thorace angustiore ut et colore distinctus. Caput globosum, nigrum, squamulis fusco-brunneis dense tectum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, tenue, sub-teres, arcuatum, a basi ultra medium tri-carinatum, rugoso-punctatum, dein apicem versus subtiliter remote punctulatum, piceum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, ibique leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, irregulariter rugoso-punctatus, dorso obsolete carinatus, undique squamulis fusco-brunneis tectus. Scutellum minutum, rotundatum, squamulis fusco-brunnescentibus obtectum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, thorace triplo longiora, lateribus inflexa, pone medium sensim angustata, apice modice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso sub-depressa, striata, striis in fundo minus profunde punctatis, interstitiis sub-convexis, nigra, squamulis fusco-brunnescentibus tecta, in medio

et versus apicem fascia obsoleta obscuriore, notata. Corpus subtus nigrum punctatum, squamulis fusco-brunnescentibus dense tectum. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis fusco-griseis obsiti, setulisque pallidis adspersi; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus pone medium, dente acuto instructis. Tarsi elongati, subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 29. C. LEVIDIPUS. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis fusco-griseis tectus; antennis ferrugineis; rostro paulo arcuato; thorace crebre profunde punctato, carinato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis; singulo elytro in dorso postico lineola abbreviata, atra; femoribus acute dentatis.

Habitat in Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL missus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et fere facies *Cryptorhynchi sordiduli.* Caput rotundatum, nigrum, sat crebre profunde punctatum, squamulis fusco-griseis adspersum; oculi oblongi, approximati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, subtenue, teres, arcuatum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum, nigrum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustatus, leviter coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, profunde sat crebre punctatus, dorso longitudinaliter obsolete carinatus, squamulis fusco-griseis adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace parum latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, parum profunde punctato-striata, interstitiis convexis, squamulis fusco-griseis, dense tecta; singulo elytro pone medium inter strias 4 et 5 a sutura, lineola abbreviata, obsoleta, atra, notato. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, squamulis fusco-griseis adspersum. Pedes validi, nigri, confertim punctati, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus pone medium, dente parvo, acuto, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

30. C. DEFINITUS. *Chevrolat.*

Ovatus, niger, fronte carinata; rostro valde arcuato, basi ruguloso; thorace transverso, rugoso-punctato, parce cervino-squamoso; elytris punctato-striatis, interstitiis seriatim setosis, dense cervino-squamosis, supra apicem nigro maculatis; femoribus anticis acute, posterioribus obsolete dentatis.

Patria : Alvarado in Mexico. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Magnitudo *Phytonomi suspiciosi.* Caput rotundatum, rugoso-punctatum, parce cervino-squamosum, fronte carinata; oculi depressi, orbitis superne elevatis; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, valde arcuatum, basi rugosum, versus apicem sub-læve, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, rufo-piceæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax brevis, transversus, antice angustior, apice supra modice productus, utrinque emarginatus, medio rotundato-ampliatus, postice iterum paulo angustior, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, crebre, sat profunde rugoso-punctatus, opacus, parce cervino-squamosus. Scutellum parvum, denudatum. Elytra antice leviter tri-sinuata, thoracis basi dimidio latiora eoque triplo longiora, humeris obtuse angulatis, medio vix ampliata, versus apicem sensim angustata, apice conjunctim rotundata, supra convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis seriatim albo-setosis; squamulis cervinis dense vestita, supra apicem macula nigro-squamosa. Corpus subtus parce punctatum, et in punctis squamosum. Pedes breviusculi, squamulis parvis suberectis adspersi; femoribus anticis acute, posterioribus obsolete dentatis.

RLD.

31. C. CRUDUS. *Schh.*

Oblongus, niger, fusco-squamosus et parce albido-setosus; capite confertim punctulato; rostro subtenui, arcuato, basi striolato, extrorsum subtiliter crebre punctulato, denudato; thorace supra paulo convexo, rude sat crebre rugoso-punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis planis, fascia media, tranversa, communi, pallidiore, decoratis; femoribus obtuse dentatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A. Dom. DRÈGE ad describendum amice communicatus.

Phytonomo rumicis paulo major. Caput rotundatum, crassum, supra convexum, crebre punctulatum, nigrum, opacum, squamulis fuscis parce obsitum; oculi laterales, ovati, depressi, brun-

nei; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, teres, arcuatum, a basi ad medium longitudinaliter striolatum et in striis punctatum, fusco-squamosum, dein extrorsum subtiliter crebre punctulatum, glabrum, nitidum, totum piceum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, subtenues, fusco-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, densius pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice utrinque emarginatus, supra in medio nonnihil rotundato-productus, lobis ocularibus parum prominulis, anterius multo angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra paulo convexus, sat crebre rude rugoso-punctatus, niger, squamulis setisque fuscis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, parce fusco-squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris obstuse angulatis, lateribus inflexa, pone basin ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso paulo convexa, postice modice declivia, regulariter minus profunde punctato-striata, punctis striarum oblongis, sub-remotis, interstitiis planis; nigra, squamulis fusco-umbrinis, sat dense obsita, ante medium in dorso plaga transversa, arcuata, ad suturam magis dilatata, communi, e squamulis pallidioribus decorata, setulisque raris, brevibus, pallidis, adspersa. Corpus subtus nigrum, opacum, minus crebre punctatum, squamulis fusco-brunneis parce adspersum. Pedes elongati, nigri, dense fusco-squamosi et parce albido-setulosi; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis; tibiis teretibus; tarsis parum dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 32. C. INEPTUS. SCHH.

Ovalis, convexus, niger, squamulis dilute cervinis tectus; antennis rufo-ferrugineis; rostro valde arcuato; thorace rugoso-punctato, antice carinato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, granulatis; singulo basi callo obtuso, notato, in medio plaga transversa obsoleta, nigro-fusca decorato; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil brevior et latior. Variat etiam duplo minor. Caput globosum, nigrum, squamulis dilute cervinis dense tectum, inter oculos foveola parva, impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, valde arcuatum, a basi ultra medium striolato-

rugosum, dilute cervino-squamosum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, antice valde coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, rude rugoso-punctatus, dorso antico distincte carinatus, squamulis dilute cervinis dense adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis; thorace triplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, nigra, parum profunde punctato-striata, interstitiis convexis, remote seriatim granulatis, inter strias 2 et 3 a sutura, non procul a basi, tuberculo obtuso, atro, notata; cæterum tota squamulis dilute cervinis dense tecta, plaga tamen obsoleta in medio cujusvis elytri nigro-fusca. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis dilute cervinis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis setulisque pallidis obtecti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente sat valido, acuto, instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

33. C. Insularis. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, rufo-piceus, squamis cinereis et fuscis supra variegatus, subtus parce griseo-squamosus; rostro subtenui, parum arcuato, sub-lævi; thorace antice valde coarctato, basi carinato et leviter bi-sinuato; elytris subtiliter punctato-striatis; interstitiis subconvexis, basi granulatis, obsolete fusco maculatis: femoribus crassis, acute dentatis.

Tylodes id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Insula Guadeloupe. Mus. Dom. Chevrolat.

Erirhino tortrici magnitudine æqualis, *Cryptorhyncho inepto* habitu similis. Caput mediocre, rotundatum, parce squamosum; oculi in fronte sub-approximati, sub-depressi; rostrum longitudine thoracis, subtenue, parum arcuatum, teres, subtilissime punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, thoracis medium superantes, ferrugineæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior,

valde coarctatus, apice utrinque emarginatus, lobis ocularibus parum productis, medio rotundato-ampliatus, postice parum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, utrinque sub-impressus, antice depressus; dense cervino-squamosus. Scutellum minutum, dense cervino-squamosum. Elytra antice thorace paulo latiora et plus duplo longiora, sub-ovata, basi singulatim parum rotundata, humeris obtuse angulatis, apice attenuata et conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, granulatis, seriatim setulosis, squamis densis cervinis et fuscis variegata, pone medium ad suturam macula communis fusca evidentior. Corpus subtus remote punctatum, parce griseo-squamosum. Pedes dense griseo-squamosi; femoribus incrassatis, medio sub-denudatis, acute dentatis.—Rld.

* 34. C. Cynicus. *Hoffmansegg.*

Sub-ovatus, niger, squamulis fuscis unicoloribus dense tectus; antennis ferrugineis, rostro arcuato, basi striolato-rugoso; thorace rugoso-punctato, carinato; elytris sat profunde punctato-striatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Schh.

Statura *Cryptorhynchi mangiferæ* sed triplo minor. Caput globosum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis fuscis tectum; oculi subovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, teres, minus crassum, arcuatum, nigrum, basi striolato-rugosum, squamosum, dein obsolete punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lateribus a basi ultra medium fere rectis, tunc subito angustatis, antice leviter constrictus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, rugoso-punctatus, obsolete carinatus, squamulis unicoloribus fusco-griseis tectus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, latitudine vix duplo longiora, humeris sub-obliquis, obtuse angustatis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim perparum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso fere plana, striata, striis in fundo sat profunde punctatis, interstitiis sub-convexis; tota nigra, squamulis unicoloribus fuscis dense tecta. Corpus subtus nigrum, rude punctatum, squamulis fuscis

adspersum. Pedes elongati, nigri, squamulis fuscis dense obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, instructis; tibiis basi parum curvatis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

35. C. INGLORIUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis fusco-brunneis tectus; rostro arcuato, ferrugineo, subtiliter punctulato; thorace brevi, lato, antice subito angustato, confertim rugoso-punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, pone humeros plaga pallidiore decoratis; femoribus anticis uni-posterioribus bi-dentatis.

Patria: India orientalis. Ex Musæo Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

Statura fere *Cryptorhynchi frigidi,* sed plus duplo minor. Caput rotundatum, crassum, supra convexum, confertim punctulatum, nigrum, parce fusco-squamosum; oculi laterales, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, teres, subtiliter punctulatum, ferrugineum, nitidum, basi parce fusco-squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, fusco-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, dense cinereo-pubescente. Thorax latus, latitudine baseos multo brevior, anterius subito angustatus, apice utrinque leviter emarginatus, mox intra apicem coarctatus et dein cito rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim minus profunde rugoso-punctatus, niger, squamulis fuscis sat dense adpersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, fusco squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris vix prominulis, sub-obtuse angulatis; lateribus inflexa, pone basin ultra medium sensim, dein citius angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, parum profunde punctato-striata, interstitiis subconvexis, lævibus, nigro-picea, squamulis fusco-brunneis tecta, pone humeros plaga obliqua, retrorsum flexa, interius acuminata, e squamulis pallidioribus decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, parce fusco-squamosum. Pedes elongati, subtiliter punctati, fusco-ferruginei, squamulis brunnescentibus vestiti; femoribus modice clavatis, anticis uni-posterioribus bi-dentatis; dentibus parvis; tibiis compressis, basi latioribus, apicem versus tenuioribus, paulo arcuatis; tarsis angustis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 36. C. Otiosus. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis silaceis parce adspersus; antennis tarsisque ferrugineis; rostro minus tenui, modice arcuato, basi profunde punctato; thorace subtiliter valde remote punctato, postice subtruncato; elytris ante apicem coarctatis, rude punctato-striatis: interstitiis convexis, crebre granulatis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: St.-Domingo. A Dom. Com. Mannerheim benevole communicatus. Mus. Schh.

Longitudo *Barynoti mercurialis*, sed in elytris angustior, forma corporis magis ovali a congeneribus distinctus. Caput globosum, nigrum, sub-nitidum, crebre rugoso-punctatum; vertice utrinque leviter impresso; fronte canalicula tenui insculpta; oculi laterales, oblongi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace fere brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, basi profunde striolato-punctatum, apice sub-læve vel subtilissime punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus tenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice rotundato-productus, antice cito angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice subtruncatus, supra parum convexus, ater, dorso valde remote obsolete lateribus rude punctatus; squamulis silaceis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi truncata, antice thorace paulo latiora et illo plus duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; mox pone basin ampliata, longe pone medium coarctata, dein apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra valde convexa, posterius declivia, profunde sulcata, sulcis in fundo rude parum profunde punctatis, interstitiis convexis, sub-carinatis, crebre seriatim granulatis; tota nigra, squamulis silaceis sat dense obsita. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctatum. Pedes breviusculi, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, obsoletissime dentatis; tibiis teretibus, subrectis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

37. C. VERRUCA. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis cervinis adspersus: rostro modice arcuato, punctulato, glabro; thorace late, confertim parum profunde rugoso-punctato; elytris mediocriter punctato-striatis: interstitiis sub-convexis, setulis brevibus, fuscis, adspersis; singulo elytro ante medium macula parva, albo-squamosa, decorato: femoribus acute dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 465. 134.

Patria: America meridionalis. Dom. SCHMIDT. Ex Musæo Regio Danico descriptus.

Parvus: magnitudo *Phytonomi pomorum.* Caput parvum, rotundatum, supra paulo convexum, punctulatum, ferrugineum, squamulis læte cervinis sat dense obsitum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigro-brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, minus tenue, teres, modice arcuatum, a basi ad medium striolato-punctatum et carinatum, squamulosum, dein apicem versus, glabrum, nitidum, subtilissime punctulatum; totum ferrugineum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis: mox pone apicem subito valde rotundato-ampliatus, postice bisinuatus, supra modice convexus, confertim minus profunde rugoso-punctatus, obscure ferrugineus, opacus, squamulis læte cervinis sat dense adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, parce squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis, non elevatis: lateribus inflexa, a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, regulariter et mediocriter sat crebre punctato-striata, interstitiis sub-convexis; ferruginea, squamulis læte cervinis undique adspersa, ante medium inter strias 4 et 5 macula parva rotunda punctisque nonnullis parvis, ante apicem, albo-squamosis, decorata, præterea setulis brevissimis fuscis parce obsita. Corpus subtus sub-remote punctulatum, ferrugineum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes mediocres, ferruginei, punctati, squamulis silaceis fere vestiti; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis sub-compressis, basi nonnihil arcuatis; tarsis angustis, subtus griseo-spongiosis. — BOH.

38. C. Caudex. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, squamulis læte cervinis adspersus; rostro tenuiore, modice arcuato, basi striolato-punctato; thorace supra paulo convexo, confertim granulato, medio anguste carinato; elytris sat profunde punctato-striatis; interstitiis sub-convexis, subtiliter coriaceis; femoribus obsolete dentatis; tibiis rectis, basi extus angulariter perparum ampliatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. Drège ad describendum amice communicatus.

Longitudo *Anthonomi druparum* nonnihil tamen latior. Caput rotundatum, supra modice convexum, confertim ruguloso-punctatum, nigro-piceum, squamulis læte cervinis dense vestitum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, teres, modice arcuatum, basi striolato-rugosum, dense cervino-squamosum, dein apicem versus subtiliter punctulatum, nitidum, glabrum; totum fusco-ferrugineum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, parce pilosæ, fusco-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice parum profunde bi-sinuatus, supra in medio nonnihil rotundato-productus, mox intra apicem coarctatus, dein subito rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, crebre granulatus, dorso longitudinaliter anguste carinatus; nigro-piceus, opacus, squamulis læte cervinis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, dense squamosum. Elytra sub-ovata, antice truncata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obliquis, sub-obtuse angulatis, parum elevatis; pone humeros ultra medium linearia, tum apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, subtiliter coriaceis; nigro-picea, squamulis læte cervinis, sat dense adspersa. Corpus subtus subtiliter crebre punctulatum, nigrum, squamulis silaceis vestitum. Pedes mediocres, nigro-picei, squamulis læte cervinis tecti; femoribus modice clavatis, subtus dente minuto, obsoleto, armatis; tibiis rectis, basi extus perparum angulariter ampliatis; tarsis brevibus, parum dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

* 39. C. IMPEXUS. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, squamulis fusco-griseis tectus; rostro longo, tenui, modice arcuato, rufo-ferrugineo; thorace confertim subtiliter punctulato, antice quadri-tuberculato; elytris subtiliter punctato-striatis; interstitiis parum convexis, breviter setulosis; singulo elytro non procul a sutura bi-tuberculato, apice ipso albido-squamoso: femoribus obsoletissime dentatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE descriptus.

Statura fere *Cryptorhynchi divergentis*, sed plus duplo minor. Caput rotundatum, convexum, confertim punctulatum, nigro-piceum, fusco-squamosum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere elytrorum, tenue, teres, arcuatum, basi subtiliter striolato-rugosum, dein punctulatum; totum rufo-ferrugineum, nitidum, glabrum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ad thoracis basin fere pertingentes, tenues, testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque emarginatus, supra modice rotundato-productus, anterius subito angustatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra paulo convexus, confertim subtiliter punctulatus, in dorso antico utrinque tuberculis duobus, parum elevatis, fusco-setosis, instructus; totus nigro-piceus, fusco-griseo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, griseo-squamosum. Elytra sub-ovata, antice truncata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris obtuse angulatis, non elevatis; lateribus inflexa, a basi ultra medium linearia, tum apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice valde declivia, subtiliter et tenue punctato-striata, interstitiis subconvexis, 2^{dum} a sutura tuberculis duobus, parvis, fusco-setosis, uno in medio, altero pone medium, instructum; tota nigro-picea, squamulis fusco-griseis tecta, setulisque brevibus, fuscis adspersa, apice ipso plus minusve distincte albo-squamosa. Corpus subtus subtiliter punctulatum, nigro-piceum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes mediocres, nigro-picei, fusco-squamosi et albido-setulosi; femoribus modice clavatis, dente parvo, obsoleto, instructis: tibiis rectis, basi extus perparum angulariter ampliatis; tarsis brevibus, parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BOH.

* 40. C. Vacillatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis raris silaceis adspersus; antennis validis, ferrugineis; articulis funiculi sub-cylindricis, coarctatis; rostro brevi, crasso, paulo arcuato, profunde striolato-rugoso; thorace confertim rude punctato, antice constricto, utrinque silaceo-lineato; elytris crebre profunde punctato-striatis; interstitiis angustis, plaga magna communi, in dorso postico, silaceo-squamosa, decoratis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: Insula St.-Vincent. A Dom. Hope amice communicatus. Mus. Schh.

E minimis hujus generis. *Phytonomo bipunctato* magnitudine fere æqualis, magis tamen convexus. Caput rotundatum, modice convexum, sat crebre profunde punctatum, nigrum, squamulis silaceis parce adspersum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, crassiusculum, modice arcuatum, supra sub-deplanatum, sat profunde striolato-rugosum, fusco-ferrugineum, fere glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, validæ, dilutæ, ferrugineæ, parce pilosæ; articulis funiculi sub-cylindricis, coarctatis; clava oblongo-ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, apice utrinque sinuato-emarginatus, supra valde rotundato-productus, anterius subito angustior, mox intra apicem coarctatus et transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, crebre profunde punctatus, utrinque ad latera linea angusta, silaceo-squamosa, decoratus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, dense silaceo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice sub-truncata, thoracis basi vix vel paulo latiora, humeris non prominulis, sub-rectangulis, non elevatis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, postice declivia, confertim sat profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-carinatis; tota nigra, squamulis silaceis parce supra humeros densius adspersa, in dorso postico plaga magna, transversa, communi, e squamulis læte silaceis, decorata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes mediocres, punctati, nigri, parce silaceo-squamosi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis brevibus, obscure ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

*** Interstitia elytrorum omnia elevato-costata.*

* 41. C. GAUSAPATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, convexus, niger, squamulis albidis et cervinis variegatus: rostro confertim punctato, basi carinato: thorace profunde remote punctato, dorso carinato; elytris remote punctato-striatis: interstitiis elevatis, costatis; femoribus dentatis.

Patria: Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cryptorhynchi stigmæ*. *Cryptorhyncho nebuloso* statura et colore similis, sed dimidio major; thorace profunde remote punctato, evidenter carinato, elytrorum interstitiis omnibus elevatis, costatis, femoribus dentatis, ab illo bene distinctus. Caput breve, valde convexum, punctis magnis, sub-remotis impressum, nigrum, sub-nitidum, squamulis sat densis, setiformibus, silaceis, obsitum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, minus tenue, teres, modice arcuatum, apice deplanatum, crebre punctulatum, a basi fere ad medium carinatum, nigrum, basi squamosum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, pilosæ, clava ovata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior, apice utrinque late et profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis profundis, sub-remotis, impressus, in medio carinula angusta, elevata, notatus; niger, squamulis latis, crassis, cervinis et in carinula dorsali postice albidis sat dense obsitus. Scutellum parvum, tuberculiforme, in emarginatura excavata situm. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, sub-angulatis; ab humero versus apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, postice declivia, striata, et in striis punctis sat magnis, remotis, impressa, sutura interstitiisque elevatis, costatis, pone callum posticum impressa; nigra, squamulis albidis et cervinis plagiatim variegata. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctatum, sat dense cervino-squamulosum. Pedes elongati, nigri, punctati, cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus dente obtuso armatis; tibiis latiusculis, basi perparum arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BOH.

* 42. C. AUSTERUS. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis pallidis parce adspersus; antennis rufo-ferrugineis; capite profunde rugoso; rostro modice arcuato, basi carinato, obsolete 4-sulcato; thorace profunde rude rugoso-punctato, obsolete-carinato; scutello rotundato, transversim impresso; elytris parum profunde punctato-striatis; interstitiis carinatis; femoribus obtuse dentatis; tibiis extus ampliatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS et BESCKE. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cryptorhynchi mangiferæ.* Caput rotundatum, nigrum, rude rugosum, squamulis pallidis adspersum; oculi oblongi, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, teres, minus crassum, modice arcuatum, nigrum, basi striolato-rugosum, carinatum, squamulis erectis fulvescentibus adspersum, tum subtiliter remote punctulatum, glabrum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late et profunde emarginatus, lateribus perparum rotundatus, apice basi duplo angustior, ibique coarctatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, profunde rude rugoso-punctatus, longitudinaliter obsolete carinatus, punctis setulis fulvescentibus obsitis. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata plus duplo longiora, humeris obtuse rotundatis; lateribus inflexa, ante medium apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso fere plana, prope suturam confertim subtiliter striata, striis punctulatis, interstitiis parum elevatis, dein late sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis elevatis, costatis; tota nigra opaca, squamulis fulvescentibus hinc inde condensatis, adspersa. Corpus subtus nigrum, rude punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes elongati, nigri, rude punctati, setulis pallidis adspersi; femoribus modice clavatis, subtus dente obtuso, armatis; tibiis latis, apicem versus extus ampliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Specimen fere duplo minus e Brasilia interiori in Musæo Dom. Schoenherri asservatur, sed de cætero simillimum, ut vix species distincta.

* 43. C. SERIUS. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis piliformibus, ferrugineis, parce adspersus; antennis rufo-ferrugineis; capite profunde rugoso-punctato; rostro modice arcuato, basi obsolete 4-sulcato; thorace profunde et rude rugoso-punctato, obsolete carinato, nigro-setuloso; scutello immerso, ovali, convexo, æquali; elytris minus profunde punctato-striatis; interstitiis carinatis, alternis perparum altioribus; pedibus ferrugineo-squamosis; femoribus obtuse dentatis; tibiis non ampliatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho austero statura simillimus, et tantum magnitudine duplo minore, capite rugoso-punctato, scutello supra æquali tibiisque vix ampliatis differt, unde dubium oriri potest, an distincta sit species. — RLD.

* 44. C. LIRATUS. *Schh.*

Ovalis, niger, setulis pallidis adspersus; antennis rufo-ferrugineis; rostro modice arcuato, basi rugoso; thorace angustiore, rude confertim rugoso, carinato; elytris sulcatis, obsolete punctatis; interstitiis carinatis, alternis magis elevatis; femoribus obsolete bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Cryptorhynchi austeri*, sed triplo fere minor. Caput globosum, nigrum, sat profunde confertim rugoso-punctatum, squamulis fusco-griseis adspersum; oculi oblongi, transversi, haud prominentes, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, teres, minus crassum, arcuatum, nigrum, basi striolato-rugosum, dein sub-læve, glabrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine media fere brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lateribus perparum rotundatus, anterius basi duplo angustior, ibique leviter constrictus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, rude et profunde rugoso-punctatus, longitudinaliter carinatus, setulis squamulisque pallidis adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thorace paulo latiora, latitudine baseos triplo fere longiora, humeris sub-rotundatis, lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, sulcata, sulcis in fundo obsolete punctatis, interstitiis præsertim

alternis elevatis, carinatis; tota nigra opaca, squamulis fusco-grisescentibus adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis fusco-griseis repletis. Pedes elongati, nigri, squamulis setulisque fusco-griseis dense obsiti, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus obsolete bi-dentatis; tibiis rectis, apice non ampliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

45. C. Querulus. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis albidis adspersus: rostro tenui, basi striolato-rugoso; thorace transverso, confertim rugoso-punctato, antice carinato; elytris sulcato-punctatis; interstitiis convexis; femoribus obsolete uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. — Mus. Imp. Russ.

Cryptorhyncho lapathi paulo brevior et latior. Caput parvum, globosum, nigrum, sat profunde rugoso-punctatum, squamulis albidis parce adspersum, puncto profundo inter oculos impressum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri: rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, basi crassius, ibique supra striolato-rugosum, parce squamosum, extrorsum obscure ferrugineum, nudum, nitidum, punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque parum emarginatus, leviter constrictus, antice subito angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim rugoso-punctatus, niger, squamulis cinereo-albidis parce adspersus; in medio dorsi, carinula parum elevata, postice abbreviata, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, quam lata duplo longiora, humeris obtusis, sub-rotundatis, parum elevatis; lateribus nonnihil ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, rude sulcata et in sulcis sat profunde punctata, interstitiis omnibus convexis, lævibus; nigro-picea, squamulis albidis parce adspersa. Corpus subtus piceum, sat profunde punctatum, punctis squamulis albidis repletis. Pedes longiusculi, validi, picei, punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus obsolete unidentatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 46. C. HUMERALIS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamis niveis et melleis mixtis variegatus: rostro longiore, tenuiore; thorace interrupte carinato, antice cristato: elytrorum sulcis remote punctatis; interstitiis convexis, rugosis, lineola obliqua humerali niveo-squamosa ornatis; canali pectorali pone pedes intermedios protenso; femoribus bi-dentatis.

Patria: Bengalia. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho mangiferæ magnitudine fere æqualis eique similis, sed angustior, rostro longiore et tenuiore, etc., ab illo facile distinctus. Caput breve, convexum, rugoso-punctatum, nigrum, squamis majusculis, rotundatis, depressis, melleo-lutescentibus, tectum, aliisque niveis in linea media et ambitu oculorum ornatum; oculi magni, parum convexi, brunnei, subtus coeuntes; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, nigrum, basi crassius ibique supra carinatum, punctatum, squamosum, extrorsum nudum, nitidum, punctulatum. Antennæ thoracis basin non attingunt, subtenues, piceæ, clava ovata, cinereo-sericea. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice utrinque sinuato-emarginatus, leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, reflexo-marginatus, supra modice convexus, rugoso-punctatus, niger, squamis melleo-lutescentibus et niveis mixtis tectus et variegatus, immixtis aliis nigris, erectis, aculei-formibus, præsertim in medio antico congestis, unde ibi quasi cristatus; in medio dorsi carinula parum elevata, sub-interrupta. Scutellum rotundatum, nigrum, niveo-squamosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illi arcte adæquata, humeris obliquis, sub-rotundatis, lateribus ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, rude sulcata et in sulcis profunde, remote punctata, interstitiis convexis, confertim rugoso-tuberculatis; nigra, squamis melleo-luteis et niveis mixtis inæqualiter variegata, in singulo in ipsa basi supra humeros lineola dense niveo-squamosa. Corpus subtus nigrum, profunde rugoso-punctatum, squamulis albidis parcius adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri; femoribus rugosis, apice melleo-et intra apicem niveo-squamosis, parum clavatis, subtus bi-dentatis, posteriore minore; tibiæ externe seriatim niveo-squamosæ.

GHL.

* 47. C. MANGIFERÆ *Fabricius.*

Ovalis, niger, squamulis griseis atrisque dense variegatus; antennis rufo-ferrugineis; rostro breviore, arcuato, profunde rugoso-punctato; thorace punctato, medio anguste pallido-lineato; elytris punctato-striatis; interstitiis elevatis, remote granulatis; pone humeros vitta obliqua, pallida decoratis; femoribus acute dentatis.

BOISDUVAL. *Voy. de l'Astrol.* I. p. 429. 4.
DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 293.
KLUG. *Ins. von Madag.* p. 111. 172.?
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 473. 173.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 200. 185. (T. 11. f. 137. vix.)
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 432. 161. — MANT. I. p. 107. 116. — *Spec. Ins.* I. p. 177. 92. — *Syst. Ent.* p. 139. 66.
HUBNER. *Naturf.* XXIV. p. 46. 12. T. 2. f. 13.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 510. 179.
HERBST. *Col.* VI. p. 150. 109. T. 70. f. 4.
LINN. *Syst. nat. ed.* GMEL. I. IV. p. 1763. 231.
Cryptorhynchus torvus. SCHH. *in Litteris.*—Olim.
—*pectorestriatus.* Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*
Patria : India orientalis, Bengalia, Java, Ile-de-France, Madagascar. Dom. REICHE. Mus. CHEVROLAT et SCHH.

Magnitudo et fere statura *Phytonomi punctati.* Caput globosum, nigrum, confertim punctulatum, squamulis fusco-griseis tectum; oculi laterales, oblongi, parum prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, teres, minus tenue, arcuatum, nigrum, profunde rugoso-punctatum, a basi longe ultra medium squamulis pallide fuscis tectum, dein glabrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice utrinque profunde emarginatus, antice multo angustior, ibique constrictus, lateribus nonnihil rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, punctatus, squamulis fusco-griseis atrisque variegatus, linea angusta dorsali et juxta lineam puncto utrinque e squamulis pallidioribus decoratus. Scutellum rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi multo latiora, et illo plus triplo longiora, humeris obtuse angulatis, non elevatis: lateribus inflexa, a basi longe ultra medium fere linearia, tum versus apicem perparum angustata, apice modice declivia, con-

junctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, striata, striis in fundo minus profunde punctatis, interstitiis elevatis, remote granulatis; tota nigra, squamulis pallide grisescentibus tecta, hinc inde maculis fuscis variegata, pone humeros vitta obliqua e squamulis sordide albidis, decorata. Corpus subtus nigrum, confertim rude punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes robusti, nigri, squamulis setulisque pallidis et fuscis mixtis, dense obsiti, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

48. C. LEPIDOTUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamis niveis et melleis mixtis variegatus; rostro basi striolato-rugoso: thorace transverso, confertim rugoso-punctato, carinato; elytrorum sulcis profunde punctatis, interstitiis convexis, rugulosis; femoribus obtuse uni-dentatis; canali pectorali pone pedes intermedios protenso.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Cryptorhyncho humerali affinis, sed illo nonnihil latior, thorace breviori, antice non cristato, femoribus obsolete tantum uni-dentatis, etc., ab illo bene distinctus. Caput breve, convexum, profunde rugoso-punctatum, nigrum, squamulis parvis albidis adspersum; oculi magni, parum convexi, brunnei, subtus coeuntes; rostrum capite cum thorace multo longius, tenue, incurvum, nigrum, basi crassius, ibique striolato-rugosum, parce squamosum, extrorsum nudum, nitidum, punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, thoracis basin vix attingentes, subtenues, ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque parum emarginatus, antice subito angustatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim rugoso-punctatus, squamis melleo-lutescentibus et niveis mixtis hinc inde in lineis condensatis adspersus; in medio dorsi carinula parum elevata, nullo modo interrupta, munitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, quam lata duplo longiora, humeris obliquis, obtuse angulatis; supra convexa, postice declivia, rude sulcata et in sulcis profunde sat crebre punctata, interstitiis convexis, rugulosis; nigra, squamis melleo-luteis et niveis mixtis irregulariter variegata, plaga fere in medio transversa, sub-denudata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre punctatum,

squamulis melleis sat dense obsitum. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, sat dense melleo-squamosi; femoribus parum clavatis, subtus dente obtuso armatis; tibiis rectis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 49. C. CORTICALIS. *Guilding.*

Ovalis, niger, squamulis silaceis vestitus; rostro modice arcuato, sub-remote basi evidenter punctato; thorace profunde minus crebre punctato, medio carinato, supra modice convexo; elytris albido silaceoque variegatis, sub-remote punctato-striatis; interstitiis latis, sub-carinatis; femoribus obtuse dentatis.

Patria : Insula St.-Vincent. A Dom. HOPE amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Cryptorhynchi mangiferæ* sed paulo minor, in elytris tamen magis convexus; rostro minus profunde, thorace magis rude punctatis, hoc carinato, elytris remotius punctato-striatis ut et colore indumenti alio, ab illo bene distinctus. Caput rotundatum, sat crebre punctatum, nigrum, sub-nitidum, squamulis silaceis dense vestitum; fronte tenue foveolata; oculi laterales, ovati, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, teres, modice arcuatum, nigro-piceum, basi squamosum, evidenter apicem versus subtilius sub-remote punctatum, nigro-piceum, nitidum, glabrum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ad medium thoracis vix pertingentes, subtenues, obscure ferrugineæ, vix pilosæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine postica brevior, apice utrinque late et profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo productis, sub-obtusis; anterius angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra convexus, punctis profundis, sub-remotis, impressus, medio longitudinaliter distincte carinatus; totus niger, sub-nitidus, squamulis silaceis sat dense adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, opacum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi perparum latiora, humeris vix prominulis, rotundatis, non elevatis; pone basin ad medium linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice modice declivia, sub-remote mediocriter punctato-striata, punctis striarum oblongis, interstitiis latis, sub-carinatis; tota nigra, squamulis silaceis et albidis tecta et variegata. Corpus subtus nigrum, sub-remote profunde punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes elongati, nigri, silaceo-squamosi; femoribus modice

clavatis, subtus dente obtuso armatis; tibiis rectis: tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 50. C. IMPURATUS. *Schh.*

Ovalis, ferrugineus; capite confertim rugoso-punctato: rostro modice arcuato, basi striolato-rugoso; thorace antice valde constricto, crebre subtiliter ruguloso; elytris obsolete nigro maculatis, squamulis raris pallidis adspersis, punctato-striatis; interstitiis convexis, subtiliter coriaceis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Jamaica. Dom. WESTFELT. Mus. SCHH.

Longitudo fere *Cryptorhynchi mangiferæ*, sed nonnihil angustior. Caput globosum, ferrugineum, confertim rugoso-punctatum, inter oculos leviter impressum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace perparum longius, teres, minus crassum, nonnihil arcuatum, rufo-ferrugineum, basi striolato-rugosum, squamulis raris, pallidis, adspersum, dein sub-læve, glabrum, nitidum, apice ipso nigro. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidum thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, coarctatus et transversim impressus, basi plus duplo angustior, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, ferrugineus, undique confertim subtiliter rugulosus. Scutellum parvum, rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra oblongo-ovata, antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris parum prominulis, sub-obtuse rotundatis; thorace triplo longiora, lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, striata, striis in fundo minus profunde punctatis, interstitiis convexis, confertim subtiliter coriaceis, squamulis parvis, raris, pallidis, adspersis; tota rufo-ferruginea, in dorso maculis nonnullis, irregularibus, obsoletis, fuscis, translucentibus, notata. Corpus subtus ferrugineum, parce punctatum, punctis setulis pallidis repletis. Pedes longiusculi, rufo-ferruginei, confertim punctulati, setulis pallidis parce obsiti, antici et postici longitudine aequales, intermedii nonnihil breviores; femoribus clavatis, basi, medio apiceque infuscatis, subtus dente valide, acuto, instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 51. C. Scapularis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis setisque atris et griseis variegatus: rostro breviusculo, crassiusculo, subrecto; thorace crebre rugoso-punctato, in dorso postico maculis tribus obsoletis, in triangulum dispositis, obscure silaceis, instructo; elytris parum profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, seriatim granulatis, macula oblonga humerali punctoque magis interno pallido-squamosis; femoribus acute dentatis; tibiis apice cinereo-squamosis.

Patria: Brasilia interior. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim amice donatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Phytonomi suspiciosi.* Caput convexum, opacum, crebre rugoso-punctatum, parce silaceo-squamosum; oculi depressi; rostrum thorace brevius, crassiusculum, subrectum, basi rugoso-punctatum et silaceo-squamosum, versus apicem punctulatum, glabrum. nitidum. Antennæ medio rostri insertæ, breviusculæ, subtenues, ferrugineæ, scapo brevi, clava ovata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra modice productus, pone oculos parum lobatus, antice coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice parum angustatus, basi levissime bi-sinuatus, supra dorso parum convexus, crebre parum profunde rugoso-punctatus, opacus, squamulis brevissimis erectis atris muricatus, ante scutellum macula, paulo anterius duabus, cum priore triangulum formantibus, in margine antico iterum una et in lateribus nonnullis, omnibus silaceo-squamosis, ornatus. Scutellum parvum ovatum, opacum. Elytra antice thorace paulo latiora et plus quam duplo longiora, sub-ovata, basi sub-truncata, humeris obtuse angulatis, apice angustata et conjunctim rotundata, supra modice convexa, parum profunde punctato-striata, interstitiis paulo carinatis, seriatim granulatis et atro-setosis; squamulis atris et griseis variegata, in humero macula parva oblonga, aliaque minori magis interna, pallido-squamosis, vestita. Corpus subtus opacum, parce punctatum et silaceo-squamosum. Pedes breviusculi, squamulis setulisque nigris adspersi; femoribus modice clavatis, dente parvo, acuto, armatis, posticis ante apicem tibiisque apice silaceo-squamosis. — Bld.

52. C. Consobrinus. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis ochraceis, cervinis et nigris variegatus; capite thoraceque squamulis erectis dense vestitis; rostro breviore subrecto, crebre punctato; elytris profunde punctato-stria-

tis; interstitiis convexis, seriatim setoso-squamosis; femoribus anterioribus obsolete, posticis acute dentatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Magnitudo *Phytonomi rumicis.* Caput squamis erectis cervinis et nigris tectum; oculi depressi; rostrum thorace paulo brevius, crassiusculum, subrectum, teres, apice paulo latius, piceum, crebre punctatum, basi dense squamosum, dein denudatum. Antennæ ante medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ; scapo breviusculo, clava crassiuscula, ovata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice supra valde productus, pone oculos modice lobatus, antice thoracis basi dimidio angustior, infra apicem coarctatus, dein modice rotundatus, postice parum angustatus, basi bi-sinuatus, supra in dorso sub-depressus, punctatus, squamulis erectis cervinis nigrisque paucis intermixtis tectus. Scutellum orbiculatum, cervino-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et eo fere triplo longiora, sub-ovata, basi conjunctim sub-trisinuata, humeris obtuse angulatis, apice angustata et conjunctim rotundata, ante apicem sub-compressa, supra modice convexa, dorso antico planiuscula, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, seriatim squamoso-setosis; squamulis cervinis nigrisque variegata. Corpus subtus dense cervino-squamosum. Pedes breviusculi, validi, cervino-squamosi; femoribus anterioribus dente parvo obsoleto, posterioribus acuto armatis. — RDL.

**** Interstitia elytrorum alterna elevato-costata: costæ aut integræ, aut interruptæ.*

* 53. C. GERMARI. *Schh.*

Ovalis, convexus, niger; rostro recto, basi carinato; capite, thoracis dorso, elytrorum plaga inæquali basali et apicali femorumque apice sordide albido-squamosis; elytris profunde punctato striatis, interstitiis alternis dorsi basi elevatis; femoribus obtuse dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo *Hylobii arctici.* Caput mediocre, convexum, nigrum, minus profunde punctatum; vertice sub elevato, squamulis albidis fere tecto: fronte inter oculos fulvo-squamosa: oculi laterales, subrotundi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, rectum, supra sub-planum, subtiliter minus crebre punctulatum, basi carinatum, nigrum sub-nitidum. Antennæ longe

pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, subtenues, piceæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late emarginatus, anterius multo angustior, versus basin sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, irregulariter rugoso-punctulatus, dorso squamulis sordide albidis basi fulvescentibus immixtis tectus, lateribus et subtus denudatus. Scutellum rotundatum, squamulis albidis tectum. Elytra thoracis basi nonnihil latiora et illo triplo longiora, humeris antrorsum subprominulis, obtuse rotundatis, lateribus inflexa, posterius attenuata, apice declivia, singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, apicem versus callo protuberante instructa, nigra, subnitida, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, alternis 3, 5 et 7 a sutura ad basin magis elevatis; ab humero plaga magna communi, albo-squamosa, in dorso inæqualiter maculatim extensa, et apex late albo et fulvo-squamosus. Corpus subtus nigrum, subtiliter remote punctatum, squamulis sordide albidis adspersum. Pedes elongati, nigri; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus obtuse dentatis, apice annulo lato, albo-squamoso, decoratis; tarsis parum dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 54. C. Sexlineatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger; capite confertim rugoso-punctato; orbitis oculorum fronteque albo-squamosis; rostro modice arcuato; thorace sat crebre punctulato, silaceo lineato; elytris minus profunde striato-punctatis; interstitiis alternis planis, alternis costatis; singulo elytro lineis tribus e squamulis silaceis, decorato; femoribus vix clavatis, dente parvo, armatis.

Patria: Brasilia. A Dom. Westermann benevole communicatus. Mus. Schh.

Cryptorhyncho lapathi paulo major. Caput globosum, nigrum, obscurum, confertim subtiliter rugoso-punctatum, inter oculos foveola parva insculptum, supra oculos et in fronte squamulis læte silaceis tectum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, teres, minus crassum, modice arcuatum, basi rugoso-punctatum, apicem versus subtiliter remote punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, thorace cum càpite vix longiores, tenues, piceæ, parce pubescentes, clava elongata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrin-

que late sed parum profunde emarginatus, anterius nonnihil angustior, lateribus perparum rotundato-ampliatus, basi leviter bisinuatus, supra parum convexus, niger, subtiliter sat crebre punctulatus, margine antico et postico anguste silaceo-squamosis, linea utrinque laterali sat lata et alia dorsali, angusta, ejusdem coloris notatus, subtus etiam silaceo-squamosus, utrinque maculis duabus, nigris, denudatis, decoratus. Scutellum mediocre, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis, thorace fere quadruplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, versus apicem declivia, nigra, sub-nitida, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis planis, subtiliter coriaceis, alternis costatis, inter costas silaceo-squamosa, unde tri-lineata videntur. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, punctulatum, squamulis pallidis parce adspersum, pectore linea utrinque e squamulis condensatis silaceis decorato. Pedes elongati, nigri, confertim punctati, squamulis et pilis albidis parce adspersi; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus vix incrassatis, tenuibus, subtus pone medium dente parvo, instructis; tibiis subrectis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

55. C. AMOENUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger; capite crebre rugoso punctato; fronte orbitisque flavido-squamosis; rostro modice arcuato; thorace creberrime punctulato, miniato-lineato; elytris minus profunde striato-punctatis; interstitiis alternis costatis, alternis planis, tertio et septimo a sutura dense albido-squamosis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia interior. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho sexlineato magnitudine et statura similis. Caput globosum, opacum, creberrime rugoso-punctatum, inter oculos foveola impressum, orbitis fronteque flavido-squamosis; oculi sub-depressi; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, nitidum, glabrum, basi rugoso-punctatum et obsolete carinatum, versus apicem complanatum et subtiliter punctulatum. Antennæ medio rostri insertæ, subtenues, clava oblongo-ovata, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos dimidio brevior, apice supra parum productus, utrinque emarginatus, antice plus dimidio angustior, intra apicem utrinque nonnihil coarctatus,

lateribus parum rotundato-ampliatus, basi parum latior, leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, creberrime subtiliter punctulatus, linea angusta media flavido-squamosa, margine antico et postico, lineis duabus utrinque latioribus nonnullisque subtus confluentibus maculasque duas nigras includentibus, miniato-squamosis. Scutellum mediocre, ovatum. Elytra antice thorace parum latiora triploque longiora, basi sub-truncata, humeris obtuse angulatis; ab humeris ad apicem sensim angustata, apice conjunctim rotundata, supra convexa, præsertim posterius; sub-nitida, minus profunde striato-punctata, interstitiis alternis planis, subtilissime granulatis, alternis costatis, 3° et 7° a sutura planis, dense albido-squamosis. Corpus subtus punctatum, sub-nitidum, pectore utrinque linea abdomineque subtus duabus miniato-squamosis. Pedes breviusculi, crebre punctati, fere nudi; femoribus parum incrassatis, pone medium dente parvo, obtuso, armatis, prope apicem fascia angusta albido-squamosa ornatis. — RLD.

* 56. C. FLAVESCENS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense pallide ochraceo-squamosus; thorace antice valde coarctato, postice carinato; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis costatis, obsolete fusco bi-fasciatis; femoribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Cryptorhynchi lapathi.* Caput rotundatum, convexum, nigrum, dense umbrino-squamosum; oculi parum prominuli, in fronte paulo approximati, brunnei; rostrum longitudine thoracis, validum, teres, modice arcuatum, brunneo-piceum, basi rugulosum, ochraceo-squamosum, dein punctulatum, nudum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, obtusa. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice fere duplo angustior, apice supra modice productus, lobis ocularibus obsoletis, intra apicem valde coarctatus, medio subito rotundato-ampliatus, postice parum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, medio obsolete carinatus, dense læte ochraceo-squamosus. Scutellum ovatum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, eoque fere triplo longiora, humeris obtuse angulatis; ab humeris ad apicem sensim parum angustata, apice ipso attenuata, compressa, singulatim rotundata, supra modice convexa, in dorso planiuscula, sat profunde punctato-stria-

ta, interstitiis alternis planis, alternis usque ad apicem costatis, dense ochraceo-squamosa, fasciis duabus obscurioribus, transversis, indeterminatis, ornata. Corpus subtus dense ochraceo-squamosum. Pedes breviusculi validi, squamis ochraceis setulisque tecti; femoribus modice clavatis, anticis dentibus duobus sub-acutis, exteriori minimo, posterioribus unico, armatis. — BLD.

* 57. C. YPSILON. *Chevrolat.*

Oblongo-ovalis, niger, cervino-squamosus: rostro crassiore, arcuato, apicem versus ampliato, basi profundius punctato, carinato; thorace antice subito angustato, supra paulo convexo, rugoso-punctato, dorso obsolete carinato, denudato, litura basali Y albido-squamosa, decorato; scutello niveo-squamoso; elytris basi triangulariter denudatis, rude dein minus profunde punctato-striatis: interstitiis alternis elevatis: femoribus obscure dentatis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi paulo brevior et angustior. Caput parvum, rotundatum, supra convexum, crebre sat profunde rugoso-punctatum, nigrum, squamulis cervinis adspersum; oculi laterales, ovati, inferne acuminati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, minus tenue, arcuatum, teres, apicem versus nonnihil ampliatum, deplanatum, nigro-piceum, subtiliter punctulatum, nitidum, glabrum, basi profundius punctatum, medio obsolete carinatum, parce cervino-squamosum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix productis; anterius subito angustatus, ibique leviter constrictus et transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra paulo convexus, confertim rugoso-punctatus, in medio carinula parum elevata, antice abbreviata notatus; niger, lateribus et subtus dense cervino-squamosus, dorso litura Y albido-squamosa, in basi locata decoratus. Scutellum rotundatum, dense niveo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris obtus angulatis, non elevatis; ab humero versus apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso paulo convexa, postice declivia, a basi ad medium profunde minus regulariter dein subtilius punctato-

striata, interstitiis squamulis erectis seriatim instructis, alternis planis, alternis elevatis, carinatis; tota nigra, cervino-squamosa, plaga magna basali, sub-triangulari, fere denudata insignita. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, cervino-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis cervinis setulisque pallidis tecti; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo armatis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fusco-spongiosis.

BHN.

58. C. DORSALIS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, dense cervino-squamosus; capite nigro-squamoso; rostro basi thoraceque carinatis, hoc antice subito coarctato; dorso nigro-squamoso; scutello cinereo-squamoso; elytris punctato-striatis; interstitiis granulatis, in dorso plaga lata, sub-triangulari, pone medium desinente, nigra, decoratis; femoribus obsolete dentatis, extus tibiisque nigro maculatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Cryptorhyncho ypsiloni magnitudine et statura similis, sed rostro longiore, thorace ante apicem magis dilatato, utrinque longitudinaliter impresso et nigredine elytrorum magis elongata facile distinctus. Caput rotundatum, convexum, nigro-squamosum, linea frontali orbitisque silaceo-squamosis; oculi depressi; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, valde arcuatum, sub-deplanatum, basi rugoso-punctatum et carinatum, dein subtilissime punctulatum, versus apicem perparum dilatatum; piceum nitidum. Antennæ ante medium rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, clava crassiuscula, ovata. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice supra parum productus, lobis ocularibus parvis, antice dimidio angustior, infra apicem subito coarctatus et transversim impressus, ante medium rotundato-ampliatus, postice paulo angustatus, basi bi-sinuatus, supra in dorso postico parum convexus, medio carinatus, utrinque longitudinaliter impressus, squamulis suberectis cervinis dense vestitus, dorso inter impressiones nigro-squamosus, hac nigredine ante apicem coarctata. Scutellum minutum, orbiculatum, dense cinereo-squamosum. Elytra antice thorace parum latiora et plus quam duplo longiora, sub-ovata, humeris obtuse angulatis, pone medium sensim angustata, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, minus profunde punctato-striata, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, costatis, omnibus squamulis erectis seriatis instructis; dense

cervino-squamosa, in dorso antico plaga magna communi, in medio angustata et lineari pone medium truncata et pone illam in sutura macula parva angustata, nigro-squamosis. Corpus subtus dense cervino-squamosum. Pedes longiusculi, dense cervino-squamosi et setulosi: femoribus parum incrassatis, obsolete dentatis, extus pone apicem nigro maculatis; tibiis basi nigro-squamosis.

RED.

59. C. PLAGIATUS. *Schh.*

Oblongo ovatus, niger, squamulis murinis vestitus; rostro breviore, basi carinato: thorace creberrime rugoso-punctato, intra apicem constricto, dorso obsolete carinato et denudato: elytris punctato-striatis, dorso macula communi, oblongo-quadrata, denudata, instructis: femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Erirhino æthiopi magnitudine fere æqualis. Caput dense murino-squamosum; oculi depressi; rostrum longitudine thoracis, validum, sub-teres, parum arcuatum, basi rugosum et carinatum, dein subtiliter punctulatum, apice sub-ampliatum; totum piceum, sub-nitidum. Antennæ paulo ante medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, scapo breviusculo, clava ovata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice angustior, apice supra modice productus, intra apicem coarctatus et transversim impressus, ante medium subito rotundato-ampliatus, postice parum angustatus, basi bi-sinuatus, supra postice paulo convexus, creberrime rugoso-punctatus, carina antice abbreviata instructus: squamulis murinis plerisque suberectis dense vestitus, dorso sub-denudatus. Scutellum minutum, parce griseo-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora eoque fere triplo longiora, basi sub-trisinuata, humeris obtuse angulatis, ab humeris versus apicem paulo angustata, apice attenuata, et singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde punctato-striata, interstitiis alternis paulo elevatioribus; dense murino-squamosa, in dorso antico plaga oblongo-quadrata, a sutura ultra medium protensa, denudata, interstitiis squamis albidis, erectis, seriatis, instructis. Corpus subtus dense murino-squamosum. Pedes longiusculi, squamis setulisque suberectis dense vestiti: femoribus parum clavatis, dente minuto, acuto, armatis. — RED.

60. C. Discicollis. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis umbrinis tectus; rostro valido; thorace minus crebre punctato, margine antico bi-, dorso transversim quadri-fasciculato, lateribus silaceo-squamosis; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis elevatioribus; macula in medio e intra apicem puncto, albidis, decoratis; femoribus acute dentatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. Chevrolat ad describendum benevolè communicatus.

Erirhino acridulo vix major. Caput remote punctatum, parce umbrino-squamosum; oculi depressi; rostrum longitudine thoracis, validum, punctulatum, piceum, sub-nitidum. Antennæ ante medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava crassiuscula, ovata. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice plus dimidio angustior, supra modice productus, lobis ocularibus parvis, ante medium subito latior, intra apicem coarctatus et transversim impressus, lateribus in medio parum rotundatus, postice non angustatus, basi bi-sinuatus, supra in dorso postico modice convexus, minus crebre, sat profunde punctatus, dense umbrino-squamosus, dorso anguste denudato, in margine antico fasciculi duo et in medio dorso quatuor, transversim positi, e squamis erectis formati, in lateribus utrinque linea lata pallido-squamosa. Scutellum minutum, ovatum, denudatum. Elytra antice thorace paulo latiora et plus duplo longiora, sub-ovata, basi sub-trisinuata, humeris antrorsum sub-prominulis, apice angustata et conjunctim rotundata, supra modice convexa, tenue striata et in striis sat profunde punctata, interstitiis seriatim umbrino-setosis, alternis elevatioribus; squamis umbrinis dense vestita, in singulo elytro in medio macula ad suturam aliaque intra apicem albido-squamosis. Corpus subtus dense griseo-squamosum. Pedes mediocres, minus validi, dense fusco-squamosi, setulisque albidis adspersi; femoribus parum clavatis, dente brevi, angusto et acuto armatis. — Rld.

61. C. Nebulosus. *Dejean.*

Sub-ovatus, niger, squamis albidis et brunneis variegatus; capite rude punctato: rostro crassiusculo: thorace confertim ruguloso, anguste carinato; elytris maculis tribus fuscis prope suturam decoratis, remote punctato-striatis: interstitiis alternis elevatioribus; femoribus dente parvo, obtuso, armatis.

Dejean. *Cat. Col. ed. prima.* p. 85; *ed. secunda.* p. 292.

Habitat Cayennæ. A Dom. Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura et facies fere *Cryptorhynchi mangiferæ*, sed parum major, thorace fortius rugoso-tuberculato, puncta striarum in elytris majora, magis remota, etc. Caput breve, valde convexum, punctis magnis, profundis, sub-remotis pertusum, interstitiis subtiliter alutaceis; nigrum, squamulis sparsis, setiformibus, cinereis, scabrum; oculi laterales, ovati, depressi, brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, feminæ sub-lineare, maris multo crassius, in utroque arcuatum, apice deplanatum, obsolete punctatum, nigrum, basi squamosum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, pilosæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior, apice bis emarginatus, lobis ocularibus longe productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bisinuatus, supra modice convexus, rugulis angustis, arcuatis, puncta profunda cingentibus, confertissime obsitus, in medio carinula angusta notatus; niger, squamulis angustis cinereis parce adspersus, et in carinula dorsali maculaque posteriori utrinque, squamis majoribus albidis, magis condensatis, præditus. Scutellum tuberculiforme, in emarginatura excavata situm, nigrum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-angulatis, ab humero versus apicem sensim angustata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, obsoletius striata et in striis punctis magnis, remotis impressa, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, sub-costatis, pone callum posticum impressa; nigra, squamulis albidis et ochraceis plagiatim variegata, prope suturam maculis tribus, nigro-fuscis, prima non procul a basi, secunda in medio et tertia ante apicem decorata, margine laterali medio sæpe denudato. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctatum, parce cinereo-squamulosum. Pedes elongati, nigro-picei; femoribus sub-linearibus, confertim punctatis, cinereo-squamulosis, subtus dente parvo, obtuso, armatis; tibiis

dense ochraceo-squamulosis; tarsis dilatatis, subtus pallido-spongiosis. — BHN.

62. C. ALBIPES. *Chevrolat.*

Oblongus, obscure ferrugineus; rostro arcuato, basi striolato-rugoso, thorace remote rude rugoso-punctato, carinato; elytris parum profunde bifariam punctato-striatis: interstitiis alternis elevatis, plaga magna disci albido-squamosa, ornatis; pedibus albido-squamosis; femoribus fusco maculatis, uni-dentatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Cryptorhyncho lapathi dimidio major, præsertim latior. Caput breve, convexum, rugoso-punctatum, obscure ferrugineum, squamulis raris pallidis adspersum; fronte inter oculos carinata; oculi magni, oblongi, haud prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, minus tenue, teres, arcuatum, ferrugineum, basi nonnihil crassius, ibique supra subtiliter striolato-rugosum, squamulis albidis parce obsitum, extrorsum nudum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, reflexo-marginatus, supra modice convexus, rude in dorso postico remote anterius magis crebre rugoso-punctatus, obscure ferrugineus, setulis erectis fuscis parce adspersus; in medio dorsi carinula modice elevata, instructus. Scutellum parvum, rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obliquis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, punctis parum profundis per paria approximatis striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis; obscure ferruginea, plaga magna, oblonga disci, nec sutura nec margine laterali adfixa, dense albido-squamosa. Corpus subtus rufo-ferrugineum, remote profunde punctatum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, dense albido-squamosi; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis, posterioribus supra ante medium macula obscure umbrina ornatis; tibiis rectis: tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 63. C. HÆMORRHOES. *Fabricius.*

Ovalis, niger, squamulis dilute cervinis vestitus; fronte bis impressa; rostro tenui, valde arcuato, basi crassiore striolato-rugoso, ibique carinato: thorace transverso, confertissime punctulato, carinato, antice subito angustato: elytris bifariam obsolete punctato-striatis: interstitiis alternis elevatis, carinatis, apice sub-acuminatis; femoribus anterioribus uni-posticis bi-dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 470. 153.

Patria: America meridionalis. A Dom. LUND benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho frigido vix longior, sed in elytris angustior. Caput breve, modice convexum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, squamulis læte cervinis obsitum; fronte utrinque foveola parva insculpta, medio tenuiter carinata; oculi laterales approximati, oblongi, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, valde arcuatum, basi crassius, apice deplanatum, subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, basi tenue striolato-punctatum, carinatum, squamosum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblonga, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice subito angustior, apice utrinque late emarginatus, lobis ocularibus modice productis; lateribus pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra paulo convexus, confertissime punctulatus, in medio carinula angusta notatus, niger, dorso parce lateribus dense læte silaceo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, opacum, obsolete ruguloso-punctatum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis, non elevatis; ab humero versus apicem sensim angustata, apice ipso singulatim sub-acuminata, thorace vix triplo longiora, supra in dorso parum convexa, postice declivia, bifariam parum profunde punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis cum sutura elevatioribus, carinatis; nigra, squamulis unicoloribus læte cervinis dense tecta. Corpus subtus crebre punctatum, nigrum, squamulis læte cervinis vel silaceis sat dense obsitum. Pedes elongati, nigri, dense silaceo-squamosi; femoribus paulo clavatis, anterioribus uni-posticis bi-dentatis, dente exteriore parvo, obsoleto; tibiis sub-compressis, posticis curvatis; tarsis modice dilatatis, subtus silaceo-spongiosis.

BHN.

* 64. C. DUPLICATUS. *Schh.*

Ovalis, nigro-piceus, squamulis setisque umbrinis et ochraceis variegatus; oculis approximatis; rostro longiusculo, tenui, valde arcuato, basi carinato et sulcato, versus apicem attenuato; thorace transverso, sub-conico, dorso carinato, macula ante scutellum aliaque utrinque laterali albido-squamosis; canali pectorali longius protenso; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis costatis; femoribus anticis uni-posterioribus bi-dentatis.

Patria : Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus.

Cryptorhyncho hæmorrhoei proxime similis. Caput convexum, punctatum, orbitis impressis, vertice umbrino-squamoso; oculi paulo convexi, in fronte sub-approximati; rostrum thorace paulo longius, subtenue, teres, valde arcuatum, basi carinatum et striolatum, versus apicem læve, sub-attenuatum, rufo-piceum, nitidum. Antennæ ante medium rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, clava crassiuscula, ovata, acuminata, concolore. Thorax sub-conicus, latitudine postica fere duplo brevior, apice supra perparum rotundato-productus, pone oculos modice lobatus, antice basi fere duplo angustior, ab apice ultra medium sensim latior, dein vix angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, dorso carinatus, squamulis supra elongatis, suberectis, parcis, umbrinis et ochraceis variegatus, subtus squamis latioribus pallide ochraceis dense obsitus, macula ante scutellum aliaque utrinque in lateribus pallido-squamosis. Scutellum minutum ovatum, umbrino-squamosum. Elytra ovata, antice thorace dimidio latiora, quam lata fere duplo longiora, basi sub-trisinuata, humeris obtuse angulatis, a medio ad apicem sensim rotundato-angustata, apice ipso conjunctim rotundata; supra convexa, dorso antico planiuscula, punctato-striata, interstitiis alternis costatis, seriatim nigro-setosis, squamis parcis nigro-fuscis et ochraceis obsolete variegata. Corpus subtus opacum, punctatum parce fusco-squamosum. Pedes mediocres, minus crassi, fusco-squamosi; femoribus parum clavatis, anticis dente uno, posterioribus duobus, sub-acutis, exteriore minimo, armatis. — RLD.

* 65. C. ARMIPES. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis fusco-griseis dense tectus; rostro arcuato, ferrugineo, basi striolato-rugoso; thorace confertim parum profunde punctato, carinato, antice subito angustato; elytris obsolete remote fusco maculatis, subtiliter bifariam punctato-striatis; interstitiis alternis elevatis, carinatis, apice conjunctim sub-truncatis; femoribus omnibus bi-dentatis; tibiis basi arcuatis.

Patria: Insula St.-Vincent. A Dom. HOPE amice communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho hæmorrhoï certe affinis, nonnihil tamen angustior, magis convexus, fronte non foveolata, elytris fusco maculatis, apice sub-truncatis, femoribus omnibus bi-dentatis, ab illo mox distinctus. Caput breve, convexum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, parce fusco-squamosum; superciliis nonnihil elevatis; oculi laterales, ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, subtenue, teres, arcuatum, apice nonnihil deplanatum, vix vel obsoletissime punctulatum, ferrugineum, nitidum, glabrum, basi confertim striolato-rugosum, squamosum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice subito angustior, apice utrinque late et profunde emarginatus, lobis ocularibus longe productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra paulo convexus, confertim parum profunde punctatus, in medio carinula angusta, sat elevata, notatus; niger, squamulis fusco-griseis dense tectus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, obsolete ruguloso-punctatum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-angulatis; ab humero versus apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-truncata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, subtiliter bifariam punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, interstitiis alternis planis, alternis cum sutura elevatioribus, carinatis; nigra, squamulis fusco-griseis dense vestita, maculis nonnullis nigro-fuscis in dorso variegata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, laete cervino-squamosum. Pedes elongati, nigri, dense squamosi; femoribus modice clavatis, omnibus bi-dentatis, dente exteriore parvo, interiore valido, acuto; tibiis compressis, nonnihil arcuatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BOH.

66. C. BREVIS. *Chevrolat.*

Breviter ovalis, niger, fusco-squamosus et setosus: orbitis, thoracis lateribus elytrorumque macula sub humeris albido-squamosis; rostro valido, basi sulcato; thorace crebre punctato, carinato, medio 5-tuberculato, intra apicem transversim impresso; elytris valde convexis, tenue punctato-striatis; interstitiis alternis costatis, squamulis condensatis parcis albidis irregulariter irroratis: femoribus obsolete dentatis.

Patria: Alvarado in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Statura fere *Cioni scrophulariæ*, sed dimidio minor. Caput rotundatum, parum convexum, fusco-squamosum, orbitis supra densius verticeque albido squamosis; oculi majusculi, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, validum, modice arcuatum, teres, a basi ad medium sulcis pluribus exaratum, dein punctulatum; piceum, sub-nitidum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, obtusa, concolore. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice supra perparum rotundato-productus, lobis ocularibus obsoletis, antice basi duplo angustior, intra apicem coarctatus, lateribus ab apice ultra medium sensim latior, dein ad basin perparum ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra antice posticeque depressus, crebre, subtiliter punctatus, carina tenui, apicem thoracis haud attingente, medio elevatiori instructus, paulo ante medium tuberculis tribus obtusis transversim positis, alioque multo minore extra laterales insignitus; setulis squamulisque supra sparsis, nigris, subtus et lateribus densis, albidis, vestitus. Scutellum minutum, rotundatum. Elytra breviter ovata, basi tri-sinuata thorace fere dimidio latiora, triploque longiora, humeris paulo elevatis, sub-rectangulis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra valde convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis cum sutura costatis, costa 1 et 2 a sutura antice abbreviata, omnibus nigro-setulosis; sat dense fusco-squamosa, macula parva sub humeris albido-squamosa, squamisque nonnullis albidis præsertim in disco condensatis irrorata. Corpus subtus nigro-squamosum, pectore utrinque macula albido-squamosa ornato. Pedes mediocres, nigro-squamosi et setulosi hinc illinc albido maculati; femoribus parum clavatis, dente minuto acuto armatis; tarsis longiusculis, fusco-ferrugineis. — RLD.

67. C. COECUS. *Fabricius.*

Ovalis, nigro-piceus, cinereo-squamosus; oculis in fronte sub-approximatis; fronte utrinque foveolata, medio carinata; thorace convexo, confertim punctato, anguste carinato, basi brunneo-squamoso, antice ocellis duobus magnis, pallido-squamosis, decorato; canali pectorali longius protenso: elytris basi apiceque brunneo-squamosis, subtiliter bifariam punctato-striatis; interstitiis alternis elevatioribus, sub-carinatis; femoribus acute dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 469. 149.

Patria: America meridionalis. Dom. SCHMIDT. Ex Musæo Regio Danico ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho mangiferæ paulo minor. Caput rotundatum, crassum, supra convexum, inæquale, rugoso-punctatum, nigro-piceum, squamulis læte brunneis adspersum: superciliis nonnihil elevatis: fronte ad basin rostri utrinque foveola parva insculpta, medio carinata; oculi sat magni, ovati, in fronte sub-approximati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, teres, arcuatum, apice nonnihil deplanatum, obsolete punctulatum, fusco-ferrugineum, nitidum, glabrum, basi confertim ruguloso-punctatum, squamulosum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, lobis ocularibus modice productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim parum profunde punctatus, in medio carinula angusta, modice elevata notatus, basi brunneo-apice et subtus pallido-squamosus, antice maculis duabus ocellaribus, magnis, e squamulis pallidioribus, decoratus. Scutellum rotundatum, nigrum, brunneo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, ab humero versus apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, subtiliter bifariam punctato-striata, punctis striarum remotis, interstitiis alternis planis, alternis cum sutura elevatioribus, sub-costatis; nigro-picea, squamulis cinereis densissime tecta, basi apiceque brunneo-squamosa, præterea setulis brevissimis, pallidis, parce adspersa. Corpus subtus rufo-piceum, crebre punctatum, punctis squamulis læte miniatis repletis. Pedes elongati,

picei, squamulis cinereis vestiti; femoribus sub-linearibus, dente acuto armatis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 68. C. CUCULLATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, dense cinereo-squamosus; thoracis dorso elytrorumque basi plaga magna triangulari fusco-squamosis; capite utrinque arcu parum elevato; rostro tenuiusculo antennisque rufo-piceis; thorace medio carinato; elytris valde convexis, punctato-striatis; interstitiis alternis carinatis, lateribus fusco tinctis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM amicissime communicatus. Mus. SCHH.

Ciono scrophulariæ parum major. Caput convexum, inæquale, vertice arcu obsoleto elevato, medio interrupto, instructo, fronte foveola lata impressa; totum dense cinereo-squamosum, oculi majusculi, parum convexi; rostrum thorace paulo longius, tenuiusculum, teres modice arcuatum, rufo-piceum, basi cinereo-squamosum, dein punctatum, nitidum. Antennæ parum pone medium rostri sitæ, tenuiusculæ, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice basi fere duplo angustior, apice supra modice rotundato-productus, pone oculos nonnihil lobatus, versus basin sensim latior, lateribus paulo rotundatus, basi bi-sinuatus; supra paulo convexus, inæqualis, supra longitudinaliter obsolete bis impressus, medio carinatus, squamis cinereis dense vestitus, dorso toto nigro-fusco, squamulis pallidis hinc illinc adsperso. Scutellum rotundatum, cinereo-squamosum. Elytra breviter ovata, antice thoracis basi fere dimidio latiora, et eo plus duplo longiora, basi leviter tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, apice conjunctim sub-rotundata, supra valde convexa, parum profunde punctato-striata, interstitiis alternis cum sutura carinatis; nigra, dense cinereo-squamosa, in dorso antico plaga triangularis fere æquilatera fusco-squamosa, et in lateribus plaga oblonga dilute fusca. Corpus subtus dense cinereo-squamosum, canali pectorali longius protenso. Pedes longiusculi, validi, dense cinereo-fuscoque squamosi; femoribus parum clavatis, dente minuto armatis. — RLD.

* 69. C. AVERSANDUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense griseo-squamosus: antennis ferrugineis: fronte late impressa: rostro breviori, crassiusculo, modice arcuato: thorace inæquali, late tri-sulcato: elytris subtiliter punctato-striatis: interstitiis alternis modice elevatis, postice transversim tuberculis fasciculatis obsitis: femoribus uni-tibiisque intus bi-dentatis.

Habitat in insula Java. A Dom. DE HAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi paulo major. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, squamulis griseis densissime tectum; fronte late sed minus profunde impressa; oculi ovati transversi, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, supra fere planum, squamulis griseis densissime tectum, setulis nonnullis crassis, erectis, pallidis, adspersum. Antennæ pone medium rostri sitæ, crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava sub-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior antice parum rotundato-productus, mox pone apicem coarctatus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice bi-sinuatus, tenue marginatus, supra parum convexus, inæqualis, dorso late et sat profunde tri-sulcatus; totus niger, squamulis griseis dense tectus, setulis crassis, fuscis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, griseo-squamosum. Elytra basi vix rotundato-producta, antice thorace dimidio fere latiora et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus fere linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis parum elevatis, postice tuberculis majoribus et minoribus setis brevibus, crassis, fuscis fasciculatis, transversim obsita, præterea in dorso hinc illinc setulis nonnullis crassis adspersa; tota nigra, squamulis unicoloribus griseis densissime vestita. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, dense griseo-squamosum. Pedes mediocres, robusti, nigri, squamulis griseis tecti, setulis albidis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente parvo armatis; tibiis sub-compressis, omnibus intus dentibus duobus acuminatis instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

70. C. Albifrons. *Schh.*

Ovalis, niger, fusco-brunneo-squamosus; vertice macula magna, antice emarginata, albido-squamosa, decorato; rostro arcuato, basi striolato-rugoso: thorace confertim parum profunde rugoso-punctato, medio carinato; elytris bifariam punctato-striatis; interstitiis alternis planis, alternis carinatis, puncto disci ante medium albido decoratis; femoribus bi-dentatis.

Patria: Brasilia. Ex musæo Dom. Faldermann ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Balanini villosi. Cryptorhyncho verticali* similis, nonnihil tamen minor, præsertim angustior, macula albida capitis in vertice sita, antice emarginata, rostro non sulcato, thorace subtiliter crebre rugoso-punctato, femoribus bi-dentatis, ab illo abunde distinctus. Caput breve, valde convexum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, squamulis fuscis adspersum; vertice macula magna, antice profunde emarginata, albido-squamosa, decorato; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, arcuatum, apice deplanatum, rufo-piceum, nitidum, glabrum, vix punctatum, basi tamen crebre striolato-rugosum, parce fusco-squamosum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga acuminata, dilutiore. Thorax latitudine postica brevior, antice subito angustior, apice utrinque late et profunde emarginatus, lobis ocularibus parum productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra paulo convexus, confertim minus profunde ruguloso-punctatus, in medio carinula angusta, modice elevata, notatus; niger, squamulis fusco-brunneis sat dense adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, parce squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis; ab humero versus apicem sensim angustata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, mediocriter punctato-striata, punctis striarum sub-remotis; interstitiis alternis planis, alternis cum sutura elevatis, carinatis; nigra, squamulis fusco-umbrinis sat dense obsita, in disco ante medium macula parva, albida, decorata. Corpus subtus sub-remote punctulatum, nigrum, squamulis fusco-brunneis adspersum. Pedes elongati, nigri, sat dense fusco-umbrino squamosi; femoribus modice clavatis, subtus

bi-dentatis, dente exteriore parvo, obsoleto; tibiis sub-compressis, fere rectis: tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BOH.

71. C. MINIATUS. *Dejean.*

Ovalis, ferrugineus, squamulis miniatis maculatim variegatus; rostro arcuato, striolato-rugoso; thorace confertim punctato, carinato, utrinque impresso, lateribus albo-squamosis; elytris punctis ocellaribus striatis, costis tribus elevatis; femoribus obsolete dentatis.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 293.

Habitat ad Montevideo Brasiliæ. A Dom. SCHUEPPEL missus. Mus. GYLLENH.; ad Buenos Ayres; ab Ill. Com. DEJEAN communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Cryptorhynchi lapathi*, sed dimidio minor. Caput parvum, globosum, ferrugineum, confertim punctulatum, squamulis miniatis parce adspersum; oculi globosi, parum prominuli, nigri; rostrum thorace perparum longius, teres, minus crassum, valde arcuatum, ferrugineum, striolato-rugosum, apice dilutius ferrugineum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, thoracis medium attingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, mox pone apicem valde constrictus, transversim impressus, lateribus parum rotundatus, basi obsolete bi-sinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, undique sat confertim punctatus, carinula elevata longitudinali præditus, in medio dorsi utrinque foveola parum profunda, oblonga, transversim posita, notatus, squamulis miniatis maculatim condensatis adspersus, versus latera squamulis sordide albidis, dense tectus. Scutellum rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi nonnihil latiora, et illo triplo longiora, humeris, obtuse rotundatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, punctis oblongis, per paria approximatis striata, squama ferruginea repletis, costis utrinque tribus acutis; tota ferruginea, squamulis miniatis, maculatim condensatis, variegata. Corpus subtus ferrugineum, confertim punctatum, punctis squamulis miniatis repletis. Pedes elongati, ferruginei, punctati, squamulis miniatis obsiti, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus medice clavatis, subtus in medio obsolete dentatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

* 72. C. FRIGIDUS. *Fabricius.*

Ovatus, convexus, fusco-piceus, squamulis cervinis atrisque variegatus: rostro breviusculo, validiusculo, arcuato, profunde rugoso-punctato, medio carinato; thorace brevi, basi obsolete carinato; elytris sat profunde punctato-striatis; interstitiis alternis sub-elevatis, maculis atro-holosericeis tessellatis; singulo elytro pone humeros plaga obliqua dilutiore decorato: femoribus acute dentatis.

Rhynchænus id. FABR *Syst. El.* II. p. 470. 158.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 431. 156. — MANT. *Ins.* II. *App.* p. 381. 89-90.
LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1772. 548.

Patria : India orientalis, Bengalia, Java, Madagascar, Nova Hollandia.

Cryptorhyncho mangiferæ similis, sed dimidio fere minor, in elytris brevior et convexior, interstitia striarum in elytris alterna magis elevata, unde certe diversus. Caput parvum cervino-squamosum; oculi ovati, parum convexi, demissi; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, modice arcuatum, sat profunde punctatum, medio obsolete carinatum, nigro-fuscum, sub-nitidum, basi parce squamosum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fusco-ferrugineæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine baseos fere duplo brevior, apice supra parum rotundato-productus, infra oculos modice lobatus, antice basi duplo angustior, intra apicem sub-constrictus, lateribus ad basin modice rotundato-ampliatus, basi latior, bi-sinuatus, supra parum convexus, punctatus, basi carina obsolete instructus, squamis cervinis nigrisque variegatus. Scutellum rotundatum, cervino-squamosum. Elytra ovata, antice thoracis basi plus dimidio latiora, quam lata vix duplo longiora, basi leviter tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, apice attenuata et singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa, punctis sub-quadratis, sat profundis, seriatis, exarata, interstitiis convexis, alternis paulo elevatioribus; fusco-picea, squamulis cervinis et fuscis variegata, maculis nigris hinc illinc adspersa, pone humeros plaga magna obliqua indeterminata, intus deorsum extensa, e squamis dilutioribus formata, decorata. Corpus subtus parce cinereo-squamosum. Pedes mediocres, validi, dense cervino-squamosi; femoribus modice clavatis, dente minuto, acuto, armatis; tibiis compressis, basi curvatis. — RLD.

Observ. Variat corpore dilutiore, forte nuper exclusus.

Sub nomine supra allato hæc species asservatur et in Mus. Reg. Dan. et in Mus. Paykull : ex quo specimen ad describendum Fabricio communicatum fuit.

* 73. C. UMBROSUS. *Dejean.*

Ovalis, niger, squamulis obscure umbrinis tectus; rostro modice arcuato, basi carinato; thorace sat crebre punctato, carinula elevata, antice abbreviata notato, squamulis erectis, atris, adsperso; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis sub-convexis: singulo elytro dorso antico atro-maculato, vitta obliqua pallida decorato; femoribus bidentatis.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 293.

Cryptorhynchus obliquus. SAY. Descript. of Curc. of N. America. p. 28. 5.

Patria: America borealis. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cryptorhynchi lapathi.* Caput globosum, nigrum, crebre rugoso-punctatum, squamulis brunneis in fronte magis condensatis adspersum; vertice obsolete carinato; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, apice nonnihil deplanatum, nigrum, a basi ad medium carinatum, profunde punctatum, squamulis umbrinis adspersum, dein apicem versus punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriore, pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late sed parum pr funde emarginatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, sat crebre sed minus profunde punctatus, carinula longitudinali, sat elevata, antice abbreviata, notatus, squamulis obscure umbrinis tectus, præterea squamulis erectis, setiformibus, atris, parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse rotundatis, non elevatis; lateribus inflexa, thorace triplo longiora, versus apicem sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata. supra convexa, postice declivia, regulariter parum profunde punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis modice eleva-

tis, sub-convexis; tota squamulis obscure umbrinis dense tecta; singulo elytro inter strias 2 et 3 in dorso antico lineolis duabus, abbreviatis, atris, et inter strias 4 et 5 prope basin macula parva, ejusdem coloris; pone humeros vitta obliqua e squamulis pallidioribus decorata. Corpus subtus nigrum, remote sat profunde punctatum, squamulis umbrinis parce adspersum. Pedes elongati, nigri, crebre punctati, squamulis umbrinis vestiti; femoribus modice clavatis, subtus pone medium bi-denticulatis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 74. C. TURPICULUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cervinis variegatus; rostro modice arcuato, basi carinato; thorace remote rugoso-punctato, carinato: elytris sat profunde punctato-striatis; interstitiis alternis modice elevatis, arcuatis, tertio a sutura tri-tuberculato; singulo elytro macula supra-humerali et alia in dorso postico pallido-squamosis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. de WINTHEM communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi duplo major. Caput rotundatum, nigrum, obscurum, sat crebre rugoso-punctatum, squamulis brunneis parce adspersum, inter oculos impressum; oculi sat magni, ovati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, basi carinatum, remote profunde rugoso-punctatum, dein subtiliter remote punctulatum, nitidum. Antennæ ante medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongato-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice utrinque late et profunde emarginatus, lateribus a basi ultra medium fere rectis, tum subito angustatis, antice constrictus, postice bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, remote parum profunde rugoso-punctatus, evidenter carinatus, utrinque versus latera tuberculo obsoleto munitus, squamulis dilute cervinis setulisque crassis, erectis, atris, adspersus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, supra impressum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, latitudine plus duplo longiora, humeris oblique obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, sat profunde striato-punctata,

interstitiis alternis modice elevatis, ante medium arcuatis, interstitio 3° a sutura carinulis tribus, abbreviatis, setiferis, instructo: tota nigra, squamulis cervinis parce adspersa; singulo elytro supra humeros, macula magna, et longe pone medium in dorso alia, sub-rotunda, e squamulis condensatis pallidis. Corpus subtus nigrum, sat profunde punctatum, punctis squamulis cervinis repletis. Pedes elongati, robusti, nigri, punctati, setulis crassis, atris cervinis et albidis variegati; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto, armatis; tibiis sub-compressis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BEH.

* 75. C. FRONTALIS. *Klug.*

Ovalis, niger, squamulis brunneis et cervinis variegatus; fronte profunde impressa; vertice pallido-squamoso; rostro striolato-rugoso; thorace lato, sex-tuberculato, lobis ocularibus valde productis, macula ante-scutellari pallida decorato; elytris bifariam punctato-striatis; interstitiis alternis dorso elevatis, sub-tuberculatis; femoribus acute dentatis.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 293.

Cryptorhynchus hexacanthus. GERMAR, teste Dom. Com. DEJEAN.

Patria: Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Conotrachelo verticali nonnihil longior et angustior. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, squamulis dilute cervinis dense tectum; fronte inter oculos longitudinaliter late impressa; vertice macula magna, pallido-squamosa decorato; oculi ovati, depressi, nigri, sub lobo producto thoracis fere occultati; rostrum longitudine thoracis inflexum, minus tenue, arcuatum, basi striolato-rugosum, squamulis cervinis adspersum, dein glabrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, pubescente. Thorax brevis, transversus, latitudine baseos multo brevior, lateribus modice rotundatus, apice utrinque late emarginatus, lobis ocularibus longe productis; antrorsum subito angustatus, transversim impressus et coarctatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, margine antico bi-medio transversim quadri-tuberculatus; totus niger, squamulis obscure umbrinis et cervinis variegatus et tectus, ante scutellum in ipsa basi macula e squamulis pallidis decoratus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum,

fusco-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thorace dimidio latiora et illo plus duplo longiora, humeris oblique angulatis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, subtiliter striato-punctata, punctis per paria approximatis, interstitiis alternis dorso parum elevatis, tuberculis nonnullis obtusis, remotis obsitis; nigra, umbrino cervinoque varia, macula parva humerali, pallida, ornata. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cervinis dense tectum. Pedes robusti, nigri, punctati, squamulis brunneis vestiti; femoribus modice clavatis, subtus pone medium acute dentatis; tibiis subrectis, compressis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fusco-spongiosis. — Bhn.

76. C. Sextuberculatus. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis brunneis cinereisque variegatus; rostro modice arcuato, fusco-ferrugineo, basi evidenter crebre punctato; thorace confertim punctato; dorso antico quadri-tuberculato; elytris subtiliter punctato-striatis; interstitiis carinatis, alternis paulo elevatioribus; singulo elytro in dorso antico costa abbreviata, medio interrupta, instructo; femoribus acute dentatis.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 465. 133.

Habitat in America meridionali. Dom. Schmidt. Ex Musæo Regio Danico ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho frontali similis. Caput rotundatum, supra modice convexum, confertim punctulatum, nigrum, squamulis brunneis et cinereis mixtis tectum; oculi sat magni, laterales, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, modice arcuatum, teres, fusco-ferrugineum, nitidum, basi evidenter crebre punctulatum, silaceo-squamosum, dein apicem versus subtilissime punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, dilute ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, parum acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, lateribus paulo rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim parum profunde punctatus, dorso antico tuberculis quatuor, modice elevatis, obtusis, setiferis, quadratim positis, instructus; totus niger, squamulis læte brunneis tectus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, parce squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice truncata, thoracis basi

nonnihil latiora, humeris sub-rectangulis, paulo elevatis; lateribus inflexa, a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, parum profunde sulcata, et in sulcis subtiliter seriatim punctata, interstitiis convexis, sub-carinatis; non procul a basi et sutura tuberculo parum elevato, obtuso, instructa; tota nigra, squamulis brunneis cinereisque maculatim mixtis, tecta et variegata, setulis brevissimis albidis, adspersa. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigro-piceum, squamulis silaceis vestitum. Pedes mediocres, cervino-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis medio fusco annulatis; tarsis brevibus, ferrugineis, paulo dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 77. C. MISELLUS. *Schh.*

Ovalis, niger, supra squamulis atris subtus griseis vestitus; antennis rostro tarsisque obscure ferrugineis; rostro basi striolato-rugoso, modice arcuato; thorace rugoso-punctato; elytris bifariam subtiliter striato-punctatis; interstitiis alternis elevatis, carinatis; in medio linea obliqua, indeterminata, albido-squamosa; femoribus obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Conotracheli verticalis*, sed dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, nigrum, squamulis fuscis dense tectum; oculi ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, tenue, teres, modice arcuatum, obscure ferrugineum, a basi fere ad medium striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice utrinque late sed parum profunde emarginatus, mox pone apicem leviter coarctatus, lateribus versus basin sensim ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sat crebre punctatus, squamulis atris vestitus, setulis crassis, erectis, fuscis, adspersus, Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, atro-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora et illo duplo longiora, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim angus-

tata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter bifariam striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis carinatis; tota nigra, squamulis atris vestita; in medio dorso linea obliqua deorsum versus suturam versa, indeterminate albido-squamosa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis griseis tectum. Pedes mediocres, nigri, punctati, squamulis griseis dense obsiti; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente parvo, obsoleto, armatis; tibiis sub-compressis, fere rectis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 78. C. Apiculatus. *Say.*

Ovatus, niger, squamositate densa cinereo-albida inæqualiter vestitus; rostro antennisque rufo-ferrugineis; thorace antice transversim impresso, postice leviter carinato, dorso fasciculato; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis elevatioribus, tuberculatis, postice dimidiatim fusco-squamosis; femoribus obsolete dentatis.

Rhynchænus id. Dom. Say *in Littteris.*

Patria : America septentrionalis, Florida. A Dom. Say amice communicatus. Mus. Schh.

Parvus, *Cryptorhyncho argulæ* æqualis. Caput rotundatum, convexum, nigrum, squamositate densa cinerea tectum, setulisque nonnullis erectis in fronte adspersum; oculi ovati, nigri, parum convexi; rostrum capite duplo longius, latum, tenue, nonnihil arcuatum, disperse punctulatum, rufo-ferrugineum, basi squamulosum, extrorsum nudum, nitidum. Antennæ breviusculæ, rufo-ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice bis profunde emarginatus, lobo medio producto, rotundato; longe intra apicem late et profunde transversim impressus, lateribus pone impressionem subito rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, inæqualis, posterius in medio leviter carinatus, tuberculis nonnullis parvis, acutis, fasciculisque setosis obsitus, niger, squamositate densa cinereo-albida vestitus. Scutellum rotundatum, elevatum, squamulosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis, parum antrorsum prominulis; lateribus non ampliata, prope apicem sinuata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, obsolete, sub-remote punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus, tuberculis spiniformibus, sub-fasciculatis obsitis, præsertim posterius: nigra,

anterius squamositate densa cinereo-albida vestita, posterius fusco-squamulosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamulosum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-squamosi: femoribus parum crassis, posticis subtus dente minuto obsitis: tibiis compressis, rectis; tarsis vix dilatatis, piceis. — GYLL.

* 79. C. PUMILUS. *Dejean.*

Oblongus, niger, umbrino-squamosus; rostro modice arcuato, basi carinato, oculis approximatis, glaucis: thorace profunde crebre rugoso-punctato: elytris subtiliter bifariam punctato-striatis; interstitiis alternis modice elevatis: femoribus obsolete dentatis.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2 p. 293.

Habitat in America boreali. A Dom. Com. DEJEAN missus. Mus. SCHH.

Minutus; magnitudo *Erirhini pectoralis.* Caput rotundatum, nigrum, obsolete punctulatum; oculi oblongi, transversi, in fronte approximati, modice prominuli, glauci; rostrum longitudine fere thoracis, minus tenue, modice arcuatum, nigrum, glabrum, nitidum, basi obsolete carinatum, profunde punctatum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, apice utrinque emarginatus, anterius nonnihil angustatus, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim profunde rugoso-punctatus, squamulis griseis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra oblonga, antice thorace dimidio latiora, et illo fere triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, subtiliter striato-punctata, punctis per paria approximatis, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis, interruptis: nigra, squamulis unicoloribus fusco-griseis tecta. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, squamulis griseis obsitum. Pedes robusti, nigri, punctati; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente obsoleto, armatis; tibiis sub-arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

80. C. Pavefactus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra fusco-subtus griseo-squamosus, spinulis erectis fuscis muricatus; rostro obscure ferrugineo, modice, arcuato, evidenter confertim punctulato: thorace latiore, supra fere plano; elytris subtiliter punctato-striatis: interstitiis alternis elevatioribus; plaga communi in dorso fasciaque obsoleta pone medium griseo-squamosis; femoribus posticis dentatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. Faldermann ad describendum communicatus.

Erirhino pectorali magnitudine æqualis; *Cryptorhyncho setigero* magnitudine et statura subsimilis, aliter coloratus; thorace latiore, non canaliculato, femoribus posticis dentatis, ab illo facile distinctus. Caput breve, convexum, nigrum, fusco-squamosum; oculi laterales, ovati, depressi, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, obscure ferrugineum evidenter etsi subtiliter crebre punctulatum, basi fusco-squamosum, apice denudatum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava parva, ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustatus, apice bis emarginatus, lobis ocularibus parum productis; lateribus pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, fere planus, confertim ruguloso-punctatus, niger, fusco-squamosus et setulis brevibus, crassis, erectis, obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora, quam lata duplo longiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, postice declivia, evidenter etsi subtiliter striato-punctata, interstitiis alternis elevatis, setulis crassis, aculeiformibus, nigro-fuscis seriatim obsitis; nigra, squamulis nigro-fuscis tecta, plaga sat magna dorsali ante medium, fasciaque obsoleta, postica, transversa, cinereo-squamosis, ornata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, griseo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, griseo-squamulosi; femoribus modice clavatis, posticis subtus dente minuto obsitis; tibiis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fusco-spongiosis. — Bhn.

**** *Elytra inæqualia vel tuberculata.*

* 81. C. Horridus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-squamosus: vertice fronteque profunde impressis; rostro deplanato, modice arcuato; thorace medio longitudinaliter impresso: dorso antico valide quadri-tuberculato, tuberculis fusco-setosis; elytris minus regulariter punctato-striatis, tuberculis majoribus et minoribus mixtis obsitis: femoribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. Faldermann amice communicatus. Mus. Schh.

Longitudo *Cryptorhynchi lapathi*, nonnihil latior, magis convexus. Caput breve, convexum, obsolete punctatum, nigrum, dense cinereo-squamosum; vertice profundius fronte leviter impressis, squamulis sparsis setiformibus fuscis adspersis; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, minus tenue, modice arcuatum, supra deplanatum, basi profundius punctatum, obsolete carinatum, cinereo-squamosum, dein apicem versus subtilissime punctulatum, glabrum, sub-nitidum; totum nigro-piceum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice utrinque emarginatus, lobo supra medio producto, ocularibus longe prominulis; antice nonnihil angustior, intra apicem constrictus, lateribus obliquis, vix rotundatis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, medio longitudinaliter impressus, dorso antico tuberculis quatuor validis quadratim positis, fusco-setosis, instructus, utrinque in medio gibbere obtuso notatus; niger, obsolete punctulatus, cinereo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, cinereo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris obtuse rotundatis, sub-elevatis; ab humero ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, minus regulariter sed rude punctato-striata, dorso tuberculis pluribus majoribus et minoribus, fusco-setosis obsita, singulo elytro prope suturam tuberculis duobus, validis, obtusis, instructa, primo non procul a basi, altero mox pone medium; tota nigra, dense cinereo-squamosa, setulis spiniformibus fuscis parce adspersa. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, squamulis cinereo-albidis dense vestitum. Pedes elongati, validi, nigri, dense cinereo-squamosi et albido-setosi; femoribus modice clavatis,

subtus dente obtuso armatis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — Bhn.

82. C. Septemtuberculatus. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-squamosus; setis spiniformibus, fuscis, parce adspersus; rostro brevi, crassiusculo, parum arcuato, confertim rugoso-punctato, squamoso; thorace postice obsolete bi-sinuato, sub-remote punctato, medio transversim obtuse quadri-tuberculato; elytris minus regulariter punctato-striatis prope suturam tri-tuberculatis; femoribus acute dentatis.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 468. 148.

Patria: America meridionalis. Dom. Schmidt. Ex Musæo Regio Danico ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil minor. Caput breve, supra convexum, punctulatum, nigrum, dense griseo-squamosum, setulis raris spiniformibus fuscis adspersum; oculi laterales, sub-rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, validum, parum arcuatum, confertim ruguloso-punctatum, nigro-piceum, opacum, basi dense apicem versus parcius griseo-squamosum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, minus tenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice utrinque bi-sinuatus, lobo medio supra obtuse producto, lobis ocularibus modice prominulis; anterius angustior, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi obsolete bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis parum profundis, sub-remotis, impressus, in medio dorsi tuberculis quatuor parum elevatis, obtusis, transversim positis, notatus; niger, squamulis griseis dense tectus, setulis spiniformibus fuscis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, griseo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-angulatis, a basi ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, postice modice declivia, sat profunde minus regulariter punctato-striata, interstitiis sub-convexis; præterea tubercula tria elevata, obtusa, ad suturam longitudinaliter posita, notata; nigra, squamulis griseis dense vestita, setulis spiniformibus fuscis parce adspersa. Corpus subtus sub-remote punctulatum, nigrum, griseo-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, griseo-squamosi et albido-setulosi; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto

armatis; tibiis sub-compressis, basi nonnihil arcuatis; tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 83. C. INDECORUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra squamulis densis nigro-fuscis, setulisque brevibus sparsis nigris vestitus, subtus griseo-squamosus; rostro breviusculo, crassiusculo, subrecto, crebre rugoso-punctato, medio sub-angustato; antennis ferrugineis; thorace crebre punctato, obsoletissime carinato, basi sub-truncato; elytris striato-punctatis, interstitio secundo sub-costato, bis interrupto; medio macula grisea notatis; femoribus posterioribus sub-acute dentatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benigne communicatus. Mus. SCHH.

Erirhino tremulæ magnitudine æqualis. Caput majusculum, nigrum, sordide griseo-squamosum; oculi sat distantes, demissi, sub-depressi; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, subrectum, medio paulo angustatum, supra planiusculum, rugoso-punctatum, basi griseo-squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, validiusculæ, breves, ferrugineæ, scapo breviusculo, clava oblongo-ovata, obtusa. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice supra modice rotundato-productus et pone oculos valde lobatus, antice plus dimidio angustior, medio rotundato-ampliatus, basi parum angustatus, sub-truncatus, supra parum convexus, crebre punctatus, medio obsoletissime carinatus, squamulis nigro-fuscis dense vestitus, intermixtis nonnullis oblongis suberectis nigris. Scutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum. Elytra antice thorace dimidio latiora triploque fere longiora, basi singulatim parum rotundata, humeris obtuse angulatis, medio non latiora, apice angustata, et conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, sub-inæqualia, parum profunde striato-punctata, punctis squamula repletis, interstitiis sub-convexis, secundo a sutura sub-costato, irregulariter interrupto; squamulis nigro-fuscis dense vestita, squamisque elongatis, spinæformibus suberectis parce adspersa, in medio singuli elytri macula obliqua aliaque ad marginem paulo posterius indeterminate pallido-squamosis. Corpus subtus dense griseo-squamosum. Pedes mediocres, validiusculi, dense griseo-squamosi; femoribus clavatis, anticis sub-muticis, posterioribus dente lato, acuto, armatis; tibiis basi curvatis. — BLD.

* 84. C. Rigidus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, silaceo-squamosus, supra squamulis, suberectis, fulvis atrisque insuper parce adspersus; rostro breviusculo, crassiusculo, subrecto, medio angustato; thorace crebre subtiliter punctulato, obsolete carinato; dorso denudato, atro bi-fasciculato; elytris dorso nigro-squamosis; macula humerali fasciaque ante-apicali communi silaceo-squamosis, tenue punctato-striatis; interstitiis internis sub-tuberculatis; femoribus posterioribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim amice communicatus. Mus. Schh.

Erirhino tremulæ magnitudine æqualis. Caput punctatum, silaceo-squamosum; oculi sat distantes, depressi; rostrum thorace paulo brevius, crassiusculum, fere rectum, medio angustatum, sub-complanatum, rufo-piceum, crebre rugoso-punctatum, basi silaceo-squamosum. Antennæ in medio rostri insertæ, breviusculæ, subtenues, ferrugineæ, clava crassiuscula ovata, apice obtusa. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice supra modice rotundato-productus et pone oculos lobatus, antice dimidio angustior, lateribus ad medium sensim latior, postice parum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, crebre subtiliter punctulatus, medio carina obsoleta utrinque abbreviata instructus, niger, opacus, in medio dorso fasciculis duobus, nigro-setosis obsitus, subtus lateribusque dense silaceo-squamosus, supra denudatus, squamulis suberectis, nigris fulvisque parce adspersus. Scutellum minutum, ovale. Elytra sub-ovata, antice thorace latiora, latitudine sua duplo longiora, basi singulatim nonnihil rotundata, humeris obtuse angulatis, apice attenuata, et conjunctim sub-rotundata, supra præsertim pone medium convexa, apice subito declivia, tenue remote punctato-striata, punctis squamula fulva repletis, interstitiis planis, setis suberectis instructis, 1°, 2° et 5° sub-elevatis interruptis et tuberculis nonnullis parvis, squamam erectam singulis emittentibus, obsitis; nigra, squamis depressis, nigris, dense vestita, macula humerali oblonga, obliqua et intus directa, nonnullis disci fasciaque transversa, communi, intra apicem ramulum deorsum emittente, silaceo-squamosis. Corpus subtus dense griseo-squamosum. Pedes longiusculi, dense silaceo-squamosi; femoribus parum clavatis, anticis sub-muticis, posterioribus dente minuto, sub-obtuso, armatis; omnibus tibiisque basi fusco maculatis; tarsis ferrugineis. — Bld.

* 85. C. ASPER. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, squamulis cervinis dense tectus; antennis rufo-testaceis, fronte bi-fasciculata; rostro arcuato; thorace transversim elevato, sex-tuberculato, lateribus fere rectis, apice subito angustiore; elytris sub-globosis, subtiliter ocellato-striatis; interstitiis alternis dorsi tuberculatis; humeris rectangulis; femoribus dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. Dom. FALDERMANN et SCHH.

Magnitudo *Cioni scrophulariæ*; valde convexus. Caput globosum, nigrum, squamulis griseo-albidis, cervinis immixtis, tectum, inter oculos impressum; fronte utrinque tuberculo parvo instructa; oculi oblongi, transversi, parum prominentes, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, minus crassum, arcuatum, rufo-piceum, basi striolato-rugosum, squamulosum, dein glabrum, nitidum, obsoletissime punctulatum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, testaceæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice supra paulo rotundato-productus, lateribus longe ultra medium fere rectis, apice paulo angustatus, ibique leviter coarctatus, postice bi-sinuatus, supra valde convexus, in medio tuberculis sex transversim positis, dorsalibus magis elevatis; niger, squamulis densis cervinis tectus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra sub-globosa, antice thoracis basi fere duplo latiora, quam lata sesquilongiora, humeris porrectis, rectangulatis, lateribus inflexa, apicem versus perparum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, punctis parum profundis solitariis squama cervina farctis; striata, interstitiis alternis dorsi, obtuse tuberculatis; tota nigra, squamulis cervinis dense tecta, lineola utrinque in medio baseos pallidiore, notata. Corpus subtus dense silaceo-squamosum. Pedes elongati, squamulis setulisque pallidis dense tecti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, instructis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

Centuria 2. Corpus sub-cylindricum.

86. C. Nudirostris. *Chevrolat.*

Oblongus, sub-cylindricus, nigro-piceus, nitidus; capite, thorace subtus, pedibus, elytrorum macula transversa scutellari apiceque fulvo-squamosis; rostro breviusculo, subtiliter punctulato; thorace sub-conico, supra crebre rugoso-punctato, late carinato; elytris punctis remotis, rotundatis, sat profundis, seriatim impressis; femoribus acute dentatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Chevrolat ad describendum benigne communicatus.

Magnitudo *Lixi myagri* sed statura *Cryptorhynchi perinsignis.* Caput convexum, sat crebre et profunde punctatum, nitidum, squamis elongatis, fulvis minus dense adspersum; oculi sub-approximati, parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, validiusculum, parum arcuatum, sub-lineare, paulo complanatum, subtiliter punctulatum, nitidum, basi fulvo-squamosum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, subtenues, rufo-piceæ, clava ovata, obtusa. Thorax sub-conicus, latitudine baseos vix brevior, apice supra modice rotundato-productus, lobis ocularibus parvis, antice basi dimidio angustior, lateribus perparum rotundatis, basi profunde bi-sinuatus, supra æqualiter modice convexus, crebre sat profunde rugoso-punctatus, sed lateribus remote punctatus, carina medio latiore, antice abbreviata, instructus, nitidus, squamulis fulvis supra angustis et raris, subtus et ante scutellum ovatis et densioribus vestitus. Scutellum rotundatum. Elytra sub-cylindrica, basi sub-trisinuata et thorace parum latiora, sed fere triplo longiora, humeris antrorsum sub-prominulis, non callosis, ab humeris ad apicem sensim angustata, ante apicem utrinque impressa, sub-callosa, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, præsertim pone medium, apice subito declivia; tota subtilissime punctulata, præterea punctis, magnis, remotis, rotundatis, sat profundis seriatim impressa, interstitiis planis; nitida, pilis minutissimis, depressis, fulvis, adspersa, in basi interna macula transversa et in apice alia, magna, fulvo et umbrino-squamosis. Corpus subtus remote punctatum, parce squamosum. Pedes breviusculi, punctulati, nigri, squamis angustis, fulvis vestiti, intermedii breviores; femoribus parum clavatis, dente sub-acuto armatis; tibiis compressis, basi arcuatis. — Rld.

87. C. Strictus. *Chevrolat.*

Oblongus, sub-cylindricus, nigro-piceus, sub-nitidus; capite, thoracis lateribus, pedibus, elytrorum macula scutellari apiceque dense fulvo-squamosis; rostro breviusculo, subtiliter punctulato; thorace crebre undique rugoso-punctato, lateribus rotundato-ampliatis; elytris punctis oblongis, remotis, seriatim impressis; femoribus acute dentatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Chevrolat ad describendum amice missus.

Cryptorhyncho lapathi dimidio minor; *Cryptorhyncho nudirostri* similis, sed duplo fere minor, thorace haud carinato, lateribus ampliato et punctis elytrorum oblongis distinctus. Caput convexum, sat profunde et crebre punctatum, dense fulvo-squamosum; oculi in fronte sub-approximati, depressi; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, paulo arcuatum, sub-teres, crebre punctatum, nitidum, basi fulvo-squamosum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice supra lobisque ocularibus parum productis, antice basi plus dimidio angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice haud angustatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre, sat profunde rugoso-punctatus, sub-nitidus, squamulis fulvis, supra angustis et sparsis, ad scutellum subtusque imprimis ad marginem anticum ovatis et condensatis vestitus. Scutellum rotundatum. Elytra sub-cylindrica, basi singulatim obtuse rotundata, thorace paulo latiora et triplo longiora, humeris rotundatis, apicem versus sensim angustata, apice singulatim rotundata, supra valde convexa, præcipue pone medium, apice subito declivia, subtilissime punctulata, punctis insuper oblongis, sat profundis, remotis seriatim impressa, sub-nitida, pilis depressis fulvis parce adspersa, macula ad suturam indeterminata, apiceque dense fulvo-squamosis. Corpus subtus remote punctatum, parce squamosum. Pedes longiusculi, dense fulvo-squamosi; femoribus modice clavatis, dente acuto armatis; tibiis compressis, basi arcuatis. — Rld.

* 88. C. PERINSIGNIS. *Schh.*

Oblongus, sub-cylindricus, niger; capite profunde valde remote punctato; rostro subrecto, bi-sulcato; thorace remote scrobiculato; elytris subtiliter striato-punctatis, apice sub-retusis ibique helvolo et albido-squamosis; femoribus obtuse dentatis.

Cœlosternus cylindricus. DEJ. *Cat. Col. ed.* 2. p. 294. teste Dom. CHEVROLAT.

Patria : Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. SCHH.

Hylobio abietis nonnihil longior sed paulo angustior. Caput breve, valde convexum, punctis magnis, profundis, remotis pertusum, nigrum, sub-opacum, squamulis nonnullis piliformibus, silaceis, adspersum; oculi in fronte sub-approximati, ovati, modice prominuli, obscure brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, subtenue, fere rectum, apice deplanatum, a basi ad medium utrinque tenue sulcatum, sulcis basi fulvo-squamosis; undique subtiliter minus crebre punctatum, nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque late, sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix productis, antice subito angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, scrobiculis profundis, remotis, hinc inde confluentibus impressus; niger sub-opacus, setulis silaceis adspersus. Scutellum oblongo-ovatum, nigrum, opacum, impunctatum. Elytra sub-cylindrica, fere linearia, basi sub-truncata, antice thorace paulo latiora et illo fere quadruplo longiora, humeris obtuse rotundatis, apice conjunctim rotundata, supra valde convexa, postice sub-retusa, subtiliter striato-punctata; punctis remotis, interstitiis planis, sub-lævibus; nigra, sub-nitida, plaga obsoleta basali umbrino-squamosa apiceque late dense helvolo et albido-squamosa, cæterum squamulis sparsis silaceis adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, valde remote punctulatum, punctis setulis silaceis obsitis. Pedes longiusculi nigri, punctati, squamulis cervinis sat dense obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, omnibus subtus dente obtuso armatis; tibiis latiusculis, basi parum arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 89. C. CYLINDRACEUS. *Schh.*

Oblongus, sub-cylindricus, niger, opacus: rostro brevi, crassiusculo, arcuato, remote punctulato; thorace remote sed parum profunde rugoso-punctato; elytris punctis valde remotis, seriatim digestis impressis, plaga scutellari apiceque cervino-squamosis: femoribus acute dentatis.

Patria: Brasilia. Dom. FREYRLISS. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi dimidio longior vix vero latior. Statura et summa similitudo *Cryptorhynchi perinsignis*, sed duplo minor; rostro breviore, magis arcuato, non sulcato, thorace parum profunde punctato, punctis striarum in elytris magis remotis, profundioribus, ab illo mox distinctus. Caput rotundatum, nigrum, opacum, remote sed parum profunde rugosum, squamulis fusco-cervinis adspersum: oculi oblongi, transversi, haud prominuli, brunnei; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, sub-teres, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, punctis parum profundis, remotis impressum. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, clava ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque late emarginatus, lateribus rotundatus, anterius nonnihil angustatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, opacus, punctis magnis, remotis, parum profundis, impressus, puncto singulo setula reflexa, pallida, obsito. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra sub-cylindrica, antice thorace parum latiora et illo triplo longiora, humeris rotundatis, a basi apicem versus linearia, apice ipso declivia, sub-retusa, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, nigra, opaca, punctis parum profundis, valde remotis, seriatim digestis impressa, plaga communi scutellari apiceque late dilute cervino-squamosis, cæterum squamulis setulisque raris concoloribus adspersa. Corpus subtus nigrum, opacum, remote obsolete punctatum, punctis squamulis fuscis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis cervinis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente sat valido, acuto, armatis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 90. C. Porifer. *Fahræus.*

Oblongus, sub-cylindricus, nigro-piceus, sub-nitidus; capite profunde, disperse punctato, oculis fere coadunatis, convexis; rostro longiusculo, crassiusculo, carinato et sulcato; thorace remote, profunde foveolato; elytris punctis parvis, remotis striatim impressis, maculis duabus basalibus apiceque fulvo-squamosis; femoribus acute dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. Fahræus amicissime donatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Lixi Ascanii; Cryptorhyncho cylindraceo* affinis, sed forma rostri et oculorum, punctura, etc., abunde distinctus. Caput rotundatum, inæquale, profunde et remote punctatum, pilis nonnullis fulvis, depressis, adspersum; oculi in fronte fere conniventes, sat convexi, orbitis supra impressis; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, medio arcuatum, opacum, crebre punctatum, a basi ultra medium carina sat acuta et utrinque sulco instructum, basi parce fulvo-squamosum. Antennæ pone medium rostri insertæ, validiusculæ, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice supra modice rotundato-productus, pone oculos parum lobatus, antice plus dimidio angustior, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi iterum paulo latior, bi-sinuatus, angulis lateralibus sub-acutis, supra modice æqualiter convexus, foveolis profundis, sparsis, impressus, opacus, in foveolis fulvo-pilosus. Scutellum rotundatum, medio transverse impressum. Elytra sub-cylindrica, basi singulatim rotundata, ibique thorace haud latiora sed eo triplo longiora, mox pone basin valde ampliata, dein versus apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra valde convexa, apice subito declivia, subtilissime coriacea, punctis parvis, rotundatis, remotis, in dorso distinctis, in lateribus vero linea sub-connexis, seriatis impressa, dorso sub-opaca, lateribus nitida, in apice macula magna rotundata, determinata, et in basi singuli elytri alia minor, indeterminata, fulvo-squamosis. Corpus subtus subtiliter, valde remote punctulatum, denudatum. Pedes longiusculi, parce fulvo-squamosi, intermedii breviores; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-teretibus. — Rld.

*91. C. Clitellarius. *Schh.*

Oblongus, sub-cylindricus, nigro-piceus, cretaceo-squamosus; capite, thorace antice pedibusque luteo-squamosis; thorace antice leviter constricto, supra paulo convexo, confertim punctulato, tenue carinato; elytris parce setosis, obsolete punctato-striatis, macula parva, transversa, communi, pone medium, atro-squamosa, decoratis: femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia. In seminibus Dahlbergiæ spec. ignot. A Dom. Faldermann lectus et benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Erirhini tremulæ*, sed magis cylindricus. Caput breve, rotundatum, supra modice convexum, punctulatum, nigro-piceum, dense luteo-squamosum, linea media dilutiore ornatum; fronte setulis crassis similiter coloratis obsita; oculi laterales, ovati, nigri, depressi; rostrum thorace nonnihil brevius, validiusculum, modice arcuatum, apicem versus deplanatum, sub-remote punctulatum, piceum, nitidum, glabrum, basi luteo-squamosum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine postica vix longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus longe productis; anterius nonnihil angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis baseos sub-prominulis, acutis; supra paulo convexus, confertim subtiliter punctulatus, in medio carinula longitudinali, angusta, parum elevata, notatus; niger, squamulis cretaceis tectus, antice luteo variegatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, denudatum. Elytra oblonga, sub-cylindrica, antice leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-obtuse angulatis, non elevatis; ab humero apicem versus linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, postice modice declivia, ante apicem callo obtuso instructa, obsolete punctato-striata, interstitiis sub-planis, nigro-picea, squamulis cretaceis dense vestita, setisque erectis albidis nonnullis fuscis mixtis seriatim adspersa, in dorso postico pone medium macula communi, transversa, atro-holosericea, decorata. Corpus subtus sat profunde punctatum, nigro-piceum, sub-nitidum, squamulis albidis parce adspersum. Pedes validi, nigro-picei, squamulis lutescentibus setisque albidis dense tecti; femoribus modice clavatis, subtus obsolete dentatis; tibiis fere rectis, compressis; tarsis brevibus, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

Manipulus II. *Femora mutica.*

* *Elytra punctato-striata.*

* 92. C. SUBNOTATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, obscure-ferrugineus, fronte impressa, rostro modice arcuato, crassiusculo; thorace angusto, supra confertim punctulato, dorso antico medio leviter impresso, utrinque obsolete bi-tuberculato; elytris virescenti-griseo-squamosis, dense longius setosis, mediocriter punctato-striatis; interstitiis planis, non procul ab apice macula parva, rotunda, communi, atro-holosericea, decoratis; pectore subtiliter punctulato.

Patria : Brasilia. A Dom. FALDERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et habitus omnino *Cryptorhynchi divergentis.* Caput rotundatum, supra convexum, confertim ruguloso-punctatum, nigro-piceum, squamulis fusco-griseis sat dense adpersum; oculi laterales, ovati, depressi, infra sub-coadunati, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, confertim rugoso-punctulatum, nigro-piceum, opacum, basi densius griseo-squamosum, setulis pallidis adspersum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice utrinque profunde emarginatus, lobo medio supra producto, obtuse rotundato, ocularibus longe prominulis; anterius nonnihil angustior, lateribus paulo rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre subtiliter punctulatus, in dorso antico longitudinaliter parum profunde impressus, utrinque obsolete bi-tuberculatus; niger, squamulis fusco-brunneis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi plus duplo latiora, humeris subangulatis; ab humero versus apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, regulariter mediocriter punctato-striata, interstitiis sub-planis; obscure ferruginea, griseo-squamosa, setulis crassis, erectis, albidis et fuscis mixtis dense muricata, basi triangulariter denudata, forte detrita, in dorso postico apicem propius, macula parva, communi, rotunda, atro-holosericea, decorata. Corpus subtus piceum, confertim parum profunde punctatum, squamulis griseis parce adspersum. Pedes elongati, sub-

tenues, obscure ferruginei, griseo-squamosi et parce albido-setosi; femoribus linearibus, muticis; tibiis teretibus, basi nonnihil arcuatis; tarsis angustis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

93. C. SETOSUS. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, niger, supra cinereo-squamosus, fronte transversim impressa; rostro valido, valde arcuato, striolato, basi supra tumido; thorace angusto, crebre punctato, canaliculato, intra apicem transversim, impresso, obsolete 4-tuberculato, supra silaceo variegato; elytris amplis, breviter setosis, sat profunde punctato-striatis, pectore profunde remote punctato.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Ciono scrophulariæ magnitudine æqualis; *Cryptorhyncho subnotato* quoque æqualis et valde affinis, sed fronte profundius impressa, rostro basi tumido, elytris unicoloribus, breviter tantum setosis, pectore profunde punctato, canali pectorali leviter tantum marginato, etc., certe distinctus. Caput parvum, griseo-squamosum, fronte transversim impressa; oculi in fronte late distantes, subdepressi, subtus sub-coadunati; rostrum thorace paulo brevius, validum, valde arcuatum, basi supra sub-tumidum, crebre rugoso-striolatum, silaceo squamosum, apice sub-nudum. Antennæ paulo ante apicem rostri insertæ, tenuiusculæ, ferrugineæ, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice utrinque profunde emarginatus, supra valde rotundato-productus, antice plus dimidio angustior, lateribus ante medium ad apicem sensim angustior, dein ad basin haud angustatus, basi leviter bi-sinuatus, canali infero ad coxas anticas utrinque in dentem prominente; supra subdepressus, ante apicem transversim, medio longitudinaliter impressus, in margine tuberculis 2 et in dorso totidem, obsoletis, quadratim dispositis, instructus, squamulis silaceis hinc illinc, condensatis variegatus. Scutellum minutum, rotundatum. Elytra breviter ovata, antice thoracis basi duplo latiora, quam lata fere dimidio longiora, basi leviter tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, pone medium versus apicem angustata, apice conjunctim rotundata, supra sat alte convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, tota dense cinereo-squamosa, setulis brevioribus albidis et fuscis adspersa. Corpus subtus profunde remote

punctatum, parce cinereo-pilosum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus parum clavatis, muticis.

Obs. — *Cryptorhynchus setosus* una cum *turpiculo*, *vestito* et *palpebra* ob antennarum insertionem prope apicem rostri, oculorum connexionem sub capite corporisque formam summam cum genere *Conotrachelo* habent affinitatem, sed rima pectoralis adhuc profunda, argute marginata et postice determinata harum specierum inter *Cryptorhynchos* insertionem postulat. — Rld.

94. C. Vestitus. *Schh.*

Sub-ovatus, fusco-ferrugineus, subtus niger, supra dense cinereo-squamosus; fronte impressa, rostro valido, modice arcuato, versus apicem obsolete 3-carinato; thorace angusto, inæquali, crebre punctato, intra apicem transversim impresso, basi leviter bi-sinuato; elytris latis, tenue punctato striatis; interstitiis albido-setosis; pectore crebre subtiliter punctulato.

Patria : Campos Geraës Brasiliæ. A Dom. Chevrolat ad describendum benigne communicatus.

Ciono blattariæ magnitudine æqualis. Caput cinereo-squamosum, fronte sub-depressa; oculi depressi in fronte late distantes, subtus fere coadunati; rostrum longitudine thoracis, validum, valde arcuatum, pone medium paulo incrassatum, supra versus apicem tri-carinatum, ferrugineum, cinereo-setosum et squamosum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata. Thorax parvus, quam latus vix brevior, apice supra modice rotundato-productus et in medio obsolete emarginatus, pone oculos valde lobatus, antice paulo angustior, lateribus perparum rotundatus, postice haud angustatus, basi leviter bi-sinuatus, canali infero ad coxas anticas utrinque dentato, supra depressiusculus, ante apicem transversim impressus, crebre punctulatus, sat dense cinereo-squamosus et setulosus. Scutellum minutum, rotundatum, cinereo-squamosum. Elytra lata, antice thorace duplo latiora, quam lata dimidio longiora, humeris sub-rectangulis, obtusis, pone medium versus apicem angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, tenue punctato-striata, fusco-ferruginea, tota æqualiter dense cinereo-squamosa, interstitiis seriatim albo-setosis. Corpus subtus nigrum, crebre subtiliter punctulatum, parce cinereo-squamosum. Pedes longius-

culi, subtenues, ferruginei, squamulis setisque cinereis adspersi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, basi paulo curvatis.— RED.

* 95. C. PALPEBRA. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis fuscisque maculatim variegatus; orbitis oculorum elevatis; rostro breviusculo, valde arcuato, apice ampliato, incrassato; thorace angusto, postice marginato; elytris subtiliter punctato-striatis, seriatim sub-setosis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 444. 29.

Patria : America meridionalis. Mus. SCHH. et GHL.

Magnitudo *Phytonomi trifolii;* a congeneribus structura rostri facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra modice convexum, confertim punctulatum, nigrum, griseo-squamosum; orbitis oculorum superne elevatis; oculi laterales, sub-ovati, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, arcuatum, basi angustius, teres, apicem versus ampliatum et valde incrassatum, crebre punctulatum, medio carinatum, nigrum, squamulis griseis sat dense adspersum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, tenues, testaceæ, parce pilosæ, clava-oblonga, acuminata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus longe productis; anterius angustatus, intra apicem constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bisinuatus, tenue marginatus, supra modice convexus, confertim subtiliter ruguloso-punctatus; niger, squamulis griseis et cinereis mixtis sat dense obsitus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, griseo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-elevatis, obtuse angulatis; a basi ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra modice convexa, postice paulo declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-planis; nigra, squamulis læte griseis et fuscis tecta et maculatim variegata, setulis brevibus pallidis adspersa. Corpus subtus crebre punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes elongati, minus validi, nigro-picei, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus vix clavatis, muticis; tarsis subtus griseo-spongiosis.—BHN.

* 96. C. Balteatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-fuscus, squamulis flavescenti-albidis tectus: oculis sub-approximatis; rostro breviusculo, crassiusculo; elytris valde convexis, ante medium fascia lata, transversa, communi maculisque nonnullis suturalibus intra apicem fuscis.

Dejean. *Cat. Col. ed.* 2. p. 233.
Cœlosternus id. Sahlb. *Spec. Insect.* p. 50.

Patria: Insula Americæ St.-Barthelemy. Dom. Forsstroem. Mus. Schh.

Tychio 5-punctato magnitudine æqualis. Caput dense flavido-squamosum; oculi majusculi, in fronte sub-approximati, depressi; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, parum arcuatum, medio paululum angustatum, piceum, subtilissime punctulatum, nudum, nitidum. Antennæ medio rostri insertæ, tenuiusculæ, rufo-piceæ, clava ovata. Thorace latitudine baseos paulo brevior, apice supra modice productus, pone oculos vix lobatus, antice basi dimidio angustior, lateribus medio rotundatus, dein haud angustatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, intra apicem transversim obsolete impressus, sub-coarctatus, crebre punctatus, squamulis flavescenti-albidis dense vestitus, in dorso postico maculis duabus indeterminatis, fusco-squamosis, decoratus. Scutellum minutum, dense albido-squamosum. Elytra sub-ovato-trigona, thoracis basi plus quam dimidio latiora eoque triplo longiora, basi singulatim, sub-rotundata, humeris obtuse angulatis, versus apicem sensim rotundato-angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, tenue punctato-striata, dense flavescenti-squamosa, basi fulvo tincta, ante medium fascia lata, transversa, communi in medio elytrorum desinente, fusco-squamosa, antice sutura et lineola utrinque albidis, postice lineola utrinque fulva incisa, maculisque nonnullis communibus intra apicem nigris, ornata. Corpus subtus remote punctatum, parce cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, minus validi, cinereo-squamosi; femoribus muticis; tibiis subrectis, ferrugineis. — Rld.

* 97. C. FOVEOLATUS. *Say.*

Femoribus muticis, niger opacus; thorace oblongo, foveolato-punctato, medio carinato, sparse croceo maculatis; elytris seriatim foveolatis, maculis nonnullis anticis unaque postica, transversa, croceo-squamosa.

SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 19. 3.

Habitat in America boreali. Mus. GERMAR.

Magnitudine *C. hypocritæ* Creutz., sed in elytris angustior. Rostrum thorace vix brevius, crassiusculum, depressum, rugosum, basi impressum et ibi carinula parva munitum. Caput hemisphæricum, punctatum. Thorax oblongus, antice rotundato-productus, lateribus obtuse rotundatus, apice angustatus, punctis majusculis, squama ocellatis, distantibus, obsitus, medio carinatus, apice canaliculatus, subtus pro receptione rostri profunde usque ad pedes intermedios excisus, niger, opacus, maculis aliquot sparsis croceo-squamosis. Scutellum parvum, oblongum. Coleoptera thoracis basi paulo latiora et latitudine ter fere longiora, in medio haud latiora, basi truncata, humeris obtuse angulatis; apice rotundata, convexa, foveolis striata, atra, opaca, lineola utrinque juxta scutellum maculis duabus pone humerum, fasciaque ante apicem extus abbreviata, pone suturam angustata croceo-squamosis. Corpus subtus punctatum, atrum, abdominis segmentis transversim seriatim punctatis. Pedes nigri, punctati, sub-squamosi.

Ad *Cryptorhynchos* genuinos pertinere videtur.

GERMAR.

In individuo a Dom. Say misso caput deest. SCHH.

** *Interstitia elytrorum omnia elevato-costata.*

98. C. UNICOLOR. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, glaber, sub-nitidus: capite profunde punctato: rostro validiusculo, basi carinato; thorace crebre profunde punctato; elytris profunde punctato-sulcatis; interstitiis angustis carinatis: tibiis compressis incurvis, extus ampliatis.

Cœlosternus id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Brasilia. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benigne communicatus.

Magnitudo *Larini jaceæ. Cryptorhyncho austero* valde similis, sed

thorax crebrius, subtilius punctatus, femora mutica, etc. Caput convexum, profunde punctatum; oculi sub-depressi, brunnei: rostrum thorace paulo brevius, validiusculum, parum arcuatum, sub-deplanatum, in ipsa basi utrinque coarctatum, usque ad medium obsolete carinatum, totum crebre punctatum, nitidum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, subtenues, rufo-piceæ, clava ovata, obtusa. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice supra modice rotundato-productus, pone oculos valde lobatus, antice dimidio angustior, intra apicem, præsertim in lateribus coarctatus, lateribus in medio rotundatus, postice haud angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre profunde punctatus, linea media lævi notatus, nitidus, parce setulosus, ante scutellum squamulis nonnullis condensatis decoratus. Scutellum minutum, ovatum. Elytra sub-ovata, antice thorace paulo latiora, et plus duplo longiora, basi sub tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, apice augustata et conjunctim rotundata, supra modice convexa, late sulcata, et in sulcis punctata, interstitiis angustis, carinatis; nigro-picea, sub-nitida. Corpus subtus crebre, sat profunde punctatum, piceum, nitidum. Pedes longiusculi, punctati, picei; femoribus muticis; tibiis compressis, curvatis, longitudinaliter canaliculatis, extus ampliatis. — Rld.

* 99. C. Carinellus. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis testaceis variegatus, antennis rufo-ferrugineis; rostro arcuato, basi striolato-rugoso; thorace profunde rugoso-punctato, basi obsolete carinato; elytris sulcatis, sulcis obsolete punctatis, interstitiis elevatis, carinatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Balanino villoso paulo major. Caput parvum, rotundatum, nigrum, remote profunde punctatum, squamulis raris testaceis adspersum; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, teres, minus crassum, arcuatum, nigrum, a basi ultra medium striolato-rugosum, squamulis pallidis adspersum, dein distincte punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, pallide-holosericea. Thorax latitudine baseos brevior apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, antice multo angustior, ibique coarctatus, lateribus parum rotun-

datus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, profunde confertim rugoso-punctatus, a basi ultra medium obsolete carinatus; totus niger opacus, squamulis pallide testaceis parce adspersus. Scutellum rotundatum nigrum. Elytra antice thorace manifeste latiora, latitudine baseos plus duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone medium usque linearia, tum apicem versus sensim perparum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, late sulcata, sulcis parum profunde punctatis, interstitiis angustis, elevatis, carinatis; tota nigra opaca, squamulis pallide testaceis, in maculis hinc inde confluentibus, variegata. Corpus subtus nigrum, sat rude punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis et pilis pallidis obsiti, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum incrassatis, muticis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

* 100. C. Castigatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, squamulis silaceis parce adspersus, antennis rufo-testaceis; rostro arcuato, striolato-rugoso; thorace rude minus crebre punctato, carinato; elytris sulcatis, sulcis evidenter punctatis; interstitiis elevatis, carinatis.

Habitat in America meridionali. A Dom. Ménétriés communicatus. Mus. Schh.

Longitudo *Cryptorhynchi carinelli*, sed dimidio angustior; ab illo præter staturam thorace minus crebre profundius punctato, carinato, elytrorum sulcis evidenter punctatis, diversus. Caput parvum, globosum, remote sat profunde punctatum, nigrum, nitidum; oculi magni, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, teres, minus crassum, modice arcuatum, nigrum, nitidum, basi crassius, squamulis pallidis adspersum, a basi apicem versus striolato-rugosum, undique setulis erectis, fuscis, adspersum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, parce cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice utrinque leviter sinuato-emarginatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, profunde minus crebre punctatus, niger, nitidus, setulis pallidis adspersus: in

medio dorsi carinula, parum elevata, obsoleta, instructus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus nonnihil ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sat rude sulcata, sulcis in fundo profunde punctatis, interstitiis angustis, elevatis, carinatis; nigra sub-nitida, squamulis silaceis parce hinc inde magis condensatis adspersa. Corpus subtus nigrum, sat crebre profunde punctatum, squamulis silaceis adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, pube albida obsiti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 101. C. FERRATUS. *Say.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis variegatus; antennis ferrugineis, articulis funiculi sub-coarctatis; rostro brevi, paulo arcuato, punctato; thorace confertim rugoso-punctato; dorso antico obsoletissime carinato; elytris punctato-striatis, interstitiis omnibus modice convexis, rugulosis.

SAY. *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 28. 6.

Patria: New Orleans Americæ borealis. A Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Inter minimos hujus generis. *Erirhino pectorali* magnitudine fere æqualis. Caput breve, convexum, nigrum, subtiliter rugoso-punctatum, squamulis griseis adspersum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, minus tenue, teres, modice arcuatum, nigrum, basi crassius, sat profunde punctatum, squamosum, tum extrorsum nudum, nitidum, crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, ferrugineæ, articulis funiculi sub-coarctatis, clava ovata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, anterius nonnihil angustior, apice utrinque parum emarginatus, ibique leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim rugoso-punctatus, dorso antico obsoletissime carinatus, squamulis griseis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus parum ampliata, versus apicem angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace triplo longiora,

subtiliter punctato-striata, interstitiis modice elevatis, convexis, rugulosis; nigra, squamulis griseis, hinc inde maculatim condensatis, variegata. Corpus subtus nigrum, profunde crebre punctatum. Pedes longiusculi, validi, punctati, nigro-picei; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

102. C. DELUMBATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, parce silaceo-squamosus, et dense breviter setosus; fronte cinereo-squamosa; antennis ferrugineis; rostro brevi, crassiusculo, subrecto, rugoso-punctato, medio angustato; thorace crebre, profunde rugoso-punctato, intra apicem transversim impresso; elytris sat profunde, remote striato-punctatis; interstitiis alternis sub-convexioribus, basi obsolete maculaque magna apicali silaceo-squamosis.

Acalles id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Insula Guadeloupe. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Erirhino majali magnitude æqualis. Caput majusculum, parum convexum, vertice dense, cæterum parce griseo-squamosum; oculi majusculi, rotundati, sub-depressi; rostrum thorace paulo brevius, crassiusculum, parum arcuatum, rugoso-sulcatum, rufo-piceum, medio paulo angustatum, basi parce squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, breviusculæ, ferrugineæ, articulis funiculi sensim crassioribus, clava ob-ovata. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice supra valde rotundato-productus, pone oculos parum lobatus, antice basi fere duplo angustior, lateribus rotundatus, postice parum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra paulo convexus, intra apicem transversim impressus, totus crebre profunde punctatus. Scutellum minutum, rotundatum, dense pallido-squamosum. Elytra basi conjunctim sub-trisinuata, thorace parum latiora, et plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis; a medio ad apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, punctato-striata, punctis rotundatis, remotis, sat profundis, interstitiis 2° et 4° a sutura paululum elevatis; fusco-picea, umbrino-squamosa, basi obsolete plagaque apicali communi, antice latiore et ad medium elytrorum fere extensa, silaceo-squamosis, interstitiis nigro-setosis. Corpus subtus remote, sat profunde punctatum, rufo-piceum,

parce silaceo-squamosum. Pedes breviusculi, fusco-picei, parce squamosi; femoribus muticis. — RLD.

*** *Interstitia elytrorum alterna elevato-costata: costæ aut integræ aut interruptæ.*

* 103. C. DIVERSUS. *Schh.*

Ovatus, niger, cinereo-albido-squamosus; antennis testaceis; rostro carinato; thorace umbrino-squamoso, canaliculato, alte quadri-tuberculato, basi lineolis duabus albis; elytris basi obscurioribus, lineolis utrinque duabus basalibus, obliquis, albidis, notatis, fusco sub-fasciatis, tenue punctato-striatis; interstitiis alternis modice elevatis, fasciculato-setulosis; humeris obtuse angulatis.

Patria: Brasilia. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Criptorhynchi divergentis*, dimidio tamen major, rostro carinato, ab illo fere unice distinctus. Caput breve, convexum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum, silaceo-squamosum et setosum; oculi ovati, depressi, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, teres, arcuatum, basi nonnihil elevatum, dorso longitudinaliter distincte carinatum, undique sat crebre rugoso-punctatum, nigro-piceum, a basi ultra medium silaceo-squamosum, dein apicem versus denudatum. Antennæ subtenues, testaceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice supra rotundato-productus, lateribus a basi ultra medium rectis, tunc angulatis et subito angustatis; basi leviter bi-sinuatus, antice alte marginatus, margine medio emarginato, bi-tuberculato, supra modice convexus, late et profunde canaliculatus, medio utrinque tuberculatus, niger, confertim rugoso-punctatus, umbrino-squamosus, tuberculis setis crassis, erectis, nigris, obsitus, basi lineolis duabus albis ornatus. Scutellum oblongo-ovatum, nigro-piceum. Elytra antice sinuata, basi thorace duplo latiora et illo plus triplo longiora, humeris obtuse angulatis, ab humero versus apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, postice declivia, striata, striis obsolete punctatis, interstitiis alternis modice elevatis, setis crassis erectis, atris, fasciculatis; tota nigra, squamulis cinereo-albidis tecta, basi umbrino-squamosa, lineolis utrinque duabus obliquis albidis, in basi costarum apiceque fusco variegata. Corpus subtus nigro-piceum, punctula-

tum, squamulis griseis parce adspersum. Pedes elongati, nigro-picei, cinereo-squamosi; femoribus sub-linearibus, muticis; tibiis basi parum arcuatis, apice oblique truncatis, unco minuto armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Observ. De hac specie atque *Cryptorhyncho divergente* idem valet, quod in observatione sub *Cryptorhyncho setoso*, n° 93, supra dictum est; quare lectorem benevole illuc referimus.

* 104. C. DIVERGENS. *Germar.*

Ovatus, niger, cinereo-squamosus; antennis testaceis; thorace umbrino variegato, canaliculato, alte quadri-tuberculato; elytris basi obscurioribus, lineola utrinque basali, obliqua, albida, notatis, fusco sub-fasciatis, tenue punctato-striatis; interstitiis alternis modice elevatis, fasciculato-setosis; humeris sub-acutangulatis. — BHN.

GERMAR, *Ins. Spec.* p. 282. 420.

Patria: Brasilia.

* 105. C. LUCTUOSUS. *Dejean.*

Ovalis, ater, squamulis nigro-fuscis tectus; rostro valde arcuato; thorace confertim punctulato, carinato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, costatis, atris; singulo elytro ante medium macula parva, transversa, albido-squamosa.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 293.
Curculio parochus? HERBST, *Col.* VII. p. 55. 613. T. 99. f. 5. e.
Cryptorhynchus id.? SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 19. 6.
Cryptorhynchus bisignatus? SAY, *ibid.* p. 19. 4.

Habitat in America boreali. A Dom. Com. DEJEAN missus. Mus. SCHH.

Parvus; *Tychio* 5-*punctato* parum major. Caput rotundatum, atrum, sat crebre sed parum profunde punctatum, squamulis nigro-fuscis adspersum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, inflexum, valde arcuatum, subtenue, teres, basi carinatum, crebre punctulatum, nigrum, dein subtilissime punctulatum, piceum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, dilutiori. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late sed parum pro-

funde emarginatus, anterius basi duplo angustior, ibique coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, crebre punctulatus, longitudinaliter carinatus, setulis crassis, atris, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris oblique angulatis, thorace triplo longiora, lateribus inflexa, pone medium citius angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, atra, squamulis nigro-fuscis tecta, subtiliter regulariter punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, costatis, atro-squamosis; singulo elytro ante medium in disco, macula parva, elongata, obliqua, transversim locata, albido-squamosa, ornato. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, squamulis griseis adspersum. Pedes validi, nigri, squamulis cinereis et fuscis variegati; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

* 106. C. Setiger. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, fusco-squamosus, supra spinulis erectis, fuscis, muricatus; rostro ferrugineo, modice arcuato, subtiliter punctulato; thorace longitudinaliter impresso, dorso medio utrinque fasciculato; elytris subtiliter punctato-striatis; interstitiis alternis elevatis, costatis, in dorso postico fascia transversa, communi, albo-squamosa, ornatis.

Patria : Antioquia Columbiæ. Dom. Nisser. Mus. Schh.

Parvus; magnitudo *Poophagi sisymbrii.* Caput rotundatum, convexum, nigro-piceum, punctulatum, squamulis fuscis tectum; oculi laterales, depressi, ovati, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, obscure ferrugineum, subtiliter punctulatum, apice depressum, nonnihil ampliatum, denudatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus crassæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava parva, ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice rotundato-productus, antrorsum multo angustior, coarctatus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, dorso longitudinaliter tenue impressus, impressione basi obsolete carinatus, nigro-piceus, punctulatus, squamulis fusco-griseis dense tectus, in medio dorsi utrinque fasciculo e spinulis crebris, fuscis, obsitus, antice etiam setulis

crassis, erectis, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, punctulatum, cinereo-squamosum. Elytra basi singulatim nonnihil rotundato-producta; antice thoracis basi dimidio latiora, quam lata duplo longiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis elevatis, carinatis; tota nigro-picea, squamulis fusco-griseis tecta, in dorso postico fascia transversa, sat lata, communi, albo-squamosa, ornata, spinulis erectis, fuscis, adspersa. Corpus subtus obscure ferrugineum, punctulatum, squamulis griseis parce adspersum. Pedes mediocres, nigro-picei, punctati, squamulis griseis parce adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 107. C. LEUCOMELAS. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, supra fusco-subtus albido-squamosus: rostro breviori: thorace antice tuberculato-fasciculato, canaliculato: elytris valde convexis, macula laterali apiceque late sordide albido-squamosis, punctato-striatis; interstitiis alternis fasciculato-setosis.

Habitat in Brasilia. A Dom. de WINTHEM et FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Cryptorhynchi divergentis*, sed dimidio minor et aliter coloratus. Caput parvum, nigrum, supra fere planum, dense fusco-squamosum, supra oculis setulis crassis obsitum; oculi oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, subtenue, arcuatum, nigrum, a basi ultra medium squamulis griseo-albidis tectum, dein glabrum, punctatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, a basi apicem versus sensim angustatus, apice rotundato-productus, basi leviter bi-sinuatus, antice alte marginatus, margine bi-tuberculato, profunde et late canaliculatus, medio transversim quadri-tuberculatus, tuberculis setiferis, dorsalibus majoribus: niger, obsolete punctatus, squamulis fuscis tectus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, dense pallido-squamosum. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, latitudine sesqui-longiora, humeris paulo prominulis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, infra humerum dilatata, uni-dentata, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, nigra, a basi ultra medium

squamulis fuscis tecta, dein sordide albido-squamosa, præterea macula laterali cuneata, mox pone humerum e squamulis albidis, ornata, a basi pone medium punctato-striata, dein lævissima, interstitiis alternis in dorso antico setis brevibus, crassis, erectis, atris, fasciculatis. Corpus subtus nigrum, dense albido-squamosum. Pedes elongati, squamulis setulisque albidis vestiti; femoribus parum clavatis, muticis, atro maculatis: tibiis basi parum curvatis, apice oblique truncatis, unco minuto armatis; tarsis elongatis piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

**** *Elytra inæqualia vel tuberculata.*

* 108. C. RUDIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis cervinis atrisque variegatus; rostro valido, modice arcuato, medio angustato; thorace profunde sed minus confertim rugoso, carinato, lateribus æqualiter rotundato, pallide variegato: scutello pallido-squamoso: elytris subovatis, atro maculatis, rude foveolato-striatis; interstitiis tuberculatis; femoribus sub-muticis.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS; etiam a Dom. FAHRÆUS amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Hylobii abietis.* Caput rotundatum, remote profunde punctatum, squamulis cervinis adspersum; oculi laterales, sub-ovati, parum convexi; rostrum thorace nonnihil brevius, validum, modice arcuatum, basi striolato-rugosum, in medio paulo angustatum, apice disperse punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ medio rostri insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, sub-acuminata. Thorax ovalis, latitudine media paulo brevior, apice utrinque sat profunde emarginatus, supra rotundato-productus, antice basi paulo angustior, ibique leviter constrictus, lateribus fere æqualiter rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, opacus, sat rude, sed minus confertim rugosus, dorso longitudinaliter carinatus, squamulis fuscis, nigris et cervinis variegatus, in basi litura obsoleta fere in formam Y, e squamulis pallidis constructa, ornatus. Scutellum mediocre, rotundatum, sub-elevatum, albido-squamosum. Elytra sub-ovata, antice thoracis basi manifeste latiora illoque plus quam duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, versus apicem subito angustata, utrinque sub-impressa, apice ipso conjunctim rotundata, supra

convexa postice subito declivia, rude foveolato-striata, interstitiis sub-convexis, singulis serie e tuberculis magnis, obtusis, parum elevatis, glabris, setulisque crassis fuscis obsitis; opaca, squamulis cervinis, hinc inde condensatis adspersa, singulo elytro ad scutellum macula sub-quadrata, mox pone illam alia obliqua et pone medium pluribus ad suturam in nebulam sub-connexis, atro-holosericeis, decorato. Corpus subtus obsolete punctatum, squamulis pallidis adspersum. Pedes elongati, robusti, dense pallido-squamosi; femoribus parum clavatis, sub-muticis, medio tibiisque basi nigris: tarsis elongatis. - - RLD.

* 109. C. TORPESCUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sordide griseo-squamosus; thorace crebre punctato, squamis elongatis, erectis, nigris, hinc illinc condensatis adsperso, intra apicem coarctato, macula basali nigro-squamosa; elytris striato-punctatis, dorso singulatim 4-tuberculatis, nigro-squamosis et setosis, litura humerali apiceque fere ad medium griseo-squamosis: femoribus ante apicem tibiisque basi fusco maculatis.

Patria : Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benigne communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Grypidii equiseti.* Caput dense griseo-squamosum; oculi parum convexi, brunnei; rostrum thorace paulo brevius, validum, modice arcuatum, subtiliter punctulatum, piceum, sub-nitidum, basi griseo-squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenuiusculæ, ferrugineæ, clava ovata, obtusa. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice supra modice rotundato-productus et pone oculos lobatus, antice basi fere duplo angustior, intra apicem coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi iterum paulo angustatus, levissime bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre punctatus, dense griseo-squamosus, in margine antico et in disco squamis elongatis, erectis, adspersus, ante scutellum macula magna, nigro-squamosa, decoratus. Scutellum parvum, rotundatum. Elytra sub-ovata, basi leviter tri-sinuata, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-rectangulis, pone medium apicem versus sensim angustata, ante apicem sub-compressa, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtenue punctato-striata, interstitiis setulosis, 2° et 4° in dorso bi-tuberculatis, tuberculis nigro-setosis, interioribus majoribus; nigro-squamosa, apice fere ad medium lituraque humerali dense griseo-squamosis. Corpus subtus dense

griseo-squamosum, abdomine medio fusco. Pedes longiusculi, crassiusculi, dense griseo-squamosi et setulosi; femoribus modice clavatis, muticis, posterioribus ante apicem tibiisque ante basin fusco maculatis; tibiis subrectis. — Rld.

* 110. C. Granosus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dense sordide griseo-squamosus; rostro crassiusculo, breviusculo, crebre punctato; antennis ferrugineis; thorace longiore, basi sub-truncato, dorso antico carinato; elytris regulariter punctato-striatis; interstitiis granis inæqualibus, glabris et nitidis adspersis; femoribus sub-muticis.

Patria: Brasilia interior. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim benigne communicatus. Mus. Schh.

Cryptorhyncho lapathi paulo brevior; *Cryptorhyncho 7-tuberculato* affinis et parum major, sed bene distinctus. Caput breve, convexum, squamis sordide griseis dense vestitum; oculi sub-ovati, sub-depressi; rostrum thorace paulo brevius, validum, parum arcuatum, sub-complanatum, crebre rugoso-punctatum, medio parum angustatum, piceum, a basi ad medium dense griseo-squamosum, dein nudum, sub-nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, breviusculæ, minus tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine postica parum longior, apice utrinque emarginatus, supra in medio modice rotundato-productus, pone oculos paulo lobatus, antice dimidio angustior, lateribus in medio modice rotundato-ampliatus, postice vix angustatus, basi sub-truncatus, vel levissime bi-sinuatus, supra modice convexus, medio carina obsoleta, postice abbreviata instructus, squamis sordide griseis dense vestitus. Scutellum mediocre, rotundatum, dense squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi conjunctim sub-emarginata, thorace paulo latiora sed plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis, apice subito attenuata, sub-compressa, supra modice convexa, apice subito declivia, parum profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, granis magnitudine inæqualibus, internis majoribus, nitidis, nonnullis squamulam emittentibus, seriatim obsitis; squamulis sordide griseis dense vestita. Corpus subtus dense griseo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, squamis suberectis, griseis tecti; femoribus vix clavatis, sub-muticis. — Rld.

STIRPS 2. *Caput æquale: humeri aut antrorsum prominuli, sub-acuti, aut rectanguli.*

* 111. C. DIFFICILIS. *Dejean.*

Ovalis, ater, opacus: antennis ferrugineis; rostro subtenui, modice arcuato, basi carinato: thorace convexo, longitudinaliter sat rude rugoso, dorso carinato; elytris ochraceo maculatis et sub-fasciatis, striatim punctatis: interstitiis minus remote granulatis: femoribus acute dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 293.

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL missus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho cavernoso affinis, illoque parum minor, elytris minus convexis, aliter coloratus; thorace subtilius rugoso, etc., distinctus. Caput rotundatum, atrum, sub-nitidum, sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatum, inter oculos obsolete carinatum; oculi ovati, transversi, approximati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis inflexum, modice arcuatum, subtenue, teres, nigro-piceum, nitidum, basi obsolete carinatum, evidenter rugoso-punctatum, tum subtilissime crebre punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, ater opacus, longitudinaliter sat profunde rugosus, dorso carinula parum elevata, postice abbreviata, munitus, setulis pallidis parce obsitus. Scutellum vix conspicuum. Elytra basi conjunctim tri-sinuata, antice thorace paulo latiora et illo triplo longiora, humeris antrorsum prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus perparum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, postice declivia, striata striis in fundo punctis oblongis, sat crebris, parum profundis, impressa, interstitiis singulis serie regulari e tuberculis parvis, nitidis, minus remotis, obsitis; tota atra opaca, maculis et fasciis irregularibus e squamulis ochraceis, ornata. Corpus subtus atrum, nitidum, profunde minus crebre punctatum, punctis squamulis pallidis repletis. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, squamulis

setulisque pallidis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis nonnihil arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 112. C. OCHROLEUCUS. *Germar.*

Oblongo-ovalis, niger, læte cinereo-squamosus; rostro breviore, crassiusculo, basi carinato; thorace rude cicatricoso-punctato, carinato, supra fere denudato; elytris parce setosis, tenue striato-punctatis, interstitio secundo a basi ad medium elevato, plaga communi, dorsali maculisque apicalibus tribus fusco-squamosis; femoribus dente parvo, sub-obtuso, armatis.

GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 276. 412.

Patria: Brasilia. A Dom. GERMAR benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi paulo minor. Caput breve, rotundatum, punctulatum, nigrum, squamulis cinereis parce adspersum; oculi laterales, ovati, sub-depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, punctulatum, a basi ad medium carinatum, nigrum, basi cinereo-squamosum, apice denudatum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, piceæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice bi-sinuatus, antrorsum valde angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi utrinque profunde sinuatus, supra convexus, punctis latis, profundis, confluentibus, rugosus, medio carinula argute elevata, notatus; niger, sub-opacus, squamulis setiformibus, erectis, albidis, parce adspersus, subtus densius cinereo-squamosus. Scutellum parvum, vix conspicuum, rotundatum, nigrum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris antrorsum prominulis, sub-rotundatis; lateribus ultra medium subrectis, tum apicem versus sensim angustatis; apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, punctis sat profundis seriata, interstitium secundum a sutura ultra medium elevatum; tota nigra, dense cinereo-squamosa, plaga dorsali, communi, a basi ultra medium extensa, magis denudata, luteo fuscoque squamosa, maculis tribus non procul ab apice transversim locatis, una in ipsa sutura communi et altera utrinque in margine laterali, holosericeo-atris, decorata, setisque brevibus declinatis, albis,

seriatim adspersa. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigrum, parce cinereo-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, confertim punctulati, densius cinereo-squamosi; femoribus modice clavatis, subtus breviter dentatis, basi denudatis; tibiis compressis, basi nonnihil arcuatis, nigro annulatis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis.—BHN.

* 113. C. STULTUS. *Fabricius.*

Ovalis, nigro-piceus, squamulis silaceis tectus; antennis rufo-ferrugineis: rostro modice arcuato, basi striolato-rugoso; thorace lato, confertim parum profunde rugoso-punctato, antice valde constricto; elytris punctato-striatis, in dorso postico plaga transversa, communi, e squamulis pallidis, ornatis; femoribus acute dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 474. 174. (Secundum Mus. Reg. Dan.)

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 433. 162.— *Mant.* I. p. 107. 117.

HERBST, *Col.* VI. p. 467. 476.

OLIV. *Enc. Méth.* V. p. 510. 180.

LINN. *Syst. nat. ed.* GMEL. I. IV. p. 1763. 232.

Cryptorhynchus id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 330.

Patria: Coromandel. Dom. VAHL. Mus. Reg. Dan.

Forte huc pertinet.

Rhynchænus araneus. FABR. *Syst. El.* II. p. 474. 175. (Secundum Mus. Reg. Dan.)

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 433. 163.

HERBST, *Col.* VI. p. 468. 477.

Cryptorhynchus didymus. SCHOENH. *in Litteris*, olim.

Patria: America meridionalis.

Pissode notato vix angustior sed brevior. Caput rotundatum, nigro-piceum, remote rugoso-punctatum, squamulis griseo-brunnescentibus vel silaceis tectum; oculi oblongi, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, minus crassum, teres, nigro-piceum, a basi ad medium striolato-rugosum, dilute brunneo-squamosum, tum apicem versus subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos

multo brevior, apice basi duplo angustior, utrinque parum sinuato-emarginatus, intra apicem valde constrictus, lateribus mox pone apicem valde rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, sat confertim sed parum profunde rugoso-punctatus, squamulis griseo-brunnescentibus vestitus. Scutellum rotundatum, griseo-squamosum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, humeris angulatis non callosis; thorace triplo longiora, lateribus inflexa, pone medium citius angustata, apice conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, apicem versus declivia, nigro-picea, subtiliter punctato-striata, interstitiis convexis, subtiliter granulatis; tota squamulis brunnescentibus vel silaceis dense tecta, in dorso postico, plaga transversa, communi, e squamulis pallidioribus, decorata. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes elongati, nigro-picei, punctati, squamulis pilisque griseis obsiti, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum incrassatis, subtus pone medium acute dentatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Obs. — Individuum in Musæo Dom. Schoenherr asservatur, rostro nonnihil crassiore et breviore, subrecto, basi profundius striolato-punctato, antennis apicem rostri propius insertis, cæterum simillimum. Vix species distincta, forte alter sexus. — BHN.

114. C. GUADELUPENSIS. *Chevrolat.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis silaceis supra dense vestitus; rostro modice arcuato, utrinque sulcato; thorace longiore, lateribus minus ampliato, antice leviter constricto, basi parum bi-sinuato; elytris basi thorace non latioribus, punctato-striatis; interstitiis sub-costatis, granulatis, apice late pallido-squamosis; femoribus ultra medium denudatis, acute dentatis.

Tylodes id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Guadeloupe. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Cryptorhyncho stulto magnitudine et colore simillimus, sed corpore paulo angustiore, rostro longiore, tenuiore, magis arcuato, læviori, thoracis lateribus minus ampliatis, etc., certe distinctus. Caput rotundatum, dense silaceo-squamosum; oculi majusculi, subdepressi; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, basi

utrinque sulcatum, cæterum sub-læve, denudatum, nitidum, basi silaceo-squamosum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, clava ovata. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice basi dimidio angustior, apice supra parum productus, utrinque leviter emarginatus, intra apicem coarctatus, lateribus modice ampliatus, postice parum angustatus, basi leviter bisinuatus, supra parum convexus, dense silaceo-squamosus, ut punctura lateat. Scutellum parvum, rotundatum, silaceo-squamosum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, eoque duplo longiora, basi conjunctim levissime sub-trisinuata, humeris antrorsum prominulis, non callosis; apice angustata et conjunctim rotundata, supra modice convexa, parum profunde punctato-striata, interstitiis sub-costatis, basi crenulatis; nigro-picea, basi squamulis brunneis tecta, ab apice fere ad medium pallidius tri-sinuatim squamosa. Corpus subtus fere nudum, disperse punctatum. Pedes longiusculi, silaceo-squamosi; femoribus parum incrassatis, dente parvo, acuto, armatis, a basi ad dentem denudatis. — RLD.

* 115. C. DIMIDIATUS. *Schh.*

Oblongo-ovalis, nigro-piceus, squamulis dilute umbrinis vestitus; antennis rufo-testaceis; rostro modice arcuato, tenuiori, basi obsolete carinato, profundius punctato; thorace antice valde constricto, crebre profunde punctato; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis sub-elevatis, a medio ad apicem pallido-squamosis; femoribus acute dentatis.

Habitat in insula Cuba; teste Dom. SCHUPPEL. Mus. SCHH.

Statura fere et similitudo *Cryptorhynchi stulti*, sed dimidio minor, aliter coloratus, rostro tenuiori, basi confertim punctato. Caput parvum, globosum, nigro-piceum, crebre rugoso-punctatum, squamulis brunneis vestitum; oculi ovati, modice prominuli, transversi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, teres, modice arcuatum, piceum, basi obsolete carinatum, sat profunde crebre punctatum, squamulis brunneis parce adspersum, tum apicem versus subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, basi duplo angustior, mox pone

apicem valde coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice bisinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, crebre et satis profunde punctatus, squamulis dilute cervinis tectus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, griseo-squamosum. Elytra antice thorace parum latiora illoque fere triplo longiora, humeris antrorsum vix prominulis, oblique angulatis; lateribus inflexa, pone medium citius angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra modice convexa, postice paulo declivia, nigro-picea, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis subelevatis, convexis, obsolete tuberculatis, a basi ultra medium dense umbrino-dein apicem versus pallido-squamosa, supra humeros litura parva, obsoleta, e squamulis silaceis, notata. Corpus subtus rufo-piceum, punctatum, squamulis pallidis adpersum. Pedes elongati, validi, obscure ferruginei, punctati, squamulis griseis vestiti; femoribus modice clavatis, omnibus subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis teretibus, parum arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—Bhn.

116. C. Signifer. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis brunneis cinereisque variegatus; rostro modice arcuato, subtilissime punctulato; thorace lato, antice subito angustato, apice vix producto, basi utrinque vitta, apice introrsum flexa atro-squamosa, decorato; elytris subtiliter punctato-striatis; interstitiis planis, fasciis duabus transversis, albo-squamosis; femoribus extus fusco maculatis, obsolete dentatis.

Tylodes id. Dom Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Vera Crux in Mexico. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Cryptorhyncho stulto habitu similis, sed dimidio minor, aliter coloratus. Caput rotundatum, convexum, dense læte brunneo-squamosum, antice setulis brevissimis atris adspersum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, modice arcuatum, basi crassius, apicem versus nonnihil deplanatum, subtiliter punctulatum, obscure ferrugineum; postice læte brunneo-squamosum, dein apicem versus glabrum, nitidum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, latus, anterius subito angustior, intra apicem late sed parum profunde constrictus, apice supra vix rotundato-productus, utrinque

non emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis; lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, punctulatus, niger, squamulis læte brunneis tectus, cinereo-albidis hinc inde versus apicem et lateribus plagiatim condensatis, variegatus, utrinque a basi ad medium vitta cuneiformi, anterius angustata et introrsum nonnihil flexa, atro-squamosa, decoratus. Scutellum parvum, rotundatum, cinereo-squamosum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, angulis humeralibus antrorsum prominulis, acutis; a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, postice declivia, ante apicem obsolete callosa, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-planis; nigra, squamulis læte brunneis tecta, fasciis duabus transversis, cinereo-albidis, ornata, setulisque brevibus pallidis, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, griseo-squamosum. Pedes mediocres, læte brunneo-squamosi et parce albido-setulosi; femoribus modice clavatis, apicem versus macula obsoleta, fusca, decoratis, subtus dente parvo, sub-obtuso, armatis; tibiis teretibus, subrectis.—Bhn.

* 117. C. Cingillum. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis umbrinis tectus; antennis, tibiis tarsisque ferrugineis; fronte thoraceque linea angusta albida ornatis; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis elevatis, muricatis pone medium dorsi striga transversa, abbreviata, albido-squamosa.

Habitat in insula Guadeloupe, Indiæ occidentalis. Dom. Forsstroem. Mus. Schh.

Magnitudo *Phytonomi polygoni.* Caput breve, valde convexum, punctatum, nigrum, squamulis pallide umbrinis tectum, posterius vitta angusta albo-squamosa ornatum; oculi laterales, rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, valde arcuatum, ruguloso-punctatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ thoracis basin non attingunt, minus tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, anterius multo angustior, apice utrinque emarginatus, et longe intra apicem profunde constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, squamulis densis, in dorso saturate, versus latera pallidius umbrinis tectus; in medio dorsi vitta angusta, integra, albido-squamosa, decoratus. Scutellum semi-

globosum, dense albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora et illi arcte applicata, humeris antrorsum sub-prominulis, sub-rectangulis; lateribus parum ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, obsoletius striata et in striis remote punctata, punctis sub-ocellatis; interstitiis alternis, tribus in singulo elytro, elevatis et setis reclinatis muricatis; nigra, squamulis densis umbrinis, versus latera albidioribus, tecta; pone medium dorsi striga abbreviata, macularis, albido-squamosa. Corpus subtus nigrum, punctatum, thorace subtus pectoreque cinereo-squamosis, ventre magis nudo, nitido. Pedes elongati, validi, cinereo-squamosi; femoribus clavatis nigris, subtus uni-dentatis; tibiis tarsisque ferrugineis.—Ghl.

Stirps 3. *Caput supra oculos linea elevata triangulari instructum; humeri antrorsum paulo prominuli, sub-acuti.*

* 118. C. Orthomasticus. *Germar.*

Ovalis, niger, squamulis dilute cervinis adspersus; capite rugoso, vertice utrinque linea elevata in tuberculo frontali conjuncta notato; rostro arcuato, basi carinato, ruguloso; thorace rugoso-punctato; argute carinato, dense dilutius silaceo-squamoso; elytris ocellato-punctatis, quadri-costatis; femoribus bi-dentatis.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 273. 408.
Macromerus costicollis. Dej. *Cat. Col. ed.*2. p. 295.
Cryptorhynchus id. Dej. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Patria: Brasilia et Cayenna. Mus. Schh.

Magnitudo *Cryptorhynchi mangiferæ.* Caput rotundatum, nigrum, rugosum; vertice utrinque linea parum elevata, in fronte conjuncta et in tuberculum elevatum desinente notato; totum squamulis densis dilute cervinis obsitum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, teres, minus crassum, valde arcuatum, nigrum, a basi ultra medium striolato-rugosum, carinatum, squamulis cervinis adspersum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, longitudine thoracis cum capite, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, a medio ad apicem valde angustatus,

apice leviter constrictus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, niger, crebre rugoso-punctatus, carinula longitudinali versus apicem magis elevata, ante basin desinente præditus, dilute cervino-squamosus, dorso brunneo variegatus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, latitudine plus duplo longiora, humeris antrorsum prominulis, sub-acutis, mox pone basin ampliata, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim sub-truncata, supra convexa, punctis sat magnis, profundis, squama cervina repletis, per paria approximatis striata, sutura interstitiisque alternis elevatis, costatis; tota nigra, squamulis cervinis dense adspersa. Corpus subtus nigrum confertim rugoso-punctatum, squamulis fusco-ferrugineis dense obsitum. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis fusco-cervinis tecti, antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, subtus bi-dentatis, dente exteriore parvo; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis.—BHN.

* 119. C. ASPERICOLLIS. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis supra fuscis subtus testaceis adspersus; capite rugoso, vertice carinato utrinque linea elevata in fronte haud tuberculata conjuncta notato; rostro valde arcuato, basi carinato et striolato; thorace rugoso-punctato, sub-granulato, argute carinato, apice valde angustato; elytris ocellato-punctato-striatis; interstitiis alternis carinatis; femoribus acutius bi-dentatis.

Patria: Mexico. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho orthomastico valde similis, sed statura paulo brevior et latior, frons non tuberculata, thorax brevior, lateribus magis ampliatus, rugis hinc illinc elevatioribus, elytra pone humeros magis dilatata, color squamarum obscurior. Caput rugosum, squamulis obscure silaceis parce adspersum, vertice carinato, utrinque linea parum elevata, in fronte sed non in tuberculo conjuncta, instructo; oculi sub-ovati, sub-convexi; rostrum longitudine capitis thoracisque, tenuiusculum, valde arcuatum, a basi ad medium striolato-rugosum et carinatum, dein subtilissime punctulatum, versus apicem paulo complanatum; piceum, glabrum, sub-nitidum. Antennæ medio rostri insertæ, tenuiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo bre-

vior, antice basi duplo angustior, apice supra modice rotundato-productus, infra oculos lobatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice vix angustatus, basi bi-sinuatus et marginatus, supra modice convexus, crebre rugoso-punctatus, intermixtis hinc illinc rugis elevatioribus, medio carina acuta apicem versus altiore, basin thoracis attingente instructus; totus parce fusco-squamosus, intermixtis squamulis nonnullis silaceis. Scutellum ovale. Elytra basi tri-sinuata, ibique thorace vix latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris antrorsum prominulis, acutis; mox pone basin ampliata, dein versus apicem sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, punctis parum profundis, squamula repletis seriatim striata, sutura interstitiisque alternis carinatis, squamulis obscure silaceis passim condensatis adspersa. Corpus subtus crebre, sat profunde punctatum, parum dense testaceo-squamosum. Pedes longiusculi, squamulis obscure silaceis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus dentibus duobus subacutis, exteriore minore, armatis; tibiis compressis extus nonnihil curvatis; tarsis longiusculis. — Rld.

120. C. Geminus. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis piliformibus cervinis adspersus; fronte infra oculos utrinque impressa; thorace sub-trigono, anguste carinato, sub-remote punctulato, lateribus et subtus albido-squamoso; elytris sulcato-punctatis; interstitiis alternis convexis, costatis, lineola humerali maculaque dorsali ante medium albido-squamosis; femoribus acute uni-dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Cryptorhyncho nebuloso magnitudine et statura subsimilis. Caput breve, convexum, nigrum, confertim rugoso-punctatum; vertice utrinque linea parum elevata in fronte sub-conjuncta, instructo, squamulis cervinis parce adspersum, infra oculos ad basin rostri utrinque leviter impressum; superciliis sub-elevatis; oculi sat magni, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, modice arcuatum, nigrum, basi crassius, ibique evidenter punctulatum, parce squamosum, extrorsum nudum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad thoracis basin non pertingentes, subtenues, ferrugineæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-sericea. Thorax subtrigonus, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis;

a basi apicem versus sensim angustatus, postice bi-sinuatus, lobo ante-scutellari emarginato; supra modice convexus, subtiliter remote punctulatus, punctis squamulis piliformibus, cervinis obsitis. lateribus et subtus postice albido-antice dilute cervino-squamosus; in medio dorsi carinula angusta, parum elevata, postice abbreviata, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra sub-ovata, antice thoracis basi latiora, humeris antrorsum sub-prominulis, pone humeros ampliata, paulo elevato-callosa, dein versus apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, profunde bifariam punctato-striata, punctis striarum oblongis, interstitiis alternis convexis, sub-costatis, alternis planis, versus latera pone medium omnibus convexis; nigra, squamulis piliformibus cervinis, apicem versus dilutioribus, adspersa, lineola parva humerali maculaque dorsali, ante medium, obsoleta, albido-squamosis, ornata. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, sat rude punctatum, squamulis cervinis præsertim apicem versus adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, dense silaceo-squamosi; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis rectis, apice intus uncinatis; tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Bhn.

121. C. Cinctellus. *Chevrolat.*

Ovalis, niger, squamulis densis cinereis et umbrinis variegatus; vertice carinato, linea arcuata elevata prædito; rostro basi carinato et striolato; thorace argute carinato, antice coarctato; elytris tenue punctato-striatis; interstitiis alternis carinatis; femoribus acute bi-dentatis.

Macromerus id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

Cryptorhyncho mangiferæ paulo minor. Caput rotundatum, squamis umbrinis et cinereis vestitum: vertice carina lineisque duabus elevatis, obliquis, antice in fronte coeuntibus instructo; oculi majusculi, sub-ovati, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenuiusculum, modice arcuatum, a basi ad medium carinatum et rugoso-striolatum, cæterum sub-læve, apice nonnihil complanatum, piceum nitidum, basi parce umbrino-squamosum. Antennæ paulo ante medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferru-

gineæ, clava ovata sub-obtusa. Thorax latitudine postica multo brevior, apice supra modice rotundato-productus, pone oculos parum lobatus, antice basi duplo angustior, lateribus ab apice ultra medium sensim ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus rotundatis, supra convexus, crebre rugoso-punctatus, carina acuta, versus apicem altiore instructus, antice granulis nonnullis sparsis præditus; totus squamis rotundatis, densis, cinereis et umbrinis vestitus. Scutellum rotundatum, umbrino-squamosum. Elytra antice thorace parum latiora et plus duplo longiora, sub-trigona, basi conjunctim tri-sinuata, humeris antrorsum prominulis, sub-acutis; pone humeros ampliata, dein versus apicem sensim rotundato-angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra valde convexa, punctis minutis, squamula repleta ocellatis, striaque tenui connexis, seriatim impressa, sutura interstitiisque alternis elevatis, carinatis, squamis densis cinereis, umbrinis paucisque nigris variegata. Corpus subtus crebre punctatum, dense umbrino-squamosum. Pedes longiusculi, squamis cinereis umbrinis nigrisque variegati; femoribus parum clavatis, dentibus duobus sub-acutis, exteriore minuto, armatis; tibiis basi arcuatis; tarsis longiusculis. — RLD.

122. C. BIANGULARIS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovalis, niger, ochraceo-squamosus; vertice linea arcuata, parum elevata, instructo; oculis sub-approximatis, orbitis frontalibus impressis; rostro tenui, basi carinato et punctulato; thorace sub-conico, crebre rugoso-punctato, carinato; elytris sub-trigonis, striato-punctatis; interstitiis alternis costatis, passim nigro maculatis, medio litura obliqua, albido-squamosa, decoratis; femoribus sub-acute uni-dentatis.

Macromerus id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho mangiferæ dimidio minor. Caput rugoso-punctatum, parce ochraceo-squamosum; vertice linea arcuata, elevata, antice sinuata, prædito, orbitis in fronte impressis; oculi parum convexi, in fronte sub-approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, teres, basi subrectum et sub-striato-punctatum, dein modice arcuatum, sub-læve, fusco-piceum, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, obtusa. Thorax sub-conoideus, latitudine baseos plus quam dimidio

brevior, apice supra paulo rotundato-productus, pone oculos modice lobatus, antice basi duplo angustior, lateribus perparum rotundatus, versus basin sensim latior, basi sub-marginatus et bi-sinuatus, lobo medio parum productiore, angulis lateralibus rotundatis, supra parum convexus, crebre minus profunde rugoso-punctatus, dorso carina parum elevata, ante scutellum sub-dilatata, instructus, squamis ochraceis, supra piliformibus et parcis, subtus et lateribus majusculis, ovatis et densis vestitus. Scutellum rotundatum, punctulatum. Elytra sub-trigona, basi thorace vix latiora, quam lata duplo longiora, basi leviter tri-sinuata, humeris antrorsum paulo prominulis, sub-acutis; mox pone basin ampliata, lateribus dein ad apicem sensim angustata, parum rotundata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, dorso antico planiuscula, punctis minutis, squamula repletis, seriatim impressa, interstitiis alternis cum sutura costatis; tota squamulis ochraceis sat dense vestita, maculis paucis, fuscis, hinc illinc adspersa; paulo ante medium in singulo elytro litura obliqua, albido-squamosa. Corpus subtus profunde disperse punctatum et in punctis squamosum. Pedes elongati, validiusculi, dense ochraceo-squamosi, postici dein antici longiores; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis linearibus canaliculatis, basi curvatis; tarsis longiusculis. — RLD.

* 123. C. STIPATOR. *Schh.*

Oblongo-ovalis, niger, supra squamulis dilute virescentibus lateribus et subtus dilute umbrinis tectus; antennis rufo-ferrugineis; rostro arcuato, basi carinato; thorace lato, inæquali, carinato; elytris punctis ocellaribus striatis, costis quatuor elevatis; femoribus acute bi-dentatis.

Cœlosternus dissimulatus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. Dom. KREUGER; in Mexico. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cryptorhynchi lapathi.* Caput globosum, nigrum; vertice squamulis dilute virescentibus tecto; fronte puncto impressa, umbrino-squamosa; vertice linea arcuata prædito; oculi fere globosi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, teres; minus crassum, valde arcuatum, rufo-ferrugineum, a basi ultra medium striolato-rugosum, tri-carinatum, squamulis umbrinis adspersum, dein confertim sat profunde punctulatum, glabrum.

nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius multo angustior, ibique leviter constrictus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, inæqualis, niger, longitudinaliter distincte carinatus, sat profunde punctatus; squamulis fusco-brunneis tectus, setulis raris crassis, nigris, obsitus, ante scutellum macula sat magna, silaceo-squamosa, lateribus et subtus squamulis brunneis, silaceis immixtis, dense tectus. Scutellum rotundatum, griseo-squamosum. Elytra oblongo-ovata, antice thoracis basi parum latiora, et illo triplo longiora, humeris antrorsum prominulis, acutis; lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-depressa, punctis sat magnis, squama in dorso virescenti versus latera crocea farctis, per paria approximatis striata, costis utrinque quatuor, acutis; tota nigra, dorso dilute virescenti-lateribus brunneo-squamosa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense dilute umbrino-squamosum. Pedes robusti, nigri, punctati, squamulis umbrinis setulisque pallidis dense tecti; femoribus modice clavatis, subtus pone medium acute bi-dentatis; tibiis curvatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 124. C. TRIANGULARIS. *Dejean.*

Ovatus, convexus, niger, squamulis cervinis tectus; rostro basi carinato; thorace subtiliter sub-remote punctulato, argute carinato, lateribus reticulatim niveo-strigoso; elytris obsolete striato-punctatis; interstitiis alternis elevatis, plaga magna basali, communi, subtriangulari, atro-squamosa, ornatis: femoribus bi-dentatis.

Macromerus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295.
Cryptorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col ed.* 1. p. 85.
Macromerus monachus. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 286.

Patria: Brasilia. A Dom. WESTERMANN et WALTL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cleogoni rubetræ*. Caput globosum, nigrum, punctatum, squamulis fusco-brunneis supra oculos argenteis adspersum, ibique transversim oblique carinatum; oculi magni, parum remoti,

ovati, nigri; rostrum capite thoraceque nonnihil longius, teres, subtenue, arcuatum, nigro-piceum, basi carinula in fronte usque producta præditum, striolato-rugosum, tum subtilissime punctulatum, basi albo-squamosum, apice glabrum, opacum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax subtriangularis, latitudine baseos nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; anterius multo angustior, lateribus a basi apicem versus sensim angustatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, remote subtiliter punctulatus, longitudinaliter carinatus, in ipsa basi transversim elevatus, rugoso-granulatus, dorso utrinque sub-depressus, squamulis brunneis parce adspersus, linea utrinque valde angusta laterali, nonnullis inferius in triangulos connexis thoraceque subtus niveo-squamosis. Scutellum rotundatum, nigrum, griseo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora et latitudine baseos dimidio longiora, humeris antrorsum prominulis, sub-acutis; mox pone basin ampliata, dein apicem versus sensim angustata, apice valde declivia, conjunctim acute rotundata, supra valde convexa, obsolete striatim punctata, punctis striarum valde remotis, interstitiis alternis antice posticeque modice in dorso magis elevatis; nigra, squamulis griseo-brunneis pallidis immixtis dense tecta, basi plaga magna, triangulari, communi, atro-squamosa, ornata. Corpus subtus nigrum, punctatum, umbrino-squamosum. Pedes elongati, nigri, squamulis setulisque brunneis tecti; coxis anticis tuberculo munitis; femoribus parum incrassatis, subtus pone medium obsolete bi-dentatis; tibiis subrectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

GENUS 305. METADUPUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, 2° fere duplo longiore quam 1°, sub-obconicis, reliquis rotundatis; clava oblongo-ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, paulo arcuatum.

Oculi sub-laterales, fere rotundati, parum convexi.

Thorax basi profunde bi-sinuatus, antrorsum multo angustior, versus apicem valde coarctatus, antice supra rotundato-productus.

Elytra sub-ovata, convexa, humeris obtuse angulatis.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, convexum, inæquale, squamosum, alatum; mediæ magnitudinis. — *Antennæ* mox pone medium rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° seu scapo oculos vix attingente, subrecto, clavato, 2° et 3° elongatis, sub-conicis, illo fere duplo breviore, 4-8 brevibus, rotundatis, modice distantibus, sub-æqualibus, exterioribus vix crassioribus; clava oblonga, ovalis, fere spongiosa, articulis arctissime connexis, vix discernendis. — *Caput* rotundatum, modice convexum. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, validiusculum, lineare, teres, paulo arcuatum, inflexum; scrobe laterali, lineari, ad angulum inferum oculi protensa. — *Oculi* sub-laterales, paulo demissi, sub-rotundati, inferne parum acuminati, nonnihil convexi. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi profunde bi-sinuatus, lateribus basi subrectis, anterius subito angustior, valde coarctatus, apice in medio modice rotundato-productus, lateribus profunde emarginatus, pone oculos vix lobatus; rima pectoralis usque fere inter pedes intermedios continuata, profunda. — *Scutellum* mediocre, rotundatum, paulo elevatum. — *Elytra* sub-ovata, thoracis basi dimidio latiora illoque fere triplo longiora, basi singulatim leviter sinuata, humeris obtuse angulatis; supra convexa, versus apicem callosa, apice ipso conjunctim rotundata, pygidium obtegentia. *Pedes* mediocres, validiusculi, sub-æquales; femoribus in medio modice incrassatis, subtus dente mediocri armatis; tibiis comprimatis, nonnihil curvatis, apice unco valido instructis: tarsis longiusculis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Metadupus nodatus.*

A μετάδουπος intermedius.

Patria : Mexico.

Observ. — Generi *pinaro* statura corporis paulo associatum; differt imprimis antennarum structura, situ oculorum, etc. *Cryptorhyncho* generi etiam proximum, sed notæ in descriptione indicatæ, hæc genera distinguunt.

1. M. NODATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis silaceis et umbrinis tectus et variegatus; rostro crebre punctulato; thorace in medio breviter carinato, utrinque tuberculo parvo instructo, dorso umbrino-lateribus silaceo-squamoso: elytris inæqualibus, sat regulariter remote seriatim punctatis, apice silaceo-squamosis, sutura postice modice elevata: interstitio secundo tri-tuberculato.

Pinarus.? id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Vera Crux in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Habitus fere *Cryptorhynchi stigmæ*, nonnihil tamen minor. Caput rotundatum, supra convexum, crebre punctulatum, nigrum, squamulis silaceis umbrinis maculatim condensatis tectum et variegatum; fronte depressa, medio puncto profundo insculpta; oculi sat magni, rotundati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validiusculum, fere rectum, apicem versus nonnihil deplanatum, basi evidenter apicem versus subtiliter punctulatum, a basi ultra medium certo situ obsolete carinatum, nigro-piceum, fere glabrum. Antennæ subtenues, rufescentes, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine postica fere brevior, a medio apicem versus subito angustatus, apice supra in medio modice rotundato-productus, lateribus profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; intra apicem late coarctatus et transversim impressus, lateribus a medio ad basin subrectis; postice profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, utrinque in medio tuberculo carinæformi parum elevato et in medio dorsi carinula antice posticeque valde abbreviata instructus, niger, dorso plaga magna, antice attenuata, umbrino cervinoque variegata, decoratus, lateribus et subtus silaceo-squamosus, obsoletissime umbrino variegatus, setulis pallidis et fuscis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, cervino-squamosum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi vix dimidio latiora, humeris nonnihil lateraliter extensis, obtuse angulatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, ante apicem tuberculo parvo instructa, thorace fere triplo longiora, supra convexa, postice declivia, parum profunde minus regulariter striato-punctata, punctis remotis, medio profundioribus, interstitiis antice posticeque lævibus, medio trans-

versim rugosis, secundum a sutura tuberculis tribus, validis, oblongis, setiferis, instructum, sutura mox pone medium nonnihil elevata; nigra, a basi ultra medium umbrino cervinoque variegata, dein apicem versus silaceo-squamosa. Corpus subtus remote punctatum, læte miniato-squamosum, parce pallido-setulosum; abdomine bifariam fusco maculato. Pedes ferruginei, læte miniato-squamosi et parce pallido-setulosi; femoribus modice clavatis, subtus dente mediocri armatis; tibiis compressis, basi nonnihil arcuatis.

Bhn.

2. M. Apicatus. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-squamosus; rostro evidenter confertissime ruguloso-punctato, tenue carinato; thorace in medio transversim quadri-tuberculato; elytris inæqualibus, minus regulariter punctato-striatis, sutura pone medium in tuberculo valido, acuto, protensa; interstitiis dorsalibus antice tuberculatis, omnibus granulatis.

Pinarus.? id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Toulcpec in Mexico. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Magnitudo et fere statura præcedentis, rostro evidenter punctulato, carinato, thorace quadri-tuberculato; elytrorum sutura pone medium in tuberculo valido protensa, ut et colore indumenti, etc., ab illo bene distinctus. Caput mediocre, rotundatum, supra modice convexum, punctulatum, nigrum, griseo-squamosum; fronte impressa, foveola parva insculpta; oculi sub-rotundati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, validiusculum, paulo arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, confertissime ruguloso-punctatum, carinula tenui, longitudinali, ante apicem abbreviata, instructum, nigrum, opacum, basi parce squamosum. Antennæ ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, atro-holosericea. Thorax latitudine postica brevior, apice supra, modice rotundato-productus, utrinque late emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, obtusis; intra apicem late coarctatus et transversim impressus, mox pone stricturam ampliatus, dein lateribus rectis, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, fere in medio tuberculis quatuor parvis, transversim locatis instructus, margine apicali utrinque etiam nonnihil elevato; obsolete remote punctulatus, niger, dorso obscure lateribus

dilutius griseo-squamosus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, concolor. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris lateraliter nonnihil extensis, obtuse angulatis; pone humeros usque ad apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, ante apicem obtuse callosa, minus regulariter parum profunde punctato-striata, sutura pone medium in tuberculo valido, acuto, protensa, interstitiis omnibus sub-convexis, fere seriatim granulatis, secundum tri-quartum bi-tuberculatum, tuberculis modice elevatis, obtusis; tota nigra, griseo-squamosa. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, squamulis griseis, minus dense obsitum. Pedes nigri, griseo-squamosi, parce pallido-setulosi; femoribus modice clavatis, dente mediocri, sub-obtuso, armatis; tibiis sub-teretibus, basi paulo arcuatis.

BHN.

GENUS 306. CAMPTORHINUS. *Nobis.*

Camptorhinus SCHH. (1), DEJEAN. — *Rhynchænus* FABR., OLIV. — *Curculio* HERBST, SPALRM. — *Rhinodes* STURM.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus elongatis, ob-conicis, reliquis brevibus, apice sub-truncatis, paulo coarctatis, crassitudine paulatim crescentibus; clava obtuse ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, sub-teres, paulo arcuatum.

Oculi laterales, demissi, sub-ovati, depressi.

Thorax oblongus, basi obsolete bi-sinuatus, lateribus æqualiter rotundatus, versus apicem subito angustior, antice productus; rima thoracis infera inter pedes anticos protensa, argute marginata.

Elytra elongata, sub-cylindrica; humeris obtuse angulatis.

Pedes antici, præsertim vero postici, longi; femora basi compri-mata, postica ultra elytrorum apicem extensa.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-cylindricum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut mediocris, aut majoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium haud pertingentes, in medio rostri insertæ, minus tenues, fractæ, verisimile 12-articulatæ: articulo 1° oculum non attingente, recto, clavato, 2° et 3° elongatis, obco-

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 283. GENUS *Cryptorhynchus*, subgenus B. *Camptorhinus*

nicis, illo paulo longiore, 4-8 brevioribus, apice sub-truncatis, gradatim paulo crescentibus, sub-coarctatis, ultimo sæpissime clavæ adpresso; clava obtuse ovali, 3 vel 4-articulata, articulis arctissime conjunctis. — *Rostrum* capite duplo longius; validiusculum, subteres, modice vel parum arcuatum, inflexum; scrobe in medio rostri incipiente, ad oculum protensa, lineari. — *Oculi* laterales, demissi, infra caput fere connexi, sub-ovati, depressi. — *Thorax* latitudine longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus aqualiter rotundatus, versus apicem cito angustior, haud coarctatus, antice in medio valde productus, pone oculos lobatus, supra convexus; canalis inferus pone pedes anticos protensus, argute marginatus, in pectore non continuatus. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* medio thoracis haud latiora, eoque triplo vel quadruplo longiora, sub-cylindrica, basi sub-truncata, humeris obtuse angulatis, lateribus subrecta, supra convexa, versus apicem obsolete callosa, apice ipso conjunctim sub-rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* antici, præsertim vero postici, longi; femoribus parum incrassatis, basi comprimatis, subtus denticulo instructis, posticis ultra elytrorum apicem extensis; tibiis apice anco minuto armatis, aut teretiusculis, anticis arcuatis, posterioribus rectis, aut omnibus validis, compressis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo bilobo, aut dilatato, aut sub-angustato, apicali parum clavato, biunguiculato.

Typus. — *Camptorhinus pilipes.*

A καμπτὸς incurvus, flexus, ῥὶν nasus.

Patria : Cap. Bonæ Spei, India orientalis, Europa meridionalis.

Observ. — Multa cum *Cryptorhyncho* genere communia quidem hoc genus habet, propriam vero et ab eodem genere diversam faciem reddunt forma longior corporis magisque cylindrica et femora postica elongata.

* 1. C. Pilipes. *Fabricius.*

Elongatus, nigro-piceus, squamulis silaceis tectus; rostro brevi, subtenui, subrecto, striolato-rugoso, versus apicem utrinque crenulato; thorace confertim punctato, antice obsolete carinato; elytris ferrugineis, obsolete punctato-striatis; pedibus valde elongatis; femoribus vix clavatis, denticulo acuto armatis; tibiis anticis arcuatis, intus longe dense pallido ciliatis.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 468. 145.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 188. 168. T. 22. f. 298.

Patria: Insula Java. Mus. Schh.

Observ.—Statura et summa similitudo *Camptorhini tibialis*, nonnihil major; elytris obsolete punctato-striatis, pedibus magis elongatis, femoribus tantum denticulo parvo, acuto, armatis, tibiis anticis arcuatis, longe ciliatis, etc., ab illo facile distinctus. — Bhn.

2. C. Tibialis. *Sparrman.*

Oblongus, niger, squamulis griseis tectus; rostro subtenui, ferrugineo, rugoso-punctato, obsolete carinato; thorace confertim subtilius punctato; elytris profunde striato-punctatis, interstitio 2° postice elevato, plaga dorsali, communi, fusca, notatis; pedibus elongatis; femoribus acute dentatis; tibiis anticis intus ciliatis.

Curculio id. Sparrman. *Acta Holm.* 1785. I. p. 43. 7. T. 2. f. 7.
Oliv. *Enc. méth.* p. 566. 28.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1770. 270.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Longitudo *Brachyderi incani*, sed angustior, oblongus, sub-cylindricus. Caput parvum, globosum, confertim punctulatum, squamulis fusco-griseis dense tectum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, subtenue, parum arcuatum, ferrugineum, rugoso-punctatum, medio obsolete carinatum, basi squamulis fusco-griseis vestitum, dein nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis fere pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava elongata, sub-cylindrica, obtuse acuminata. Thorax latitudine baseos multo longior, apice rotundato-productus, anterius multo angustior, coarctatus et transversim impressus, lateribus modice ro-

tundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, niger, confertim subtilius punctatus, squamulis fusco-griseis dense adspersus, versus latera magis condensatis. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum, griseo-squamosum. Elytra elongata, antice thoracis basi nonnihil latiora et illo quadruplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, versus apicem usque linearia, apice angustata, declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, dorso fere plana, ante apicem callo acuto instructa, striata, striis profunde punctatis, interstitiis angustis, sub-convexis, sutura postice et interstitium secundum pone medium elevatis, carinatis; tota nigra, squamulis fusco-griseis dense tecta, in medio dorsi plaga communi, sat magna, obsoleta, fusca. Corpus subtus nigrum, squamulis griseo-silaceis dense tectum, abdomine bifariam brunneo maculato. Pedes elongati, nigri, squamulis et papillis griseo-flavescentibus tecti; antici et postici longitudine æquales, intermedii breviores; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis medio nonnihil dilatatis, anticis intus ciliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

3. C. Porcatus. *Fabricius.*

Oblongus, niger, læte griseo-squamosus; rostro subtenui, ferrugineo, rugoso-punctato; thorace confertim evidenter punctato, dorso sub-denudato, antice tenue carinato; elytris profunde striato-punctatis; interstitiis magis convexis, 2° postice elevato, plaga dorsali, communi, atra, decoratis; pedibus posticis elongatis; femoribus omnibus acute dentatis; tibiis intermediis intus ciliatis.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 466. 139.

Patria: Sumatra Dom. Daldorff. Ex Musæo Reg. Danic. descriptus.

Statura et summa similitudo *Camptorhini tibialis*, dimidio tamen minor, thorace evidenter punctato, antice carinato, dorso denudato, elytrorum plaga distincta, atro-squamosa, tibiisque intermediis ciliatis ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, sat crebre punctulatum, nigrum, griseo-squamosum; oculi laterales, ovati, depressi, brunnei; rostrum thorace brevius, teres, subtenue, modice arcuatum, sat crebre rugoso-punctatum, obscure ferrugineum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, minus tenues, ferrugineæ, vix pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior,

apice supra rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus longe productis: anterius angustior, intra apicem coarctatus et transversim impressus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra convexus, crebre evidenter punctatus, dorso antico carinula angusta, parum elevata, notatus; niger, dorso longitudinaliter fere denudatus, lateribus et subtus dense griseo-squamosus. Scutellum rotundatum, nigrum, griseo-squamosum. Elytra elongata, sub-cylindrica, antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, supra carinatis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, a basi apicem versus fere linearia, apice ipso conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, dorso fere plana, postice paulo declivia, ante apicem callo acuto instructa, profunde crebre punctato-striata, interstitiis angustis, sub-convexis, sutura postice et interstitio secundo pone medium elevatis, carinatis; tota nigra, dense griséo-squamosa, plaga dorsali, communi, a basi ultra medium extensa, antice attenuata, atro-squamosa, decorata. Corpus subtus nigrum, squamulis fuscis et griseis variegatum. Pedes nigro-picei, griseo-squamosi, anterioribus longitudine æquales, postici magis elongati; femoribus omnibus clavatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis sub-teretibus, rectis, intermediis intus dense pallido ciliatis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 4. C. BRULLEI. *Schh.*

Oblongus, niger, griseo-squamosus; rostro tenui, basi profundius dein subtiliter punctato; thorace profunde sat crebre punctato, antice obsolete carinato; elytris confertim rude punctato-striatis; interstitiis alternis dorsalibus elevatis, muricatis, plaga dorsali communi, nigro-fusca, apice niveo marginata, decoratis; tibiis anticis intus apicem versus ciliatis.

Patria: Madagascar. A Dom. SCHUPPEL et BRULLÉ amice communicatus. Mus. SCHH.

Habitus et summa similitudo *Camptorhini statuæ*, nonnihil tamen longior; rostro remotius punctato, vix carinato, thorace longiori, antice tenue carinato, elytris profundius punctato-striatis, tibiis anticis intus ciliatis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, crebre punctulatum, nigrum, dense griseo-squamosum; oculi ovati, sub-depressi, brunnei; rostrum thorace brevius, teres, tenue, modice arcuatum, basi crebre sat profunde apicem versus subtilius magis

remote punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, minus tenues, obscure ferrugineæ, vix pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior, supra apice valde rotundato-productus, lateribus emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, obtusis; basi apiceque angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice obsolete bi-sinuatus, supra convexus, profunde sat crebre punctatus, in dorso antico carinula obsoleta, instructus, niger, opacus, dorso parce lateribus et subtus dense griseo-squamosus. Scutellum parvum, sub-elevatum, oblongum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra elongata, sub-cylindrica, antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, non ampliata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, dorso fere plana, postice modice declivia, ante apicem vix callosa, profunde crebre punctato-striata, interstitiis angustis, alternis dorsalibus elevatis, sub-muricatis, ante apicem desinentibus; tota nigra, dense griseo-squamosa, plaga dorsali communi, a basi ultra medium extensa, fusco-squamosa, postice late albido-marginata, interdum macula laterali ante medium nivea, decorata. Corpus subtus nigrum, squamulis griseis et fuscis variegatum. Pedes elongati, validi, nigri, griseo-squamosi, intermedii breviores et tenuiores; femoribus omnibus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis rectis, anticis intus a medio ad apicem dense pallido ciliatis.—BHN.

Dom. BRULLÉ. Auctor plurium operum entomologicorum, quare hoc modo illi reverentiam meam tribuere volui.

* 5. C. EPHIPPIGER. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis griseis tectus; rostro subtenui ferrugineo, basi profundius dein subtiliter punctato; thorace confertim punctato, antice carinato; elytris profunde confertim punctato striatis, interstitio 2° postice elevato, plaga dorsali communi, nigro-fusca, apice late niveo marginata, ornatis; femoribus acute dentatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECHLON, ZEYHER et DRÈGE ad describendum amice communicatus.

Habitus omnino et fere magnitudo *Camptorhini statuæ*, aliter coloratus, thorace antice carinato, ab illo facile distinctus. Caput

parvum, globosum, punctulatum, nigro-piceum, squamulis griseis dense tectum; oculi ovati, infra connexi, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace brevius, subtenue, teres, modice arcuatum, ferrugineum, basi profundius apicem versus subtiliter remote punctulatum, basi squamulis griseis adspersum, dein nitidum, glabrum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, supra apice rotundato-productus, anterius multo angustior, ibique leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, dorso antico distincte carinatus, niger, squamulis griseis dorso parcius versus latera dense obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, elevatum, nigrum, dense griseo-squamosum. Elytra elongata, antice conjunctim sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rotundatis, lateribus non ampliata, apicem versus angustata, apice ipso singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, dorso fere plana, postice declivia, ante apicem callo parvo, acuto, instructa, sat profunde punctato-striata, punctis striarum oblongis, interstitiis angustis, sub-convexis, secundum a sutura reliquis posterius magis elevatum, carinatum; tota nigra, squamulis griseis dense vestita, a basi ultra medium plaga dorsali, elongata, communi, nigro-fusca, apice late niveo marginata, ornata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis silaceis dense tectum, setulis brevissimis, pallidis, parce adspersum; abdomine bifariam obsolete fusco maculato. Pedes elongati, nigri, griseo-squamosi; femoribus parum clavatis, subtus pone medium dente acuto armatis: tibiis medio nonnihil dilatatis, non procul a basi fusco annulatis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus cinereo-spongiosis.

Observ. — Variat etiam dimidio minor, magis obscurus. Vix tamen distinctus. - BHN.

* 6. C. Statua. *Fabricius.*

Elongatus, niger, squamulis atris adspersus; antennis rostroque ferrugineis; rostro subtenui, parum arcuato, punctato; thorace, subgloboso, crebre punctato; elytris profunde punctato-striatis; interstitiis alternis dorsalibus elevatis, carinatis, macula pone medium transversa, communi, albida, ornatis; femoribus acute dentatis. — Bhn.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 468. 146.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 188. 169. T. 22. f. 299.

Curc. id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 430. 152.

Rossi, *Fn. Etrusca.* I. p. 122. 313. T. 5. f. 4. 8. — Ed. Hellw. I. p. 131. 313. T. 5. f. 4. 5.

Herbst, *Col.* VI. p. 465. 473.

Cryptorhynchus id. Ahrens, *Fn. Ins. Eur.* VII. Tab. 10.

Rhinodes id. Sturm, *Ins. Cat.* 1826. p. 190.

Patria : Tauria, Italia, Gallia, Germania meridionalis.

Observ. — Longitudo *Pissodis pini* sed multo angustior; variat etiam dimidio minor.

7. C. Dorsalis (1). *Chevrolat.*

Elongato-oblongus, cinereus; elytris grosse striatim punctatis; thorace supra, coleopteris plaga dorsali oblongo-quadrata, nigris. — Boisduval.

Camptorhynchus id. Boisduval, *Voy. de l'Astrol.* p. 434.

Patria : Nova Hollandia.

8. C. Tubulatus (2). *Say.*

Say, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 20. 8.

Patria : Indiana.

Genus 307. CYAMOBOLUS. *Nobis.*

Cryptorhynchus Sturm. — *Camptorhinus* Dejean, Schh. olim.

Character generis.— Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo

(1) Mihi invisus.

(2) Vix hujus generis, mihi invisus.

7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, 2° paulo longiore, reliquis brevibus, rotundatis; clava obtuse ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, sub-teres, versus apicem perparum deplanatum, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, sub-depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius cito angustior, coarctatus, antice rotundato-productus, pone oculos plus minusve distincte lobatus.

Elytra oblongo-ovata, basi in plerisque leviter bi-sinuata, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa.

Pedes robusti, antici posticique longiores; femora parum incrassata; tibiæ comprimatæ.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, convexum, durum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut majusculæ, aut mediæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, versus medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 3° nonnihil longiore; 4-8 brevibus, rotundatis, paulo distantibus, gradatim crassitudine perparum crescentibus, ultimo clavæ haud adpresso; clava obtuse ovali, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* vix longitudine thoracis, validiusculum, sub-teres, versus apicem paulo deplanatum, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, breviter ovati, parum convexi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, anterius subito angustior, apice coarctatus, antice in medio rotundato-productus, pone oculos plus minusve distincte lobatus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, profunda, elevato-marginata. — *Scutellum* apice rotundatum, sub-elevatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo fere triplo longiora, oblongo-ovata, basi leviter bi-sinuata, humeris obtuse angulatis, in plerisque antrorsum paulo prominulis, angulos thoracis includentibus; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso in plerisque singulatim sub-rotundata, in nonnullis in spinam communem paulo elongatam producta, supra modice convexa, dorso sub-depressa, postice declivia, vix callosa, pygidium obtegentia. — *Pedes* longiusculi, robusti, antici et postici longiores, sub-æquales, medii breviores; femoribus parum incrassatis, subtus aut muticis, aut obsolete dentatis; tibiis subrectis, comprimatis, apice unco

valido intus instructis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κυαμοβόλος, qui suffragium fert.

Typus. — *Cyamobolus Dehaani.*

Patria: Insula Java.

Observ. — *Camptorhino* generi proximum, sed structura antennarum femorumque basi aliquanto diversa, ut et forma habitualis aliena. Genus hocce habitu generi *Ithyporo* etiam paulo appropinquat.

5♀ 1. C. Falleni. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis flavescentibus et umbrinis maculatim variegatus; rostro parum arcuato, apicem versus nonnihil ampliato; thorace antice constricto, remote tuberculato; elytris striato-punctatis; interstitiis convexis, granulatis, apice mucronatis; femoribus obtuse dentatis.

Habitat in insula Java. Dom. De Haan et Mellerborg. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et Mus. Schh.

Statura *C. Dehaanii*, sed dimidio major. Caput globosum, nigrum, obsolete remote punctulatum, squamulis umbrinis tectum, inter oculos leviter impressum; oculi laterales, ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, parum arcuatum, nigrum, rugoso-punctulatum, supra præsertim apicem versus planum, apice nonnihil dilatatum, glabrum, nitidum. Antennæ ad dimidium thoracis pertingentes, nigro-piceæ, parum pubescentes, clava ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo longior, lateribus perparum rotundatus, apice basi duplo angustior rotundato-productus, intra apicem valde constrictus, et transversim impressus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, tuberculis remotis, parum elevatis, nitidis, hinc inde magis condensatis, obsitus, squamulis umbrinis flavescentibus immixtis, variegatus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum, nitidum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, latitudine baseos triplo longiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso in spinam communem parum elongatam producto; supra modice convexa, dorso sub-depressa, postice parum declivia, late striata, striis in fundo profunde punctatis, interstitiis

angustis, convexis, granulis remotis obsitis; tota nigra, squamulis umbrinis et pallide flavescentibus maculatim variegata; singulo elytro in dorso antico macula distincta e squamulis pallidioribus notato. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dilute cervino-squamosum. Pedes elongati, robusti, nigri, squamulis dilute cervinis tecti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, apice umbrino-annulatis, subtus pone medium dente obtuso armatis; tibiis in medio annulo fusco-umbrino, decoratis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

Dom. C. F. FALLEN, Professor Londini Gothorum, in patria meritissimus Entomologiæ auctor, qui claram lucem in Suecia post Linnæum minus extricatis ordinibus Hemipteris et Dipteris expandit. — D. XXVI Aug. MDCCCXXX denatus. — SCHH.

♂♀ 2. C. DEHAANII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, maculis griseis atrisque variegatus; thorace rugoso-punctato, medio griseo-lineato; elytris striato-punctatis; interstitiis rugulosis; femoribus intermediis obtuse dentatis.

Cryptorhynchus irroratus. Dom. DE HAAN *in Litteris.*

Camptorhinus lineatocollis. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.

Cryptorhynchus id. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 128.

Habitat in insula Java.

Statura fere *Cryptorhynchi lapathi*, sed multo major; *Cœlosterno cylindricorni* æqualis. Caput globosum, inter oculos impressum, nigrum, punctatum, punctis squamulis griseis repletis; oculi globosi, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, nonnihil arcuatum, punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ ad dimidium thoracis pertingentes, nigræ, parum pubescentes. Thorax latitudine baseos vix longior, lateribus perparum rotundatus, apice basi duplo angustior, modice rotundato-productus, intra apicem leviter constrictus, niger, grisescens, irregulariter rugoso-punctatus, hinc inde, præsertim versus latera et subtus, squamulis griseis adspersus, in medio linea angusta e squamulis condensatis ejusdem coloris notatus, quæ usque in frontem continuatur. Scutellum squamulis griseo-brunnescentibus tectum. Elytra thorace paulo latiora, latitudine baseos fere triplo longiora, pone medium usque linearia, tum versus apicem sensim angustata, apice declivia, singulatim rotundata, supra sub-depressa, striata,

striis in fundo profunde punctatis, punctis squamulis holosericeo-atris impletis, cæterum griseo-nigrescentia, squamulis pallide griseis, in undulis hinc illinc fere confluentibus, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes nigri, punctati, squamulis et pilis griseis obsiti; antici et postici longitudine æquales; intermedii nonnihil breviores.

Mannerheim.

♂ 3. C. Sturmii. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis pallide cervinis adspersus; rostro breviori, modice arcuato; basi obsolete carinato; thorace profunde rugoso-punctato, silaceo tri-lineato; elytris striato-punctatis, interstitiis subtiliter granulatis, singulo linea laterali et suturali, abbreviatis, fascia angusta pone medium transversa dense silaceo-squamosis; femoribus posterioribus obsoletissime dentatis.

Habitat in insula Java. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. et Mus. Schh.

Longitudo *Cryptorhynchi Dehaanii*, sed multo angustior. Caput globosum, nigrum, punctulatum, punctis squamulis silaceis repletis, inter oculos longitudinaliter obsolete canaliculatum; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum thorace multo brevius, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, basi striolato-rugosum, obsolete carinatum, silaceo-squamosum, dein obsolete remote punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, piceæ, parum pubescentes, clava breviter ovata, sub-obtusa, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, lateribus parum rotundatus, apice basi duplo angustior, modice rotundato-productus, intra apicem leviter constrictus, basi bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum nonnihil productis, supra fere planus, niger, profunde sed minus confertim rugoso-punctatus, squamulis cervinis parce adspersus, in medio linea angusta longitudinali recta et versus latera utrinque alia obliqua e squamulis silaceis. Scutellum rotundatum, squamulis silaceis dense tectum. Elytra antice thorace paulo latiora, et latitudine baseos triplo longiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis rotundatis; lateribus inflexa, pone medium usque linearia, tum versus apicem sensim angustata, apice declivia, singulatim rotundata, supra modice convexa, dorso sub-depressa, striata, striis in fundo profunde punctatis, interstitiis parum convexis, remote subtiliter granulatis; tota nigra, squamulis cervinis parce adspersa, li-

nea angusta laterali pone medium abbreviata, lineola juxta suturam, non vero in sutura longe ante medium desinente fasciaque transversa angusta postice locata e squamulis condensatis silaceis, ornata. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis et setulis silaceis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, anticis muticis, posterioribus subtus dente obsoleto instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

Dom. JAC. STURM. Plura historiæ naturalis opera eximia edidit. Unus ex primis amicis æstimatissimis, qui litteras mecum mutaverunt. — SCHH.

4. C. CHARPENTIERI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, dilute umbrino-squamosus; rostro modice arcuato, subtiliter punctulato; thorace profunde minus crebre punctato, niveo variegato, dorso sub-carinato; elytris niveo punctatis, punctato-striatis: interstitiis granulatis, alternis magis elevatis.

Habitat in insula Java. A Dom. DE HAAN et in ins. Timor; a Dom. WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi dimidio major. Caput parvum, globosum, nigrum, subtiliter sat crebre punctatum, squamulis pallidis parce adspersum, inter oculos leviter impressum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, parum arcuatum, piceum, subtiliter punctulatum, apice nonnihil dilatatum, deplanatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice paululum rotundato-productus, mox pone apicem angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis majusculis, minus crebris, in dorso antico rarioribus impressus, superficie reliqua subtilissime coriacea, dorso antico obsolete carinatus: totus niger, squamulis dilute umbrinis sat dense obsitus, versus latera maculis niveo squamosis, variegatus. Scutellum rotundatum, nigrum, subtilissime punctulatum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace parum latiora, illoque vix triplo longiora, humeris rotundatis, apicem versus angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, in-

terstitiis alternis elevatis, magis crebre granulatis, alternis planis, granulis remotis obsitis; tota nigra, dilute umbrino-squamosa, punctis numerosis sparsis niveis, variegata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, squamulis pallidis adspersum. Pedes elongati, robusti, nigri, punctati, squamulis albidis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis anticis arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

Dom. T. De Charpentier, auctor excellentis operis *Horæ Entomologicæ*, quod minus explicatis ordinibus *Orthopteris* et *Neuropteris* magnam lucem fundit. — Schh.

Genus 308. — MACROMERUS. *Nobis.*

Macromerus Schh. (1), Dejean. — *Poecilma* Germar. — *Cryptorhynchus* Sturm, Dejean olim. — *Rhynchænus* Fabr., Olivier.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, ob-conico, 2-4 elongatis, clavatis, priore reliquis fere duplo longiore, 5-7 brevibus, sub-rotundatis, gradatim paulo latioribus; clava ovalis.

Rostrum longum, sub-filiforme, sub-teres, modice arcuatum, basi paulo crassius, versus apicem nonnihil deplanatum.

Oculi breviter ovati, parum convexi, sub-approximati.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus paulo rotundatus, anterius multo angustior, versus apicem sub-coarctatus, antice in medio modice rotundato-productus, apice lateribus sinuato-emarginatus, pone oculos minus distincte lobatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, humeris obtuse angulatis; versus apicem sensim attenuata, lateribus parum rotundata, supra modice convexa, dorso sub-depressa.

Pedes validi; antici præsertim in masculis longissimi; femora parum incrassata, subtus denticulata; tibiæ sub-teretes; tarsorum articulo basali valde elongato, in masculis villoso.

Observ. — Corpus oblongo-sub-ovatum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut majusculæ aut mediæ magnitudinis. — Respectu habitus generi *Cryptorhyncho* simile est, differt vero secundo

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 285. 165.

funiculi articulo quam primo longiore, articulo etiam primo tarsorum valde elongato. — Cum genere *Cœlosterno* quidem in multis conveniunt hujus generis species, dignoscuntur autem diversitate antennarum, oculis sub-approximatis, ut et forma corporis alia.

♀ 1. M. CHIMARIDIS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, ater; thorace profunde sat crebre rugoso-punctato: carinula longitudinali abbreviata notato, maculis tribus baseos lineaque apicali retrorsum flexa, niveo-squamosis, ornato; elytris niveo fasciatis et maculatis, profunde punctato-striatis; interstitiis convexis, granulatis; pedibus anticis longis, femoribus omnibus dentatis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 462. 118.
Macromerus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.
Curculio Chimaris. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 424. 129.
HERBST, *Col.* VI. p. 209. 172. T. 74. f. 9. ♂.
Rhynchænus lanipes. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 169. 142. T. 11. f. 130.
Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 506. 160.

Patria : America meridionalis; ins. Ste - Lucie et Guadeloupe.

♂♀ 2. M. CRINITARSIS. *Germar.*

Rhombicus, niger, supra parce subtus dense silaceo-squamosus; thorace remote profunde punctato, dorso longitudinaliter late impresso, medio carinula antice posticeque abbreviata notato; elytris sat profunde punctato-striatis, irregulariter tuberculatis, fascia postica dense silaceo-squamosa ornatis; femoribus obtuse dentatis; tarsis aureo-villosis. — BHN.

Mas : pedibus anticis longissimis, tibiis intus bi-sinuatis, crenulatis, tarsis subtus pilis aureis plumatis.

Femina : pedibus anticis elongatis, tibiis vix arcuatis, intus ante medium nonnihil ampliatis, non crenulatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.

Poecilma crinitarse. GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 253. 384. T. 1. f. 8. ♂.
Cryptorhynchus crinitarsis. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 128.
Macromerus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.
Cryptorhynchus macropus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Patria : Brasilia.

*, 3. M. CLAVIPES. *Dejean.*

Rhombicus, niger, squamulis cervinis atrisque variegatus; thorace profunde remote punctato, carinato, utrinque vitta pallida notato: elytris profunde punctato-striatis, interstitiis sub-elevatis, granulatis, macula supra-humerali fasciaque postica, dilute ochraceo-squamosis, decoratis.

Mas: pedibus anticis longissimis, tibiis apicem versus inflexis, tarsis subtus longe et dense brunneo ciliatis.

Femina: pedibus anticis elongatis, femoribus evidenter dentatis, tibiis apicem versus vix arcuatis, tarsis subtus fulvo-spongiosis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.

Patria: Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Macromero crinitarsi statura subsimilis, nonnihil minor et abunde distinctus. Caput globosum, nigrum, sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatum, squamulis pallidis adspersum; oculi sat magni, ovati, in fronte sub-approximati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, inflexum, tenue, teres, arcuatum, nigrum, basi obsolete carinatum, subtiliter crebre rugoso-punctulatum, parce squamosum, dein glabrum, nitidum, obsolete punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, coarctatus, lateribus pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, lobo scutellari sub-obtuso munitus, supra modice convexus, niger, remote sat profunde punctatus, dorso longitudinaliter carinatus, carina antice abbreviata, squamulis umbrinis atrisque variegatus, utrinque in dorso vitta arcuata, pallido-squamosa, ornatus. Scutellum rotundatum, nigrum, parce albido-squamosum. Elytra oblongo-triangularia, antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, thorace fere triplo longiora, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso fere plana, basi transversim impressa, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-elevatis, alternis crebre alternis remote granulatis; tota nigra, squamulis umbrinis atrisque variegata; supra humeros macula sat magna et pone me-

dium fascia communi, medio singuli elytri nonnihil dilatata, e squamulis dilute ochraceis, ornata. Corpus subtus nigrum, squamulis pallide ochraceis adspersum; pectore profunde sat crebre ventre remote punctatis. Pedes elongati, nigri; femoribus omnibus subtus obtuse obsolete dentatis, squamulis pallidis versus apicem in annulo condensatis adspersis; tibiis intus non denticulatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis, anticis in masculis dilatatis, pilis longis, brunneis subtus, dense obsitis. — BHN.

4. M. LHERMINIERI. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, niger, squamulis silaceis adspersus; rostro basi carinato, utrinque striolato-punctato; thorace antice subito angustato, medio carinato, dorso antico lateribusque remote granulato; elytris fascia postica transversa, communi, ramulum latum posterius emittente, dense silaceo-squamosa, ornatis, anterius profunde remote posterius subtiliter punctato-striatis; interstitiis granulatis.

Patria: Guadeloupe. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Macromero Chimaridi magnitudine æqualis. Caput semi-globosum, obsolete coriaceum, antice punctis nonnullis profundis insculptum, nigrum, sub-opacum, vix squamosum; fronte foveola oblonga, sat profunda, insculpta, oculi magni, sub-rotundati, parum prominuli, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, tenue, teres, arcuatum, basi tenue carinatum, ibique striolatum et in striis punctatum, dein apicem versus læve, apice ipso nonnihil deplanatum; totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ subtenues, fusco-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo brevior, apice supra paulo rotundato-productus, lateribus leviter emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, obtusis; a medio apicem versus subito angustatus, lateribus versus basin fere rectis; supra paulo convexus, medio carinula tenui postice nonnihil abbreviata instructus, dorso antico lateribusque remote granulatus, niger, squamulis silaceis parce utrinque tamen magis dense obsitus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, silaceo-squamosum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse rotundatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra in dorso paulo convexa, anterius sat profunde, posterius obsolete punctato-striata, punctis stria-

rum remotis, interstitiis sub-planis, a basi fere ad medium disperse granulatis, dein lævibus; nigra, opaca, squamulis silaceis parce in ipsa basi et circa scutellum densius adpersa, longe pone medium fascia transversa, communi, utrinque ad suturam usque ad apicem ramulum latum emittente, dense silaceo-squamosa, decorata, pube erecta pallida parce adspersa. Corpus subtus nigrum, squamulis silaceis parce adspersum; pectore crebrius ventre obsolete rugoso-punctatis. Pedes elongati, nigri, parce silaceo-squamosi; femoribus paulo clavatis, dente mediocri, sub-obtuso, armatis; tibiis teretibus, basi nonnihil arcuatis; tarsis fusco-ferrugineis, subtus dilute brunneo spongiosis. — BHN.

† 5. M. GRALLIPES. *Chevrolat.*

Sub-rhombicus, niger, squamulis atris cervinisque variegatus; antennis dilutius ferrugineis; rostro tenui, valde arcuato, basi carinato, fusco-ferrugineo; thorace sub-conico, remote granulato; elytris dorso depressis, remote mediocriter punctato-striatis; interstitiis sub-convexis, basi remote granulatis; pedibus omnibus elongatis.

Patria: Cayenna. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cœlosterni cylindrici.* Caput semi-globosum, valde convexum, profunde sat crebre punctulatum, nigrum, squamulis læte cervinis dense adspersum, postice obsolete carinatum, inter oculos canalicula tenui insculptum; oculi magni, sub-rotundati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace longius, tenue, valde arcuatum, basi nonnihil crassius, teres, ibique supra leviter carinatum, punctulatum, dein apicem versus deplanatum, læve, nitidum, obscure ferrugineum, apice dilutiore. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, dilutius ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, vel a basi apicem versus sensim angustatus, latitudine postica brevior, antice parum rotundato-productus, lateribus leviter emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, obtusis; basi bi-sinuatus, supra in dorso sub-depressus, granulis remotis, obtusis, denudatis, nitidis, obsitus, medio carinula parum elevata, antice posticeque valde abbreviata instructus; niger, squamulis atris et cervinis plagiatim condensatis tectus et variegatus. Scutellum mediocre, rotundatum, silaceo-squamosum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi non-

nihil latiora, humeris rotundatis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, mediocriter punctato-striata, punctis striarum remotis, interstitiis sub-convexis, anterius remote granulatis; nigra, squamulis atris et læte cervinis tecta et maculatim variegata. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, squamulis silaceis dense adspersum; pectore rugulis remotis obsito, abdomine remote parum profunde punctato. Pedes longissimi, medii nonnihil breviores; nigri, squamulis silaceis dense adspersi: femoribus vix clavatis, subtus apicem propius dente parvo, acuto, armatis; tibiis teretibus, anterioribus apice nonnihil inflexis; tarsis fusco-ferrugineis, fulvo-setosis. — BHN.

6. M. STIGMATICUS. *Chevrolat.*

Sub-rhombicus, niger, læte cervino-squamosus; rostro arcuato, basi carinato; thorace anterius subito angustato, lateribus posterius fere recto, remote granulato, medio carinula valde abbreviata instructo; elytris dorso sub-impressis, obtuse quadri-tuberculatis, pone medium plaga transversa, atra, decoratis, parum profunde punctato-striatis; interstitiis remote granulatis; tibiis anticis medio reflexis, apicem versus crassioribus.

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Magnitudo *Cœlosterni compernis. Cnemargo chamæleonti* valde similis, sed notis ibi indicatis satis distinctus. Caput rotundatum, supra convexum, rugulosum, nigrum, squamulis dilute cervinis sat dense obsitum; inter oculos foveola parva insculptum; oculi magni, sub-ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, teres, arcuatum, a medio apicem versus nonnihil deplanatum, basi carinatum, striolato-rugosum, cervino-squamosum, dein subtiliter remote punctulatum, nitidum, glabrum: totum nigro-piceum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuta, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice modice rotundato-productus, lateribus emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, obtusis; anterius subito angustatus, dein versus basin lateribus fere rectis, supra modice convexus, granulis remotis, obtusis, nitidis, obsitus, medio carinula antice posticeque valde abbreviata instructus; niger, squamulis læte cervi-

nis inter granula tectus. Scutellum rotundatum, griseo-squamosum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse rotundatis, vix lateraliter extensis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso antico late impressa, tuberculis quatuor magnis, obtusis, parum elevatis, obsita; parum profunde punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, squama cervina obsitis, interstitiis granulis magnis remotis adspersis; tota nigra, squamulis læte cervinis sat dense tecta, mox pone medium plaga transversa, communi, atro-squamosa, decorata. Corpus subtus remote punctatum, nigrum, sub-nitidum, squamulis silaceis dense adspersum. Pedes elongati, medii multo breviores, omnes nigri, minus dense silaceo-squamosi; femoribus paulo clavatis, subtus apicem propius dente parvo armatis; tibiis teretibus, anticis medio valde reflexis, apicem versus latioribus et crassioribus; tarsis obscure ferrugineis, fulvo-pubescentibus, anticis subtus pilosis. — BHN.

7. M. INNOXIUS. *Herbst.*

Sub-rhombicus, niger, squamulis silaceis adspersus; rostro tenui, ferrugineo, basi carinato; thorace rugulis transversis sub-remotis obsito, medio obsolete carinato, guttulis dense læte silaceo-squamosis decorato, scutello silaceo-squamoso; elytris mediocriter punctato-striatis; interstitiis transversim rugosis et granulatis, parce sulphureo guttatis; femoribus incrassatis, valide dentatis.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 146. 106. T. 70. f. 1.
Macromerus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.
Rhynchænus chamæleon. Var. *Mus. Reg. Danicum.*
Cryptorhynchus adspersus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Patria: America meridionalis. Dom. SCHMIDT. Mus. Reg. Danicum.

Longitudo *Macromeri crinitarsis*, sed multo angustior. Caput globosum, convexum, postice subtiliter remotius fronte evidenter magis crebre punctulatum, nigrum, squamulis silaceis parce adspersum: oculati ovati, in fronte sub-approximati, parum prominuli, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, tenue, teres, arcuatum, apicem versus deplanatum, basi ruguloso-punctulatum, medio carinatum, silaceo-squamosum, dein sub-læve.

nitidum; totum rufo-ferrugineum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix brevior, apice utrinque sinuato-emarginatus, lobis ocularibus vix productis; anterius subito angustior, lateribus medice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra paulo convexus, rugulo-so-punctatus, dorso rugulis sub-remotis, parum elevatis, transversis, obsitus, in medio carinula obsoleta, angusta, antice posticeque abbreviata notatus; niger, squamulis silaceis sat dense adspersus, guttulis pluribus dense læte silaceo-squamosis decoratus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, dense læte silaceo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-prominulis, obtuse rotundatis; ab humero apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana; regulariter mediocriter punctato-striata, interstitiis sub-planis, rugulis et granulis transversis, sub-remotis, obsitis; nigra, squamulis silaceis adspersa, guttulis nonnullis sparsis, dense læte sulphureo-squamosis, ornata. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigrum, squamulis silaceis sat dense obsitum. Pedes longiusculi, validi, intermedii breviores, nigri, punctati, squamulis silaceis sat dense obsiti; femoribus clavatis, subtus dente valido armatis; tibiis teretibus, basi nonnihil arcuatis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

8. M. AQUILINUS. *Chevrolat.*

Sub-rhombicus, niger, opacus, parce griseo-squamosus; rostro basi striolato-rugoso; thorace antice subito angustato, lateribus versus basin subrecto, sat crebre punctato, remote granulato, medio carinato; elytris profunde punctato-striatis; interstitiis angustis, sub-convexis, rugulosis et obsolete granulatis.

Patria: Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo *Macromeri stigmatici*, thorace punctato, evidenter carinato, elytris profunde crebre punctato-striatis, tibiis anticis rectis, squamositate parce adspersus, etc., ab illo mox distinctus. Caput rotundatum, convexum, sat crebre parum profunde ruguloso-punctatum, nigrum, squamulis griseis adspersum, inter oculos obsolete foveolatum; oculi sub-rotundati, parum prominuli, ni-

gro brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus tenue, teres, arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, basi striolato-rugosum, medio sub-carinatum, squamosum, dein extrorsum subtiliter remote punctulatum, nigro-piceum parum nitidum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuta, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, apice parum rotundato-productus, lobis ocularibus paulo prominulis; anterius subito angustatus, dein lateribus versus basin fere rectis; postice bi-sinuatus, supra modice convexus, rude sed parum profunde punctatus, punctis granulis oblongis, remotis, nitidis, interjectis; dorso carinula modice elevata, antice posticeque nonnihil abbreviata, instructus, niger, opacus, squamulis griseis undique adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice singulatim nonnihil sinuata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis; pone humeros usque ad apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, profunde crebre punctato-striata, interstitiis angustis, sub-carinatis, rugulosis et remote obsolete granulatis; tota nigra, squamulis griseis parce adspersa. Corpus subtus remote punctatum, nigrum, squamulis griseis parce obsitum. Pedes elongati, nigri, minus dense griseo-squamulosi; medii breviores; femoribus modice clavatis, subtus apicem propius dente parvo, acuto, armatis; tibiis teretibus, subrectis; tarsis pallido-setulosis et spongiosis. — Bhn.

Genus 309. CNEMARGUS. *Nobis.*

Cryptorhynchus Germar, Dejean. — *Rhynchænus* Fabr.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato; articulo 1° breviusculo, crassiusculo, sub-obconico, 2° et 3° longiusculis, sub-clavatis, illo paulo longiore, reliquis brevibus, rotundatis; clava ovata.

Rostrum longum, basi validiusculum, versus apicem tenue, subteres, arcuatum.

Oculi laterales, sub-ovati, parum convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus ampliato-rotundatus, anterius subito angustatus, coarctatus, antice parum productus, pone oculos lobatus; rima pectoralis ad pedes intermedios protensa, profunda.

Elytra sub-ovata, humeris obtuse angulatis; modice convexa, dorso sub-depressa.

Pedes validiusculi, antici longiores; tibiæ comprimatæ, latiusculæ.

Descriptio. — *Corpus* aut oblongo-aut breviter ovatum, sculpturatum, squamosum, opacum, alatum, mediæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix pertingentes, mox ante medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos sub-attingente, clavato, 2° breviusculo, crassiusculo, obconico, 3° et 4° elongatis, sub-clavatis, illo paulo longiore, 5-8 brevibus, rotundatis, exterioribus successive parum crassioribus: clava ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine thoracis cum capite, a basi ultra medium validiusculum, dein tenue, sub-teres, parum depriunatum, arcuatum, inflexum; scrobe lineari ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, breviter ovati, paulo convexi. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, apice parum rotundato-productus, anterius subito angustatus, coarctatus, pone oculos paulo lobatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus; canalis inferus profundus, in pectore inter pedes intermedios continuatus. — *Scutellum* oblongum, apice rotundatum. — *Elytra* aut oblongo-aut breviter ovata, antice thoracis basi paulo latiora, et latitudine plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis; apicem versus sensim paulo angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, anum obtegentia, supra modice convexa, dorso sub-depressa. *Pedes* elongati, validiusculi, antici paulo longiores, medii breviores; femoribus modice incrassatis, subtus dentatis; tibiis latiusculis, comprimatis, extus perparum arcuatis, intus leviter bi-sinuatis, apice unco valido intus armatis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κνήμαργος, qui crassas tibias habet.

TYPUS. — *Cnemargus chamæleon.*

Patria: Brasilia, Mexico.

Observ. — *Macromero* generi aliquatenus similitudine accedit, sed oculi magis distantes, femora antica et postica breviora tibiæque latiusculæ, comprimatæ, discrepantiam præbent.

1. C. Chamæleon. *Fabricius.*

Ovalis, niger, squamis cervinis et atris mixtis variegatus; rostro basi carinato; thorace rugoso-punctato, carinula antice posticeque abbreviata, notato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis modice convexis, granulatis, secundo a sutura medio magis elevato; femoribus acute uni-dentatis.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 461. 115.
Cryptorhynchus flagitiosus. Schh. *in Litteris*, olim.
Macromerus nubilus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295.
Id. atrirostris. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Brasilia. Mus. Dom. Faldermann, Schh. et Mus. Reg. Dan.

Macromero crinitarsi magnitudine fere æqualis, in elytris tamen angustior. *Macromero stigmatico* statura subsimilis, nonnihil tamen major; elytris paulo latioribus et convexioribus, profundius punctato-striatis, femoribus brevioribus, tibiis compressis, abunde distinctus. Caput globosum, nigrum, crebre rugoso-punctatum, squamulis dilute cervinis dense adspersum; fronte foveola parva insculpta; oculi ovati, haud prominuli, nigri: rostrum in masculis longitudine thoracis cum capite, in femina breviore, in utroque minus crassum, incurvum, basi crassius, ibique supra carinatum, punctatum, squamosum, extrorsum nudum, nitidum, subtiliter punctulatum; totum nigro-piceum. Antennæ ante medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice utrinque late emarginatus, lobis ocularibus productis, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, reflexo-marginatus, supra convexus, rugoso-puntactus, niger, squamulis cervinis et atris mixtis tectus et variegatus, in medio dorsi carinula parum elevata, antice posticeque abbreviata notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, quam lata plus duplo longiora, humeris obliquis sub-obtuse angulatis, lateribus vix ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, postice declivia, sulcata, sulcis punctis sat profundis, impressis, squama cervina repletis, interstitiis convexis, minus confertim granulatis, intersti-

tio secundo in medio reliquis elevatiori; nigra, squamis cervinis et atris mixtis inæqualiter variegata, setulis brevibus pallidis, præsertim postice adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, dense læte cervino-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, squamulis silaceis vestiti; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis basi comprimatis, medio nonnihil incrassatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

GENUS 310. — MECOCORYNUS. *Nobis.*

Mecocorynus SCHH. (1), DEJEAN. — *Cryptorhynchus* WIED. — *Rhynchænus* OLIV. — *Tretus* CHEVROLAT (2).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato; articulis 1-4 elongatis, sub-obconicis, reliquis aut sub-globosis, aut paulo elongatis, apice sub-rotundatis; clava valde elongata, sub-cylindrica, sub-solida.

Rostrum longum, subtenue, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, perparum convexi.

Thorax longiusculus, basi bi-sinuatus, lateribus sub-æqualiter rotundato-ampliatus, antrorsum subito angustior, coarctatus, apice in medio productus, pone oculos lobatus.

Elytra ovata, convexa, humeris obtuse angulatis.

Pedes validi, antici posticique longiores.

Descriptio. — *Corpus* ovatum, convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; majoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium attingentes, prope medium rostri insertæ, subtenues, fractæ; articulo 1° oculos sub-attingente, clavato, 2-5 elongatis, sub-obconicis, aut sub-clavatis, 6-8 aut sub-globosis, aut paulo elongatis apice sub-rotundatis; clava valde elongata, sub-cylindrica, apice obliqua, sub-acuminata, articulis haud visibiliter discernendis. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, teres, ante medium paululum crassius, exinde versus apicem subtenue, sensim parum complanatum, apice ipso erosum, modice arcuatum, inflexum; mandibulæ porrectæ, breves, validæ, rectæ, corniformæ, intus edentulæ; scrobe lineari, in medio rostri incipiente, obliqua, in

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 283. *Cryptorhynchus*, subgenus *Mecocorynus*.

(2) Chevr. Annales de la Soc. Ent. de Fr. II. p. 6.

basi rostri subtus coeunte. — *Oculi* laterales, perpendiculares, ovati, vix convexi, majusculi. — *Thorax* latitudine baseos fere sesquilongior, basi distincte bi-sinuatus, lateribus sub-æqualiter manifeste rotundato-ampliatus, antice cito angustior, coarctatus, supra paulo convexus, apice in medio rotundato-productus, lateribus sinuato-emarginatus, pone oculos lobatus; rima pectoralis distincta, sed haud profunde excavata, usque fere inter pedes intermedios continuata. — *Scutellum* distinctum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et thorace plus duplo longiora, sub-ovata, basi singulatim rotundata, humeris latis, sub-acutangulatis; supra convexa, versus apicem non alte callosa, apice ipso singulatim obtuse sub-rotundata. — *Pedes* longi, validi, antici et postici longiores, medii breviores; femoribus modice incrassatis, anticis in masculis longis; omnibus subtus denticulatis; tibiis rectis, teretibus, apice unco valido intus flexo armatis; tarsis longiusculis, articulo penultimo latiusculo, profunde bi-lobato, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A μῆκος longitudo, κορύνη clava.

TYPUS. — *Mecocorynus varipes.*

Patria: Bengalia, Guinea.

Observ. — Generi *Cryptorhyncho* proximum; clava vero antennarum aliter constructa ut et canali infero thoracis minus profundo, hoc genus præcipue distinguitur.

♀ 1. M. WESTERMANNI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cervinis tectus; fronte tuberculo instructa; thorace rude crebre rugoso-scrobiculato, antice alte carinato, intra apicem profundissime constricto, lateribus valde rotundato-ampliato; elytris rude punctato-striatis, interstitiis transversim rugosis, sub-convexis, dorsalibus antice remote granulatis; secundo magis elevato, interrupte carinato, fascia parva transversa, communi, pone medium e squamulis pallidioribus; femoribus cinereo brunneoque variegatis.

Mas: dimidio fere major, rostro longiori, in tuberculum basi sub-elevato, parum profunde ruguloso-punctato, inter antennas canaliculato; pedibus anticis longissimis; tibiis intus crenulatis.

Femina : minor, rostro breviori, basi remotius punctato, pedibus sub-æqualibus, tibiis omnibus intus muticis.

Patria : Guinea. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus Mus. SCHH.

Magnitudo *Platyomi nodipennis.* Caput rotundatum, supra convexum, remote sat profunde punctatum, nigrum, opacum, squamulis cervinis obsitum, inter oculos tuberculo parvo instructum; oculi magni, ovati, perparum convexi, brunnei; rostrum maris capite cum thorace longius, a basi ultra medium crassius, ibique sat crebre parum profunde rugoso-punctatum, in ipsa basi in tuberculum parvum elevatum, inter antennas canaliculatum, extrorsum subtiliter punctulatum, apice læve; feminæ vix longitudine capitis cum rostro, basi remotius subtilius apicem versus obsolete punctulatum; in utroque basi constrictum, apicem versus complanatum, arcuatum, nigro-piceum. Antennæ nigro-piceæ, parce pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, griseo-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior, apice supra rotundato-productus, lateribus profunde emarginatus, lobis ocularibus productis, rotundatis; longe intra apicem profunde constrictus, lateribus in medio æqualiter valde rotundato-ampliatus, antice posticeque angustatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, scrobiculis magnis, crebris, rotundis, hinc inde confluentibus insculptus, interstitiis elevatis, rugosis, dorso antico carinula postice præsertim elevata instructus, in medio utroque latere tubercula nonnulla observantur; niger, squamulis cervinis sat dense obsitus. Scutellum rotundatum, basi longitudinaliter carinatum, dilutius cervino-squamosum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi multo latiora, humeris obliquis, sub-acutangulis, lateraliter nonnihil extensis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, sat rude crebre punctato-striata, interstitiis convexis, secundo a sutura antice interrupte costato, omnibus in dorso antico granulis majoribus et minoribus remotis adspersis; nigra, squamulis cervinis cinereis mixtis tecta, in dorso postico mox pone medium plaga utrinque valde abbreviata, arcuata, obsoleta, e squamulis pallidioribus, decorata. Corpus subtus profunde remote punctatum, dense cervino-squamosum; abdomine utrinque macula magna, oblonga, atra, decorato. Pedes elongati, nigri, cinereo-brunneoque variegati; antici maris longissimi; femoribus omnibus modice clavatis, subtus dente parvo armatis; tibiis rectis; tarsis elongatis. — BOH.

* 2. M. Varipes. *Wiedemann.*

Oblongo-ovatus, niger, supra cervino-subtus albido-squamosus; rostro parum arcuato, basi striolato-rugoso; thorace anterius angustior, intra apicem vix constricto, lateribus modice rotundato-ampliato, dorso antico carinato, rude sat crebre scrobiculato-punctato; elytris crebre punctato-striatis, macula utrinque basali, plaga suturali, communi, in medio apiceque albido-squamosis; pedibus cervino alboque variegatis.

Cryptorhynchus id. Wiedem. *Zool. Mag.* I. III p. 178. 30.
Mecocorynus variolosus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296.
Rhynchænus Chinensis. ? Oliv. *Ent.* V. 83. p. 175. 151. T. 8. f. 97. a. b.
Curculio id. ? Oliv. *Enc méth.* V. p. 507. 166.

Patria : Bengalia. Dom. Westermann. Cap. Bonæ Spei. ? Dom. Hope. Mus. Schh.

Hylobio arctico vix longior, sed nonnihil latior. Caput breve rotundatum, supra convexum, nigrum, squamulis albidis et cervinis tectum et variegatum; oculi magni, ovati, haud prominuli, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, paulo arcuatum, basi nonnihil crassius, teres, striolato-rugosum, squamulis cinereis parce adspersum, dein apicem versus complanatum, remote punctulatum, glabrum; totum nigro-piceum, parum nitidum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava valde elongata, sub-cylindrica, acuminata, griseo-pubescente. Thorax latitudine postica longior, apice supra rotundato-productus, lateribus profunde emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, obtuse rotundatis; intra apicem obsolete constrictus, anterius angustior, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sat rude et crebre scrobiculato-punctatus, dorso antico carinula modice elevata instructus, niger, supra læte cervino-squamosus, basi utrinque plaga oblonga subtusque albido-squamosus. Scutellum rotundatum, nigrum, parce cervino-squamosum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi dimidio latiora, humeris sub-acutangulis, lateraliter nonnihil extensis; a medio apicem versus angustata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, ante apicem callo obtuso instructa,

postice declivia, sat rude crebre punctato-striata, interstitiis angustis, sub-convexis; nigra, squamulis cervinis tecta, in ipsa basi non procul a sutura macula obliqua, in medio plaga communi apiceque squamulis sordide albidis tectis. Corpus subtus obsolete remote punctatum, albido-squamosum, ventre atro, trifariam albido maculato. Pedes elongati, validi, nigri, cervino alboque variegati; femoribus clavatis, subtus obsolete dentatis; tibiis subrectis, teretibus. — BHN.

GENUS 311. — COELOSTERNUS. *Nobis.*

Cœlosternus SCHH. (1), DEJEAN. — *Cryptorhynchus* GERM., STURM, DEJEAN olim.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, reliquis subrotundatis; clava elongata, sæpius longissima, cylindrica, subsolida.

Rostrum longum, validiusculum, arcuatum, aut teres subfiliforme, aut nonnihil complanatum.

Oculi breviter ovati, modice convexi, aut sub-approximati, aut paulo distantes.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, antrorsum valde angustatus, coarctatus, apice paulo rotundato-productus.

Elytra oblonga sub-ovata, humeris obtuse angulatis.

Pedes validi, in masculis interdum valde elongati; femora modice incrassata, subtus dentata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut majusculæ aut minoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, versus medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ; articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato, 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, æqualibus, 4-8 brevibus, rotundatis, aut paululum coarctatis, aut magis distantibus, successive perparum crassioribus, ultimo clavæ haud adpresso; clava valde elongata, sæpius longissima, angusta, cylindrica, in aliis brevior et paulo crassior, articulis haud discernendis. — *Rostrum* inflexum, plus minusve arcuatum, crassitate longitudineque varians; plerumque thorace fere longius, subfiliforme, basi

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 284 *Cryptorhynchus*, subgenus *Cœlosternus*.

paulo crassius; in aliis thorace fere breviori, lineare, validum, aut teres, aut nonnunquam versus apicem nonnihil complanatum; scrobe pone medium incipiente, lineari, curvata, ad medium oculi decurrrente. — *Oculi* breviter ovati, paulo convexi, majusculi, aut sub-approximati, aut paulo distantes. — *Thorax* latitudine baseos brevior, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius valde angustior, coarctatus, apice in medio paulo rotundato-productus, lateribus sinuato-emarginatus, pone oculos minus distincte lobatus, supra modice convexus; canalis inferus profundus, aut inter pedes anticos, aut usque pedes intermedios in pectore protensus, argute marginatus. — *Scutellum* rotundatum, distinctum. — *Elytra* in plerisque antice thoracis basi nonnihil — in paucis vix latiora, humeris in plerisque obtuse angulatis, in nonnullis sub-acutangulatis; lateribus apicem versus paulo sensimque attenuata, apice conjunctim rotundata, supra convexa, haud callosa, pygidium obtegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, antici præsertim in masculis valde longi; femoribus aut modice aut parum incrassatis, infra pone medium aut bi-aut uni-denticulatis; tibiis curvatis, sub-comprimatis, apice unco valido intus instructis; tarsis subtus spongiosis, in masculis nonnunquam villosis, articulo penultimo lato, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Cœlosternus compernis.*

A κοῖλος cavus, στέρνον pectus.

Patria: America meridionalis.

Observ. — Generi *Macromero* proximum, sed clava antennarum elongata, sæpius longissima, cylindrica.

STIRPS I. *Clava antennarum valde elongata, plane cylindrica, funiculi circiter longitudine.*

Manipulus I. *Oculi sub-approximati.*

♂♀ 1. C. COMPERNIS. *Germar.*

Ovalis, niger, squamulis cervinis tectus; rostro arcuato, basi carinato; thorace confertim punctato, tenue carinato; elytris a basi ultra medium atro-alboque variegatis, sub-remote subtiliter punctato-striatis; interstitiis alternis costatis, elevatis; femoribus anticis valde incrassatis, omnibus bi-dentatis. — BHN.

Mas: pedibus anticis longis, validis, tibiis intus in medio nonnihil ampliatis, tarsis fulvo-villosis.

Femina : pedibus anticis brevioribus, validis, tibiis intus non ampliatis, tarsis fulvo-spongiosis.

Cryptorhynchus compernis. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 272. 407.
Id. costatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.
Cœlosternus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.
Patria : Brasilia.
Observ. — Magnitudo fere *Hylobii abietis*.

♂ 2. C. RAPTORIUS. *Boheman.*

Ovalis, niger, squamulis fusco-brunneis adspersus; rostro basi carinato, striolato-rugoso; thorace latiori, minus crebre punctato, argute carinato, utrinque in medio dorsi tuberculato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis alternis costatis, costa prima antice interrupta, apice late ochraceo-squamoso; femoribus anticis bi-posterioribus uni-dentatis.

Cryptorhynchus soleatus.? GERM. *Ins. Sp.* I. p. 275. 410.

♀ VAR. β. Totus rufo-ferrugineus, maculis elytrorum fuscis obsoletis. An nuper exclusus.?

Habitat in America meridionali. A Dom. MÉNÉTRIÉS et LEFEBVRE benevole communicatus. Var. β e Minas Geraes. Dom. BESCKE. Mus. SCHH.

Sutura et summa similitudo *Cœlosterni compernis*, dimidio fere major; thorace latiori, minus crebre punctato, evidenter carinato, utrinque in medio tuberculato, elytris profundius punctato-striatis, femoribus posterioribus tantum unidentatis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, rugosum, squamulis melleo-lutescentibus adspersum, vertice obsolete carinato; oculi ovati, transversi, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace longius, tenue, teres, arcuatum, piceum, basi crassius, ibique supra carinatum et striolato-rugosum, parce squamosum, extrorsum nudum, crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, ferrugineæ, clava valde elongata, cylindricea, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque leviter emarginatus, anterius subito angustatus, mox intra apicem coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo ante-scutellari impresso, supra valde convexus, niger, minus crebre parum profunde punctatus, squamulis umbrinis sat dense obsitus, in medio dorsi carinula valde elevata,

et utrinque area crebre tuberculata, notatus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, læve. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obliquis, obtuse angulatis, sub-elevatis; lateribus apicem versus sensim et valde angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, punctis profundis, minus crebris, squama silacea repletis, striata, interstitiis alternis planis, alternis valde elevatis, acute costatis, costa prima a sutura pone basin interrupta, nigra, squamulis parcis fusco-brunneis in apice densioribus ochraceis vestita. Corpus subtus nigrum, sat crebre punctatum, squamulis cervinis adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, parce fusco-squamosi; femoribus anticis valde incrassatis, subtus bi-dentatis, posterioribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

3. C. TARDIPES. *Chevrolat.*

Ovalis, niger, squamulis brunneis albidisque variegatus; rostro breviori, arcuato, basi tenue carinato; thorace confertim parum profunde ruguloso-punctato, tenue carinato; elytris subtiliter sub-remote punctato-striatis, interstitiis alternis costatis, elevatis; femoribus anticis valde incrassatis, omnibus bi-dentatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Statura et similitudo *Cœlosterni compernis* et minoribus ejus magnitudine æqualis, aliter coloratus, rostro breviori, thorace evidenter ruguloso-punctato. Caput breve, rotundatum, supra modice convexum, rugulosum, nigrum, squamulis læte brunneis parce adspersum; oculi sub-ovati, haud prominuli, brunnei; rostrum thorace vix longius, minus tenue, teres, arcuatum, basi crebre punctulatum, tenue carinatum, parce squamosum, dein apicem versus deplanatum, vix punctulatum, nitidum, glabrum; totum fusco-ferrugineum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava valde elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice paulo rotundato-productus, lateribus ibique leviter emarginatus, lobis ocularibus productis, obtusis; anterius subito angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre parum profunde rugoso-punctatus, medio carinula tenui,

modice elevata, instructus: niger, opacus, supra parce brunneo-subtus dense silaceo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, punctulatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris sub- rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice modice declivia, parum profunde punctato-striata, punctis striarum parvis, sub-remotis, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis: nigra squamulis brunneis et silaceis plagiatim condensatis, variegata. Corpus subtus crebre rugoso-punctatum, nigrum, opacum, pectore dense ventre parce silaceo-squamosis. Pedes mediocres, validi, nigri, squamulis silaceis brunneis mixtis tecti et variegati; femoribus omnibus subtus bi-dentatis, anticis valde incrassatis, dente interiore majore; tibiis compressis canaliculatis, basi nonnihil arcuatis. — Bhn.

Manipulus II. *Oculi plus minusve distantes.*

♂♀ 4. C. Cylindricornis. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, silaceo-squamosus et nigro-nebulosus; rostro breviori, latiori, paulo arcuato; thorace anterius subito angustato, rugoso-punctato, granulis transversis adsperso, medio longitudinaliter impresso; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis costatis, dorsalibus granulatis, alternis vix elevatis, humeris sub-acutangulatis; femoribus obtuse uni-dentatis. — Bhn.

Mas: rostro basi profunde punctato, pedibus anticis elongatis, tarsis subtus aureo-villosis.

Femina: rostro basi mediocriter punctato, pedibus anticis reliquis nonnihil longioribus et validioribus, tarsis subtus fulvo-spongiosis.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 270. 404.

♂♀ Var. β. Supra cinereo-squamosus.

Cœlosternus asperatus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.

Cryptorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Patria: Brasilia.

Observ. — Humeris sub-acutangulatis a reliquis hujus generis nonnihil diversus, generi *Gasterocerco* appropinquat.

5. C. INÆQUALIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, squamulis griseis parce adspersus; rostro longo, tenui, basi carinato; thorace sat rude crebre punctato, dorso quinque-tuberculato, pone oculos distincte lobato; elytris crebre punctato-striatis, transversim rugosis; interstitiis alternis dorsalibus multi-tuberculatis et granulatis, humeris supra griseo-squamosis: femoribus apicem versus valde clavatis, subtus valide acute unidentatis.

Patria: Madagascar. Ex Musæo Reg. Gall. ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo *Hylobii abietis.* Caput rotundatum, convexum, crebre minus profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum, punctis squamulis griseis repletis; fronte obsolete impressa; oculi ovati, brunnei, haud prominuli; rostrum capite cum thorace longius, subtenue, a medio apicem versus inflexum, teres, basi crebre punctatum et tenue carinatum, dein apicem versus subtilissime punctulatum, nigro-piceum, nitidum, glabrum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, obscure ferrugineæ, clava valde elongata, cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil longior, apice rotundato-productus, lateribus ibique emarginatus, lobis ocularibus valde prominulis, obtusis; anterius angustior, intra apicem leviter coarctatus, lateribus æqualiter modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, sat rude crebre punctatus, dorso tuberculis sat magnis, obtusis, quinque obsitus; nigro-piceus, squamulis griseis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, vix punctatum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus sensim perparum angustata, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, postice declivia, sat crebre et profunde punctato-striata, transversim rugosa, sutura interstitiisque alternis dorsalibus multi-tuberculatis et granulatis; tota fusco-picea, parum nitida, squamulis griseis parce supra humeros dense obsita. Corpus subtus sat crebre punctulatum, nigro-piceum, parce griseo-squamosum. Pedes elongati, nigro-picei, subtiliter punctulati, squamulis griseis parce adspersi; femoribus basi tenuibus, extrorsum valde clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, intus in medio nonnihil ampliatis; tarsis supra cinereo-pubescentibus. — BHN.

* 6. C. MACULIPES. *Schh.*

Oblongus, niger, supra squamulis obscure brunneis subtus silaceis obsitus; rostro breviori, paulo arcuato, basi apiceque nonnihil ampliato; thorace supra sub-depresso, sat crebre rugoso-punctato, antice late constricto; elytris dorso sub-planis, mediocriter punctato-striatis: interstitiis alternis elevatioribus, sub-carinatis, granulatis; femoribus uni-dentatis, posterioribus tibiisque a basi atro maculatis.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN benevole donatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil brevior et angustior. Caput rotundatum, convexum, crebre ruguloso-punctatum, nigrum, opacum, squamulis silaceis parce adspersum; oculi haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, validum, paulo arcuatum, basi apiceque nonnihil ampliatum, crebre punctulatum, piceum, basi silaceo-squamosum, extrorsum fere denudatum. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, sub-cylindrica, acuta parce pubescente. Thorax latitudine postica brevior, apice supra modice rotundato-productus, lateribus ibique leviter emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, obtusis, anterius subito angustior, intra apicem late constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus supra sub-depressus, medio longitudinaliter obsolete impressus, sat crebre rugoso-punctatus; niger, dorso parce lateribus dense umbrino-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, opacum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso sub-depressa, postice modice declivia, mediocriter punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatioribus, sub-carinatis, granulatis; nigra, dorso parce lateribus apiceque dense obscure brunneo-squamosa. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigrum, squamulis silaceis adspersum. Pedes mediocres, validi, nigri, dense silaceo-squamosi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus dente sub-obtuso, armatis, posterioribus tibiisque omnibus basi atro maculatis.- -BHN.

* 7. C. Occatus. *Germar.*

Oblongo-ovalis, niger, squamulis cinereis variegatus; thorace antice valde coarctato, sub-tubulato, dorso impressione magna sub-rhomboidali, cinereo-squamosa carinaque antice abbreviata, in medio late interrupta instructo; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis carinatis, carinis leviter crenatis; basi plaga magna obliqua fasciaque ante-apicali indeterminatis cinereo-squamosis; femoribus acute anticis bi-posterioribus uni-dentatis. — Rld.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 272. 406.
Id. carinatus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.
Cœlosternus id. Dejean, *loc. cit. ed.* 2. p. 294.
Patria: Brasilia.

* 8. C. Curtus. *Chevrolat.*

Ovalis, niger, dilute umbrino-squamosus, rostro crassiusculo, striolato-rugoso; thorace confertim sat profunde rugoso-punctato, interrupte carinato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis modice convexis, rugosis, in dorso postico atro tri-maculatis; femoribus acute uni-dentatis.

Habitat in Cayenna. A. Dom. Chevrolat communicatus. Mus. Schh.

Latitudo *Phytonomi mutabilis*, sed brevior, minus convexus. Caput breve, convexum, obscure ferrugineum, crebre rugosum, squamulis dilute umbrinis, sat dense obsitum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, valde arcuatum, obscure ferrugineum, basi crassius, striolato-rugosum, squamosum, extrorsum nudum, confertim subtiliter ruguloso-punctatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, clava elongata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque emarginatus, leviter constrictus, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi tri-sinuatus, supra parum convexus, crebre rugoso-punctatus, niger, squamulis dilute umbrinis adspersus; in medio dorsi carinula parum elevata, medio sub-interrupta. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo plus duplo longiora, humeris modice prominulis, obtuse angu-

latis: lateribus apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis modice convexis, rugulosis; in ipsa basi non procul a sutura, tuberculo elongato, parum elevato, instructa: nigra, squamulis dilute umbrinis tecta, mox pone medium punctis duobus, transversim positis et versus apicem tertio, atro-squamosis. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes longiusculi, robusti, nigri, dilute umbrino-squamosi; femoribus parum clavatis, subtus dente sat valido, armatis; tibiis basi arcuatis, pone medium nonnihil ampliatis, apice uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BAN.

STIRPS 2. *Clava antennarum minus elongata, sub-cylindrica, funiculo multo brevior.*

Manipulus I. *Elytra haud tuberculata, aut æqualia, aut carinata.*

Centuria 1. *Oculi sub-approximati.*

* 9. C. CONSPUTUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cervinis cinereisque mixtis, dense adspersus; rostro breviori, tenui, modice arcuato, basi striolato, carinato; thorace supra sub-depresso, crebre rugoso-punctato, in ipsa basi carinato; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis convexis, alternis elevatioribus, carinatis; femoribus anticis bi-posterioribus uni-dentatis.

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Cryptorhyncho lapathi magnitudine fere æqualis. Caput parvum, semi-globosum, crebre ruguloso-punctatum, nigrum, squamulis cervinis sat dense adspersum; oculi magni, in fronte sub-approximati, ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, modice arcuatum, a basi fere ad medium striolatum, punctulatum, tenue carinatum et parce squamosum, dein apicem versus subtilissime punctulatum, nitidum, glabrum; totum nigro-piceum, apice dilutiore. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocula-

ribus paulo prominulis, obtusis; anterius angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustior, postice leviter bisinuatus, supra parum convexus, concinne rugoso-punctatus, in ipsa basi carinula brevi instructus; niger, squamulis cervinis cinereisque mixtis dense obsitus. Scutellum ovatum, nigrum, sublæve, parce squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, dorso fere plana, mediocriter punctato-striata, interstitiis omnibus convexis, alternis elevatioribus, sub-carinatis; nigra, squamulis cervinis cinereisque mixtis, sat dense obsita. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigrum, magis nitidum, squamulis silaceis adspersum. Pedes mediocres, validi, nigri, parce silaceo-squamosi; femoribus clavatis, anticis subtus bi-posterioribus uni-dentatis; tibiis compressis, nonnihil arcuatis, canaliculatis: tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.--BHN.

10. C. AMITINUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis silaceis parce adspersus, rostro breviori, modice arcuato, subtilissime punctulato; thorace antice subito angustato, sub-remote ruguloso-punctato, medio tenue carinato; elytris punctato-striatis, punctis striarum valde remotis, oblongis; interstitiis parce granulatis, maculis sparsis, dense silaceo-squamosis, adspersis; femoribus valide uni-dentatis.

Mas.? minor, rostro breviori, evidenter punctulato, elytro singulo guttulis quatuor silaceis decorato, clava antennarum oblonga.

Cœlosternus albonotatus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Femina.? rostro longiori, subtilissime punctulato, elytris densius silaceo-guttatis, clava antennarum elongata.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN et CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Longitudo *Pissodis notati*, sed dimidio fere latior, variat tamen magnitudine. Caput parvum, convexum, subtiliter crebre ruguloso-punctatum, nigrum, sub-nitidum, squamulis brunneis vel silaceis parce adspersum; oculi sat magni, ovati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum maris thorace nonnihil brevius, basi

evidenter punctulatum, obsolete carinatum; feminæ longitudine fere thoracis cum capite, subtilissime punctulatum; in utroque minus tenue, teres, arcuatum, nigro-piceum, nitidum, basi parce squamosum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, dilutius ferrugineæ, parce pilosæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice supra nonnihil rotundato-productus, lateribus emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis obtusis: anterius subito angustior, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-remote parum profunde rugoso-punctatus, medio carinula tenui, parum elevata instructus; totus niger, sub-opacus, squamulis cervinis vel brunneis adspersus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, punctato-striata, punctis striarum, sat profundis, oblongis, remotis, interstitiis fere planis, granulis transversis, remotis, obsitis; tota nigra, opaca, squamulis cinereis vel brunneis adspersa, guttulis silaceo-squamosis plus minusve dense variegata. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctatum, punctis squama silacea, in fundo obsitis. Pedes mediocres, validi, nigri, densius silaceo-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis; tarsis obscure ferrugineis.—BHN.

11. C. COSTELLUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis silaceis variegatus; oculis magnis, in fronte sub-approximatis, rostro modice arcuato, punctulato, fusco-ferrugineo: thorace crebre rugoso-punctato, medio anguste carinato; elytris sat profunde sulcato-punctatis, interstitiis angustis, carinatis, apice singulatim sub-acuminatis; femoribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN ad describendum amice missus.

Erirhino voraci magnitudine fere æqualis, nonnihil tamen brevior et latior. Caput rotundatum, convexum, crebre minus profunde rugoso punctatum, squamulis silaceis sat dense adspersum: oculi magni, ovati, in fronte sub-approximati, modice prominuli.

nigri ; rostrum longitudine thoracis, validum, modice arcuatum, teres, subtiliter sub-remote punctulatum, fusco-ferrugineum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, sub-tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim ruguloso-punctatus, dorso longitudinaliter anguste carinatus; totus niger, squamulis piliformibus silaceis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, parce squamosum. Elytra oblonga, antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtusis, sub-rotundatis; lateribus inflexa, a basi ultra medium linearia, tum apicem versus attenuata, apice ipso singulatim sub-acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice modice declivia, late sulcata, sulcis in fundo mediocriter punctatis, punctis oblongis, interstitiis angustis, elevatis, carinatis; tota nigra, sub-nitida, squamulis piliformibus silaceis, hinc inde condensatis, variegata. Corpus subtus sub-remote parum profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum, punctis squamulis silaceis repletis. Pedes mediocres, punctulati, squamulis silaceis obsiti; femoribus modice clavatis, subtus dente obtuso armatis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis.—Bhn.

12. C. Picus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamis albidis et brunneis mixtis variegatus; antennis testaceis, rostro longitudine dimidii corporis, tenui, subrecto, basi carinato; thorace punctatissimo; elytris bifariam, subtiliter punctato-striatis; interstitiis alternis costatis, canali pectorali ad pedes posticos usque protenso, sensim angustato; femoribus acute uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Faldermann.

Phytonomo trifolii nonnihil longior et angustior. Caput parvum, globosum, nigrum, squamis albidis et brunneis mixtis tectum; oculi magni, ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace multo longius, tenue, parum arcuatum, rufo-testaceum, basi crassius, ibique carinatum, punctatum, squamosum, extrorsum nudum, nitidum, sub-læve. Antennæ longe ante medium rostri insertæ, ad thoracis basin pertingentes, subtenues, testaceæ, clava oblonga, parce cinereo-pubescente. Thorax latitu-

dine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice supra rotundato-productus, utrinque emarginatus, leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, squamis suberectis albidis et brunneis mixtis tectus et variegatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, denudatum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obliquis, obtuse rotundatis; lateribus vix ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, punctis parvis per paria approximatis striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis costatis; ferruginea, squamulis albidis et brunneis mixtis inæqualiter variegata. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, sat crebre punctatum, squamulis albidis adspersum. Pedes longiusculi, robusti, ferruginei, punctati, squamulis albidis obsiti; femoribus parum clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

Centuria 2. Oculi plus minusve distantes.

* 13. C. RUGICOLLIS. *Bhn.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis umbrinis adspersus; rostro crassiori, arcuato, basi carinato, striolato-rugoso; thorace remote profunde rugoso, antice carinato; elytris antice plaga media apiceque paleaceo-squamosis, profunde punctato-striatis; interstitiis alternis elevatis; femoribus anticis bi-posterioribus obtuse uni-dentatis.

VAR. β. Elytris silaceo-squamosis, sutura a basi ultra medium late plagaque magna pone medium transversa, fusco-umbrino-squamosa, decoratis.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS et WESTIN. Mus. SCHH.

Cœlosterno alternanti similis et affinis, distinctus tamen videtur, thorace profundius remotius rugoso, colore indumenti, ut et femoribus anticis bi-dentatis. Caput rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis pallidis adspersum, inter oculos foveola parva impressum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, teres, validum, arcuatum, nigrum, basi carinatum, striolato-rugosum, parce squamosum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes, clava elongata, cylindrica, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix

longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus prominulis, rotundatis, anterius basi nonnihil angustior, ibique vix coarctatus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, opacus, remote sed valde profunde rugoso-punctatus, antice longitudinaliter carinatus, punctis setulis paleaceis et dilute brunneis repletis. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, thorace fere triplo longiora, a basi apicem versus perparum angustata, apice valde declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, punctis magnis, oblongis, profundis, remotis, per paria approximatis, striata, interstitiis alternis modice elevatis, convexis, interstitio secundo postice reliquis elevatiori, carinato; nigra, squamulis umbrinis sat dense adspersa, ab humero plaga obliqua, versus medium ducta, apiceque toto paleaceo-squamosis. Corpus subtus nigrum, pectore remote ventre confertim punctatis, punctis squamulis paleaceis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis setulisque paleaceis obsiti, antici nonnihil longiores; femoribus parum clavatis, anticis subtus bi-dentatis, posterioribus dente parvo, obtuso, instructis; tibiis basi curvatis.—Bhn.

59 14. C. Alternans. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis adspersus; rostro crassiori, arcuato, basi carinato, striolato-rugoso; thorace rude sat confertim rugoso, antice carinato; elytris apice densius squamosis, profunde striato-punctatis; interstitiis convexis, alternis elevatis; femoribus anticis uni-posterioribus obsolete dentatis.

Cœlosternus id. Dejean. *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.
Cryptorhynchus id. Dejean. *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Habitat in Cayenna. A Dom. Com. Dejean; in Brasilia. A Dom. Fahræus benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura fere *Hylobii pineti* et minoribus ejus magnitudine æqualis. Caput rotundatum, nigrum, rugosum, squamulis cinereo-albidis adspersum; oculi ovati, parum prominuli, brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, teres, validiusculum, arcuatum, nigrum, basi carinatum, striolato-rugosum, squamosum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata,

cylindrica, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos parum longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus prominulis, rotundatis; lateribus paulo rotundato-ampliatus, anterius basi angustior, ibique vix coarctatus, basi profunde bi-sinuatus, marginatus, supra modice convexus, niger, subnitidus, sat confertim rude rugoso-punctatus, punctis squamulis cinereo-albidis repletis, dorso antico obsolete carinatus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio fere latiora et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus sensim perparum angustata, apice modice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, punctis magnis, oblongis, remotis, per paria approximatis striata, interstitiis alternis elevatis, sub-carinatis; tota nigra, squamulis cinereo-albidis versus apicem magis condensatis adspersa. Corpus subtus nigrum, pectore remote ventre confertim punctatis, punctis squamulis cinereis repletis. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis setulisque cinereo-albidis obsiti; femoribus parum clavatis, anticis distincte posterioribus obsolete dentatis; tibiis basi nonnihil arcuatis.—BOH.

* 15. C. OSCITANS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis densius obsitus; rostro breviori, modice arcuato, basi rude punctato; thorace rude crebre rugoso-punctato, antice obsolete carinato; elytris dorso antico depressis, pone medium transversim denudatis, sat profunde striato-punctatis; interstitiis alternis modice elevatis; pedibus brevioribus, crassioribus; femoribus omnibus evidenter uni-dentatis.

Patria : Brasilia. A Dom. FAHRÆUS amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et similitudo *Cœlosterni alternantis ;* rostro breviori, basi non carinato, profundius punctato, thorace crebrius rugoso-punctato, elytris dorso antico depressis, interstitiis alternis minus elevatis, pedibus brevioribus, crassioribus, femoribus omnibus dente parvo distincto armatis, ab illo distinctus. Caput rotundatum, convexum, concinne rugoso-punctatum, nigrum, parce squamosum; oculi ovati, haud prominuli, brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, validum, modice arcuatum, teres, basi rude profunde dein subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ basin rostri propius sitæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuta, cinereo-pubescente.

Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice paulo rotundato-productus, lateribus utrinque leviter emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, rotundatis; anterius subito angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre sat profunde rugoso-punctatus, dorso antico obsolete carinatus, niger, opacus, squamulis cinereo-albidis parce adspersus. Scutellum depressum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obtuse angulatis; a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso antico sub-depressa, postice declivia, sat profunde punctato-striata, punctis striarum oblongis, sub-remotis, interstitiis alternis elevatioribus; tota nigra, squamulis cinereo-albidis dense obsita, pone medium transversim late denudata, forte detrita. Corpus subtus sub-remote punctatum, squamulis setiformibus cinereis parce adspersum. Pedes breviusculi, validi, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, omnibus subtus dente parvo, distincto, armatis; tibiis compressis, basi nonnihil arcuatis.

Obs. — Variat colore squamarum in flavidum vergente.—Bhn.

♂♀ 16. C. Delumbis. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis silaceis vel cinereis tectus; fronte impressa, foveolata; rostro crassiori, rufo-piceo, parum arcuato, basi carinato; thorace lato, confertim punctato, antice valde coarctato, postice carinato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis modice elevatis, plaga scutellari plus minusve distincta, atro-squamosa, decoratis; femoribus acute dentatis.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 271. 405.
Cœlosternus falcatus. Schh. *in Litteris*, olim.

Patria: Brasilia. A Dom. Germar amice donatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Cœlosterni alternantis*, sed variat etiam dimidio minor. Caput rotundatum, inter oculos profunde impressum, nigrum, squamulis silaceis dense tectum; oculi oblongi, parum prominuli, brunnei; rostrum longitudine thoracis, teres crassiusculum, parum arcuatum, rufo-piceum, basi carinatum, squamulis adspersum, dein subtiliter remote punctatum, glabrum, nitidum; maris ad basin utrinque tuberculo parvo instructum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pubescentes,

clava oblonga, sub-cylindrica, fusco-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice supra paulo rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus; anterius subito angustatus et valde coarctatus, mox pone stricturam rotundato-ampliatus, lateribus dein versus basin rectis; postice bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim punctulatus, obsoletissime basi evidenter carinatus, squamulis silaceis vel cinereis tectus, setulis nigro-fuscis parce adspersus, in basi ante scutellum plaga sat magna, atro-squamosa, notatus. Scutellum rotundatum, elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora et illo plus triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, fere linearia, apicem versus perparum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, punctis parum profundis seriatim impressis striata, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis; tota nigra, squamulis luteo-silaceis vel cinereis dense tecta, fasciis duabus obliquis una ab humero altera versus apicem e squamulis pallidioribus, præterea pone scutellum plaga magna, atra, plus minusve distincta, decorata, setulisque brevibus crassis, fuscis, seriatim digestis, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis setulisque silaceis vel cinereis tectum. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis silaceis tecti, antici longiores; femoribus omnibus modice clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis basi arcuatis. — BHN.

17. C. ANXIUS. *Schh.*

Ovalis, niger, opacus, squamulis cinereo-albidis parce adspersus; rostro tenui, modice arcuato, basi striolato-rugoso; thorace crebre parum profunde punctato, antice tenue carinato, pone oculos distincte lobato; elytris fusco-ferrugineis, apice late albido-squamosis, sat profunde punctato-striatis; interstitiis convexis, remote granulatis, dorso antico obsolete quadri-tuberculatis; femoribus antice unidentatis.

Patria: Madagascar. Ex Musæo Reg. Gall. ad describendum benevole communicatus.

Cryptorhyncho lapathi longitudine æqualis, sed dimidio latior. Caput rotundatum, convexum, crebre sed parum profunde punctatum, nigrum, opacum, punctis squamulis griseis repletis; oculi ovati, sub-depressi, brunnei; rostrum thorace paulo longius, tenue, teres, modice arcuatum, a basi fere ad medium striolato-

rugosum, parce squamosum, opacum, dein apicem versus subtilissime remote punctulatum, glabrum, nitidum; totum nigro-piceum. Antennæ in medio rostri sitæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix brevior, apice supra rotundato-productus, ibique utrinque emarginatus, lobis ocularibus valde prominulis, sub-rotundatis; anterius subito angustior, intra apicem late sed parum profunde coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, dein versus basin perparum angustatus, postice obsolete bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis sat magnis, parum profundis, crebre impressus, dorso antico carinula tenui instructus, squamulis cinereo-albidis dorso parce, lateribus et subtus densius adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, fusco-ferrugineum, parce squamosum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obtuse rotundatis; a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice declivia, anterius profundius posterius subtiliter punctato-striata, interstitiis convexis, granulis remotis obsitis, singulo in dorso antico non procul a basi in interstitio secundo, tuberculo parvo, obtuso, alteroque fere in medio in interstitio tertio, magis elevato, atro-setulosis, instructo; tota fusco-ferruginea, a basi ultra medium parce dein apicem versus dense cinereo-albido-squamosa. Corpus subtus sat crebre punctatum, piceum, squamulis cinereo-albidis adspersum. Pedes elongati, validi, picei, punctulati, parce cinereo-squamulosi; femoribus apicem versus clavatis, ibique subtus dente sat valido, acuto, armatis; tibiis teretibus, basi vix arcuatis.

BHN.

* 18. C. SUBUNDATUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis læte brunneis tectus; fronte-foveolata, rostro confertim punctulato; thorace profunde crebre rugoso-punctato, dorso denudato, obsolete carinato; elytris macula suturali in dorso antico fasciisque duabus obliquis, atro-squamosis, decoratis, subtiliter punctato-striatis; interstitiis sub-planis, anterius remote transversim rugulosis; femoribus uni-dentatis.

Patria: Java. A Dom. DE HAAN donatus et ex Musæo Reg. Gall. ad describendum benevole communicatus.

Longitudo *Cryptorhynchi lapathi*, sed multo angustior, minus convexus. Caput breve, convexum, crebre parum profunde rugu-

loso-punctatum, nigrum, opacum; vertice denudato; fronte silaceo-squamosa, inter oculos foveola oblonga, sat profunda insculpta; oculi ovati, haud prominuli, dilute brunnei; rostrum thorace paulo longius, minus tenue, teres, modice arcuatum, apice nonnihil deplanatum, postice crebre evidenter punctulatum, obsolete carinatum, dein apicem versus subtiliter concinne punctulatum; nigro-piceum, apice dilutius ferrugineum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, sub-cylindrica, acuta, distincte 4-articulata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice supra rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus prominulis, sub-acutis; anterius angustior, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, rima infera postice utrinque in dentem exeunte, supra paulo convexus, rude crebre dorso antico tamen subtiliter rugoso-punctatus, medio carinula obsoleta instructus, niger, sub-nitidus, dorso vix lateribus et subtus dense læte brunneo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse rotundatis; a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, postice paulo declivia, subtiliter punctato-striata, punctis striarum remotis, interstitiis sub-planis, anterius rugulis parvis, remotis, transversis, adspersis; nigra, læte brunneo-squamosa, signaturis variis atris insignita, nempe: in dorso antico ad suturam macula tricuspidata, ante medium fascia obliqua aliaque ante apicem, quasi e maculis constituta. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigrum, squamulis cinereis sat dense obsitum. Pedes mediocres, validi, nigri, læte brunneo-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente sat valido armatis; tibiis basi umbrino annulatis; tarsis obscure ferrugineis. — BHN.

* 19. C. ASPERNABILIS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis griseis tectus; antennis rostroque ferrugineis, rostro arcuato, punctulato; thorace crebre sed non profunde punctato, carinato; elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis alternis parum elevatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus.

Magnitudo et statura omnino *Cryptorhynchi occati*, thorace non impresso, interstitiis elytrorum parum elevatis, etc., ab illo facile

distinctus. Caput rotundatum, nigrum, crebre rugoso-punctatum, squamulis griseis dense tectum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum thorace sub-longius, minus tenue, teres, arcuatum, rufo-ferrugineum, glabrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblonga, sub-cylindrica. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice utrinque late emarginatus, anterius subito angustatus, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, undique crebre sed parum profunde punctatus, medio longitudinaliter carinatus, squamulis griseis adspersus. Scutellum parvum rotundatum, dense griseo-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, et latitudine duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, obsolete striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis, sub-costatis; tota squamulis unicoloribus griseis tecta. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, squamulis griseis adspersum. Pedes robusti, nigri, griseo-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente valido, sub-acuto, instructis; tibiis subrectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

♀ 20. C. LONGIUSCULUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, læte brunneo-squamosus; rostro validiusculo, valde arcuato, crebre punctato; thorace antice subito angustato, late constricto, apice valde rotundato-producto, rugoso, dorso longitudinaliter impresso, ibique obsolete et antice abbreviatim carinato, albido-squamoso; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis; femoribus anticis bi-posterioribus obsolete unidentatis.

Mas: rostro latiori, crebrius punctato, obsolete carinato, pedibus longioribus, tarsis anticis subtus longe fusco-villosis.

Femina: rostro tenuiori, apicem versus subtilius, remotius punctulato, non carinato; pedibus brevioribus, tarsis anticis subtus spongiosis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *Cryptorhynchi lapathi*, sed multo angustior. *Cœlosterno occato* affinis, sed in elytris multo longior, antennæ longiores,

clava paulo brevior. Caput rotundatum, supra modice convexum, sub-remote sat profunde punctulatum, nigrum, opacum, squamulis læte brunneis parce adspersum; oculi ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine thoracis, valde arcuatum, validiusculum, maris latius, crebre punctulatum, medio obsolete carinatum; feminæ basi profunde dein subtiliter sub-remote punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum, basi parce squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice supra valde rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis obtusis; anterius subito angustatus, intra apicem late constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra sub-depressus, ruguloso-punctatus, dorso longitudinaliter lateque sed minus profunde impressus, medio carinula parum elevata, antice abbreviata, instructus; niger, dorso in impressione dense albo-lateribus et subtus parcius læte brunneo-squamosus, setulis depressis, pallidis, parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse rotundatis; pone medium apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, postice paulo declivia, mediocriter punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis, parce pallido-setulosis; nigra, squamulis læte brunneis sat dense vestita. Corpus subtus remote, pectore evidenter ventre obsoletius punctato, squamulis albidis parce adspersum. Pedes elongati, validi, nigri, punctulati, squamulis cinereo-albidis adspersi; femoribus modice clavatis, anticis crassioribus bi-posterioribus uni-dentatis; tibiis compressis, basi paulo arcuatis. — BHN.

21. C. LONGIPENNIS. *Chevrolat.*

Elongatus, niger, læte cervino-squamosus; rostro breviusculo, paulo arcuato, basi utrinque longitudinaliter impresso lineaque arcuata elevata prædito; thorace confertim punctulato, antice constricto, dorso tenue carinato; elytris sub-linearibus, niveo-squamosis, basi apiceque cervino variegatis, obsolete punctato-striatis: interstitiis alternis dorsalibus versus apicem elevatis; femoribus parum clavatis, obtuse uni-dentatis.

Patria: Toulepec in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Statura oblonga fere *Cœlosterni longiusculi* et illo paulo minor. Caput breve, convexum, nigrum, dense læte cervino-squamosum, inter oculos longitudinaliter obsolete impressum; oculi ovati, parum prominuli, brunnei; rostrum thorace brevius, validum, paulo arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, basi utrinque longitudinaliter impressum, ibique parce squamosum, subtiliter sub-remote punctulatum, inter antennas canalicula abbreviata, tenui, insculptum; totum obscure ferrugineum, nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, dilutius ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice supra modice rotundato-productus, ibique utrinque emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, obtusis; intra apicem evidenter constrictus, lateribus pone stricturam modice rotundato-ampliatus, dein versus basin nonnihil angustatus, postice sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis crebris, parum profundis, impressus, medio carinula tenui instructus; niger, squamulis, setisque erectis læte cervinis nonnullis albidis mixtis, dense tectus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, punctulatum. Elytra antice singulatim paulo rotundato-producta, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus fere linearia, apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, obsolete punctato-striata, punctis striarum remotis, interstitiis transversim rugosis, alternis dorsalibus ad apicem elevatis, præsertim secundo; nigra, dense niveo-squamosa, in ipsa basi, plaga laterali pone medium apiceque ad suturam cervino variegata. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigrum, squamulis læte cervinis albidis mixtis tectum. Pedes mediocres, nigri, cervino-squamosi; femoribus vix clavatis, subtus obsolete obtuse dentatis. — BHN.

*? 22. C. SULCATULUS. *Chevrolat.*

Ovalis, niger, dilute fusco-griseo-squamosus; rostro tenui, valde arcuato, basi confertim punctato, carinato; thorace punctatissimo, dorso antico argute carinato; elytris subtiliter bifariam punctato-striatis, interstitiis alternis carinatis; femoribus clavatis, omnibus bi-dentatis.

Patria: Guadeloupe. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Cryptorhynchi hæmorrhoei;* clava antennarum elongata, rostro basi tantum carinato, thorace antice carinato, femoribus omnibus bi-dentatis, ab illo distinctus. Caput breve, convexum, rugoso-punctatum, nigrum, squamis depressis, fusco-griseis, tectum, vertice linea arcuata prædito; oculi oblongi, haud prominuli, brunnei; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, valde arcuatum, obscure ferrugineum, basi crassius, ibique supra carinatum, punctatum, squamulosum, dein extrorsum nudum, nitidum, sub-læve. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, dilute ferrugineæ, clava elongata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice utrinque emarginatus, leviter constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctatus, niger, squamulis unicoloribus fusco-griseis dense vestitus, in medio dorsi carinula sat elevata, postice abbreviata, instructus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, punctatum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora et illi arcte adæquata, humeris obliquis, obtuse sub-rotundatis; a medio apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, punctis parvis, per paria approximatis, squama pallida repletis, striata, interstitiis alternis costatis, alternis planis; nigra, squamulis fusco-griseis dense tecta. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, dense dilute umbrino-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, punctati, squamulis dilute umbrinis tecti: femoribus clavatis, omnibus subtus bi-dentatis, dente anteriore valido, posteriore parvo; tibiis nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

23. C. CINEREUS. *Chevrolat.*

Ovalis, niger, griseo-squamosus, rostro tenui, valde arcuato, ferrugineo, subtilissime punctulato, basi obsolete carinato; thorace punctatissimo, dorso antico tenue carinato; elytris subtiliter bifariam punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis; femoribus vix clavatis, omnibus bi-dentatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Statura et summa similitudo *Cœlosterni sulcatuli*, nonnihil tamen major; colore indumenti alio, rostro rufo-ferrugineo, undique subtilissime punctulato, thorace antice leviter carinato, femoribus vix clavatis, dentibus minoribus, magis remotis, ab illo distinctus. Caput rotundatum, convexum, confertim punctulatum, punctis squamulis griseis repletis, nigrum, inter oculos vix foveolatum; oculi ovati, sub-depressi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, minus crassum, teres, valde arcuatum, basi vix carinatum, obsolete, dein subtilissime punctulatum; totum dilutius rufo-ferrugineum, nitidum, glabrum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, dilute ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra paulo rotundato-productus, ibique utrinque modice emarginatus, lobis ocularibus paulo productis; anterius subito angustatus, intra apicem leviter coarctatus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, concinne punctulatus, medio carinula longitudinali parum elevata, postice abbreviata, instructus; niger, squamulis griseis dense vestitus, setulisque brevibus pallidis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris obtuse rotundatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, subtiliter punctato-striata, punctis striarum remotis, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, sub-carinatis; nigro-picea, squamulis griseis dense obsita, setulisque brevibus, pallidis, parce adspersa. Corpus subtus crebre punctatum, nigrum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes elongati, nigri, griseo-squamosi; femoribus vix clavatis, subtus bi-dentatis, dentibus parvis, sub-remotis, exteriore obso-

leto; tibiis sub-compressis, basi vix arcuatis; tarsis obscure ferrugineis. — BHN.

* 24. C. TESSELLATUS. *Schh.*

Ovalis, convexus, niger, squamulis cinereis adspersus: rostro tenui, valde arcuato, basi striolato-rugoso; thorace transverso, carinato, obsolete bi-tuberculato, antice valde coarctato; elytris maculis griseo-albidis atrisque variegatis, subtiliter striato-punctatis; interstitiis alternis carinatis, fasciculato-setosis; femoribus bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Longitudo *Phytonomi polygoni*, sed nonnihil latior et multo convexior. Caput globosum, nigrum, punctulatum, squamulis cinereo-albidis tectum; oculi laterales, oblongi, parum prominuli, brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, teres, subtenue, valde arcuatum, rufo-piceum, basi striolato-rugosum, squamosum, dein distincte punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, parum pubescentes, clava elongata, sub-cylindrica, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque leviter emarginatus, a basi ultra medium nonnihil ampliatus, tunc subito angustatus, antice valde coarctatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, dorso longitudinaliter carinatus, utrinque tuberculo obtuso armatus, niger, squamulis griseo-albidis tectus setulisque reclinatis fuscis adpersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris sub-angulatis, latitudine baseos sesqui-longiora, pone humeros apicem versus sensim angustata, lateribus inflexa, apice valde declivia, conjunctim rotundata, supra valde convexa, subgibba, subtiliter striatim punctata, interstitiis alternis 3, 5, 7 et 9 a sutura elevatis, carinatis, setis brevibus, crassis, erectis, atris, fasciculatis, obsitis; tota nigra, squamulis pallide griseis et atris maculatim condensatis, variegata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis dilute cervinis tectum. Pedes elongati, nigri, punctati, dilute cervino-squamosi, setulosi, antici nonnihil longiores; femoribus modice clavatis, subtus bi-dentatis; tibiis basi curvatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

25. C. CARINATUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovalis, niger, dense griseo-squamosus, rostro tenui, valde arcuato, basi carinato; thorace convexo, confertim punctato, argute carinato; elytris bifariam subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis, setulis brevissimis pallidis adspersis; femoribus bi-dentatis, dente interiore valido, acuto; tibiis arcuatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 464. 132.

Patria: America meridionalis. Dom. SCHMIDT. Ex Musæo Reg. Dan. ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo Ceuthorhynchi lituræ. Caput breve, supra convexum, sat crebre punctulatum, squamulis griseo-silaceis vestitum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, dilute brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, tenue, valde arcuatum, apice nonnihil deplanatum, basi crassius, ibique evidenter punctulatum, tenue carinatum, griseo-squamosum, dein apicem versus subtilissime punctulatum, denudatum, nitidum; totum nigro-piceum. Antennæ basin rostri propius insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, antice subito angustatus, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix productis; lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra convexus, in medio argute carinatus, carinula anterius magis elevata; undique confertim punctatus, niger, squamulis fusco-griseis sat dense obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, ruguloso-punctulatum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtusis, sub-rotundatis, non elevatis; pone humeros versus apicem sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, subtiliter bifariam punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis; tota nigra, squamulis griseis dense tecta, setulis brevissimis, pallidis, seriatim adspersa. Corpus subtus sat crebre punctulatum, squamulis griseo-silaceis vestitum. Pedes elongati, validi, nigri, dense griseo-squamosi; femoribus clavatis, subtus bi-dentatis, dente interiore valido, acuto, exteriore minutissimo, obsoleto; tibiis compressis, basi apiceque tenuioribus, incurvis; tarsis angustis, subtus fusco-spongiosis.—BHN.

26. C. GUADELUPENSIS. *Chevrolat.*

Ovalis, convexus, fusco-piceus, squamulis cinereis parce adspersus: vertice linea arcuata, elevata, prædito; rostro tenui, valde arcuato, basi striolato-rugoso, carinato; thorace transverso, carinato, crebre rugoso-punctato, antice subito angustato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis carinatis; femoribus bi-dentatis.

Cryptorhynchus Guadelupensis. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Guadeloupe. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Statura et summa similitudo *Cœlosterni tessellati*, nonnihil tamen major, parcius squamosus; rostro basi carinato, thorace non tuberculato, ab illo facile distinctus. Caput parvum, supra modice convexum, crebre rugoso-punctatum, carinula antrorsum arcuata supra oculos instructum, nigrum, parce cinereo-squamosum; oculi ovati, sub-depressi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, subtenue, teres, valde arcuatum, basi striolato-rugosum, ibique carinatum, parce squamosum; totum ferrugineum, apicem versus dilutius, obsolete punctulatum, nitidum, glabrum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, dilutius ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, obtusis; anterius subito angustior, intra apicem leviter constrictus, pone stricturam rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim parum profunde punctatus, medio carinula modice elevata instructus; niger, squamulis cinereis dense vestitus. Scutellum parvum, oblongum, fusco-piceum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis; a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice modice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, costatis; fusco-picea, subnitida, squamulis unicoloribus cinereis adspersa. Corpus subtus crebre punctulatum, fusco-piceum, squamulis cinereis sat dense obsitum. Pedes elongati, validi, fusco-picei, parce griseo-squamosi; femoribus modice clavatis, subtus bi-dentatis, dente exteriore obsoleto; tibiis compressis, basi nonnihil arcuatis. — BHN.

Manipulus II. *Elytra valde inæqualia, alte tuberculata; oculi sub-approximati.*

27. C. DORSALIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, dense ochraceo-squamosus; thoracis elytrorumque lateribus et apice late albido-squamosis; thoracis margine antico bi-fasciculato; elytris punctato-striatis, interstitiis internis remote tuberculatis et fasciculatis, 2. pone medium in cristam elevato; femoribus acute bi-dentatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cryptorhynchi lapathi*; *Coelosterno aspericolli* similis. Caput dense albido-squamosum, vertice linea arcuata, triangulari, elevata, instructum; oculi majusculi, sub-ovati, paulo convexi et in fronte sub-approximati; rostrum longitudine thoracis, tenuiusculum, sub-teres, parum arcuatum, sub-læve, brunneo-piceum, nitidum, basi albido-squamosum, versus apicem sensim complanatum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, subtenues, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice fere duplo angustior, supra margine antico modice rotundato-producto, pone oculos perparum lobatus, intra apicem utrinque leviter impressus, lateribus modice rotundatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, carinatus, dense imbricatim albido-squamosus, squamis in dorso majoribus ochraceis et fuscis, plerisque suberectis et fasciculos formantibus, quorum duo in margine antico et alius in disco præcipue sunt distincti. Scutellum mediocre, orbiculatum, sub-elevatum, dense ochraceo-squamosum. Elytra basi singulatim obtuse rotundata, thorace paulo latiora et fere triplo longiora, humeris obtuse angulatis; dein ad apicem sensim angustata, lateribus parum rotundatis, ante apicem utrinque sub-impressa, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra præsertim pone medium convexa, dorso antico planiuscula, sat profunde et crebre punctato-striata, interstitiis sub-convexis, 1° longe pone medium in cristam elongatam squamis suberectis ochraceis dense vestitam elevato, in apice carinato; 2° ante medium bi-tuberculato, 3° quadri-tuberculato, tuberculis squamis erectis densis ochraceis vestitis; sat dense cinereo albido-squamosa, in dorso plaga magna sub-triangulari, communi, longe

pone medium extensa, dense ochraceo-squamosa. Corpus subtus cum pedibus dense ochraceo-squamosum; hi mediocres, antici parum longiores; femoribus modice clavatis, dentibus duobus sub-acutis, exteriore minore, sub-fasciculiformi, armatis; tibiis compressis, basi arcuatis. — RLD.

28. C. ASPERICOLLIS. *Schh.*

Oblongus, nigro-piceus, squamulis rubro-testaceis tectus: rostro tenui, arcuato; thorace rugoso, basi obsolete carinato, antice aculeis parum elevatis obsito; elytris subtiliter punctato-striatis, dorso tuberculis nonnullis remotis instructis: femoribus uni-dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Statura *Cœlosterni joculatorii* nonnihil tamen major. Caput breve, convexum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis dilute testaceis dense tectum, supra oculos angulatim carinatum; oculi magni, ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, tenue, teres, arcuatum, obscure ferrugineum, basi crassius, ibique supra carinatum, punctatum, squamosum, extrorsum nudum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, clava elongata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque sinuato-emarginatus, anterius angustior, mox pone apicem coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, rugosus, niger, squamulis rubro-testaceis densissime tectus, in dorso postico longitudinaliter obsolete carinatus, antice aculeis modice elevatis obsitus. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, nigrum, squamulis rubro-testaceis tectum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, et illi arcte adæquata, humeris obliquis, obtuse angulatis, sub-elevatis; lateribus apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim sub-truncata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, in dorso tuberculis nonnullis modice elevatis, obsita, posteriore magis elevato, setoso; nigra, squamulis rubro-testaceis, versus latera dilutioribus densissime tecta. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis fusco-brunneis dense tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, squamulis rubro-testaceis tecti; femoribus omnibus modice clavatis, subtus dente

acuto, armatis; tibiis compressis, basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

29. C. JOCULATORIUS. *Schh.*

Oblongus, niger, obscure silaceo-squamosus, rostro tenui, arcuato; thorace basi carinato, undique rugoso-punctato, umbrino variegato; elytris plaga dorsali, ad medium extensa, umbrina, ornatis, subtiliter punctato-striatis; interstitiis alternis dorsalibus alte tuberculatis, apice sub-truncatis; femoribus acute, valido uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Cryptorhyncho lapathi longitudine æqualis, sed multo angustior. Caput parvum, globosum, crebre rugosum, nigrum, squamulis silaceis adspersum, supra oculos oblique carinatum; oculi magni, ovati, haud prominuli, obscure brunnei, in fronte sub-contigui, subtus coeuntes; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, teres, arcuatum, obscure ferrugineum, basi crassius, ibique supra carinatum, punctatum, albido-squamosum, extrorsum nudum, sub-nitidum, obsolete punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, cylindrica, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice supra in medio parum productus, utrinque sinuato-emarginatus, anterius angustior, mox intra apicem coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, rugoso-punctatus, supra squamis umbrinis silaceis mixtis tectus, aliis erectis, fuscis, aculeiformibus, præsertim in medio antico congestis, unde ibi quasi cristatus, adspersus; in medio dorsi postico carinula parum elevata instructus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, parce squamosum. Elytra antice baseos thoracis latiora et illi arcte adæquata, humeris obliquis, obtuse angulatis; lateribus apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-truncata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, alternis dorsalibus alte multi-tuberculatis, tuberculis setis crassis, obsitis; nigra, dense obscure silaceo-squamosa, in dorso a basi ad medium plaga sat magna, communi, umbrina, ornata. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis griseo-silaceis vestitum. Pedes longiusculi, robusti, nigri, squamulis silaceis tecti; femoribus anticis clavatis, subtus dente valido armatis, posterioribus parum incrassatis, dente obsoletiore instructis; tibiis compressis, basi

parum arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 30. C. Exornatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, umbrino squamosus, rostro tenui, valde arcuato, fusco-ferrugineo; thoracis lateribus maculaque magna, cordata, dorsali, paleaceo-squamosis; elytris subtiliter striato-punctatis, interstitiis alternis dorsi tri-tuberculatis, singulo maculis quatuor paleaceis; femoribus umbrino et paleaceo variegatis, bi-dentatis.

Habitat ad Rio Janeiro. A Dom. de Winthem communicatus. Mus. Schh.

Species pulchra. Magnitudo fere *Cryptorhynchi lapathi.* Caput parvum, globosum, nigrum, punctulatum, utrinque supra oculos linea elevata, in fronte connexa, notatum, squamulis pallidis adspersum; oculi magni, sub-ovati, approximati, in fronte fere conniventes, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, teres, tenue, valde arcuatum, fusco-ferrugineum, basi carinatum, striolato-rugosum, squamosum, dein glabrum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, parum pubescentes, clava elongata, cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lateribus ultra medium rectis, tunc angulatis et subito angustatis; antice coarctatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, niger, punctulatus, dorso antico obsolete carinatus, umbrino-squamosus, macula magna cordata, ante-scutellari et alia parva, rotunda, apicali, lateribusque paleaceo-squamosis, præterea setulis crassis fuscis adspersus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora et illo triplo longiora, humeris, obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus perparum angustata, apice valde declivia, conjunctim rotundata, subtiliter striatim punctata, interstitiis alternis elevatis, 3 et 5 a sutura, tuberculis tribus valde elevatis, setis brevibus, crassis, fuscis, fasciculatis: tota nigra, squamulis dilute umbrinis tecta; signaturis variis e squamulis paleaceis insignita, nempe: supra humeros macula rotunda: altera minor ante medium in margine laterali; tertia in dorso postico juxta suturam major; quarta ei opposita versus marginem lateralem, parva. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis

dilute umbrinis, pallidis immixtis, tectum. Pedes elongati, nigri, punctati; femoribus clavatis, paleaceo-squamosis, umbrino annulatis, subtus bi-dentatis: tibiis basi curvatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 31. C. Sentus. *Schh.*

Oblongus, ater, squamulis fusco-griseis parce adspersus; rostro fusco-ferrugineo, tenui, modice arcuato; thorace lateribus rotundato, sat confertim punctato, carinato, macula parva basali, albido-squamosa; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis dorsi tuberculatis, singulo lineola laterali argenteo-squamosa; femoribus subtus bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. A Com. Mannerheim benevole communicatus. Mus. Schh.

Longitudo *Cryptorhynchi lapathi*, sed multo angustior. Caput parvum, globosum, nigrum, sat profunde confertim punctatum, utrinque supra oculos linea elevata, in fronte connexa, notatum, squamulis fusco-griseis parce adspersum; oculi sat magni, ovati, approximati, in fronte fere conniventes, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, tenue, teres, nonnihil arcuatum, fusco-ferrugineum, basi striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblonga, sub-cylindrica, cinereo-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius nonnihil angustatus, ibique leviter constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim punctatus, obsolete carinatus, papillis squamulisque fuscis et atris adspersus, ante scutellum macula parva, elongata, e squamulis albidis, notatus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi manifeste latiora, humeris obliquis, angulatis, thorace triplo longiora, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice declivia, singulatim rotundata, supra convexa, parum profunde striatim punctata, interstitio 3° a sutura tuberculis tribus et interstitio 5° tuberculis quinque setis erectis, atris, fasciculatis, obsitis; tota nigra, squamulis raris fusco-griseis adspersa; singulo pone medium versus latera lineola abbreviata, argenteo-squamosa, punctis nonnullis ejusdem coloris cincta.

Corpus subtus nigrum, profunde punctatum, squamulis raris albidis adspersum. Pedes elongati, robusti, nigri, punctati, papillis setulisque atris dense obsiti: femoribus clavatis, basi niveo annulatis, subtus pone medium bi-dentatis: tibiis latiusculis, basi curvatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 32. C. ASPIS. *Fabricius.*

Ovalis, niger, squamulis griseis, ochraceis atrisque variegatus: rostro valde arcuato, basi carinato, antennis longe ante medium rostri insertis; thorace sat confertim parum profunde punctato, carinato, lateribus albido-squamoso: elytris punctato-striatis, interstitiis alternis dorsalibus tuberculatis: femoribus acute bi-dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 469. 151.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil minor, respectu magnitudinis multo latior. Caput breve, rotundatum, supra modice convexum, rugulosum, nigrum, opacum, squamulis brunneis sat dense obsitum, supra oculos obsolete oblique carinatum; oculi ovati subdepressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, valde arcuatum, deplanatum, basi nonnihil latius, ibique supra crebre rugoso-punctulatum, tenue carinatum, parce squamosum, dein apicem versus sub-læve, nitidum; totum obscure ferrugineum. Antennæ basin rostri propius sitæ, subtenues, dilutius ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, sub-cylindrica, fusco-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, obtuse rotundatis; anterius subito et valde angustatus, leviter constrictus, lateribus pone stricturam valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustior, postice sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre parum profunde ruguloso-punctatus, medio carinula modice elevata, instructus; niger, supra squamulis griseis ochraceis mixtis adspersus, subtus dense albo-squamosus. Scutellum rotundatum, nigrum, læve. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris sub-rectangulatis: pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, mediocriter punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis, in dorso antico alte tuberculatis, tuberculis carinatorum

mibus; tota nigra, opaca, squamulis griseis, ochraceis atrisque mixtis, sat dense obsita et variegata. Corpus subtus confertim punctatum, punctis squamulis cervinis repletis. Pedes mediocres, validi, nigri, crebre punctati, squamulis griseis atrisque mixtis variegati; femoribus omnibus valde clavatis, subtus bi-dentatis, dente exteriore obsoleto; tibiis compressis, nonnihil arcuatis, canaliculatis; tarsis ferrugineis. — BHN.

GENUS 312. — CYLINDROCORYNUS. *Nobis.*

Cœlosternus DEJEAN.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulo 1° breviusculo, sub-turbinato, 2-4 elongatis, sub-clavatis, 2° reliquis duplo longiore, 5-7-brevibus, sub-rotundatis; clava elongata, cylindrica, sub-solida.

Rostrum longum, sub-filiforme, arcuatum.

Oculi sub-approximati, ovati, modice convexi, majusculi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus parum rotundatus, anterius sensim angustatus, leviter coarctatus, apice sub-truncatus.

Elytra olbonga, sub-ovata, humeris obliquis, fere obtuse angulatis.

Pedes validi, antici longiores; femora modice incrassata, subtus bi-dentata.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ellipticum, convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, versus medium rostri insertæ, subtenues, fractæ; articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato, 2° breviusculo, sub-turbinato, 3-5 elongatis, sub-clavatis, illo valde longo, reliquis brevioribus, sub-rotundatis, ultimis gradatim perparum latioribus, omnibus sub-distantibus; clava valde elongata, angusta, cylindrica, apice obtuse rotundata, articulis haud discernendis. — *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, sub-filiforme, basi carinatum, arcuatum, inflexum; scrobe in medio rostri incipiente, ad oculum protensa, lineari. — *Oculi* in fronte parum distantes, sub-ovati, inferni, acuminati, modice convexi, majusculi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, basi leviter bi-sinuatus, in medio anguste productus, lateribus parum ampliatus, anterius sensim angustatus, leviter coarctatus, apice sub-truncatus, pone oculos minus distincte lobatus, supra modice convexus; rima pectoralis profunda, argute marginata, inter pedes intermedios continuata. — *Scutellum* oblongum, apice rotundatum,

sub-elevatum. — *Elytra* thoracis parte postica paulo latiora et latitudine fere triplo longiora, oblongo-subovata, lateribus versus apicem sensim attenuata, apice ipso obtuse rotundata, supra modice convexa, versus apicem vix callosa; humeris obliquis, sub-obtuse angulatis. – *Pedes* validi, antici paulo longiores; femoribus modice incrassatis, omnibus subtus bi-dentatis; tibiis paulo curvatis, sub-comprimatis, apice unco minuto intus flexo armatis; tarsis latiusculis, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Cylindrocorynus imaginarius.*

A κύλινδρος cylindrus, κορύνη clava.

Patria : Brasilia, Cayenna.

Observ. — Etsi habitu quodammodo generi *macromero* simile est hoc genus, facilius tamen distinguitur clava antennarum elongata, sub-solida, oculis magis approximatis, etc. A genere *Cœlosterno*, cui etiam valde simile, præcipue differt funiculo antennarum aliter constructo, plures discrepantias ut taceam.

*‡ 1. C. IMAGINARIUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis silaceis adspersus; antennis ferrugineis; thorace profunde crebre rugoso-punctato, dorso carinato; elytris plaga basali apiceque dense silaceo-squamosis, profunde sub-remote punctato-striatis; interstitiis convexis, subtilissime remote punctulatis; femoribus bi-dentatis.

Mas : nonnihil minor, rostro basi striolato-rugoso, ad medium carinato, apicem versus subtiliter sub-remote punctulato, antennis in medio rostri insertis.

Femina : rostro in ipsa basi profunde punctato, ibique obsolete carinato, apicem versus lævi, antennis basin rostri propius insertis.

Patria : Rio Janeiro, Brasiliæ. A Dom. GERMAR et HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Macromeri crinitarsis.* Caput globosum, valde convexum, crebre profunde rugoso-punctatum, nigrum, setulis silaceis adspersum; oculi magni, in fronte sub-approximati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, teres, arcuatum; maris a basi ad medium carinatum et striolato-rugosum, dein apicem versus subtiliter punctulatum; feminæ in

ipsa basi profunde punctatum, obsolete carinatum, dein læve; nigro-piceum, nitidum, basi parce silaceo-squamosum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava elongata, cylindrica, dense griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius subito angustatus, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo productis, obtusis, mox intra apicem leviter coarctatus, pone stricturam oblique ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, carinula longitudinali, medio magis elevata instructus, undique profunde crebre rugoso-punctatus, punctis sæpe confluentibus, niger, sub-nitidus, in cavitatibus setulis crassis, reclinatis, silaceis, obsitus. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, nigrum, nitidum. Elytra oblongo-ovata, antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, sub-rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, posterius declivia, profunde punctato-striata, punctis oblongis, sub-remotis, interstitiis modice convexis, posterius sub-carinatis, subtilissime vage, valde remote punctulatis; tota nigra, sub-nitida, squamulis silaceis parce adspersa, in ipsa basi in plaga sub-triangulari condensatis, apiceque dense silaceo-squamosa. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, squamulis silaceis anterius dense, postice parce adspersum. Pedes elongati, validi, nigri, punctulati, parce silaceo-squamulosi; femoribus modice clavatis, omnibus subtus bi-dentatis, dente apicem propius parvo; tibiis compressis, latiusculis, arcuatis. — Bhn.

*♂ ♀ 2. C. Dentipes. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis flavo-albidis parce adspersus; rostro tenui, arcuato, basi carinato et striolato-rugoso; thorace confertim parum profunde rugoso-punctato, carinato; elytris punctis ocellaribus striatis, interstitiis elevatis, carinatis, alternis dorsi planis; femoribus acute bi-dentatis.

Cœlosternus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 294.

Cryptorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Habitat in Cayenna. A Dom. Com. Dejean missus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere forma *Cœlosterni alternantis.* Caput globosum, nigrum, rugoso-punctatum, squamulis albidis adspersum; oculi magni, sub-ovati, approximati, in fronte fere conniventes, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, teres,

tenue, arcuatum, nigro-piceum, basi carinatum, striolato-rugosum, squamulis pallidis adspersum, tum glabrum, nitidum, vix punctulatum. Antennæ paulo ante medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava elongata, cylindrica, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lateribus a basi ad medium usque, fere rectis, tunc sensim valde angustatis, anterius basi plus duplo angustior, leviter constrictus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim minus rude rugose-punctatus, longitudinaliter carinatus, squamulis albidis parce adspersus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, punctis sat magnis, squama albida fartis, striata, interstitiis modice elevatis, carinatis, alternis dorsi 2 et 4 a sutura planis, rugulosis; nigra sub-nitida, squamulis albidis versus basin et apicem magis condensatis, adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pectore rude ventre confertim punctatis, punctis squamulis pallido-silaceis repletis. Pedes elongati; nigri, subtiliter punctati, squamulis setulisque albidis dense adspersi; femoribus præsertim anticis clavatis, omnibus subtus pone medium bi-dentatis; tibiis basi curvatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 313. — CORYNEPHORUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenuissimæ: funiculo 7-articulato: articulo 1 breviusculo, sub-turbinato, 2-5 elongatis, sub-clavatis, 6° et 7 brevibus, sub-rotundatis; clava elongata, sub-cylindrica, sub-solida.

Rostrum longum, tenue, sub-filiforme, arcuatum.

Oculi sub-laterales, breviter ovati, paulo convexi, magni.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus paulo rotundatus, anterius angustior, vix coarctatus, pone oculos perparum lobatus.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem sub-attenuata, humeris obtuse angulatis.

Pedes validiusculi, postici nonnihil longiores; femoribus hujus paris valde incrassatis, omnibus bi-dentatis: tibiæ curvatæ, compressæ.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovale, minus convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin sub-pertingentes, ante medium rostri insertæ, tenuissimæ, fractæ: articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato, 2° breviusculo, crassiusculo, sub-turbinato, 3 et 4 longis, 5 et 6 minus elongatis, omnibus sub-clavatis, 7 et 8 brevioribus, subrotundatis sub-æqualibus; clava elongata, sub-cylindrica, basi apiceque obtuse rotundata, articulis haud discernendis. — *Rostrum* capite thoraceque nonnihil longius, tenue, arcuatum, sub-filiforme, basi parum crassius, inflexum; scrobe ante medium incipiente, profunda, obliqua, in basi rostri subtus coeunte. — *Oculi* sub-laterales, paulo remoti, breviter ovati, sub-convexi, magni. — *Thorax* latitudine baseos parum brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius angustatus, ibique vix coarctatus, apice late sed parum profunde emarginatus, pone oculos minus distincte lobatus; sulco pro receptione rostri profundo, in pectore ante pedes posticos continuato. — *Scutellum* apice rotundatum, modice elevatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, et illo triplo longiora, oblongo-ovata, versus apicem sub-attenuata, humeris obtuse angulatis; supra modice convexa, dorso sub-depressa, versus apicem non callosa, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* elongati, validiusculi, postici longiores; femoribus posticis ultra elytrorum apicem extensis, clavatis, omnibus subtus bi-dentatis; tibiis curvatis, comprimatis, apice unco minuto fere perpendiculari instructis; tarsis elongatis, articulo penultimo lato, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Corynephorus V-nigrum.*

A κορυνηφόρος claviger.

Patria: Brasilia.

Observ. — Statura *Cryptorhyncho* generi fere appropinquat, propriam vero et ab eodem genere diversam faciem reddunt clava antennarum cylindrica et femora postica valde elongata et incrassata.

1. C. V-NIGRUM. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis brunnescentibus tectus; rostro arcuato, basi obsolete carinato; thorace confertim punctato, supra umbrino-squamoso, medio pallido lineato; elytris subtiliter striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis, basi littera V plagaque pone

medium obsoleta, atris, notatis; femoribus bi-dentatis, posticis valde clavatis.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Pissodis notati*. Caput globosum, nigrum, subtiliter punctulatum, squamulis fusco-brunneis dense adspersum; oculi laterales, magni, ovati, parum remoti, nigri; rostrum capite thoraceque nonnihil longius, teres, tenue; valde arcuatum, obscure ferrugineum, basi carinatum, silaceo-squamosum, dein glabrum, nitidum, obsolete punctulatum. Antennae ante medium rostri insertae, tenuissimae, dilute ferrugineae, parce pilosae, clava elongata, cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; lateribus perparum rotundatus, anterius angustatus, ibique leviter constrictus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim sed minus profunde punctatus, supra dense umbrino-squamosus, in medio linea angusta, recta, e squamulis pallidis, notatus, subtus sordide albo-squamosus. Scutellum rotundatum, modice elevatum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi dimidio fere latiora, humeris obtuse angulatis; thorace vix triplo longiora, lateribus inflexa; pone medium apicem versus sensim angustata, apice modice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, subtiliter striatim punctata, punctis remotis; interstitiis alternis elevatis, sub-carinatis, alternis planis; nigra, squamulis fusco-brunneis tecta, utrinque a medio baseos linea obliqua, versus suturam ducta, atro-squamosa, litteram V formantibus, et mox pone medium plaga communi, obsoleta, fusca, decorata. Corpus subtus nigrum, sat crebre punctatum, squamulis brunneis et sub-argenteis adspersum. Pedes elongati, nigri, squamulis setulisque fusco-brunneis tecti; femoribus anterioribus modice incrassatis, posticis valde clavatis, omnibus subtus bidentatis, dente interiore valido, exteriore parvo; tibiis praesertim posticis basi arcuatis. — BHN.

GENUS 314. — COLLABISMUS. *Nobis.*

Characteres generis. Antennae mediocres, minus teneres; funiculo 7-articulato; articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, sub-lenticularibus, sub-coarctatis; clava elongata, sub-cylindrica, apice sub-acuminata.

Rostrum longiusculum, parum arcuatum, in mare validum,

sub-teres, squamosum, in femina magis tenue, cylindricum, glabrum.

Oculi laterales, breviter ovati, parum convexi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, anterius subito angustior.

Scutellum haud distinctum.

Elytra oblongo-ovata, convexa, haud callosa, humeris obtuse angulatis.

Pedes validi; femora vix incrassata, mutica.

Descriptio.— *Corpus* oblongo-ovatum, convexum, dense squamosum, alatum; mediocris et minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix attingentes, mox ante medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° minus longo, oculos haud attingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, 4-8 brevibus sub-lenticularibus, apice sub-truncatis, sub-æqualibus, paulo coarctatis; clava elongata, versus apicem sensim perparum incrassata, sub-cylindrica, apice sub-acuminata, 4-articulata; articulo 1° valde elongato, duobus ultimis brevissimis. *Rostrum* capite fere duplo longius, inflexum, in uno sexu (quem opinor esse masculum), validum, parum arcuatum, sub-teres, squamosum, in altero sexu subrectum, magis tenue, cylindricum, glabrum; scrobe obliqua, ante medium incipiente, ad oculum protensa. — *Oculi* majusculi, laterales, breviter ovati, parum convexi. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, anterius cito angustior, paulo coarctatus, antice in medio parum rotundato-productus, pone oculos haud lobatus, supra modice convexus; rima pectoralis profunda, argute determinata. — *Scutellum* minutissimum, vix observandum. — *Elytra* thoracis parte postica paulo latiora, et illo triplo longiora, oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; supra valde convexa, versus apicem haud callosa, apice obtuse rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* longiusculi, longitudine sub-æquales, validi; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis rectis, perparum comprimatis, apice unco valido intus instructis; tarsis longiusculis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, unguiculari elongato, vix clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Collabismus clitellæ.*

A κολλαβισμος lusus.

Patria : America meridionalis.

Observ. — Generi *Cryptorhyncho* hoc genus habitu quodammodo

simile est, sed antennæ rostrumque longe aliter constructa, et scutellum haud conspicuum, essentiales differentias efficiunt.

1. C. CLITELLA. *Schh.*

Oblongo-ovatus, dense dilute silaceo-squamosus, fronte canaliculata, rostro recto, crebre punctato, carinato; thorace medio transversim quadri-tuberculato; elytris subtiliter punctato-striatis, parce setulosis, macula pone medium sat magna, rotunda, suturali, communi, obscure umbrina, notatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Marem tantum vidimus. *Cryptorhyncho lapathi* dimidio fere major. Caput breve, rotundatum, densissime silaceo-squamosum, inter oculos canalicula tenui insculptum; oculi ovati, paulo prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, validum, rectum, nigrum, carinatum, crebre punctatum, basi crassius, ibique densius apicem versus parce silaceo-squamosum. Antennæ ante medium rostri insertæ, minus tenues, ferrugineæ, clava valde elongata, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra vix rotundato-productus, lobis ocularibus non prominulis; anterius angustior, mox intra apicem coarctatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, densissime silaceo-squamosus, basi utrinque puncto parvo, umbrino, ornatus, medio tuberculis quatuor modice elevatis, transversim positis, setosis, obsitus, setulis crassis, erectis, aculeiformibus, pallidis, præsertim antice adspersus. Scutellum minutissimum, vix conspicuum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis; lateribus pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, crebre punctulatis; obscure ferruginea, densissime silaceo-squamosa, setulis brevibus, erectis, pallidis et fuscis mixtis adspersa; pone medium macula sat magna, suturali, orbiculata, obscure umbrino-squamosa, ornata. Corpus subtus obscure ferrugineum, crebre punctatum, squamulis densis silaceis tectum. Pedes elongati, validi, silaceo-squamosi et albido-setulosi; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis ferrugineis. — BOH.

♂ 2. C. SELLATUS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseo-silaceis densissime vestitus, fronte foveolata, rostro paulo arcuato, medio angustato; thorace canaliculato, apice rotundato-producto, antice elevato, umbrino-bi-fasciculato; elytris striato-punctatis, seriatim setulosis, macula magna dorsali, communi, sub-rotunda, umbrina, ornatis.

Tylodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296.

Cryptorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85. Teste Dom. Dupont.

Patria: Cayenna. A Dom. DUPONT amice communicatus. Mus. SCHH.

Specimen descriptum marem esse opinor. Magnitudo *Phyllobii mali.* Affinis certe *Collabismo clitellæ*, sed duplo minor; rostro magis arcuato, medio constricto, thorace longitudinaliter canaliculato, etc., ab illo mox distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, dense læte griseo-squamosum; fronte inter oculos leviter foveolata; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, modice arcuatum, validiusculum, supra planum pone medium angustatum, confertim punctulatum, non carinatum, nigrum, squamulis griseo-silaceis basi dense, apicem versus parce obsitum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, minus tenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra rotundato-productus, lobis ocularibus vix prominulis, intra apicem sat profunde constrictus, lateribus parum ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, vel fere truncatus, supra convexus, niger, dorso canaliculatus; totus squamulis griseo-silaceis obtectus; margine antico elevatus, bi-tuberculatus, tuberculis et antice setis erectis, crassis, umbrinis, obsitus. Scutellum nullum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, minus profunde striato-punctata, interstitiis sub-planis; tota squamulis griseo-silaceis densissime tecta, in medio dorsi macula sat magna, communi, sub-rotunda, antice tamen nonnihil attenuata, obscure umbrino-squamosa, decorata, præterea setulis brevissimis, pallidis, seriatim adspersa. Corpus subtus

dense griseo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, griseo-squamosi et pallido-setulosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis subteretibus, rectis.— BHN.

3. C. NOTULATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, silaceo-squamosus, densius setosus; fronte tenue canaliculata; thorace confertim punctulato, apice vix rotundato-producto, intra apicem leviter constricto; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis sub-planis, macula dorsali communi, dilute rotunda, fusco-squamosa, ornatis.

Coelosternus id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Mas: rostro breviori, crassiori, paulo arcuato, dense squamoso.

Femina: rostro tenuiori, cylindrico, subrecto, glabro, nitido.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus. Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Grypidio equiseti dimidio minor. Affinis certe *Collabismo* [illegible], densius setosus, aliter coloratus; rostro medio non constricto, thorace intra apicem leviter coarctato, apice paulo rotundato-producto, elytrorum macula obsoleta, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra convexum, dense silaceo-squamosum: fronte sub-depressa, postice tenue canaliculata; oculi ovati, haud prominuli, nigro-brunnei: rostrum maris capite duplo longius, validum, parum arcuatum, confertim punctulatum, dense silaceo-squamosum; feminæ nonnihil longius, subtenue, cylindricum, læve, glabrum; in utroque obscure ferrugineum. Antennæ basin rostri propius insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava elongata, cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice supra in medio paulo rotundato-productus, utrinque vix emarginatus, lobis ocularibus nullis; anterius subito angustatus, intra apicem leviter constrictus, mox pone stricturam rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis; basi parum profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, squamulis silaceis dorso obscurioribus dense vestitus, setulis erectis, brevibus, crassis, praesertim antice adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis; a medio apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim

rotundata, supra modice convexa, postice valde declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-planis; tota squamulis silaceis dense tecta, mox pone medium macula sat magna, sub-rotunda, obsoleta, læte brunneo-squamosa, decorata; setulis erectis pallidis et fuscis mixtis sat dense seriatim adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, squamulis dilutius silaceis dense tectum. Pedes mediocres, nigri, squamulis cinereo-albidis vestiti setulisque pallidis adspersi; femoribus clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus rectis.— Bhn.

♀ 4. C. Subnotatus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, densissime flavo-albido-squamosus, dorso dilute ochraceo variegatus setulisque erectis adspersus; vertice ochraceo bi-maculato, antennis rostroque ferrugineis, hoc longiusculo; thoracis lateribus bi-tuberculatis; elytris pone medium macula oblonga, indeterminata, communi, ochraceo-squamosa.

Patria: Brasilia interior. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim benevole communicatus. Mus. Schh.

Minoribus *Cryptorhynchi lapathi* magnitudine æqualis; *Collabismo rotulato* similis, sed rostro multo longiore et exinde canali pectorali longius protenso, elytris apice minus declivibus, etc., facile distinctus. Caput minusculum, dense flavo-albido-squamosum, vertice maculis duabus ochraceis decorato, fronte sub-impressa; oculi minuti, sub-ovati, parum convexi; rostrum capite cum thorace paulo longius, tenue, sub-cylindricum, parum arcuatum, rufo-piceum, læve, in specimine pro femina habito, glabrum, nitidum. Antennæ longitudine fere rostri, basin ejus propius insertæ, tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, apice obtusa. Thorax latitudine majori multo brevior, apice supra modice productus et in margine antico leviter emarginatus, pone oculos haud lobatus, antice basi duplo angustior, intra apicem coarctatus, lateribus ad medium sensim latioribus, dein ad basin subrectis, basi leviter et late bi-sinuatus, lobo medio parvo, supra parum convexus, densissime flavo-albido-squamosus, ante scutellum maculis duabus dilute ochraceis decoratus, utroque latere tuberculis duobus minutis, uno sub altero in medio munito. Scutellum non observandum. Elytra antice thorace paulo latiora et triplo longiora, basi singulatim obtusissime rotundata vel sub-truncata, humeris obtuse angulatis, callosis; lateribus ultra medium sub-linearia, dein attenuata, ante apicem utrinque sub-impressa, apice ipso singulatim

sub-rotundata, supra modice convexa, apice subito declivia, subtenue punctato-striata, densissime flavo-albido-squamosa, in dorso maculis indeterminatis ochraceis variegata, paulo pone medium macula oblonga communi evidentiore insignita. Corpus subtus squamis albidis omnino tectum, canali pectorali pone pedes intermedios protenso. Pedes breviusculi, dense albido-squamosi et setulosi; femoribus incrassatis, muticis; tibiis breviusculis, sub-teretibus, perparum arcuatis; tarsis longiusculis. — RLD.

* 5. C. CLUNIFERUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis brunneis et griseis mixtis adspersus, parce breviter squamosus; rostro valido, modice arcuato, tenue carinato, albido-squamoso; thorace confertim rugoso-punctato, tenue canaliculato; elytris antice profundius remote punctato-striatis, apice dense sordide albido-squamosis.

Tylodes id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Brasilia. Ex Mus. Reg. Gall. et Dom. CHEVROLAT ad describendum missus.

Magnitudo fere *Grypidii equiseti*, sed magis convexus. Caput rotundatum, convexum, crebre rugoso-punctatum, nigrum, squamulis silaceis parce adspersum: oculi ovati, parum prominuli, nigro-brunnei; rostrum capite vix duplo longius, validum, modice arcuatum, basi tenue carinatum, confertim punctulatum, nigro-piceum, postice dense albido-squamosum, apicem versus fere denudatum, obscure nigro-piceum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, minus tenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblonga, sub-cylindrica, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice supra modice rotundato-productus, utrinque non emarginatus, lobis ocularibus vix prominulis; anterius angustior, intra apicem obsolete constrictus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertius rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter tenuissime, canaliculatus, niger, squamulis cinereis setulisque atris mixtis adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra antice truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, vix elevatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, a basi ultra medium profunde dein obsoletius

punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, squama cinerea in fundo obsitis, interstitiis planis, nigra, opaca, squamulis læte brunneis basi densius adspersa, apice late dense albo-squamosa, setulis raris brevibus, fuscis, adspersa. Corpus subtus crebre punctulatum, nigrum, opacum, squamulis cinereis adspersum. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis brunneis cinereisque mixtis vestiti, setulisque pallidis adspersi, femoribus modice clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, rectis. — BHN.

GENUS 315. — ÆDEMONUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato; articulis 5 basalibus elongatis, sub-obconicis, gradatim brevioribus, 6° et 7° brevibus, apice sub-truncatis; clava elongato-ovata, acuminata.

Rostrum valde elongatum, validiusculum, sub-teres, arcuatum.

Oculi valde distantes, demissi, sub-ovati, depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, antrorsum subito angustior, coarctatus, apice paulo productus, pone oculos lobatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa, dorso depressa, humeris obtuse angulatis.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, minus convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* capitis thoracisque longitudinem vix adæquantes, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo elongato, clavato, oculos sub-attingente; funiculo 7-articulato; articulis 1-5 elongatis, sub-obconicis, gradatim paulo brevioribus, ultimis duobus brevibus, parum latioribus, apice sub-truncatis, omnibus modice distantibus; clava elongata, sub-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* thorace multo longius, validiusculum, sub-teres, versus apicem sensim paulo deplanatum, arcuatum, inflexum; scrobe profunda, obliqua, in basi rostri coeunte. — *Oculi* majusculi, valde distantes, demissi, breviter ovati, depressi. — *Thorax* latitudine postica vix longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius cito angustior, versus apicem valde coarctatus, apice rotundato-productus, pone oculos prolixe lobatus, supra modice convexus; canalis inferus usque inter pedes intermedios in pectore protensus, profundus. — *Scutellum* majusculum, apice rotundatum, depressum. — *Elytra* thoracis basi plus dimidio latiora eoque triplo lon-

giora, oblongo-ovata, modice convexa, in dorso depressa; humeris obtuse angulatis; versus apicem plus minusve callosa, apice ipso conjunctim rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* mediocres, validi, sub-æquales; femoribus parum clavatis, subtus dentatis; tibiis subrectis, sub-comprimatis, apice unco valido intus instructis; tarsis elongatis, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bilobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Ædemonus eminentepunctatus.*

A αἰδήμονος, pudibundus. — Denominatio generica ab oculo venerabunde in terram dejiciendo derivata.

Patria : Africa meridionalis.

Observ. — *Cryptorhyncho* generi simile; distingui tamen potest funiculo antennarum aliter constructo et oculis valde distantibus demissis.

♂♀ 1. Æ. ERICHSONII. *Schh. et Bhn.*

Oblongus, niger, squamulis umbrinis tectus; thorace profunde sub-remote punctato, utrinque vitta lata, antice arcuata, niveo-squamosa, plaga magna dorsali, atra, includente, decorato; elytris vitta longitudinali, ante apicem desinente, albo-squamosa, medio inferius late emarginata, emarginatura atro-squamosa, decoratis, mediocriter punctato-striatis, ante apicem gibbere valido instructis.

Mas : rostro nonnihil breviori et crassiori, basi striolato-rugoso, squamoso, dein subtiliter sub-remote punctulato, denudato; antennis in medio rostri insertis.

Femina : rostro nonnihil longiori et tenuiori, basi mediocriter dein obsolete punctulato, totum glabrum; antennis basin rostri propius insertis.

Patria : Madagascar. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH. Etiam ex Musæo Reg. Gall. ad describendum benevole missus.

Magnitudo *Cælosterni delumbis.* Caput rotundatum, convexum, remote punctulatum, nigrum, squamulis umbrinis tectum; oculi ovati, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum maris thorace nonnihil longius, validum, modice arcuatum, basi striolato-rugosum, obsolete carinatum, dense squamosum, dein apicem versus subtiliter sat crebre punctulatum, denudatum; feminæ nonnihil

longius, magis tenue et arcuatum in ipsa basi mediocriter dein obsolete punctulatum, glabrum, nitidum, in utroque teres, apicem versus nonnihil deplanatum, nigro-piceum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, pilosæ, clava elongato-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice modice rotundato-productus, ibique utrinque emarginatus, lobis prominulis, obtusis; anterius subito angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, punctis profundis, sub-remotis, impressus, niger, lateribus, apice supra, subtusque umbrino-squamosus, utrinque vitta lata, antice arcuata, angustata, niveo-squamosa, plaga magna dorsali, antice interdum emarginata, atro-squamosa, includente, decoratus; setulis brevibus, raris, fuscis, in ipso apice utrinque condensatis, adspersus. Scutellum magnum, apice rotundatum, umbrino-squamosum. Elytra oblonga, antice singulatim sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris obtuse angulatis, antrorsum paulo prominulis; lateribus linearia, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, postice declivia, ante apicem alte callosa, mediocriter parum profunde punctato-striata, interstitiis paulo convexis; nigra, umbrino-squamosa, ab humero vitta lata introrsum ducta, ante medium opposita ad suturam connexa, ante apicem desinente, albo-squamosa, medio infra profunde emarginata, emarginatura atro-squamosa, setulis brevibus fuscis albidisque mixtis parce adspersa. Corpus subtus remote punctatum, pectore umbrino-basi abdominis sordide albido-segmentis ultimis atro-squamosis, his trifariam albo maculatis. Pedes elongati, nigri, brunneo-squamosi; femoribus vix clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis ibique supra fusco annulatis. — Bhn.

Denominatus in memoriam Dom. *G. F. Erichson*, Medicinæ Doctoris Berolinensis, Entomologi meritissimi et oculatissimi, æstimationem nostram hoc loco indicare voluimus. — Schh et Bhn.

2. Æ. EMINENTEPUNCTATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, cinereo-squamosus; thorace antice late constricto, minus profunde sub-remote rugoso-punctato, postice plaga utrinque obscuriori decorato; elytris dorso sub-depressis, medio plaga obsoleta umbrino-squamosa decoratis, mediocriter sub-remote punctato-striatis; interstitiis alternis elevatioribus.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. DREGE ad describendum amice communicatus.

Minoribus *Hylobii abietis* magnitudine æqualis, minus convexus. Caput rotundatum, convexum, nigrum, dense griseo-squamosum, inter oculos foveola sat magna, parum profunda, triangulari, insculptum; oculi ovati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, validiusculum, modice arcuatum, teres, apicem versus nonnihil deplanatum, subtiliter sat crebre punctulatum, piceum, basi griseo-squamosum, dein denudatum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuta, parce pubescente. Thorax latitudine postica vix brevior, apice supra rotundato-productus, ibique leviter utrinque profundius emarginatus, lobis ocularibus prominulis, obtusis; anterius subito angustatus, late constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, sat crebre minus profunde rugoso-punctatus, carinula obsoletissima longitudinali, antice abbreviata instructus; niger, squamulis cinereis tectus, utrinque a basi fere ad medium plaga oblonga, obscuriore decoratus. Scutellum sat magnum, apice rotundatum, atro-squamosum. Elytra antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, sub-rotundatis; a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso sub-depressa, postice modice declivia, mediocriter punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, squama cinerea obsitis, interstitiis alternis planis, alternis elevatioribus, remote granulatis; nigra, squamulis cinereis dense tecta; singulo in medio dorsi plaga obsoleta obscuriore decorato, punctisque nonnullis fuscis versus apicem adsperso. Corpus subtus nigrum, remote punctulatum, squamulis cinereis tectum; abdomine fusco-squamoso. Pedes elongati, validi, nigri, griseo-squamosi et pallido-setulosi; femoribus paulo clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis, posterioribus extus in medio

fusco maculatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, ante medium fusco annulatis. — BHN.

GENUS 316. — PACHYONYX. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-turbinatis, reliquis brevibus, transversis, coarctatis, gradatim latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava majuscula, ovalis, acuminata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, arcuatum.

Oculi laterales, ovati, depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, anterius angustior, apice in medio valde productus.

Scutellum oblongum, apice rotundatum, elevatum.

Elytra oblongo-ovata, versus apicem callosa, deinde abrupte deplanata, apice singulatim rotundata; humeris obtuse angulatis.

Tibiæ apice muticæ; articulus ultimus tarsorum longus, validus, linearis; unguiculis minutis.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovale, modice convexum, sculpturatum, inæquale, pilosulis parce obtectum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, versus medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-turbinatis, illo longiore et paulo crassiore; 4-8 sensim gradatim parum brevioribus et nonnihil crassioribus, transversis, coarctatis, ultimo clavæ adpresso; clava majuscula, funiculo paulo breviore, ovali, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* capite plus duplo longius, teres, validiusculum, arcuatum, inflexum; scrobe in medio rostri incipiente, lineari, in basi rostri subtus cum opposita connexa. — *Oculi* laterales, demissi, sub-ovati, depressi. — *Thorax* latitudine vix longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus oblique subrectis, versus apicem sensim angustior, apice lateribus coarctatus, antice in medio valde productus, pone oculos vix lobatus, supra convexus, corniculato-fasciculatus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, profunda, argute elevato-marginata. — *Scutellum* elongatum, apice rotundatum, alte elevatum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo triplo longiora, oblongo-ovata, basi sub-truncata, margine depressa, humeris obtuse angulatis; apicem versus sensim attenuata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, versus apicem callosa, deinde deplanata, anum

tegentia. — *Pedes* mediocres, sub-æquales, validi, basi distantes; femoribus in medio paulo incrassatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; articulo penultimo tarsorum latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo sat elongato, valido, lineari: unguiculis brevissimis, dentatis.

A παχύς crassus, ὄνυξ unguis.

TYPUS. — *Pachyonyx affaber.*

Patria: Cap. Bonæ Spei.

Observ. — Statura fere generis *Cryptorhynchi*, sed abunde distinctum forma funiculi antennarum, scutelli articulique ultimi tarsorum valde aliena.

* 1. P. AFFABER. *Schh.*

Oblongus, piceus, pube depressa cinerea adspersus, antennis ferrugineis; thorace sub-remote punctato, apice valide quadri-tuberculato, inter tubercula obsolete carinato, lateribus pube silacea dense tecto: elytris anterius profunde posterius subtiliter punctato-striatis, dorso tuberculis nonnullis obsitis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE amice communicatus. MUS. SCHH.

Magnitudo *Cryptorhynchi lapathi.* Caput rotundatum, convexum, sat profunde punctatum, nigrum, pube silacea adspersum, longitudinaliter canaliculatum; fronte foveola parva, rotunda, insculpta: oculi laterales, sub-ovati, depressi, nigri; rostrum capite plus duplo longius, validiusculum, teres, modice arcuatum, disperse sat crebre punctatum, a medio apicem versus utrinque canalicula tenui laterali insculptum, obscure ferrugineum, apicem versus dilutius, nudum. Antennæ in medio rostri insertæ, validiusculæ, ferrugineæ, parce et breviter pilosæ, clava majuscula, elongata, acuminata. Thorax latitudine postica vix longior, apice bi-sinuatus, lobo medio producto, rotundato; mox intra apicem utrinque constrictus, lateribus obliquis, versus basin sensim ampliatis; postice leviter bi-sinuatus, supra convexus, sat profunde sub-remote punctatus, mox pone apicem tuberculis quatuor, validis, acutis, antrorsum flexis, apice setosis, obsitus, inter tubercula obsolete carinatus, piceus, sub-nitidus, linea media lateribusque dense cinereo vel silaceo-pubescentibus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, elevatum, nigro-piceum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-elevatis,

obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice ipso emarginata, utrinque singulatim perparum acuminata, thorace triplo longiora, supra convexa, ante apicem callo obtuso instructa, intra apicem deplanata, a basi ultra medium scrobiculis profundis, sub-seriatis, impressa, scrobiculis nonnullis confluentibus, valde elongatis, dein apicem versus subtiliter punctato-striata, interstitiis angustis, posterius latioribus, punctulatis, dorso tuberculis quinque setiferis, tribus prope suturam, postico valido et duabus in disco instructa; tota obscure ferruginea, pube depressa cinerea, anterius parce posterius dense obsita. Corpus subtus ferrugineum, sub-remote punctatum, pube cinerea vestitum, ventre maculis pallidioribus, quadrifariam dispositis variegato. Pedes mediocres, picei, profunde punctati, cinereo-pubescentes; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis, teretibus; tarsis modice dilatatis, subtus obscure umbrino-spongiosis. — BHN.

GENUS 317. — GASTEROCERCUS. *Delaporte et Brullé.*

Gasterocercus LATR. (1), DEJEAN, CHEVROLAT. — *Curculio* FABR., HERBST.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus obconicis, reliquis brevissimis, sub-rotundatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum breviusculum, validum, complanatum, sæpius subrectum.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, versus apicem cito angustatus, coarctatus, antice productus.

Elytra sæpissime sub-cylindrica, basi singulatim rotundata et emarginata; humeris antrorsum prominulis, sub-acutis.

Pedes breviusculi, validi, compressi, antici, præsertim in masculis elongati; tarsi villosi.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-cylindricum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut mediocris aut minoris magnitudinis. — *Antennæ* rostro paulo longiores, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos sub-attingente, valido, valde clavato, recto; 2° et 3° longiusculis, obconicis; 4-8 brevissimis, fere rotundatis, sub-coarctatis, versus apicem gradatim

(1) Lat. les Crust., les Arachn. et les Insectes. II. p. 87, not

vix latioribus; clava oblongo-ovata, apice sub-acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* sub-hemisphæricum. — *Rostrum* capite paulo longius, validum, latiusculum, complanatum, versus apicem perparum ampliatum, sæpius subrectum, in nonnullis paulo arcuatum, inflexum; scrobe recta, in medio rostri incipiente, profunda, pone canthum oculi inferum exeunte. — *Oculi* magni, laterales, demissi, sub-ovati, depressi. — *Thorax* latitudine fere longior, basi late emarginatus, bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, versus apicem subito angustatus, coarctatus vel sub-tubulatus, antice manifeste productus, lobo medio sæpius emarginato, pone oculos perparum lobatus, supra modice convexus; canalis inferus inter pedes anticos in pectus protensus, profundus. — *Scutellum* rotundatum, sub-elevatum, supra planum. — *Elytra* medio thoracis haud latiora eoque fere triplo longiora, aut sub-cylindrica, aut oblongo-subovata, convexa, basi singulatim rotundata et emarginata, thoracis emarginaturas implentia, lateribus recta, supra versus apicem callosa, apice obtuse rotundata, anum obtegentia; angulis humeralibus antrorsum prominulis, sub-acutis. — *Pedes* breviusculi, validi, intermedii breviores, antici, præsertim in masculis, longi; femoribus parum incrassatis, sub-compressis; tibiis brevibus, rectis, validis, compressis, apice exteriore unco valido perpendiculari armatis; tarsis tibia parum brevioribus, in masculis villosis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, unguiculari, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Gasterocercus depressirostris. Curculio idem.* FABR.

A γαστὴρ ventriculus, κέρκος cauda.

Observ. — Respectu habitus cum *Nettarhino* genere convenit, sed rima thoracis infera evidenter ea distinguit. Præterea generi *Cœlosterno* valde simile, sed forma corporis magis cylindrica, rostrum complanatum, et anguli humerales elytrorum antrorsum prominuli differentias evidentiores præbent.

♂♀ 1. G. DEPRESSIROSTRIS. *Fabricius.*

Elongatus, sub-cylindricus, nigro-piceus, squamulis cinereo-albidis variegatus; thorace antice coarctato, apice bi-tuberculato; elytris remote punctato-striatis, basi crista elevata, obliqua notatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295.

Curculio id. FABR. *Syst. El.* II. p. 534. 159. *Ent. Syst.* I. II. p. 477. 351.

Herbst, *Col.* VI. p. 507. 545.

Ahrens, *Nova Acta Hall.* II. II. p. 29. 3. T. 2. f. 5. e.

Panz, *Ent.* Germ. p. 330. 182.

Cryptorhynchus depressirostris. Illig. *Mag.* VI p. 315. 159. et p. 330.

Curculio plicatus. Herbst, *Col.* VI. p. 169. 129. T. 71. f. 11.

Gasterocercus anthriboides. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Id. Dumeritii. Dom. Delaporte *in Litteris.*

Id. oblitus. Dom. Com. Dejean *in Litteris*, olim.

Habitat in Germania, Gallia; in ligno sicco fagi sylvaticæ vivit: tempore nocturno tantum exit et copulatur, teste Dom. Chevrolat.

Magnitudo valde variat: jam *Cryptorchyncho lapathi* longior, sed angustior, magis linearis; jam duplo, imo triplo minor. Caput sub-globosum, nigrum, punctatum, dense albido-squamulosum; oculi laterales, majusculi, ovati, brunnei, sub-depressi; rostrum capite paulo longius, omnino rectum, latum, planum, leviter carinatum, confertim rugoso-punctatum, basi albido-squamosum, apice sub-nudum, aut nigrum, aut piceum. Antennæ breves, ferrugineæ, pilosæ, clava cinerea. Thorax latitudine parum brevior, antice subito angustior, apice utrinque profunde sinuatus, lobo medio producto, emarginato, et in ipso margine tuberculis duobus remotis, nigris, instructo: lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, margine elevato; supra inæqualis, intra apicem transversim late impressus, in disco posteriori convexus, punctatus, niger vel piceus, squamulis densis tectus, in dorsi medio albidioribus, versus latera obscurius cinereis. Scutellum elevatum, rotundatum, atro-holosericeum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato, antrorsum prominulo; lateribus non ampliata, fere linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, anum tegentia, thorace triplo longiora, supra convexa, punctato-striata, punctis sub-remotis, interstitiis planis, alutaceis; nigro-picea, squamulis densis, depressis, rotundatis, albidis, cinereis et nigricantibus plagiatim variegata; in medio baseos singuli elytri crista valde elevata, introrsum obliqua, nigra, tuberculata, et intra apicem callus solitus elevatus. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, squamulis densis albidis tectum. Pedes validi, nigro-picei, dense albido-squamosi; femoribus compressis, anticis longioribus, subtus in medio dente parvo armatis; omnibus supra versus apicem fasciis duabus, tibiisque basi unica, nigro-squamosis

notatis. In uno sexu, forte masculo, pedes antici reliquis multo longiores, et illorum tarsi subtus, secundum totam longitudinem dense nigro hirsuti. — GHL.

* 2. G. LATIROSTRIS. *Dejean.*

Oblongo-ovalis, niger, squamulis griseis dense vestitus; rostro profunde rugoso-punctato; thorace antice subito angustato, disperse tuberculato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, serratis, singulo elytro mox pone scutellum tuberculo instructo; femoribus anticis obtuse dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295.

Gasterocercus Latreillei. Dom. DELAPORTE *in Litteris.*

Habitat in Cayenna. Dom. DUPONT.

Cryptorhyncho oceato parum longior, sed dimidio latior. Caput breve, crassum, supra fere planum, nigrum, sat crebre rugoso-punctatum, squamalis griseis adspersum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace multo brevius, latum, rectum, supra planum, nigrum, undique profunde rugoso-punctatum, ad basin squamulis nonnullis griseis adspersum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice late sed parum profunde bis emarginatus, lobo medio producto; antice subito angustatus, coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, obsoletissime canaliculatus, niger, tuberculis parvis remotis obsitus, squamulis griseis dense vestitus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris antrorsum prominulis, lateribus inflexa, thorace plus duplo longiora, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, nigra, confertim et sat profunde punctato-striata, interstitiis alternis fere planis, alternis modice elevatis, serrulatis; tota squamulis griseis dense tecta; in singulo elytro mox pone scutellum tuberculo sat valido instructa. Corpus subtus rufo-piceum, sat profunde punctatum, squamulis griseis vestitum. Pedes validi, antici elongati; femoribus nigris, griseo-squamulosis, anticis subtus dente obtuso armatis; tibiis sub-arcuatis, posterioribus rufo-ferrugineis; tarsis subtus fulvo-spongiosis, anticis sub-plumatis. — BHN.

3. G. PROPUGNATOR. *Schh.*

Oblongus, niger, supra plagiatim, subtus dense æqualiter albo-squamosus, antennis ferrugineis; rostro extrorsum nudo, disperse punctulato; thorace granulato, antice profunde constricto; elytris punctato sub-sulcatis, interstitiis costatis, tuberculatis, alternis elevatioribus; pone scutellum tuberculis duobus majoribus instructis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

Magnitudo et fere facies *Cœlosterni cylindricornis;* etiam *Gasterocerco latirostri* in multis affinis, sed corpus magis elongatum, rostrum subtiliter punctulatum, etc. Caput rotundatum, fere planum, punctatum, nigrum, squamis pallidis adspersum; oculi ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, latum, planum, tenue, rectum, nigrum, extrorsum disperse punctulatum, nudum, nitidum, basi squamulosum. Antennæ breviusculæ, ferrugineæ, clava ob-ovata, fuscescente. Thorax latitudine postica brevior, antice duplo angustior quam basi, apice bis emarginatus, lobo medio producto, elevato; intra apicem late et profunde transversim impressus; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, angulis lateralibus sub-acuminatis; supra posterius transversim convexus, pulvinatus, in medio canaliculatus, undique rugoso-punctatus, tuberculis parvis, nitidis, parce adspersus, niger antice et in plaga laterali arcuata utrinque dense albo-squamosus, immixtis squamulis sparsis pallidis. Scutellum semi-ovale, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, angulo humerali antrorsum prominulo; lateribus non ampliata, ante apicem subito inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, profunde, sub-remote punctato-sulcata, interstitiis angustis, costatis, alternis elevatioribus, transversim rugosis et tuberculatis; in basi suturæ, prope scutellum, tubercula duo, paria, reliquis majora exstant; nigra, plagiatim dense albo-squamosa, immixtis squamis sparsis pallidis. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamis albis dense tectum, immixtis paucis pallidis. Pedes validi, nigri, dense albo-squamosi, antici multo longiores et crassiores; femoribus omnibus dente obsoleto armatis.

GHL.

4. G. LATERALIS. *Mannerheim.*

Oblongus, niger, squamulis silaceis tectus, rostro modice arcuato, punctulato; thorace confertim rugoso-punctato, obsolete carinato, dorso atro-squamoso, melleo maculato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis remote seriatim granulatis, cano-squamosis, plaga laterali, obliqua fere in medio aliaque parva pone medium brunneo-squamosis, puncto apicali atro, ornatis; femoribus uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Cryptorhynchi lapathi magnitudine et statura subsimilis. Caput breve, convexum, nigrum, crebre rugoso-punctatum; vertice atro squamoso; fronte squamulis silaceis dense tecta; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace brevius, crassiusculum, arcuatum, obscure ferrugineum, basi crassius, ibique dense albido-squamosum, extrorsum nudum, confertim ruguloso-punctatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, dilute ferrugineæ, clava elongata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus, anterius angustior, mox pone apicem coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, crebre rugoso-punctatus, squamulis atris tectus, versus latera maculis dilute umbrinis variegatus; in medio dorsi carinula, parum elevata, antice posticeque abbreviata, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, squamis lutescentibus dense tectum. Elytra basi thorace paulo latiora et illo vix triplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso singulatim rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis modice convexis, singulo serie e granis sat elevatis, remotis, obsito; tota nigra, squamulis canis vestita, in medio plaga sat magna introrsum et retrorsum versus suturam excurrente, antice apicem versus emarginata, longe pone medium alia minor, oblonga, transversa, umbrino-squamosis, puncto atro terminatis, versus apicem suturæ puncto sat magno, communi, rotundo, atro-holosericeo. Corpus subtus obscure ferrugineum, crebre punctatum, squamulis silaceis sat dense adspersum. Pedes longiusculi, validi, squamulis dilute silaceis dense tecti; femoribus clavatis, omnibus subtus dente sat valido armatis, posterioribus

in medio macula atra ornatis; tibiis rectis, mox pone basin atro annulatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 5. G. PLUMIPES. *Schh.*

Oblongus, niger, supra squamulis albidis et umbrinis variegatus; setulis brevibus, crassis, adspersus; antennis tarsisque ferrugineis, rostro ante medium transversim carinato; thorace sub-remote punctulato, antice profunde constricto; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis vix elevatioribus, tibiis anticis intus longe ciliatis.

Patria : Brasilia. A Dom. FALDERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere et magnitudo *Cryptorhynchi lapathi* minoris: tibiis anticis intus longe ciliatis, a congeneribus facile distinctus. Caput rotundatum, supra fere planum, punctatum, nigrum, squamulis umbrinis et atris mixtis dense tectum; oculi laterales, ovati, nigri, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, minus latum, planum, tenue, parum arcuatum, ante medium carinula transversa, nonnihil arcuata, modice elevata, instructum, disperse sat crebre punctatum, obscure ferrugineum, extrorsum parce basi dense albido-squamulosum. Antennæ breviusculæ, minus crassæ, dilute ferrugineæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice bis emarginatus, lobo medio producto, sub-elevato, intra apicem late et profunde transversim impressus, lateribus pone stricturam valde et subito ampliatis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, angulis lateralibus sub-acuminatis; supra posterius transversim modice convexus, undique parum profunde sub-remote punctatus, squamulis albidis dense vestitus, in ipsa basi plaga magna, anterius ultra medium dilatata; apice rotundata, umbrino-squamosa, interdum utrinque atro maculata: setulis brevibus, crassis, erectis, fuscis et albidis parce adspersus. Scutellum semi-ovale, nigrum, atro-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato, antrorsum prominulo; lateribus non ampliata, inflexa, pone medium apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice parum declivia, punctato-striata, punctis sub-remotis, parum profundis, interstitiis alternis subplanis, alternis vix elevatioribus, convexis; nigra, squamulis den-

sis albidis tecta, plaga magna basali, macula parva scutellari atra includente, fascia lata transversa in medio, punctisque nonnullis versus apicem umbrino-squamosis variegata, setulis brevibus, crassis, spiniformibus, seriatim parce adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamulis sordide albidis dense tectum. Pedes validi, nigri, dense albo-squamosi; femoribus parum clavatis, omnibus dente obsoleto armatis; tibiis compressis, anticis intus longe et dense albido ciliatis; tarsis ferrugineis. — BHN.

6. G. ALBIFRONS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis albidis silaceisque parce variegatus; fronte transversim albo-squamosa, rostro valido, arcuato, crebre punctato, medio carinato, basi constricto; thorace convexo, crebre rugoso-punctato; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis convexis, pone medium plaga silacea decoratis; femoribus muticis.

Tylodes id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Peruvio. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Gasterocerco plumipede paulo major, magis convexus. Caput breve, convexum, sat profunde rugoso-punctatum, nigrum, opacum, inter oculos transversim dense niveo-squamosum; oculi ovati, haud prominuli, brunnei; rostrum capite duplo longius, validum, arcuatum, latum, supra fere planum, basi latius, ibique utrinque profunde constrictum, undique crebre sat profunde punctatum, medio tenue carinatum, nigro-piceum, opacum, basi parce griseo-squamosum, dein denudatum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice paulo rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, rotundatis, anterius subito angustatus, intra apicem non coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra convexus, concinne rugoso-punctatus, squamulis raris griseis et albidis mixtis, parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, antice singulatim leviter sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-rectangulatis, angulis humeralibus antrorsum vix prominulis; a medio apicem versus an-

gustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice modice declivia, mediocriter punctato-striata, interstitiis convexis, subtiliter valde remote granulatis; nigra, squamulis griseis, silaceis et albidis mixtis adspersa, in dorso postico plaga e squamulis densis silaceis decorata. Corpus subtus nigrum, punctatum. Pedes breves, validi, nigri, cinereo-squamosi; femoribus extus fusco maculatis, modice clavatis, muticis; tibiis basi extus nonnihil angustato-productis, compressis, rectis.— BHN.

7. G. SETOSUS. *Hope.*

Oblongus, niger, fusco-squamosus et parce setosus, antennis ferrugineis; thorace apice bi-sinuato, lobo medio valde producto, supra fere plano, confertim rugoso-punctato, medio obsolete bi-tuberculato, lateribus sub-elevato; elytris parum profunde punctato-striatis, interstitiis alternis vix elevatioribus.

Cryptorhynchus id. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria: Nova Hollandia ad Swan Rivier. Ex Musæo Dom. HOPE ad describendum communicatus.

Magnitudo *Gasterocerci plumipedis*, sed minus convexus; thorace supra plano, in medio bi-tuberculato, aliter constructo, elytrorum interstitiis alternis vix elevatis, ab illo facile distinctus. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, squamulis setisque brevibus, crassis, dense vestitum; oculi laterales, sub-rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, inflexum, modice arcuatum, minus latum, planum, confertim rugoso-punctatum, nigrum, dense fusco-squamosum et setosum, apice ipso sub-nudum. Antennæ breves, subtenues, ferrugineæ, pilosæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine parum brevior, apice profunde bi-sinuatus, lobo medio valde producto, rotundato, lateribus paulo rotundato-ampliatus, anterius angustior, intra apicem non coarctatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, versus latera longitudinaliter obsolete impressus, in medio dorsi tuberculo parvo utrinque instructus, lateribus sub-reflexus, confertim rugoso-punctatus, niger, squamositate fusco-grisea vestitus, setisque brevibus, crassis, concoloribus, ad latera parce obsitus. Scutellum parvum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, angulo humerali antrorsum prominulo; lateribus non ampliata, inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata.

thorace plus duplo longiora, supra paulo convexa, dorso fere plana, postice declivia, ante apicem gibbere obsoleto instructa, parum profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-planis, alternis vix elevatioribus; tota nigra, squamositate fusco-grisea tecta. Corpus subtus nigrum, confertim ruguloso-punctatum, griseo-squamosum. Pedes validi, nigri, fusco-squamosi et setosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis compressis, rectis, apice intus uncinatis; tarsis brevibus, subtus brunneo-spongiosis. — BOH.

8. G. BIFASCIATUS. *Hope.*

Oblongus, niger, obscure umbrino-squamosus et fasciculatim setosus, antennis ferrugineis; thorace apice bi-sinuato, lobo medio valde producto, supra fere plano, rugoso-punctato, medio valide bi-tuberculato, utrinque impresso, lateribus elevatis; elytris albido bi-fasciatis, parum profunde punctato-striatis; interstitiis alternis elevatioribus, fasciculatim setosis.

Cryptorhynchus id. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria: Nova Hollandia ad Swan Rivier. Ex Mus. Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

Magnitudo et statura omnino *Gasterocerci setosi*, aliter coloratus, densius setosus; thorace medio evidenter tuberculato, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, etc., ab illo abunde diversus. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, squamulis setisque brevibus, crassis, erectis, obscure umbrinis, dense vestitum; oculi laterales, sub-rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius et angustius, inflexum, parum arcuatum, minus latum, planum, crebre ruguloso-punctatum, nigrum, squamulis obscure umbrinis tectum, setisque crassis adspersum. Antennæ breves, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice profunde bi-sinuatus, lobo medio valde producto, rotundato, anterius angustiori, intra apicem non constrictus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, reflexus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, inæqualis, ad latera longitudinaliter impressus, in medio dorsi utrinque tuberculo sat valido, setifero, instructus, crebre ruguloso-punctatus; niger, squamulis umbrinis dense tectus, in ipsa basi ante scutellum macula atra decoratus, setis brevibus, crassis, erectis ad latera, et in dorso fasciculatim condensatis, ad-

spersus. Scutellum rotundatum, elevatum, atro-holosericeum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, angulo humerali elevato, antrorsum prominulo; lateribus non ampliata, fere linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra paulo convexa, dorso sub-depressa, parum profunde punctato-striata, interstitiis angustis, alternis planis, alternis elevatioribus, setis brevibus, crassis, erectis, fuscis, fasciculatim obsitis; tota nigra, squamulis densis depressis, obscure brunneis vestita, fasciis duabus albidis decorata, una ante medium obliqua, altera pone medium transversa, communi. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, cinereo-squamosum, ventre umbrino variegato. Pedes validi, nigri, squamulis fuscis cinereisque variegati et setulosi; femoribus vix clavatis, muticis. — BHN.

GENUS 318. — LECHRIOPS. *Nobis* (1).

Rhynchænus FABR.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues, versus medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus ob-conicis, reliquis brevibus, rotundatis, coarctatis, gradatim paululum latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava fere ob-ovata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, sub-teres, parum arcuatum.

Oculi maximi, oblongo-ovati, inferne acuminati, sat distantes, in fronte coadunati, convexi.

Thorax latitudine baseos paulo brevior, basi bi-sinuatus, lobo medio productiore, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, apice sub-truncatus, supra modice convexus; canalis inferus, profundus, usque ad intermediorum pedum basin protensus, argute marginatus et terminatus.

Elytra oblongo-subquadrata, thoracis basi paulo latiora, illoque duplo longiora, versus apicem nonnihil angustiora, humeris obtuse angulatis; apice obtusissime conjunctim rotundata, anum obtegentia, supra parum convexa.

Abdomen basi valde convexum, sub-inflatum, apice paulo retusum.

Pedes mediocres; femora parum clavata, subtus denticulata, postica reliquis paulo longiora.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 306. 177.

Observ. — Corpus breve, oblongo-subquadratum, supra parum convexum, sculpturatum, nitidum, alatum; minoris magnitudinis. — Caput hemisphæricum et abdomen retusum hoc genus generi *Copturo* similitudine admovent.

Patria: America meridionalis.

1. L. SCIURUS. *Fabricius.*

Breviter ovatus, niger, antennis ferrugineis; thorace profunde punctato; elytris sub-quadratis, sulcato-punctatis, lineatim albido-squamosis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 484. 219.

Habitat in America meridionali. Mus. SCHH. et GHL. E Musæo Dom. T. LUND.

Parvus, *Balanino salicivoro* vix major. Caput orbiculatum, nigrum, orbitis oculorum albido-squamosis; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, parum arcuatum, nigrum, anterius læve, glabrum, nitidum, versus basin punctatum, albido-squamosum, supra leviter carinatum; oculi maximi, oblongo-ovati, brunnei, in fronte valde approximati, anterius acuminati. Antennæ breviusculæ, minus tenues, ferrugineæ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice sub-truncatus, vix emarginatus, lateribus parum ampliatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim et ratione magnitudinis insecti, sat profunde punctatus, niger, lateribus et subtus parce albido-squamosus, in medio dorsi obsolete carinatus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi arcte applicata et illo multo latiora, humeris obtuse angulatis, vix elevatis; lateribus parum ampliata, apice obtusissime rotundata, fere truncata, thorace duplo longiora, supra minus convexa, profunde sulcata et in sulcis remote punctata, interstitiis transversim sub-rugosis; nigra, squamulis albidis, aut sparsis, aut in lineas abbreviatas in interstitiis congestis, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, albido-squamosum, ventre antice convexo, posterius sub-retuso. Pedes mediocres, nigri, albido-squamulosi; tarsis sub-ferrugineis, subtus fulvescenti-spongiosis; femora omnia subtus dente acuto armata.

Obs. — Cl. Fabricius speciem secundum individuum detritum descripsisse videtur; lineola apicali et alia anteriore in sutura albido-squamosis, tantum residuis. — GHL.

GENUS 319. — CORYSSOPUS. *Nobis.*

Zygops, subgenus *Coryssopus*. SCHH. olim. (1).

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues, ante medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato, articulis omnibus obconicis, exterioribus sensim paulo brevioribus; clava oblonga, obovata.

Rostrum longiusculum, minus tenue, basi paulo crassius; versus apicem complanatum, modice arcuatum.

Oculi breviter ovati, modice convexi, supra sub-conjuncti.

Thorax tranversus, anterius sensim multo angustior, sub-conicus, basi ante scutellum productus.

Elytra breviter ovata, sub-trigona, apice singulatim rotundata.

Pedes validi; femora subtus bi-dentata.

Descriptio. — *Corpus* breve, valde convexum, præsertim posterius, squamosum, alatum, mediocris magnitudinis. — *Antennæ* mox ante medium rostri insertæ, thoracis medium vix superantes, tenues, fractæ, 12-articulatæ : scapo oculos vix attingente, clavato; funiculo 7-articulato : articulis omnibus sub-obconicis, exterioribus sensim paulo brevioribus, 1° reliquis sub-crassiore, ultimo clavæ haud adnexo; clava oblonga, ob-ovata, acuminata, 4-articulata; articulo 1° elongato, apice oblique truncato. *Rostrum* vix longitudinem capitis thoracisque adæquans, minus tenue, modice arcuatum, basi paulo crassius, carinatum, versus apicem perparum ampliatum, nonnihil complanatum, læve, inflexum; scrobe pone gulam exeunte. — *Oculi* laterales, breviter ovati, modice convexi, intus sub-conjuncti. — *Thorax* latitudine baseos multo brevior, basi levissime bi-sinuatus, ante scutellum productus, lateribus sub-obliquis, anterius multo angustior, apice late sub-sinuatus, pone oculos vix lobatus, longe intra apicem leviter constrictus; rima pectoralis distincta, pone pedes intermedios continuata et ibi determinate desinens. — *Scutellum* oblongo-subquadratum, apice obtuse rotundatum. *Elytra* basi thoracis haud latiora eoque duplo longiora, basi thoracis emarginaturas implentia, pone humeros cito ampliata, dein ad apicem usque sensim angustata, sub-trigona, apice singulatim rotundata, pygidium obtegentia, supra valde

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 303.

convexa, sub-gibba. — *Pedes* longiusculi, validi; femoribus anterioribus parum incrassatis, posticis ultra elytrorum apicem protensis, sub-linearibus, omnibus subtus bi-dentatis; tibiis sub-teretibus, apice unco valido armatis; tarsis parum latis, subtus spongiosis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Coryssopus hexasticus.*

A κορύσσω armo, ποῦς pes.

Patria : Sierra Leona Africæ.

Observ. — Generis *Centrini* speciebus quoad habitum subsimile est hoc genus, sed notis indicatis ab illo abunde distinctum.

* 1. C. HEXASTICUS. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, confertim ruguloso-punctatus; thorace elytrisque interrupte flavo vittatis; elytris apice singulatim rotundatis.

Habitat in Sierra Leona Africæ. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Statura convexa, utrinque attenuata *Cleogoni rubetræ*, sed paulo minor. Caput orbiculatum, nigrum, orbitis oculorum et vertice dense flavo-squamosis, gula nuda, nigra: rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, piceum, basi rugoso-punctatum, flavo-squamosum, evidenter carinatum, apicem versus glabrum, læve, nitidum; oculi maximi, breviter ovati, brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin fere attingunt, tenues, rufo-ferrugineæ, clava fusca. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustatus, apice leviter emarginatus, intra apicem leviter constrictus, margine elevato; lateribus obliquis, parum arcuatis; basi profunde bi-sinuatus, supra minus convexus, confertissime subtiliter ruguloso-punctatus, niger, vitta laterali lata integra, alia versus medium utrinque angustiore, posterius interrupta, maculaque in lobo medio baseos flavis, e squamulis angustis, depressis. Scutellum oblongum, apice obtusum, nigrum, punctatum, flavo-squamosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis illique arcte applicata, pone humeros subito ampliata, dein versus apicem attenuata, apice ipso singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, præsertim posterius; sat profunde striata et in striis obsolete, remote punctata, interstitiis confertissime rugulosis; nigra, vittis flavo-squamosis ornata; vitta nempe suturali, posterius abbreviata; macula baseos in interstitio secundo a sutura; vitta utrinque abbre-

viata in tertio et alia exterior in quinto interstitio; sub humero series e vittis quatuor brevibus, obliquis, et apex late flavus. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis densis cinereo-albidis tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, dense cinereo-squamosi; femoribus omnibus subtus versus apicem dentibus duobus armatis, posteriore parvo. — Ghl.

Genus 320. PSEUDOMUS. *Nobis.*

Rhynchænus Olivier. — *Cleogonus* Dejean.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis, æqualibus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, validiusculum, teres, modice arcuatum.

Oculi demissi, oblique positi, in fronte sub-approximati, ovati, depressi.

Thorax brevissime sub-conicus, basi multo latior, leviter bi-sinuatus, antrorsum multo angustior, pone oculos eximie lobatus.

Elytra sub-ovata, basi thoracis vix latiora, humeris antrorsum perparum prominulis; pone basin paulo ampliata, dein apicem versus angustata, apice obtuse rotundata.

Pedes mediocres; femora modice clavata.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, fere ellipticum, valde convexum, sculpturatum, sub-nitidum, parce squamosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* mox pone medium rostri insertæ, ad thoracis medium vix pertingentes, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, ob-conicis; 4-8 brevibus, sub-rotundatis, æqualibus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* vix longitudine capitis cum thorace, validiusculum, teres, modice arcuatum, inflexum; scrobe laterali, lineari, ad basin inferiorem percurrente. — *Oculi* laterales, demissi, oblique positi, in fronte paulo approximati, ovati, depressi, majusculi. — *Thorax* latitudine baseos multo brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus obliquis, antrorsum valde angustatus, intra apicem perparum coarctatus, apice parum productus, lateribus profunde emarginatus, pone oculos valde lobatus, supra modice convexus; rima pectoralis inter pedes intermedios protensa, profunda, apice elevato-marginata. — *Scutellum* in plerisque parvum, apice rotundatum, in paucis vix conspi-

cum. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora, sub-trisinuata, humeris antrorsum perparum prominulis; lateribus anterius nonnihil ampliata, posterius valde attenuata, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia, supra valde convexa, striato-foveolata, posterius haud callosa. — *Pedes* mediocres, sub-æquales; femoribus modice clavatis; tibiis teretibus, rectis, apice unco valido instructis; tarsis breviusculis, subtus spongiosis; articulo penultimo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. *Pseudomus notatus.*

A ψευδὴς falsus, mendax, ὦμος humerus.

Patria: Antillæ insulæ. — Florida.

Observ. — Respectu habitus *Chalcodermo* et *Cleogono* generibus subsimile fere est hocce genus.

1. P. MILITARIS. *Olivier.*

Ovalis, piceus, nitidus, thorace profunde punctato, antice utrinque costato, postice albo tri-punctato; elytris valde convexis, punctis rotundis, profundis, remotis striatis, pone medium ad suturam unituberculatis, ibique fascia abbreviata communi punctoque ante medium flavido-squamosis.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 145. 105. Tab. 27. fig. 402.

Patria: Insulæ Antillæ. Dom. MAUGÉ. Mus. Reg. Gall.

Pseudomo viduo duplo majore. Caput subtiliter punctulatum; oculi magni, fere semi-circulares, sub-depressi, brunnei, in fronte sub-coadunati; rostrum longitudine fere thoracis, validum, sub-teres, modice arcuatum, punctulatum, basi carinatum et utrinque sulcatum, mox ante basin utrinque in angulum obtusum sub-dilatatum. Antennæ paulo pone medium rostri insertæ, tenuiusculæ, clava ovata, acuminata. Thorax sub-conicus, latitudine baseos paulo brevior, apice supra et pone oculos perparum productus, margine antico supra in medio sub-emarginato, intra apicem utrinque impressus, lateribus parum rotundatis, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, dorso antico deplanatus, profunde supra crebre in lateribus remotius punctatus, ad marginem anticum utrinque costa abbreviata instructus. Elytra sub-ovata, basi sub-truncata, thoracis basi paulo latiora eoque fere triplo

longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus pone humeros parum rotundato-ampliata, dein apicem versus angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra valde convexa, picea, nitida, punctis magnis, rotundis, remotis, seriatim impressa, interstitiis lævissimis, pone medium tuberculo minuto, communi, munita, puncto ante medium in interstitio 3° et pone medium fascia abbreviata, communi, e maculis octo composita tuberculumque antice attingente, flavido-squamosis, ornata. Corpus subtus nigrum, nitidum, abdomine lævi, segmento ultimo apice profunde punctato. Pedes in specimine descripto desunt. — RLD.

* 2. P. VIDUUS. *Dejean.*

Ovalis, convexus, ater, sub-nitidus, thorace remote punctulato, basi utrinque macula transversa, pallido-squamosa, notato; elytris punctis profundis, oblongis, seriatim impressis, excavatis, in medio fascia transversa et longe pone medium macula parva e squamulis pallidis, ornatis; femoribus obtuse dentatis.

Cleogonus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 301.
Id. signatus. Dom. KLUG *in Litteris.*
Id. trisignatus. GERMAR *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL

Patria : Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL benevole missus. Mus. SCHH.

Otiorhyncho rauco vix major, sed magis convexus. Caput rotundatum, nigrum, opacum, obsolete punctulatum; oculi sub-laterales, in fronte paulo approximati, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, modice arcuatum, teres, nigrum, confertim striolato-rugosum, dorso obsolete carinatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos nonnihil brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, a basi apicem versus sensim angustatus, antice vix constrictus, postice nonnihil bi-sinuatus, supra convexus, ater, parum nitidus, dorso remote, parum profunde, lateribus crebre et evidenter punctatus, in medio linea lævi, antice posticeque nonnihil abbreviata, notatus, utrinque in basi fascia transversa, e squamulis pallidis, ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, pallido-squamosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris antror-

sum parum prominulis, mox pone humeros paulo ampliata, posterius valde angustata, thorace plus duplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, atra, nitida, punctis profundis, oblongis, minus crebris seriatim exarata, interstitiis planis, subtiliter rugulosis, singulo elytro mox pone medium fascia transversa et longe pone medium non procul a sutura macula e squamulis pallidis ornato. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, squamulis albidis parce adspersum. Pedes elongati, validiusculi, atri, punctati, setulis albidis adspersi; femoribus clavatis, subtus dente obtuso armatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 3. P. NOTATUS. *Klug.*

Ovalis, convexus, niger, thorace breviori, profunde minus crebre punctato, sub-carinato; elytris piceis, apice conjunctim obtuse rotundatis, punctis profundis, oblongis, seriatim impressis, excavatis, basi litura obsoleta et in dorso postico macula magna, communi, apice acuminata, e squamulis flavo-albidis, ornatis; femoribus dentatis.

Cleogonus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301.

VAR. β. Elytris luteo variegatis, parce ochraceo-squamosis, maculis duabus basalibus, didymis, concoloribus, macula postica niveo-squamosa.

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Statura omnino *Pseudomi vidui* et illo parum major. Caput globosum, nigrum, sat profunde minus crebre punctatum; oculi oblongi, transversi, in fronte approximati, depressi, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, nitidum, basi profunde apicem versus subtiliter remote punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dilutiori, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, sub-conicus, lateribus a basi ad apicem angustatus, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, antice leviter constrictus, postice bi-sinuatus, supra convexus, niger, parum nitidus; undique profunde at minus crebre punctatus, præterea in medio dorsi lineola abbreviata, sub-elevata,

lævi, notatus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, nitidum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, quam lata duplo fere longiora, humeris antrorsum parum prominulis, obtuse rotundatis, mox pone humeros paulo ampliata, dein ad apicem usque sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, nigro-picea, striis e punctis profundis, oblongis, minus crebris, exarata, interstitiis planis, subtilissime rugulosis, squamulis pallidis ad basin parce adspersa, in dorso postico macula magna, communi, apicem versus attenuata, e squamulis flavo-albidis, ornata. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, squamulis pallidis adspersum, pectore rude ventre vix punctatis. Pedes elongati, validiusculi, nigri, obsolete punctati, setulis pallidis parce adspersi; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, armatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. —BHN.

* 4. P. SEDENTARIUS. *Say.*

Ovalis, convexus, niger, squamulis albidis parce adspersus, antennis testaceis; thorace angustiori, longiori, profunde minus crebre punctato, non carinato; elytris apice singulatim rotundatis, punctis oblongis, minus profundis seriatim impressis, excavatis, in dorso postico macula magna, oblongo-quadrata, communi, e squamulis albidis, ornatis; femoribus muticis.

Cleogonus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 30.

Patria : Florida. A Dom. SAY benevole communicatus.

Pseudomo notato affinis, sed dimidio minor, præsertim angustior; thorace longiori non carinato, elytrorum punctis minus profundis, macula apicali aliter constructa, apiceque singulatim rotundata, ut et femoribus muticis, ab illo bene distinctus. Caput mediocre semi-globosum, nigrum, sat crebre profunde punctatum, linea media e squamulis albidis, ornatum; oculi oblongi, transversi, in fronte approximati, depressi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, nitidum, basi profunde apicem versus subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, testaceæ, clava oblongo-ovata, pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, a basi ad apicem sensim perparum angustatus, apice utrinque late sed parum profunde emar-

ginatus, postice bi-sinuatus, supra convexus, niger, parum nitidus, undique profunde minus crebre punctatus, non carinatus, squamulis nonnullis albidis hinc inde adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, silaceo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, quam lata duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis, dein ultra medium ampliata, tum apicem versus attenuata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, nigra, striis e punctis minus profundis, oblongis, exarata, interstitiis planis, subtilissime rugulosis, squamulis pallidis silaceis hinc inde adspersa; in apice macula magna, communi, oblongo-quadrata, albido-squamosa, anterius punctis duobus concoloribus, adjecta, postice maculam nigram includente, ornata. Corpus subtus nigrum, squamulis pallidis parce adspersum, pectore rude ventre obsolete punctatis. Pedes elongati, validiusculi, nigri, punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus parum clavatis, muticis, ante apicem albido annulatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 5. P. FISTULOSUS. *Germar.*

Ovatus, convexus, ater, sub-nitidus, squamulis albidis parce adspersus: rostro ruguloso punctato, thorace breviter sub-conico, subtilissime remote punctato, basi punctis tribus albo-squamosis; elytris punctis profundis, rotundis, seriatim impressis excavatis, interstitiis lævibus; femoribus dentatis.

Cleogonus id. Dom. GERMAR *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL.

Id. cribrum. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. SCHUPPEL.

Id. cribrarius.? DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301.

Patria: Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Pseudomo notato subsimile; specimen descriptum forte paulo detritum. Caput parvum, globosum, atrum, remote sat profunde, vage punctatum; oculi sat magni, oblongi, transversi, depressi, brunnei; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, teres, arcuatum, undique crebre ruguloso-punctatum, totum atrum, nitidum, squamulis nonnullis albidis adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues,

ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, anterius angustatus, leviter coarctatus, lateribus parum rotundatus, postice truncatus, supra convexus, ater, parum nitidus, in dorso valde remote, subtiliter subtus densius punctatus, squamulis albidis parce adspersus, in ipsa basi in maculis tribus condensatis. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, quam lata duplo longiora, humeris vix prominulis; ovata, lateribus inflexa, pone medium apicem versus angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, atra, sub-nitida, punctis magnis, profundis, rotundis, minus crebris, seriatim impressis, exarata, punctis squama parva, albida, obsitis, superficie interjacente vix punctata. Corpus subtus atrum, obsolete punctatum. Pedes validiusculi, nigri, obsolete, sat crebre punctati; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis, squamulis nonnullis niveis condensatis, versus apicem obsitis; tibiis rectis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

GENUS 321. — ENTELES. *Nobis.*

Macromerus DEJEAN. SCHH. olim. — *Cryptorhynchus* HOPE.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato : articulo 1° breviusculo, crassiusculo, sub-obconico; 2-4 elongatis, clavatis, illo longiore; 5-7 brevibus, rotundatis, sub-æqualibus; clava ovalis.

Rostrum longum, subtenue, teres, modice arcuatum.

Oculi sub-laterales, fere ovati, parum convexi.

Thorax transversus, sub-triangularis, basi profunde bi-sinuatus, anterius multo angustior.

Elytra sub-ovata, basi valde sinuata, humeris antrorsum prominulis; supra valde convexa.

Pedes longiusculi, validi; femora parum incrassata, unidentata; tibiæ sub-comprimatæ.

Descriptio. — *Corpus* sub-ellipticum, convexum, squamosum, alatum; mediæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, versus medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum sub-attingente, clavato; 2,3,4 longiusculis, clavatis; 2° reliquis fere duplo longiore; 5-8 brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; ultimo paulo latiore, clavæ haud

adpresso; clava ovata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine thoracis cum capite, teres, sub-filiforme, modice arcuatum, inflexum; scrobe laterali, lineari, subrecta. — *Oculi* sub-laterales, parum approximati, sub-ovati, paulo convexi, majusculi. — *Thorax* sub-conicus, latitudine baseos multo brevior, antice plus duplo angustior, basi manifeste bi-sinuatus, lateribus obliquis, fere rectis, apice in medio paulo productus, supra modice convexus; rima pectoralis inter pedes intermedios protensa, profunda. — *Scutellum* minutum, sub-rotundatum. — *Elytra* thoracis basi parum latiora et illo fere triplo longiora, antice profunde sinuata, thoracis emarginaturas implentia, humeris antrorsum prominulis, sub-acutis; lateribus anterius nonnihil ampliata, posterius valde attenuata, lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, supra valde convexa, posterius haud callosa, pygidium obtegentia. — *Pedes* longiusculi, validi, sub-æquales; femoribus parum incrassatis, subtus uni-dentatis; tibiis subrectis, sub-comprimatis, apice unco valido intus instructis; tarsis longiusculis, articulo penultimo latiusculo, bi-lobo, subtus spongioso; ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Enteles Vigorsii.*

Ab ἐντελής perfectus, integer.

Patria : Nova Hollandia.

Observ. — Forma corporis sub-elliptica, thorace elytrisque basi sinuatis, humeris antrorsum prominulis, hoc a *Cryptorhyncho* genere facile est distinctum.

1. E. VIGORSII. *Hope.*

Ellipticus, convexus, niger, nitidus; thorace transverso, basi apiceque stria angusta pallido-squamosa cincto; elytris antice remote striatim punctatis, strigis tribus angustis, arcuatis, pallido-squamosis, ornatis.

Nov. Gen. Vigorsii. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria : Nova Hollandia. Ex Musæo Dom. HOPE descriptus.

Cleogono rubetræ nonnihil longior et minus convexus. Caput parvum, punctatum, nigrum, fronte angusta, impressa, utrinque pallido-squamosa; oculi magni, ovati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum,

sub-cylindricum, supra punctulatum, nigrum, nitidum, utrinque linea pallido-squamosa, ab oculo ad antennarum basin notatum, apice supra sub-deplanatum. Antennæ nigræ, funiculo cinereo-piloso. Thorax transversus, breviter sub-conicus, antice duplo angustior quam basi, apice utrinque late emarginatus, lateribus obliquis, fere rectis; basi bi-sinuatus, supra anterius convexus, vix vel obsoletissime punctulatus, niger, nitidus, basi apiceque striga angusta, lineari, pallido-squamosa, ornatus, quæ subtus in pectore confluunt. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris antrorsum sub-prominulis; lateribus anterius nonnihil ampliata, posterius valde attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, æqualia, antice punctis majusculis, remotis seriatim digestis impressa, dein lævia, nigra, nitida; strigæ tres angustæ, pallido-squamosæ, elytra ornant, quarum prima paulo ante, secunda paulo pone, medium, ambæ antrorsum arcuatæ; tertia intra apicem, retrorsum arcuata, omnes sutura connexæ; præterea ante strigam anticam lineola brevis ejusmodi. Corpus subtus vix punctulatum, nigrum, nitidum, anterius pallido-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce pallido-squamosi et pubescentes; femoribus sub-clavatis, omnibus subtus versus apicem dente acuto armatis. — GHL.

GENUS 322. — EUTHYRHINUS. *Chevrolat.*

Rhynchænus FABR., OLIVIER.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus sub-lenticularibus, apice truncatis, sub-coarctatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, subrectum.

Oculi sub-frontales, paulo distantes, ovati, parum convexi.

Thorax basi profunde bi-sinuatus, lateribus parum rotundatus, apice valde coarctatus, tubulatus, antice modice productus.

Elytra oblongo-ovata, basi mox ad scutellum lobo valde rotundato-producta, dein profunde sinuata, humeris antrorsum prominulis; apice mucronata.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, crassiusculum, convexum, durum, sculpturatum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, versus me-

dium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum haud attingente, clavato, recto; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, sub-lenticularibus, apice truncatis, sub-coarctatis, gradatim parum latioribus, ultimo clavæ haud adpresso; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validiusculum, teres, versus apicem, nonnihil ampliatum et complanatum, subrectum, inflexum; scrobe profunda, obliqua, subtus in medio rostri basi conjuncta. — *Oculi* in fronte paulo distantes, ovati, parum convexi. — *Thorax* latitudine baseos nonnihil brevior, basi profunde bi-sinuatus, lateribus nonnihil rotundatus, anterius cito angustior, valde coarctatus, tubulatus, apice modice productus, pone oculos haud lobatus, supra modice convexus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, profunda. — *Scutellum* parvum, rotundatum, sub-elevatum, supra planum. — *Elytra* oblongo-ovata, thoracis basi haud latiora et illo plus duplo longiora, convexa, basi ad angulum scutellarem singulatim valde rotundato-producta, versus angulum humeralem profunde sinuata, thoracis emarginaturas arcte implentia; humeris antrorsum prominulis haud acutis; apice ipso singulatim acute acuminata, mucronata, pygidium obtegentia. — *Pedes* mediocres, robusti, antici paulo longiores : femoribus in medio parum incrassatis, subtus dentatis; tibiis latis, comprimatis, anticis paulo curvatis, omnibus apice unco valido intus instructis; tarsis mediocribus, articulo penultimo, latiusculo, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Euthyrhinus meditabundus.*

Patria : Nova Hollandia.

Ab εὐθὺς rectus, ῥὶν nasus.

* 1. E. MEDITABUNDUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis vestitus, rostro recto, subtiliter punctato, oculis in fronte nonnihil approximatis; thorace antice constricto, subtiliter sat crebre rugoso-punctato, remote granulato; elytris sulcato-punctatis, interstitiis convexis, subtiliter vage punctulatis, granulis raris præsertim prope suturam adspersis, apice ipso acuminatis, mucronatis; femoribus obtuse uni-dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 473. 169.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 196. 180. T. 11. f. 132.

Boisduval, *Voy. de l'Astrol.* I. p. 454. 5.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 432. 159. — *Mant.* I. p. 106. 114. — *Spec. Ins.* I. p. 176. 90. — *Syst. Ent.* p. 139. 64.

Herbst, *Col.* VI. p. 466. 475. T. 94. f. 13.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 510. 177.

Linn. *Syst. Nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1763. 229.

Eutyrhinus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 292.

Habitat in Nova Hollandia. A Dom. Hope amice communicatus. Mus. Schh.

Habitus et magnitudo fere *Cyrtomonis cameli.* Caput mediocre, globosum, nigrum, confertim ruguloso-punctulatum, supra squamulis fusco-griseis subtus cinereis obsitum; oculi ovati, mediocres, in fronte nonnihil approximati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, cylindricum, minus crassum, rectum, apice nonnihil ampliatum, subtiliter punctulatum, nigro-piceum, glabrum, in ipsa basi griseo-squamosum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra modice rotundato-productus, lobis ocularibus haud prominulis; anterius subito angustatus, mox intra apicem valde coarctatus, tubulatus, lateribus parum rotundatus, versus basin sensim ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, subtiliter sat crebre ruguloso-punctulatus, granulis parvis remotis adspersus, squamulis fusco-griseis undique tectus, signaturis nonnullis obsoletis umbrinis variegatus. Scutellum parvum, rotundatum, elevatum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, basi mox ad scutellum singulatim valde rotundato-producta, dein sinuata, antice thorace parum latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris antrorsum prominulis, sub-rotundatis; mox pone humeros nonnihil ampliata, apicem versus angustata, apice ipso singulatim in mucronem parvum, acutum, producta, supra convexa, postice declivia, sutura pone scutellum nonnihil elevata, basi transversim leviter impressa, sulcata, sulcis in fundo punctatis, interstitiis convexis, subtiliter vage, minus confertim punctulatis, in dorso antico præsertim prope suturam granulis remotis adspersis; tota nigra, sub-nitida, squamulis griseis tecta, pone medium plagiatim umbrino variegata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, squamulis cinereo-albidis tectum. Pedes mediocres, validi, nigri, punctati, cinereo-squamosi; femoribus parum clava-

tis, subtus pone medium dente parvo, obtuso, armatis; tibiis latis, compressis, anticis nonnihil arcuatis. — BHN.

GENUS 323. — CNEMECOELUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, lenticularibus, extrorsum gradatim paulo crassioribus; clava sub-ovata, acuminata.

Rostrum mediocriter elongatum, validum, sub-teres, arcuatum.

Oculi demissi, rotundati, depressi.

Thorax basi leviter emarginatus, lateribus æqualiter rotundatus, supra modice convexus.

Scutellum minutissimum, immersum.

Elytra ovata, basi singulatim sinuata, humeris antrorsum prominulis; supra modice convexa.

Pedes breviusculi, validi; femora valde incrassata, subtus profunde canaliculata; tibiæ latæ, compressæ, intus concavæ.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, modice convexum, durum, sculpturatum, rare parce squamulosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* longitudine capitis rostrique, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculos vix pertingente, 2° et 3° longiusculis, ob-conicis, illo parum longiore, 4-8 brevibus, lenticularibus, nonnihil coarctatis, extrorsum successive paulo crassioribus; clava minuta, sub-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* thorace multo brevius, validum, sub-teres, arcuatum, inflexum; scrobe laterali, profunda, ad medium oculi decurrente. — *Oculi* parvi, laterales, demissi, rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, basi leviter emarginatus vel fere sub-truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, anterius parum angustior, haud coarctatus, apice pone oculos paulo emarginatus, supra modice convexus, pulvinatus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, profunda. — *Scutellum* minutissimum, immersum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo plus duplo longiora, antice profunde sinuata, humeris antrorsum prominulis, sub-acuminatis; ovata, modice convexa, postice non callosa, apice conjunctim rotundata, anum occultantia. — *Pedes* breviusculi, validi, sub-æquales; femoribus valde incrassatis, muticis, subtus pro receptione tibiarum profunde canaliculatis; tibiis sat latis, compressis, muticis, intus concavis, apice unco valido instructis; tarsis angulatis, gracilibus, subtus haud spongiosis; articulo ultimo bi-unguiculato, unguiculis minutis.

Typus. — *Cnemecœlus puncticollis*: e Chili.

A κνήμη tibia, κοῖλος concavus.

Observ. — Generis *Baridii* speciebus quoad habitum simile est hoc genus, sed notis indicatis ab illo abunde distinctum.

1. C. Puncticollis. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, parum nitidus, squamulis raris pallidis adspersus; rostro profunde punctato, medio linea sub-elevata, lævi, notato; thorace profunde sat crebre punctato, dorso antico obsolete carinato; elytris profunde sulcato-punctatis, interstitiis planis, punctis parvis, remotis, impressis.

Patria: Chili. Ex Musæo Reg. Gall. ad describendum benevole communicatus.

Baridio artemisiæ longitudine æqualis, sed dimidio latior. Caput breve, rotundatum, convexum, postice subtiliter remote, inter oculos crebrius profundius punctatum, nigrum, parum nitidum: oculi sub-rotundati, depressi, obscure brunnei; rostrum capite dimidio longius, validum, valde arcuatum, sub-teres, basi vage, dein seriatim profunde punctatum, medio linea sub-elevata, lævi, notatum, nigrum, parum nitidum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, ferrugineæ, clava parva, sub-ovata, acuminata. Thorax latitudine postica vix longior, apice supra modice rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, antice posticeque angustatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, crebre profunde punctatus, dorso antico obsolete carinatus, ater, parum nitidus, squamulis pallidis parce adspersus. Scutellum minutissimum, sub-triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris antrorsum prominulis, sub-acutis; pone humeros perparum ampliata, a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde et late sulcata, sulcis in fundo punctatis, interstitiis supra planis, punctis parvis, remotis, impressis, posterius angustioribus, rugulosis; tota atra, parum nitida, squamulis raris pallidis adspersa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, profunde punctatum, punctis squama pallida obsitis. Pedes breviusculi, validi, nigro-picei, sub-remote punctulati; femo-

ribus valde incrassatis, muticis, subtus canaliculatis; tibiis brevibus, latis, basi tenuioribus, intus concavis; tarsis ferrugineis.

BRASIL.

GENUS 324. — MÆMACTES. *Nobis.*

Character generis. Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis, reliquis brevibus, sub-lenticularibus, extrorsum successive perparum crassioribus; clava ovata.

Rostrum elongatum, validum, basi latiusculum, sub-teres, modice arcuatum; mandibulæ paulo exsertæ.

Oculi demissi, sub-rotundati, depressi.

Thorax oblongus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus æqualiter modice rotundatus, apice sub-truncatus.

Scutellum minutum, triangulare, impressum.

Elytra oblonga, sub-ovalia, humeris sub-rotundatis; supra paulo convexa, apice conjunctim obtuse rotundata.

Pedes breviusculi, validi.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovale, parum convexum, durum, sculpturatum, vix squamulosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* mox ante medium laterale rostri insertæ, thoracis medium attingunt, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° minus longo, oculos vix pertingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, illo paulo crassiore; 4-8 brevibus, sub-lenticularibus, extrorsum gradatim nonnihil crassioribus; clava ovata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validum, subteres, basi paulo crassius, modice arcuatum, inflexum; scrobe laterali, lineari, ad angulum inferum oculi protensa; mandibulæ paulo exsertæ, arcuatæ. — *Oculi* sub-laterales, demissi, sub-rotundati, depressi, minusculi. — *Thorax* latitudine baseos sesqui-longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus sub-æqualiter modice rotundatus, anterius parum angustior, haud coarctatus, apice subtruncatus, pone oculos non lobatus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, valde profunda, argute marginata. *Scutellum* minutum, triangulare, immersum. — *Elytra* oblonga, sub-ovalia, thoracis basi vix latiora illoque plus duplo longiora, basi perparum sinuata, humeris sub-rotundatis; lateribus æqualiter modice rotundato-ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, anum obtegentia, supra modice convexa, postice haud callosa. — *Pedes* breves, longitudine sub-æquales, validi; femoribus pone medium incras-

satis, subtus dente minuto armatis; tibiis validis, in medio paulo incrassatis, apice unco valido instructis; tarsis minus latis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo sub-clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Mæmactes ruficornis*; e Mexico.

A μαιμάκτης furiosus.

Observ.— Respectu habitus fere cum *Baridio* genere convenit.

1. M. Ruficornis. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, parum nitidus, glaber; antennis rufo-ferrugineis, rostro crebre punctato, apice ferrugineo; thorace oblongo, sub-remote punctulato, linea media lævi, notato; elytris punctis oblongis, remotis, seriatim impressis, interstitiis sub-planis, minus crebre punctulatis, secundo postice nonnihil elevato.

Tylodes id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Mexico. A Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Erirhini æthiopis*. Caput semi-globosum, valde convexum, subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, sub-opacum; oculi sub-rotundati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, teres, arcuatum, basi nonnihil crassius, apicem versus deplanatum, sat profunde, crebre, basi evidenter punctatum, nigro-piceum, sub-nitidum, apice ferrugineum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava parva, ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, lateribus paulo rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis parvis, sub-remotis, dispersis, impressus, linea media angusta lævi notatus, niger, parum nitidus, glaber. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rotundatis; mox pone basin nonnihil ampliata, dein apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra modice convexa, postice paulo declivia, punctis oblongis, sat profundis, remotis, seriatim impressa, interstitiis sub-planis, secundo ante apicem nonnihil elevato, omnibus subtiliter sub-remote, disperse

punctulatis; nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus crebre punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breves, validi, nigro-picei, sub-nitidi, crebre punctati; femoribus incrassatis, subtus dente minuto, obtuso, armatis; tibiis intus medio parum incrassatis; tarsis ferrugineis. — BHN.

GENUS 325. — ANALCIS. *Nobis.*

Analcis DEJEAN. — *Bagous* SAY.

Character generis. — Antennæ breves, subtenues; funiculo 6-articulato : articulis duobus basalibus elongatis, obconicis, illo crassiusculo, reliquis sub-lenticularibus; clava ovata, acuminata.

Rostrum breviusculum, teres, arcuatum, crassum.

Thorax oblongus, anterius paulo angustior, apice in medio rotundato-productus, pone oculos modice lobatus; canalis inferus ante pedes anticos distincte terminatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa, apice conjunctim sub-acuminata.

Tibiæ mediocres, subrectæ; tarsi latiusculi.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, glabrum, durum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque haud longiores, pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 11-articulatæ : articulo 1° breviusculo, oculos vix attingente, versus apicem sensim incrassato, 2° oblongo, sub-obconico, crassiusculo, 3° paulo angustiore, etiam obconico; 4-7-brevibus, sub-lenticularibus, nonnihil coarctatis, gradatim parum latioribus; clava ovata, acuminata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. *Rostrum* capite vix longius, inflexum, teres, sub-arcuatum, crassum; scrobe pone medium incipiente, subito subtus flexa. — *Oculi* laterales, sub-rotundati, parum convexi, magni. — *Thorax* latitudine longior, basi leviter bi-sinuatus, versus scutellum nonnihil productus, lateribus ante medium obliquis, subrectis, pone medium iterum nonnihil angustatis, apice rotundato-productus, supra convexus, pone oculos lobatus; rima pectoralis pro receptione rostri profunde exarata, ante pedes anticos desinente. — *Scutellum* parvum, sed distinctum, rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, et illo vix triplo longiora, oblongo-ovata, humeris obtusis, sub-angulatis; supra convexa, versus apicem non callosa, apice ipso conjunctim sub-acuminata, anum obtegentia. *Pedes* validi, antici paulo longiores, basi distantes; femoribus

parum incrassatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice unco horizontali acuto intus instructis; tarsis mediocribus, subtus spongiosis, articulo penultimo lato, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Analcis æreus.*

Patria : America borealis.

Ab ἄναλκις impotens, ignavus.

Observ. — Quoad habitum quidem *Bagoo* generi quodammodo simile est hoc genus, sed characteres essentiales longe sunt alii, ut ex descriptione patet.

* 1. A. Æreus. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, convexus, fusco-cupreus, glaber, nitidus, antennarum basi pedibusque obscure ferrugineis, rostro brevissimo, crasso; thorace ventreque impunctatis; elytris antice remote striato-punctatis, posterius lævibus.

Analcis æreus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295.
Bagous æreus. Dom. Com. Dejean *in Litteris*, olim.
Say, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 29. 3.

Patria : America borealis. A Dom. Com. Dejean benevole communicatus. Mus. Schh.

Parvus; *Haltica spergulæ* Gyllenh. Ins. Suec. vix major et statura non dissimilis. Caput deflexum, punctulatum, fusco-cupreum; oculi majusculi, rotundati, parum convexi; rostrum capite vix longius, crassum, deflexum, parum arcuatum, crebre ruguloso-punctatum, nigrum, basi cupreo-micans. Antennæ breviusculæ, nigræ, basi ferrugineæ, clava ovali, cinereo pubescente. Thorax latitudine paulo longior, antice paulo angustior, apice supra valde rotundato-productus, pone oculos parum lobatus; lateribus ab apice ad medium sensim latioribus, dein ab basin subrectis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, impunctatus, fusco-cupreus, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, sub-immersum, concolor. Elytra thorace plus duplo longiora, antice thoracis basi multo latiora, basi singulatim rotundata, humeris obtusis, vix angulatis; lateribus paulo rotundata, posterius attenuata, apice conjunctim sub-acuminata, supra modice convexa, æqualia; anterius remote, tenue seriato-punctata, posterius lævia, tota fusco-

cuprea, glabra, nitida. Corpus subtus nigrum, cupreo-micans, glabrum, pectore remote sat profunde punctato; abdomine lævi. Pedes mediocres, obscure ferruginei; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis sub-teretibus; tarsis subtus cinereo-tomentosis.

RED.

GENUS 326. PYCNOPUS. *Germar.*

Character generis. — Antennæ breves, crassiusculæ; funiculo 7-articulato: articulo primo turbinato, reliquis transversis, apice truncatis, gradatim latioribus; ultimo clavæ arcte adpresso; clava obtusa.

Rostrum cylindricum, breviusculum, crassiusculum.

Oculi laterales, oblongi, parum convexi.

Thorax transversus, apice constrictus, pone oculos excisus.

Scutellum majusculum, sub-elevatum.

Elytra gibba, apice obtusissime rotundata, sub-truncata.

Pedes robusti; femora versus apicem valde incrassata; tibiæ curvatæ, intus dente medio armatæ.

Descriptio. — *Corpus* breviusculum, crassum, sub-ovatum, gibbum, durum, squamosum. — *Antennæ* breves, in medio rostri insertæ, fractæ; scapo brevi, clavato; funiculo 7-articulato; articulo primo turbinato, reliquis transversis, apice truncatis, sensim latioribus; articulo ultimo clavæ arcte adpresso et clavam fere incipiente; clava brevi, obtusa, indistincte 4-articulata. — *Rostrum* breve, incrassatum, cylindricum, sub-curvatum; scrobe profunda, obliqua, a medio ad basin inferiorem percurrente. — *Oculi* laterales, oblongi, perparum convexi. — *Thorax* transversus, convexus, basi truncatus, antice deflexus et angustatus, apice supra occiput productus, pone oculos emarginatus, infra pone gulam profunde excisus; canalis inferus non profundus, in pectore continuatus et ibi marginatus. — *Scutellum* sub-elevatum, majusculum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi haud latiora, sed illo plus duplo longiora, lateribus inflexa et abdominis latera includentia, dorso gibba, apice deflexa, conjunctim obtuse rotundata et fere truncata, pygidium occultantia. — *Pedes* elongati, robusti, medii sub-breviores; femoribus apicem versus valde incrassatis, muticis; tibiis curvatis, intus dente medio armatis, apice unco brevi intus instructis; tarsis latis, subtus spongiosis, articulo penultimo dilatato, bi-lobo, ungue bi-unguiculato.

TYPUS. — *Pycnopus bufo.*

A πυκνός densus, ποῦς pes.

Patria: America meridionalis.

GERMAR.

* 1. P. BUFO. *Say.*

Ovatus, niger, sordide griseo-squamosus, rostro obsolete carinato: thorace remote granulato: elytris sulcatis, interstitiis granulatis, vitta lata laterali, macula media introrsum adjecta, cinereo-albido-squamosis, ornatis, pectore niveo.

Curculio bufo. Dom. SAY *in Litteris.*

Pycnopus albiventris. Dom. GERMAR *in Litteris.* Forte eadem species videtur. Varietas.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. SAY et FALDERMANN.

Trogo suberoso parum major et statura subsimilis. Caput globosum, nigrum, opacum, rugosum, squamulis griseis adspersum; fronte inter oculos puncto profundo insculpta; oculi oblongi, parum prominuli, brunnei; rostrum capite nonnihil longius, crassum, parum arcuatum, supra fere planum, rugoso-punctatum, a basi ultra medium carinula parum elevata instructum; totum nigrum, pube adpressa grisea adspersum. Antennæ breves, longitudine rostri, crassiusculæ, nigræ, parce pilosæ, clava brevi, obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra in medio productus, ibique leviter, utrinque profunde emarginatus, antrorsum valde angustatus, deflexus, lateribus nonnihil rotundatus, postice truncatus, supra transversim convexus, niger, undique griseo-squamosus, granis denudatis, poriferis, nigris, minus crebre obsitus. Scutellum majusculum, apice rotundatum, squamulis fusco-griseis vestitum. Elytra subovata, basi truncata, antice thorace vix latiora et illo duplo longiora, lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, sub-truncata, supra valde convexa, dorso gibba, postice deflexa, minus regulariter sulcata, interstitiis granulatis; tota nigra, squamulis griseis sat dense obsita, versus latera vitta sat lata, apice introrsum arcuatim flexa, macula sat magna in medio dorsi cum vitta laterali connexa, cinereo-albido-squamosis, ornata. Corpus subtus nigrum, obsolete remote punctulatum, pectore abdominisque segmento primo niveo-squa-

mosis. Pedes elongati, validi, nigri, griseo-squamosi; femoribus apicem versus valde incrassatis, muticis; tibiis curvatis, intus mox pone medium, dente parvo armatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 327. — COELIODES. *Nobis.*

Ceutorhynchus SCHUPP., GERMAR, LATR., STEPHENS, SCHH. (1), DEJEAN. — *Nedyus* SCHH. *in Litteris*, olim. — *Rhynchænus* FABR., GYLLENH., OLIVIER, ZETTERST. (2). — *Falciger* MEGERLE, STURM, DEJEAN olim.

Character generis. — Antennæ mediocres, graciles; funiculo 7-articulato : articulis quatuor longiusculis, sub-obconicis, ultimis sub-rotundatis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum elongatum, subtenue, lineare, modice arcuatum.

Thorax transversus, lateribus sæpissime rotundato-ampliatus, anterius valde angustior, coarctatus, apice sub-truncatus, vel leviter bi-sinuatus.

Scutellum in aliis distinctum, in aliis minutum, vix conspicuum.

Elytra breviter ovata, humeris obtuse angulatis; posterius paulo angustiora, apice singulatim rotundata, abdomine breviora.

Pedes mediocres, sub-æquales; tibiæ apice muticæ, extus ciliatæ.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, contractum, supra modice convexum, sculpturatum, parce squamosum, alatum; aut minusculæ, aut minimæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, in medio rostri insertæ, valde tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos vix attingente, clavato; 2°-5° elongatis, sub-obconicis, exterioribus sensim brevioribus; 6°-8° brevibus, sub-rotundatis, æqualibus; clava libera, ovalis, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Caput* aut convexum, aut depressum. — *Rostrum* longitudine thoracis cum capite, lineare, subtenue, modice arcuatum; scrobe lineari, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, rotundati, parum convexi. — *Thorax* latitudine

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 296. 173. Man. I. — Germ. Ins. Spec. I. p. 217. Fam. 2. — Latr. Règne Anim. p. 39[illegible]. — *Id.* les Crust., les Arachn. et les Ins. II. p. 86. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 21.

(2) Zetterst. Fn. Lapp. I. p. 311. *Rhynchænus*. Trib. 2. subdivi. 2.

postica brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus in plerisque rotundato-ampliatus, antrorsum cito valde angustior, lateribus in nonnullis obliquis, antrorsum sensim attenuatus, longe intra apicem coarctatus; margo anticus sæpius elevatus, reflexus, apice ipso supra sub-truncatus, pone oculos plus minusve distincte lobatus, supra modice convexus, in aliis sub-æqualis, in aliis utrinque tuberculatus, infra pone gulam profunde emarginatus; rima pectoralis in pectore protensa, apice argute determinata. — *Scutellum* aut sub-rotundatum, distinctum, aut minutissimum vix conspicuum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora illoque triplo longiora, humeris obtuse angulatis; in medio parum latiora, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine paulo breviora, supra nonnihil convexa, dorso planiuscula. — *Pygidium* distinctum, apice semi-rotundatum, planum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femoribus anticis basi distantibus, sub-clavatis, subtus aut muticis, aut denticulo acuto armatis; tibiis sub-teretibus, apice extus ciliatis, apice ipso sub-truncatis, muticis; tarsis mediocribus, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κοιλιώδης ventricosus, ventris speciem habens.

Typus. — *Cœliodes quercus.*

Patria : Totus orbis, præsertim Europa.

Observ. — Generi *Ceutorhyncho* valde affine, sed differt præcipue quod thoracis canalis inferus pectus transit et ibi argute determinatus pedesque antici magis distantes.

Stirps 1. *Femora mutica.* (Species 1-10.)

1. C. Quercus. *Fabricius.*

Depressior, nigro-fuscus, cinereo-squamosus, pedibus fusco-ferrugineis; elytris obsoletius punctato-striatis, testaceis, fasciis undulatis, densius cinereo-squamosis. — Gyll.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 455. 84.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 138. 61.
Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 56. 53.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 412. 79.—*Mant.* I. p. 102. 67.
Herbst, *Col.* VI. p. 412. 394. T. 92. f. 7.
Payk. *Fn. Suec.* III. p. 261. 83. — *Mon. Curc.* p. 72. 70.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 486. 71.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 137. 42.

GOEZE, *Europ. Fn.* VIII. p. 472. 13.

MULLER, LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 222. 5.

PANZ. *Ent.* GERM. p. 305. 39.

VILLERS, *Ent.* LINN. IV. p. 287.

BECHST. et SCHARFENB. *Forstins.* I. p. 153. 4.

GLEDITSCH. *Einl. in di Forstwiss.* I. p. 522. 49.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins Sp.* I. p. 221. 35.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. 21. 1.?

Curculio rana. FABR. *Mant.* I. p. 101. 52.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 484. 63.

LINN. *Syst. Nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1750. 145.

VILLERS, *Ent.* LINN. IV. 286.

Curculio pallens. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 251. 38.

Id. Dryados. LINN. *Syst. Nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1748. 134.

VAR. β. Rufo-testaceus, rostro nigro, pectore abdominisque basi fuscis. — GHL. l. c. var. e.

SAHLB. *Ins. Fenn.* l. c. var. e.

Curculio melanorhynchus. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 250. 37.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 22. 2.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

* 2. C. RUBER. *Marsham.*

Breviter ovatus, nigricans, subtus dense, supra fasciatim albido-squamosus, rostro apice rufo; elytris rufo-testaceis, fasciis undulatis albido-squamosis ornatis; pedibus fusco-ferrugineis; femoribus subtus fasciculo dentiformi armatis.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 251. 39. Teste Dom. KIRBY.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 22. 3.

Rhynchænus quercus. OLIV. *Ent.* V. p. 83. 133. 87. T. 33. f. 506.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 138. 61. var. b.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 56. 53. var. b.

Patria : Europa septentrionalis, Suecia, Anglia. Mus. SCHH. et GHL.

Cœliodi quercus simillimus et nimis affinis, sed paulo major. Ros-

iri apice plus minusve rufo et femoribus omnibus subtus fasciculo dentiformi e setis albidis armatis, unice distinctus. Color totius et partium præterea pari modo ac in *Cœliode quercus* variabilis, aut obscurior aut dilutior; margo anticus thoracis elevatus, semper rufescens vel testaceus. Tibiæ omnes externe versus apicem dente validiusculo armatæ et albo ciliatæ. — GHL.

3. C. RUFIROSTRIS (1). *Spence.?*

Nigro-fuscus, elytris dilute rufo-testaceis, immaculatis, pectore abdomineque rufis, rostro nigro, apice rufo. — STEPH.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 23. 4.

Patria : Anglia.

4. C. RUBRICUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, subtus dense, supra inæqualiter cinereo-albido-squamulosus; rostri apice rufescente; thorace tuberculo laterali utrinque notato; elytris brunneis, obsolete cinereo fasciatis; pedibus obscure ferrugineis; femoribus subtus fasciculo dentiformi armatis.

Patria : Anatolia, Smyrna. A Dom. CHEVROLAT communicatus et ex ejus Musæo descriptus.

Cœliodi rubro magnitudine æqualis et simillimus, thorace utrinque tuberculo parvo instructo, fere unice distinctus. Caput retractum, rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi laterales, rotundati, nigri, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, sub-arcuatum, punctatum, nigrum, apice summo rufescens. Antennæ tenues, ferrugineæ, basi apiceque nigricantes. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis alte elevato, rotundato, rufescente; lateribus obliquis, vix ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus seu alutaceus, in medio dorsi leviter canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo, obtuso, notatus; niger, subtus et lateribus dense, in disco parce cinereo-albido-squamosus. Scutellum oblongum, angustum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, callo humerali rotundato,

(1) Mihi invisus.

elevato, et lateraliter nonnihil extenso, supra granulato; apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis, callo postico elevato, granulato, instructis; rufo-brunnea, opaca, lituris obsoletis cinereo-squamosis notata. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes mediocres, fusco-ferruginei; femoribus parum crassis, omnibus subtus fasciculo dentiformi albo-setoso armatis. — GHL.

* 5. C. RUBICUNDUS. *Paykull.*

Convexus, niger, cinereo-squamosus, pedibus rufis; elytris profunde punctato-striatis, rufo testaceis, sutura fusca, basi albo-squamosa. GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 136. 60.
ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 322. 42. a.
SAHLBERG, *Ins. Fenn.* II. p. 55. 52.
Curculio id. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 263. 84.
Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 221. 37.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 23. 5.
Curculio quercus, var. β. PAYK. *Mon. Curc.* p. 73. 70.
Id. melanocephalus. MARSH. *Ent. Br.* p. 253. 44.

VAR. β. Elytris obscurius rufo-brunneis. — GHL. l. c. var. b.
ZETTERST. *Fn. Lapp.* l. c. var. b.
SAHLB. *Ins. Fenn.* l. c. var. b.
Ceutorhynchus melanocephalus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 23. 6.

VAR. γ. Rostri apice thoraceque rufo-ferrugineis. GHL. l. c. var. c.
ZETTERST. *Fn. Lapp.* l. c. var. b.
SAHLBERG, *Ins. Fenn.* l. c. var. b.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

* 6. C. UMBRACULATUS. *Fabricius.*

Breviter ovatus, niger, subtus parce cinereo-squamosus; rostro lineari, arcuato, striato; fronte impressa, superciliis elevatis, rotundatis; thorace canaliculato, bi-tuberculato; elytris rude punctato-sulcatis, interstitiis convexis, rugulosis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 453. 77.

Patria : America meridionalis. Mus. SCHH. et GHL. E Musæo Dom. T. LUND.

Cœliode didymo paulo major, præsertim in elytris latior. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, in vertice carinula brevi instructum, fronte impressa; oculi laterales, rotundati, glauci, modice convexi, sub callo elevato, rotundato, locati; rostrum vix thorace brevius, validiusculum, lineare, arcuatum, supra bi-striatum, confertim punctatum, nigrum. Antennæ breviusculæ, tenues, nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, margine apicis nonnihil elevato, in medio tuberculis duobus parvis, approximatis, notato; lateribus pone stricturam obliquis, fere rectis; basi bisinuatus, supra parum convexus, in medio obsolete canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, undique confertim varioloso-punctatus, niger, opacus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra ampla, antice sub-sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, callo humerali rotundato, sub-elevato; apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra fere plana, sat profunde sulcata, sulcis rude, sub-remote punctatis, interstitiis convexis, rugulosis; nigra, sub-opaca. Pygidium semiorbiculatum, convexum, confertim punctatum, nigrum. Corpus subtus convexum, confertim varioloso-punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Pedes validi confertim punctati, nigri; femoribus crassis, subtus canaliculatis, muticis; tibiis sub-arcuatis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

* 7. C. CURTUS. *Say*.

Breviter ovatus, niger, parce cinereo-squamulosus; rostro lineari, ruguloso; thorace confertim punctato, utrinque tuberculo conico instructo, in dorso obsolete canaliculato, antice vix elevato; elytris sat profunde striatis, interstitiis convexis, alutaceis et sub-nodosis.

Ceutorhynchus id. SAY, *Descr. of Curc. of N. Amer.* p. 29.

Patria : America borealis, Mississippi. Ex Musæo Dom. SAY descriptus.

Cœliode didymo paulo brevior; *Cœliodi umbraculato* admodum similis, sed differt præcipue superciliis vix elevatis, tuberculis thoracis altioribus, conicis et elytrorum striis vix punctatis. Caput

rotundatum, confertim punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi rotundati, nigri, modice convexi, superciliis vix elevatis; rostrum thorace paulo brevius, lineare, sub-arcuatum, supra rugulosum et obsolete bi-striatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ breves, crassiusculæ, nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, margine apicis vix elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, in medio dorsi obsolete canaliculatus, in utroque latere tuberculo conico, sub-acuminato, instructus, undique confertim punctatus, niger, parce cinereo-squamulosus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris obliquis, obtuse angulatis; posterius paulo angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in dorso anteriore impressa, posterius sub-convexa, sat profunde striata, striis vix punctatis, interstitiis convexis, alutaceis, et nodulis parvis obsitis; nigra, sub-opaca, parce cinereo-squamulosa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, opacum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis arcuatis; tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis. — GHL.

* 8. C. EPILOBII. *Paykull.*

Niger, cinereo-nebulosus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro valido; thorace quadri-tuberculato, margine antico emarginato; elytris basi cruce albido-squamosa. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 151. 72.
SAHLB. *Ins. Fen.* II. p. 63. 67.
Curculio id. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 259. 30.
Ceutorhynchus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 325.

Patria : Suecia, Alandia.

9. C. SUBULIROSTRIS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, sub-depressus, undique cinereo-squamulosus, antennis pedibusque fusco-testaceis; rostro apice attenuato, glabro; thorace punctulato, obsolete canaliculato, utrinque tuberculo parvo instructo; elytrorum sulcis vix punctatis, interstitiis subtiliter alutacei

Patria: America borealis, Georgia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Cœliode didymo paulo major, præsertim latior. Caput parvum, rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte sub-depressa; oculi rotundati, nigri, modice convexi; rostrum thorace brevius, parum arcuatum, nigrum, a basi ultra medium crassius, punctatum et squamulosum, versus apicem attenuatum, læve, glabrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, fusco-testaceæ, clava majuscula, saturatiore. Thorax latitudine postica vix brevior, antice subito paulo angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, margine vix elevato; lateribus pone stricturam modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio obsolete canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, undique confertim punctulatus, niger, opacus, sat dense cinereo-squamulosus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra ampla, antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato instructis; posterius angustiora, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra anterius impressa, posterius nonnihil convexa, sulcis latis, in fundo alutaceis, sed non distincte punctatis, exarata, interstitiis subtiliter alutaceis; nigra, opaca, sat dense cinereo-squamulosa. Pygidium sub-triangulare, punctatum, nigrum, squamulosum. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes breviusculi; femoribus crassiusculis, muticis, fusco-testaceis, dense albido-squamosis; tibiis tarsisque dilutioribus, magis nudis. — GYLL.

10. C. ACEPHALUS (1). SAY.

Niger, griseo-squamulosus, pedibus rufescentibus; thorace apice constricto, lateribus utrinque tuberculo armato, dorso sulcato, subtus profunde canaliculato; elytris fusco tessulatis.

Ceutorhynchus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 20. 1.
Falciger id. SAY, *Journ. Acad. Philad.* III. p. 309.

Habitat in Pensylvania. Dom. SAY. — Mus. GERM.

Magnitudine *Cœliodis guttulæ*. Caput planum, sub-impressum, squa-

(1) Mihi invisus.

mis fuscis griseisque variegatum. Rostrum inflexum pedum intermediorum basin attingens, incurvum, crassiusculum, supra depressum, rimae pectorali arcte inserendum. Thorax brevis, transversim convexus, antice declivis et ante apicem valde constrictus: dorso late, sed obsolete canaliculatus, utrinque lateribus tuberculo armatus, squamulis seu pilis brevibus, obtusis, crassis, griseis fuscisque variegatus. Scutellum nullum. Coleoptera basi thorace paulo latiora, humeris prominulis obtusis; lateribus apicem versus sensim angustata, apice singulatim rotundata, pone scutellum impressa, dorso planiuscula, sed in medio elevatiora, punctato-sulcata, fusco-squamosa, griseo-tessulata, satura grisea. Corpus subtus griseo-squamulosum; femoribus muticis, pedibus rufescentibus. — GERM.

STIRPS 2. *Femora dentata.* (Species 11-27.)

* 11. C. GUTTULA. *Fabricius.*

Ovatus, niger, opacus, sub-depressus, subtus dense albido-, supra parce fusco-squamulosus; fronte fovea lanceolata impressa; thorace lateribus sinuato, supra profunde, sub-interrupte sulcato, tuberculo, oblique transverso utrinque instructo: elytris striatis, macula suturali baseos holosericeo-atra, apicis alba ornatis.

Rhynchaenus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 482. 205.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 213. 204. T. 13. f. 325.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 592. 129. 130.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 436. 174. — *Mant.* I. p. 107. 124.

HERBST. *Col.* VI. p. 393. 372. T. 91. f. 3.

ROSSI, *Fn. Etr. Mant.* II. *App.* p. 99. 44.

OLIV. *Enc. meth.* V. p. 515. 189.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 143. 57.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 314. 83.

VILLERS. *Ent.* LINN. IV. p. 289.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1768. 257.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Br. Ent.* IV. p. 25. 11.

Falciger carduelis. Dom. MEGERLE *in Litteris*, olim.

Patria: Europa intermedia, Volhynia.

Ceutorhyncho pollinario magnitudine aequalis et statura similis: variat etiam dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, punctulatum,

nigrum, cinereo-squamulosum, in vertice carinula brevi instructum, fronte fovea lanceolata impressa; oculi laterales, rotundati, brunnei, parum convexi; rostrum thorace vix brevius, validiusculum, arcuatum, supra confertim punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine brevior, anterius vix vel parum angustior, apice late emarginatus, intra apicem transversim sub-impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus sub-sinuatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, sulco dorsali lato et profundo, in medio breviter interrupto exaratus, versus latera utrinque tuberculo oblique transverso instructus, confertim punctulatus, niger, opacus, cinereo-squamulosus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali rotundato, sub-elevato; apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra anterius plana, posterius nonnihil convexa, distincte striata, striis obsolete crenulatis, interstitiis latis, planis, alutaceis, versus apicem evidenter muricatis; nigra, opaca, cinereo-squamulosa; prope basin suturæ macula communis holosericeo-atra conspicitur, interdum antice litura pallescente aucta, et in apice suturæ lineæ duæ parallelæ, albo-squamosæ. Pygidium apice rotundatum, punctatum, nigrum, squamulosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa albida tectum, scapulis sæpe flavescenti-squamosis. Pedes validi, nigri, inæqualiter albido-squamulosi; femoribus subtus dente mediocri armatis; tarsis parum dilatatis, piceis. — Ghil.

* 12. C. Fuliginosus. *Marsham.*

Ovatus, niger, opacus, sub-depressus, subtus dense albido-, supra parce fusco-squamulosus; fronte plana, non foveolata; thorace antice angustiore, lateribus obliquis, rectis, in dorso sulco minus profunde, latius interrupto, et versus latera utrinque tuberculo conico instructo; elytris striatis, macula suturali baseos holosericeo-atra, antice albo-squamosa notatis.

Curculio id. Marsh. *Ent. Br.* p. 280. 124.

Ceutorhynchus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 25. 12. — Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298.

Rhynchænus guttula. var. b. Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 592. 129 30.

Curculio cardui. Herbst, *Arch.* p. 79. 54. T. 24. f. 22. '

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 521. 225.

LINN. *Syst. Nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1771. 281.

Patria : Europa intermedia; etiam in Scania; Dom. Prof ZETTERSTEDT.

Cœliodi guttulæ simillimus et a pluribus entomologis cum illo confusus, sed præter magnitudinem plerumque paulo minorem, etiam differt fronte inter oculos plana, absque foveola impressa; thorace anterius angustiore, lateribus non sinuato, sulco ejus dorsali minus profundo, latius interrupto, tuberculisque ejus lateralibus minoribus conicis, etc. Caput parvum, retractum, rotundatum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, in vertice carinula brevi instructum, fronte inter oculos plana, absque foveola impressa. Oculi, rostrum et antennæ ut ad *Cœliodem guttulam* descripta. Thorax latitudine postica brevior, anterius manifeste angustior, apice late emarginatus, intra apicem transversim impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus obliquis, rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, sulco dorsali minus profundo, plerumque in medio late interrupto exaratus, et versus latera utrinque tuberculo parvo, conico, instructus; punctulatus, niger, opacus, cinereo-squamulosus. Elytra exacte ut in *Cœliode guttula*, modo macula holosericeo-atra baseos suturæ plerumque antice macula distinctius albo-squamosa aucta. Corpus et pedes ut in jam dicto. — GHL.

13. C. UMBRINUS. *Schh.*

Niger, obscurus, subtus densius, supra subtiliter cinereo-squamulosus; thorace latiore, brevi, canaliculato, bi-tuberculato, disco sub-convexo, lateribus ampliato; elytris punctato-striatis, striis alternis profundioribus; interstitiis planis, confertim alutaceis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus Mus. SCHH.

Cœliodi canaliculato simillimus, sed duplo major, *Cœliodi marginato* æqualis, thoracis forma præcipue distinctus. Caput subquadratum, convexum, confertim punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi semi-globosi, nigri, sub callo elevato locati; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, valde arcuatum, confertissime punctatum, nigrum, opacum. Antennæ nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax transversus, latitudine

baseos fere duplo brevior, anterius vix dimidio angustior, apice sub-emarginatus, margine alte elevato; lateribus modice ampliatus, basi sub-truncatus, elevato-marginatus, in medio nonnihil productus, supra in disco modice convexus, in medio canaliculatus, utrinque tuberculo parvo instructus, confertim punctatus, niger, opacus, parce cinereo-squamulosus. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, callo humerali alte elevato, posterius attenuata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, inæqualiter striata, striis alternis latioribus et profundioribus, catenato-punctatis, interjacentibus tenuibus, sub-obsoletis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis, versus apicem distincte muricatis; nigra, opaca, subtiliter cinereo-squamulosa. Pygidium rotundatum, granulatum, nigrum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes validi, nigri, cinereo-pubescentes, et albidius maculati; femoribus sub-clavatis, subtus dente mediocri armatis.

GHL.

* 14. C. CANALICULATUS. *Schh.*

Niger, obscurus, subtus dense cinereo-albido-squamosus; thorace depresso, canaliculato, bi-tuberculato: elytris punctato-striatis, interstitiis planis, confertim alutaceis.

Habitat in Volhynia, ad Crzmieniec. Dom. BESSER. Mus. SCHH.

Parvus, *Cœliodi didymo* æqualis, alias *Cœliodi guttulæ* in multis similis. Caput sub-quadratum, parum convexum, confertissime punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte impressa: oculi laterales, semi-globosi, nigri, sub callo elevato locati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, valde arcuatum, confertim punctulatum, nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice truncatus, margine alte elevato, reflexo; lateribus obliquis, subrectis, basi fere truncatus vel levissime tantum bi-sinuatus, supra depressus, inæqualis, in medio canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo, obtuso, instructus, undique confertissime punctatus et granulatus, niger, obscurus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, ægre observandum. Elytra antice sub-truncata, margine elevato, thoracis basi latiora, humeris sub-angulatis, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa.

sub-salcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis latis, planis, confertissime granulatis seu alutaceis, versus apicem tuberculis majoribus muricatis; nigra, opaca. Pygidium rotundatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus punctatum et granulatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes validi, nigri, parce cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, subtus denticulo brevi armatis: tarsis modice dilatatis, subtus umbrino-spongiosis. GHL.

* 15. C. CRISTATUS. *Schh.*

Niger, obscurus, cinereo-squamulosus, pedibus rufo-piceis, capite bituberculato; thorace canaliculato, angulatim profunde impresso, anterius tuberculis quatuor muricatis instructo: elytris punctato-striatis, lateribus et apice muricatis.

Habitat in India orientali. Dom. KYMELL. Mus. GHL. et SCHH.

Parvus, *Cœliode didymo* vix major. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo squamulosum, fronte tuberculis duobus muricatis instructa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, filiforme, arcuatum, maris paulo crassius, punctatum et striatum, piceum; feminæ longius, magis tenue, glabrum, dilutius ferrugineum, basi paulo crassius et sub-rugosum. Antennæ tenues, piceo-ferrugineæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius duplo angustior, apice sub-truncatus, margine in medio tuberculis duobus parvis, approximatis, muricatis, instructo; lateribus obliquis, in medio impressis; basi profunde bisinuatus, lobo medio et angulis lateralibus acuminatis; supra valde inæqualis, canaliculatus; in dorso antico tubercula duo magna, approximata, granulata et muricata; pone illa fovea profunda, angularis, a medio marginis lateralis ad apicem lobi scutellaris, oblique ducta, utrinque et plaga anguli postici iterum elevata, muricata; niger, obscurus, cinereo-squamosus. Scutellum vix observandum. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-rotundatis; posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in disco parum convexa, intra basin transversim impressa, punctato-striata, punctis majusculis, sub-remotis, interstitiis punctato-scabris, lateralibus et apicis confertim muricatis; nigra, obscura, parce cinereo-squamulosa; versus basin suturæ lineola communis et in callo postico punctum parvum e squamis albidis. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus

punctulatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes mediocres, rufo-picei, albo-squamosi et muricati; femoribus subtus dente mediocri armatis; tarsis dilatatis, dilutius ferrugineis, subtus albido-spongiosis. — Ghl.

* 16. C. Serietuberculatus. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, dense cinereo-albido-squamosus, tibiis tarsisque pallide testaceis, orbitis interne sub-elevatis; thorace inæquali, alte tuberculato; intra apicem valde coarctato; elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, dorsalibus seriatim quadri-tuberculatis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher detectus et communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et statura *Cœliodis didymi.* Caput rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo-albido-squamulosum, fronte impressa; oculi rotundati, convexi, nigri, sub callo elevato locati; rostrum capite parum longius, validum, arcuatum, nigrum, basi squamulosum, extrorsum nudum, nitidum. Antennæ in specimine nostro desunt. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-bi-emarginatus, intra apicem late et profunde transversim impressus, lobo antico alte elevato, in medio sub-emarginato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio canaliculatus, tuberculisque quatuor, transversim in arcum positis, instructus; punctatus, niger, dense cinereo-albido-squamulosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus non ampliata, apice sub-truncata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus, secundo et quarto a sutura tuberculis 4 seriatis, intermediis approximatis, instructis, exterioribus bi vel tri-tuberculatis: nigra, squamositate densa albida vestita. Pygidium breviter triangulare, punctatum, dense albido-squamosum. Corpus subtus confertim punctulatum, dense cinereo-albido-squamulosum. Pedes breviusculi, validi, albido-squamulosi; femoribus crassis, nigris, muticis; tibiis tarsisque pallide testaceis. — Ghl.

* 17. C. CELASTRI. *Schh.*

Breviter ovatus, dilute brunneus, squamis albidis, sub-nitidis subtus dense tectus; rostro thorace breviore, validiusculo, lineari; thorace transverso, inæquali, tenuiter canaliculato, ochraceo-squamoso, albido variegato, basi obtuse rotundato, margine antico in medio anguste reflexo; elytris punctato-striatis, pallido-squamosis, fascia basali, media et antice apicali nigro-fuscis.

Patria: Caffraria, in celastro. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Cœliodi epilobii magnitudine æqualis. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, brunneum, dense ochraceo-squamosum, fronte inter oculos impressa; oculi laterales, rotundati, glauci, modice convexi; rostrum thorace brevius, validiusculum, lineare, parum acuatum, punctulatum, dilute brunneum, parce pallido-squamosum, apice glabratum. Antennæ testaceæ, clava fusca. Thorax sub-semi-circularis, antice basi dimidio angustior, apice supra parum rotundato-productus, in medio marginis apicalis anguste elevatus, basi obtusissime rotundatus, supra inæqualis, in medio dorsi longitudinaliter late impressus et tenuiter canaliculatus, punctatus, dilute brunneus, squamositate ochracea sub-micante vestitus, plaga media, late fusco marginata, maculisque nonnullis lateralibus albido-squamosis ornatus. Scutellum minutum, fuscum. Elytra ampla, thorace duplo longiora, antice ejus basi paulo latiora, basi leviter emarginata, elevato-marginata, humeris obtuse angulatis; lateribus modice, apice singulatim obtuse rotundata, supra parum convexa, distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis, alternis parum latioribus; ante apicem obsolete muricata, brunnea, dense pallido-squamosa, ante medium linea abbreviata suturali albidiore, fascia humerali, media, aliaque ante-apicali, hinc inde interruptis, nigro-fuscis, decorata. Corpus subtus punctatum, testaceum, undique squamis albidis, sub-nitidis, sat dense vestitum. Pygidium apice rotundatum, punctatum, squamulosum. Pedes mediocres, testacei; femoribus basi obscuris, subtus dente parvo armatis: tibiis extus ante apicem ciliatis et calcaratis. — BHD.

* 18. C. QUINQUETUBERCULATUS. *Ghl.*

Breviter ovatus, dilute brunneus, squamositate albida, sub-nitida subtus dense tectus; rostro longitudine thoracis, subtenui, lineari; thorace transverso, anguste canaliculato, tuberculis quinque, in triangulum positis instructo, basi obtuse rotundato, supra flavido fuscoque variegato, linea media lateribusque dense albido-squamosis; elytris punctato-striatis, albido-squamosis, sub-lineatis, fascia in medio et ante apicem nigro-fuscis notatis.

Patria: Caffraria. A Dom. DRÈGE detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Cœliode celastri paulo minor, cæterum simillimus, rostro longiore, multo tenuiore et thorace quinque-tuberculato tamen distinctus. Caput parvum, rotundatum, punctatum, brunneum, squamulis ochraceis vestitum, fronte inter oculos impressa; oculi laterales, rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, subtenue, modice arcuatum, ferrugineum, punctatum, basi pallido-squamosum, apicem versus glabrum, nitidum. Antennæ tenues, testaceæ. Thorax latitudine baseos fere duplo brevior, antice basi dimidio angustior, apice late emarginatus, lateribus parum rotundatis, basi obtusissime rotundatus, sub-elevato-marginatus, supra convexus, inæqualis, in medio dorso anterius subtiliter, basi profunde canaliculatus, tuberculis quinque fusco-squamosis, notatus, quorum primum in medio apicis bifidum, secundum et tertium mox ante medium utrinque, quartum et quintum ante angulos basales, omnia simul angulum formantia; punctatus, brunneus, lateribus late et in plaga media dorsali albido-squamosus, cæterum squamulis pallide flavis vestitus. Elytra quoad formam, puncturam et squamositatem fere ut ad *Cœliodem celastri* descripta, sed apice distinctius muricata, lineæ albidæ, distinctæ, fascia humeralis deficiens, reliquæ latiores, interstitia dorsalia inter se æque lata, penultimum latius. Corpus subtus et pedes etiam ut in illo. — RED.

19. C. MANNERHEIMII. *Schh.*

Ovatus, convexus, fusco-piceus, albido-squamulosus, antennis tarsisque ferrugineis: rostro mediocri, sub-striato; thorace antice profunde constricto, margine elevato ferrugineo, scutello oblongo, angusto: elytris sub-remote punctato-striatis, callo humerali, fascia abbreviata ante medium maculaque intra apicem denudatis.

Patria: Sueciæ provincia Blekingia. A Dom. Com. MANNERHEIM detectus et amicissime donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Ceutorhynchi napi*. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, fusco piceum, dense cinereo-albido-squamulosum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, nigrum, apice rufo-piceum, supra punctulatum et sub-striatum, basi squamulosum, extrorsum nudum. Antennæ subtenues, ferragineæ, clava brevi, nigra, apice albo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice duplo angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem late et profunde constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim punctulatus, fusco-piceus, margine antico elevato ferrugineo; subtus et lateribus dense, in dorso parcius albido-squamulosus. Scutellum oblongum, angustum, demersum, punctatum, nigro-piceum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris alte elevatis, obtuse angulatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; fusco-picea, albido-squamulosa, relictis in singulo, callo humerali, fascia utrinque abbreviata ante medium maculaque intra apicem denudatis. Corpus subtus confertim punctulatum, nigro-piceum, dense æqualiter albido-squamulosum. Pedes mediocres, dense albido-squamulosi; femoribus parum crassis, piceis, omnibus subtus dente obtuso armatis; tibiis subrectis, ejusdem coloris, externe versus apicem ciliatis; tarsis dilatatis, dilute ferrugineis, subtus albo-spongiosis. — GHL.

* 20. C. SUBRUFUS. *Herbst.*

Breviter ovatus, supra rufo-testaceus, subtus nigro-fuscus, dense albo-squamosus; rostro longo, subtenui, arcuato, lateribus striato; thorace brevi, bi-tuberculato; elytris amplis, sub-remote punctato-striatis, strigis sub-tribus arcuatis albido-squamosis notatis; femoribus subtus obsolete dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 454. 80.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 137. 93. T. 29. f. 443.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 418. 403. T. 92. f. 14.

Ceutorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

Curculio cinctus. ROSSI, *Fn. Etr. Mant.* I. p. 38. 96. — Ed. HELW. p. 377. 96.

FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 124. 27.

VILLERS, *Ent.* I. p. 191. 70. et IV. p. 271. 70.

Curculio tricinctus. WALCKEN. *Fn. Par.* I. p. 246. 30.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 497. 116.

Curculio erythroleucos. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1805. 538.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 289. 27.

* VAR. β. Corpore toto pallidius rufo-testaceo.

Rhynchænus subrufus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 149. 71.

Patria: Europæ plurimæ regiones.

Cœliodi quercus similis, sed paulo major, *Cœliodi rubro* æqualis; thorace tuberculato ab illis distinctus. Caput parvum, sub-globosum, retractum, confertim punctatum, fusco-rufescens, squamulis albidis, interdum aurichalceo-micantibus vestitum, vertice carinula brevi instructo; oculi laterales, rotundati, nigri, modice convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, lineare, subtenue, valde arcuatum, lateribus punctato-striatum, nitidum, aut saturate rufum, aut infuscatum. Antennæ tenues, testaceæ, clava fusca. Thorax brevis, transversus, anterius angustior, apice late emarginatus, intra apicem transversim impressus, cum fovea profundiore in medio impressionis, margine antico elevato, sed non reflexo; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, supra in disco transversim convexus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, confertim

punctatus, aut saturate rufus, aut infuscatus, squamulis albidis, interdum aurichalceo-micantibus, vestitus. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, pone basin subito ampliata, callo humerali obtuse angulato; apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, distincte, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; dilutius rufo-testacea, sutura interdum infuscata; strigis sub-tribus macularibus albido-squamosis notata, quarum prima paulo ante medium, arcuata, juxta suturam ad basin usque producta; secunda paulo pone medium, sub-transversa, nonnihil undata; tertia intra apicem, obsoleta, callum posticum muricatum ambiens. Pygidium basi triangulare, apice rotundatum, punctatum, rufescens. Corpus subtus punctulatum, nigricans, squamositate densa albida vestitum. Pedes mediocres, aut saturatius, aut dilutius rufo-testacei, albido-squamulosi; femoribus subtus dente parvo, sæpe obsoleto armatis.

Var. β colore totius corporis dilutius rufo-testaceo tantum differt. — GHL.

* 21. C. DIDYMUS. *Fabricius.*

Breviter ovatus, niger, opacus, subtus dense albo-squamosus, supra variegatus, tibiis tarsisque obscure rufis; thorace bi-tuberculato, canaliculato, antice minus alte reflexo; elytris brevibus, convexis, punctato-sulcatis, macula laterali composita, suturali apiceque albo-squamosis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. 482. 209.
OLIV. *Ent.* V. 83. 212. 202. T. 23. f. 326.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 225. 131.
ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 311. 19.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 437. 177. — *Mant.* I. p. 108. 125. — *Spec. Ins.* I. p. 178. 98.
HERBST, *Col.* VI. p. 397. 375. T. 91. f. 6.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 513. 190.
PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 213. 30. — *Mon. Curc.* p. 29. 28.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 144. 61.
VILLERS, *Ent.* LINN. I. p. 200. 103. et IV. p. 273. 103.
WALCKEN. *Fn. Par.* I. p. 242. 14.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 314. 86.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1768. 258.

Ceutorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 220. 10.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 24. 9.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

Curculio urticarius. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 98. 11. T. 11. f. 1. 2.

Id. urticæ. SCHRANK, *Enum.* p. 114. 216.

SCOP. *Ent. Carn.* p. 28. 83.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 88. 983.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1771. 289.

Curculio viduus. PANZ. *Fn. Germ.* XLII. 16. — *Krit. Rev. d. Ins. Fn.* I. p. 128.

Id. albopunctatus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1778. 331.

Id. bipunctatus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1773. 581.

Id. tripunctatus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 130. 50.

Id. oleraceus ♂. SCOP. *Ent. Carn.* p. 29. 88.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1757. 197.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 299. 47.

LESKE, *Mus.* p. 20. 439.

VAR. β. Maculis lateralibus elytrorum distinctioribus, niveo-squamosis. — GHL.

Ceutorhynchus gibbipennis. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 228. 353.

Observ.—Var. β. *Ceutorhyncho intersecto* Germ. valde similis, sed major, thoracis margo anticus minus reflexus, elytra convexiora et canalis inferus pectoris transiens, argute marginatus. — GHL.

VAR. γ. Maculis lateralibus albidis elytrorum deficientibus, suturalibus obsoletis. — GHL.

Falciger immaculatus. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Curculio urticæ. MARSH. *Ent. Brit.* p. 281. 128.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 24. 10.

Observ. — Vix a *Ceutorhyncho didymo* specie distinctus.

Patria : Tota Europa.

* 22. C. LAMII. *Herbst.*

Breviter ovatus, niger, subtus dense cinereo-albido-squamosus, supra variegatus: antennarum basi, tibiis tarsisque obscure testaceis; thorace distincte bi-tuberculato, margine antico elevato; elytrorum sutura basi apiceque dense, lineisque variis disci parcius albo-squamosis.

Curculio id. HERBST. *Col.* VI. p. 408. 389. T. 92. f. 2. Teste Dom. SCHUPPEL.

Falciger leucampyx. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Ceutorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Rhynchaenus lamii. FABR. *Syst. El.* II. p. 483. 310.?

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 437. 178.?

PANZ. *Fn. Germ.* XVII. 13. — *Ent. Germ.* p. 314. 87.?

Patria: Germania, Austria. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. SCHUPPEL. Tauria Dom. STEVEN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Coeliodi punctulo* Germ. simillimus et valde affinis, etiam quoad structuram canaliculæ in parte inferiore thoracis: sed tubercula lateralia thoracis evidentiora et margo ejus anticus altius elevatus, unde specie distinctus videtur. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum, fronte fere plana: oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, valde arcuatum, punctulatum, nigrum. Antennæ mediocres, basi obscure testaceæ, extrorsum nigræ, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice emarginatus, intra apicem late et profunde transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, tuberculo valido, conico, utrinque armatus, in medio vix canaliculatus, niger, vitta media dorsali lateribusque albido-squamosis. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito ampliata, humeris obtuse angulatis; apice etiam singulatim obtuse rotundata, anum fere tegentia, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, rugulosis: saturate nigra, sutura basi apiceque dense albo-squamosa, in disco reliquo lineolis numerosis

brevibus fasciaque intra apicem parcius albo-squamosis notata. Corpus subtus convexum, confertim punctatum, nigrum, sat dense albo-squamosum. Pedes mediocres, albo-squamulosi; femoribus sub-clavatis, nigris, subtus dente parvo armatis; tibiis tarsisque obscure testaceis.

Observ. — *Rhynchæno lamii* Fabr. dubie huc relatus, nam in Ent. Syst. l. c. thoracem quadri-tuberculatum dicit. — Ghl.

* 23. C. Punctulum. *Germar.*

Breviter ovatus, niger, subtus dense cinereo-albido-squamosus, supra variegatus; antennarum basi, tibiis tarsisque testaceis; thorace obsolete bi-tuberculato, leviter canaliculato, margine antico minus alte elevato; elytrorum sutura basi apiceque maculaque laterali ante medium dense, lineolisque disci parcius albo-squamosis. — Ghl.

Ceutorhynchus id. Germar, *Ins. Spec.* I. p. 229. 354.

Curculio id. Herbst, *Col.* VI. p. 407. 387. T. 91. f. 17. forte.

Observ. — A *Cœliode lamii* vix nisi tuberculis thoracis minoribus, obsoletioribus, margineque ejus antico minus alte elevato differt.

Patria: Germania, Tauria.

* 24. C. Geranii. *Paykull.*

Niger, subtus albido-squamosus; thorace pulvinato, obsolete bi-tuberculato, antice transversim impresso; elytris striatis; interstitiis seriatim tuberculatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 140. 62.
Zetterst. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 324. 44.
Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 57. 54.
Curculio id. Payk. *Fn. Suec.* III. p. 256. 76.
Ceutorhynchus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 24. 8.
Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.
Curculio affinis. Payk. *Mon. Curc.* p. 68. 66.

Patria: Suecia, Germania, Anglia, Tauria, Volhynia.

* 25. C. EXIGUUS. *Olivier.*

Ater, sub-nitidus, subtus albido-squamulosus; thorace pulvinato, obsolete bi-tuberculato; subtilissime punctulato, antice reflexo: elytris sulcatis, interstitiis seriatim tuberculatis: tuberculis longius setosis.

Rhynchænus id. OLIVIER. *Ent.* V. 83. p. 138. 95. T. 33. f. 504.
Falciger lima. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Habitat in Gallia. Dom CHEVROLAT; in Austria. Dom. MEGERLE. Mus. SCHH. et GHL.

Cœliodi geranii simillimus et valde affinis, distinctus tamen videtur colore magis atro, nitido, thorace subtilius punctulato, tuberculis elytrorum majoribus, setis longioribus instructis, femoribus evidentius dentatis, etc. Caput rotundatum, modice convexum, confertim punctulatum, atrum, sub-nitidum, in vertice carinula brevi instructum; oculi laterales, sub-ovati, brunnei, modice prominuli, margine superiori elevato; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, confertissime punctatum, nigrum. Antennæ mediocres, totæ nigræ. Thorax amplus, latitudine vix brevior, anterius paulo angustior, apice late emarginatus, margine alte elevato, reflexo et intra marginem profunde transversim impressus, lateribus modice ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra in disco valde convexus, pulvinatus, undique confertim subtilissime punctulatus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, ater, sub-nitidus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, sub-angulatis; posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sulcis vix punctatis, interstitiis planis, singulo serie simplici tuberculorum instructo, tuberculis posterius sensim majoribus et longius setosis; atra, sub-nitida. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum. Pedes validiusculi, atri, punctulati, parce cinereo-pubescentes; femoribus modice crassis, subtus dente mediocri armatis: tibiis ciliatis, externe ante apicem dente obtuso armatis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

* 26. C. ASPERATUS. *Schh.*

Ater, sub-nitidus, supra parce setulosus, subtus albido-squamulosus: thorace pulvinato, subtilissime punctulato, distincte bi-tuberculato, antice alte reflexo; elytris simpliciter sulcatis, interstitiis seriatim tuberculatis.

Patria: Tauria. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus; e Persia etiam a Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Cœliodi geranii et *exiguo* simillimus, ab utroque tamen distinctus, tuberculis lateralibus thoracis multo majoribus et margine ejus antico altius elevato; a *Cœliode geranii* præterea thorace adhuc subtilius punctulato differt. Caput rotundatum, parum convexum, confertissime punctatum, atrum; oculi laterales, ovati, demissi, nigro-brunnei, margine superiore prominulo; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, lineare, arcuatum, supra confertim punctulatum, distincte carinatum, atrum, nitidum. Antennæ subtenues, nigræ, clava apice albo-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, anterius angustior, apice late et profunde emarginatus, margine alte elevato, rotundato; intra apicem late et profunde transversim impressus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim valde convexus, pulvinatus, undique confertim subtilissime punctulatus, in utroque latere tuberculo distincto, conico, instructus, totus ater, nitidus, subtiliter setulosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi arcte applicata, illoque multo latiora, humeris alte elevatis, sub-rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, distincte sulcata, sulcis subtilissime alutaceis, interstitiis seriatim tuberculatis, tuberculis posterius gradatim majoribus, sub-conicis, vix setosis; tota atra, sub-nitida, parce setulosa. Corpus subtus confertim punctulatum, atrum, sat dense albido-squamulosum. Pedes validiusculi, punctati, scabri, atri, albido-squamulosi; femoribus parum crassis, subtus dente obsoleto armatis. — GHL.

* 27. C. ECHINATUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, supra inæqualiter, subtus dense albo-squamosus: antennarum basi, rostro, tibiis tarsisque obscure ferrugineis: thorace inæquali, canaliculato, setis brevibus, validis, atris, plagiatim obsito: elytris profunde striatis, interstitiis angustis, elevatis, nodulosis, inæqualiter sub-fasciatim albo squamulosis atro-setosis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Cœliode lamii* vix major et facie subsimilis. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, nigrum, albo-squamosum: oculi rotundati, glauci, parum convexi; rostrum thorace longius, tenue, arcuatum, basi ferrugineum, punctulatum et albo-squamosum, versus apicem nudum, nitidum, dilutius rufum. Antennæ tenues, nigræ, scapo ferrugineo, clava majuscula, breviter ovata. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice emarginatus, margine apicis parum elevato; lateribus obliquis, vix ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra inæqualis, in medio sat profunde canaliculatus, punctatus, niger, albo-squamosus, plagis quatuor dorsalibus, anticis majoribus, aliaque parva laterali utrinque, e setis brevibus, validis, erectis, atris, compositis, notatus. Scutellum minutum, vix observandum. Elytra satis ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulatis; apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, fere plana, profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis angustis, elevatis, sub nodosis; nigra, inæqualiter sub-fasciatim albo-squamulosa, setisque brevibus, erectis, atris, adspersa. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa alba vestitum. Pedes breviusculi, validi; femoribus modice crassis, nigris, muticis: tibiis tarsisque obscure ferrugineis.

Observ.—A reliquis hujus generis speciebus differt rima pectorali antice quidem profunda, sed posterius fere evanescente, adeoque non argute determinata, ut et thorace longiore, non transverso.

GHL.

Ad hoc genus verisimile referendi (species mihi invisæ):

28. C. HÆMORRHOIDALIS. *Sthephens.*

Piceo-fuscus, elytris sub-crenato-striatis, fuscis, apice rufo, pedibus rufis, rostro nigro. — STEPH.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. 23. 7.

Observ. — *Rhynchænus hæmorrhoidalis.* Panzer, dubie a Cel. Stephens huc relatus; an potius *Ceutorhynchus* apicalis?

Patria : Anglia.

29. C. RUFICORNIS. *Stephens.*

Sub-depressus, nigro-piceus, subtus albido-squamosus; elytrorum interstitiis alternis cinereo-fuscis, macula suturali nigra, antennis rufis. STEPH.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 25. 13.

Patria : Anglia.

30. C. GRANULICOLLIS. *Schh.*

Sub-depressus, obscure rufus, elytris immaculatis, striatis, interstitiis pilosis; thorace granulato. — STEPH.

Ceutorhynchus subrufus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 26. 14.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 282. 133.

Patria : Anglia.

31. C. AFFINIS. *Stephens.*

Sub-convexus, niger, undique squamulis cinereis vestitus, subtus densioribus; elytris tenue striatis. — STEPH.

Ceutorhynchus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 26. 16.

Patria : Anglia.

GENUS 328. — MONONYCHUS. *Schuppel.*

Mononychus GERM., SCHH., LATR., STEPHENS (1). DEJEAN, SAY.
Falciger STURM. — *Rhynchænus* FAB., OLIVIER.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, graciles; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus, longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevioribus, sub-turbinatis; clava oblongo-ovali, acuminata.

Caput antice impressum, postice convexum, carinatum.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, modice arcuatum.

Oculi modice distantes, rotundati, paulo convexi.

Thorax transversus, lateribus modice rotundatus, anterius multo angustior, ad latera antica coarctatus, basi versus scutellum productus, supra parum convexus, antice impressus, apice truncatus; canalis inferus profundus, in pectus continuatus.

Scutellum vix conspicuum, profunde impressum.

Elytra sub-quadrata, pone scutellum impressa, angulis humeralibus rotundatis, postice singulatim rotundata, abdomine breviora.

Tibiæ ante apicem extus calcaratæ; unguiculus tarsorum unicus et simplex.

Observ. — Corpus breve, sub-quadratum, sub-depressum, dense squamosum, alatum. Statura et facies ita, ut in *Ceutorhyncho* genere sint comparatæ; differt vero magnitudine paulo majore, antennis semper ante medium rostri insertis, thorace versus scutellum in medio acuminato, tibiis ante apicem extus calcaratis et unguiculo tarsorum tantum uno.

* 1. M. IREOS. *Pallas.*

Ovatus, sub-depressus, niger, supra umbrino-subtus niveo-squamosus; antennis ferrugineis, thorace macula ante-scutellari, elytrorum fascia media transversa, dentata, punctisque apicalibus niveis, pedibus umbrino et niveo variegatis. — BHN.

Curculio id. PALLAS. *Iter.* II. *App.* p. 463. 57.
LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1771. 286.
Rhynchænus bufo. FABR. *Syst. El.* II. 444. 30.

---

(1) Germ. Ins. Spec. I. p. 241. — Schh. Curcul. Disp. Meth. p. 299. 174. — Latr. Regne Anim. p. 395. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 43.

OLIV. *Ent.* V. p. 83. 122. 71. T. 10. f. 118.

Curculio bufo. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 404. 41. — *Mant.* I. p. 99. 27. — *Spec. Ins.* I. p. 165. 21.

HERBST. *Col.* VI. p. 194. 155.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 479. 37.

VILLERS. *Ent.* I. p. 186. 40. et IV. p. 267. 40.

LINN. *Syst. nat.* I. IV. 1748. 129.

Mononychus ireos. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.

* VAR. β. Supra atro-squamosus, thorace puncto utrinque dorsali macula ante-scutellari elytrorum fascia media, puncto basali maculisque apicalibus niveis; cætera ut in α.

* VAR. γ. Ut var. β, sed fascia elytrorum interrupta, quasi e maculis plurimis constituta.

Patria : Sibiria occidentalis.

* 2. M. VULPECULUS. *Fabricius.*

Breviter ovatus, sub-depressus, supra niger, elytrorum sutura, corpore subtus pedibusque dilute cervino-squamosis; thorace confertim rugoso-punctato, lateribus lineaque postica ochraceis; elytris striatis, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, coriaceis, macula parva humerali ochracea decoratis. — BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 450. 61.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 129. 81. T. 29. f. 437.

Mononychus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 20.

Patria : Carolina.

♂♀ 3. M. PSEUDACORI. *Fabricius.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, macula suturali baseos corporeque subtus albido-squamosis; antennis ferrugineis, thorace confertim ruguloso-punctato, longitudinaliter canaliculato; elytris striatis, striis obsolete punctulatis; interstitiis planis, confertim coriaceis. BHN.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 450. 62.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 130. 82. T. 33. f. 496.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 408. 61.

PANZ. *Fn. Germ.* XVII. 5. — *Ent. Germ.* p. 303. 22.

ROSSI, *Fn. Etr.* I. p. 116. 297. — Ed. HELLW. I. p. 123. 297.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 135. 25.

HERBST, *Col.* VI. p. 448. 449.

Mononychus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 44. 1.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.

Curculio punctum-album. HERBST, *Col.* VI. p. 392. 371. T. 91. f. 2.

Arch. IV. p. 74. 31. T. 24. f. 17.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 498. 126.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1755. 175.

Patria : Gallia, Germania, Italia, Anglia, Volhynia, Tauria.

4. M. SALVIÆ. *Hoffmansegg.*

Breviter ovatus, minus depressus, niger, squamulis piliformibus pallide ochraceis vel cervinis dense tectus; antennis rufo-testaceis, thorace subtiliter ruguloso-punctato, medio tenue canaliculato; elytris striatis, striis evidenter punctulatis; interstitiis planis, confertissime coriaceis; pone scutellum macula parva, sub-oblonga, albo-squamosa, decoratis. — BHN.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 241. 371.

AHRENS. *Fn. Ins. Eur.* VIII. T. 11.

MÉNÉTRIÉS, *Catal. raisonné*, p. 223. 1003.

Patria : Gallia, Lusitania, Caucasus, Bukharia, Turkomania.

5. M. VITTATUS (1). *Faldermann.*

Breviter ovatus, pubescens, supra depressus; rostro lineari, apice nigro; thorace apice foveola impresso, flavo-fusco; elytris ferrugineis, flavo vittatis. — FELD.

FALDERM. *Coleopt. Illustr.* p. 94. 74.

Patria : China borealis.

GENUS 329. — MARMAROPUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, turbinatis; clava ovalis, acuminata.

---

(1) Mihi invisus.

Rostrum breviusculum, validum, teres, parum arcuatum.

Oculi laterales, demissi, rotundati, parum prominuli, nitidi.

Thorax oblongo-subquadratus, basi apiceque sub-truncatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, antice subito angustior, intra apicem coarctatus, pone oculos lobatus.

Scutellum vix conspicuum, profunde demersum.

Elytra oblonga, sub-linearia, supra paulo convexa, versus scutellum impressa, apice singulatim rotundata, humeris obtusis, sub-rotundatis.

Pedes mediocres; tibiæ teretes, apice muticæ.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, nonnihil convexum, squamosum, opacum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, infra medium rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos sub-attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 sensim paulo brevioribus, turbinatis; clava ovalis, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite parum longius, validum, teres, perparum arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, demissi, rotundati, paulo prominuli sed parum convexi, nitidi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, basi leviter bi-sinuatus, fere truncatus, anterius cito angustior, intra apicem coarctatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, supra modice convexus, in medio baseos impressus, apice supra sub-truncatus, pone oculos distincte lobatus, infra pone gulam late emarginatus; rima pectoralis distincta, in pectore sensim explanata. — *Scutellum* vix observandum, profunde impressum. — *Elytra* thoracis parte postica vix latiora et latitudine duplo longiora, basi sub-truncata, humeris obtusis, sub-rotundatis; lateribus parum rotundato-ampliata, versus apicem cito angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora, supra paulo convexa, regione scutellari valde impressa, versus apicem haud callosa. — *Pedes* mediocres, longitudine subæquales; femoribus omnibus basi distantibus, modice clavatis, subtus denticulo acuto armatis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis mediocribus, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, unguiculari, valido, clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Marmaropus Besseri*; e Polonia.

A μαρμαρωπὸς, fulgentes oculos habens.

Observ. — Quoad habitum *Camptorhyncho* generi appropinquat,

dignoscitur vero corpore magis elongato, rostro paulo longiore pedibusque anticis distantibus.

* 1. M. BESSERI. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, supra umbrino-, subtus dense albido-squamosus; thorace amplo, confertim granulato, antice constricto, basi impresso; elytris anguste punctato-striatis, interstitiis planis, confertim alutaceis, regione scutellari impressa: femoribus dentatis.

Patria: Carodunum Poloniæ. A Dom. BESSER amice communicatus. Mus. SCHH.

Mecino semicylindro statura subsimilis, sed paulo brevior et latior. Caput majusculum, convexum, confertim punctatum, in vertice carinatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte inter oculos plana; oculi rotundati, brunnei, nitidi, supra fere plani; rostrum capite paulo longius et angustius, validum, vix arcuatum, supra convexum, confertim punctatum, nigrum. Antennæ subtenues, nigræ. Thorax amplus, sub-quadratus, antice subito paulo angustior, apice late emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicali modice elevato; lateribus pone stricturam ampliatis, dein fere rectis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus; supra perparum convexus, confertim granulatus, in medio baseos impressus, niger, opacus, umbrino-squamulosus. Scutellum parvum, demersum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique nonnihil ampliata, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis: apice singulatim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, in regione scutelli impressa, anguste punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, opaca, squamositate umbrina, certo situ cinereo-micante, vestita. Pygidium punctatum, nigrum, cinereo-squamosum, apice rotundatum. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce cinereo-squamulosi: femoribus clavatis, subtus dente medioeri armatis. — GHL.

GENUS 330. — RHYEPHENES. *Nobis.*

Cryptorhynchus ERICHSON.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculi

-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis sub-rotundatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, fere rectum.

Oculi laterales, ovati, inferne acuminati, depressi.

Thorax longiusculus, amplus, basi sub-truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, anterius cito angustior, coarctatus, apice paulo productus.

Elytra oblonga, sub-ovata, antice sub-sinuata, humeris antrorsum sub-prominulis, acutangulatis; lateribus non ampliata, posterius angustiora, supra valde convexa.

Pedes validi; femora parum clavata, antica præsertim in masculis longiora.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, convexum, durum, sculpturatum, haud squamosum, apterum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum vix attingente, recto, sensim incrassato; 2° et 3° longiusculis, obconicis, illo perparum longiore; 4-8 brevibus, sub-rotundatis, sub æqualibus; clava oblongo-ovata, 4-articulata. — *Rostrum* thorace brevius, validum, inflexum, in masculis latiusculum, paulo complanatum, fere rectum, in feminis magis teres, perparum curvatum; scrobe lineari, a medio ad angulum inferum oculi exeunte. — *Oculi* laterales, ovati, inferne acuminati, depressi. — *Thorax* latitudine baseos paulo longior, basi sub-truncatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, antice duplo angustior, coarctatus, apice in medio paulo productus, pone oculos haud lobatus, supra convexus, pulvinatus; rima pectoralis paulo ante pedes intermedios in pectore desinens, apice alte elevato-marginata. — *Scutellum* parvum, transversum. — *Elytra* thoracis basi non latiora, et illo vix dimidio longiora, basi sub-sinuata, angulo humerali antrorsum prominulo, subacutangulo; lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia, supra convexa. — *Pedes* longiusculi, validi; femoribus parum crassis, muticis, anticis præsertim in masculis longioribus; tibiis arcuatis, comprimatis, apice unco valido intus flexo armatis; tarsis elongatis, muticis, in masculis flabellatis: articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Rhyephenes incas.*

A ῥυηφενής, adfluens opibus.

Patria: Chili.

1. R. INCAS. *Schh.*

Ellipticus, convexus, ater, thorace amplo, pulvinato, confertim scrobiculato, antice tri-sinuato; elytris sub-sulcatis, sulcis interstitiisque seriatim tuberculatis, macula humerali didyma pallido-squamosa notatis: pedibus elongatis.

Mas: rostro latiore, supra tuberculato et ruguloso: tarsis anticis flabellatim pilosis.

Femina: rostro angustiore, disperse punctato; tarsis omnibus breviter tomentosis.

Cryptorhynchus arachnodes. ERICHS. *Beitr.* p. 388 (264), 52. T. 39. f. 3.

Omospilota. Nov. gen. — Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria: Chili. A Dom. SCHUPPEL et HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH. — Ex Ins. Luzon, teste D. ERICHSON.

Magnitudo fere *Molytis Germani*, statura et facies *Tylodis armadillonis.* Caput rotundatum, rugoso-punctatum, atrum, fronte subimpressa; oculi laterales, ovati, nigri, parum prominuli; rostrum maris thorace brevius, fere rectum, latum, supra punctatum, versus basin et latera tuberculato-rugosum; totum atrum. Antennæ breviusculæ, subtenues, nigræ, fusco-pilosæ et pubescentes. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi, apice tri-sinuatus; lobo medio nempe producto, leviter emarginato, longe intra apicem transversim impressus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, pulvinatus, confertissime scrobiculatus; totus ater, parum nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice sub-sinuata, elevato-marginata, thoracis basi parum latiora, angulo humerali antrorsum prominulo, fere acutangulato: lateribus non ampliata, posterius attenuata, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra convexa, obsolete sulcata, sulcis in fundo tuberculis minoribus, rotundatis, seriatim positis instructis, interstitiis elevatis, tuberculis majoribus, retrorsum inclinatis, confertim obsitis; atra, parum nitida; intra angulum humeralem plaga dense pallido-squamosa, plerumque in duas divisa, notata. Corpus subtus inæqualiter punctatum, nigrum, parum nitidum. Pedes elongati, validi, confertim punctati, nigri: femoribus parum crassis, muticis; pedes antici reliquis longiores

et crassiores; tibiis valde arcuatis, supra carinatis et striatis; tarsorum articulis duobus primis elongatis, setis longis nigris flabellatis; tertio brevi, bi-lobo, subtus pallido-spongioso.

Femina differt rostro paulo longiore et angustiore, supra disperse punctato, et tarsis omnibus breviter tantum nigro-tomentosis; cæterum simillima. — GHL.

♂♀ 2. R. CACICUS. *Schh.*

Ellipticus, convexus, ater, thorace amplo, pulvinato, confertim scrobiculato, apice bi-sinuato, flavo fimbriato; elytris sub-obsoletissime sulcatis, sulcis interstitiisque seriatim tuberculatis, macula humerali didyma, pallido-squamosa notatis; pedibus mediocribus.

Mas: rostro latiore, confertim ruguloso et granulato.

Femina: rostro angustiore, medio lævi, lateribus et apice subdisperse punctato.

Patria: Chili. A Dom. HOPE et Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Rhyepheni incas simillimus et valde affinis, sed plus duplo minor, thorax antice bis tantum emarginatus et flavo fimbriatus, elytra subtilius tuberculata, pedesque breviores, tarsis maris non flabellatis, quare specie distinctus videtur. Caput rotundatum, subdisperse punctatum, atrum, fronte plana; oculi laterales, ovati, atri, parum convexi; rostrum maris thorace brevius, validum, latum, vix arcuatum, supra confertim rugulosum et granulatum; totum atrum, parum nitidum. Antennæ breviusculæ, atræ et atrosetosæ. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice duplo angustior quam basi, apice bis emarginatus, pallido fimbriatus, lobo medio lato, obtuse rotundato; intra apicem vix vel obsoletissime impressus, lateribus posterius rotundato-ampliatus, basi subtruncatus, supra convexus, pulvinatus, confertissime scrobiculatus; totus ater, parum nitidus. Scutellum rotundatum, concolor. Elytra antice sub-sinuata, elevato-marginata, thoracis basi parum latiora, humeris fere rectangulatis, tuberculo parvo antrorsum prominulo auctis; lateribus non ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra convexa, obsoletissime sulcata, in sulcis tuberculis parvis et punctis impressis alternantibus instructa, interstitiis sub-elevatis, tuberculis oblon-

gis, retrorsum declinatis, confertim obsitis; atra, parum nitida: intra angulum humeralem plaga dense pallido-squamosa, in duas divisa, conspicitur. Corpus subtus sub-disperse varioloso-punctatum, atrum, squamis paucis pallidis adspersum. Pedes validi, atri, minus elongati quam in priori, alias similiter formati; tibiis interne densius atro ciliatis; tarsis modice dilatatis, parce atro-setosis.

Femina differt tantum rostro paulo angustiore, supra in medio lævi, versus latera et apicem disperse punctato. — GHL.

GENUS 331. — ARACHNOBAS (1). *Boisduval.*

Arachnopus GUÉRIN.

1. A. STRIGA. *Boisduval.*

Niger, antice posticeque attenuato fascia communi, transversa ad basin elytrorum, alba; pedibus utrinque ciliatis. — BOISDUV.

BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* I. p. 436. 1.

Arachnopus id. GUÉRIN, *Voy. de la Coquille. Ins.* Pl. 6. f. 5.

Patria: Nova Guinea.

2. A. GAZELLA. *Olivier.*

Niger, capite lævi, oculis palpebratis, thorace elytris æquali, punctato. albido tri-vittato; elytris rugosis, vittis duabus margineque exteriori albidis; pedibus valde elongatis, ciliatis. — BOISDUV.

BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* I. p. 436. 2. — T. 7. f. 22. *Archarias à pieds longs.*

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 175. 150. T. 22. f. 303.

Patria: Nova Guinea.

GENUS 332. — ULOSOMUS. *Nobis* (2).

Tylodes DEJEAN.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; funi-

(1) Genus mihi invisum.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 293. 171.

culo 6-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-ob-conicis, reliquis brevibus, sub-lenticularibus, parum distantibus, crassitudine paulo crescentibus; clava ovata.

Rostrum modice elongatum, validum, sub-teres, paulo complanatum, versus apicem perparum ampliatum, nonnihil arcuatum.

Oculi laterales, demissi, rotundati, parum convexi.

Thorax latitudine postica vix brevior, basi truncatus, lateribus pone medium rectis, antrorsum subito angustior et coarctatus, apice paulo rotundato-productus.

Scutellum minutum, rotundatum.

Elytra ovata, humeris sub-rotundatis, posterius attenuata, supra valde convexa.

Pedes mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femora in medio parum incrassata; tibiæ validæ, sub-teretes.

TYPUS. — *Ulosomus erinaceus.*

Patria: America meridionalis in insulis.

Observ. — Corpus sub-ovatum, valde convexum, dense squamosum, asperum, alatum; aut mediocris aut minimæ magnitudinis. — A *Cryptorhynchidibus* cæteris differt funiculo tantum 6-articulato, oculis rotundatis aliisque notis minoris momenti, quare ut proprium genus hoc constitui. Quandam cum *Tylode* genere hoc genus respectu habitus affinitatem habere videtur: cum vero scutellum adsit, et funiculus antennarum minore articulorum numero gaudeat, hoc videtur essentialem differentiam posse efficere.

* 1. U. IMMUNDUS. *Dejean.*

Ovalis, niger, dense helvolo-squamosus, fronte canaliculata; thorace antice quadri-tuberculato, medio canaliculato, mox pone apicem transversim profunde impresso; elytris valde convexis, dorso minus regulariter punctato-striatis, tuberculatis.

Tylodes id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 320.
Ulosomus inæqualis. SCHH. *in Litteris*, olim.

Patria: Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil brevior sed vix angustior, in elytris magis convexus. Caput parvum, breve, crassum, nigrum, setulis squamulisque helvolis dense tectum; frons deflexa; longi-

tudinaliter canaliculata; oculi ovati, nigri, haud prominentes; rostrum capite dimidio longius, latum, planum, subrectum, apice parum dilatatum, nigrum, setulis cylindricis squamulisque helvolis vestitum. Antennæ minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra rotundato-productus, lobis ocularibus paulo prominulis; lateribus a basi ultra medium rectis, tum subito angustatis: postice leviter bi-sinuatus, antice alte elevatus, margine bi-tuberculatus; longitudinaliter profunde et late canaliculatus, medio tuberculis quatuor transversim locatis, munitus, dorsalibus majoribus; mox pone apicem profunde transversim impressus; niger, remote rugosus, squamulis helvolis tectus. Scutellum minutum, rotundatum, squamosum. Elytra ovalia, antice thorace vix latiora, sed plus duplo longiora, basi truncata, humeris sub-angulatis; a basi ultra medium nonnihil ampliata, tum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, præsertim in dorso, postice declivia, sat profunde punctata, versus latera punctato-striata, dorso tuberculis majoribus obsita; tota nigra, squamulis helvolis undique tecta. Corpus subtus nigrum, squamulis griseo-cervinis vestitum. Pedes mediocres, nigri, setulis squamulisque helvolis tecti; femoribus paulo clavatis, subtus dente obsoletissimo armatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. U. ERINACEUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis densis cinereo-albidis undique tectus, setis rigidis, erectis, pallidis, echinatus; rostro antennisque ferrugineis; thorace confertim punctato, antice profunde constricto, medio subimpresso; elytris remote punctato-striatis, interstitiis convexis.

Habitat in insula St.-Barthelemy, Indiæ occidentalis. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Parvus, *Acalle ptinoide* nonnihil major. Caput parvum, orbiculatum, punctatum, nigrum, squamulis albidis tectum, setisque nonnullis erectis in fronte adspersum; oculi parvi, laterales, rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum capite duplo longius, validiusculum, parum arcuatum, versus apicem nonnihil ampliatum et deplanatum, supra punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum, basi squamosum. Antennæ thoracis medium vix attingunt, tenues, ferrugineæ, clava ovata. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, apice modice rotundato-productus et longe

intra apicem late et profunde constrictus, lobo anteriore supra caput elevato; lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-bisinuatus, supra convexus, confertim punctatus, in medio late sed parum profunde canaliculatus, niger, squamulis densis cinereo-albidis tectus et præterea setis validis, erectis, rigidis, pallidis in margine antico, lateribus et vitta duplici dorsali composita, echinatus. Scutellum parvum, rotundatum, elevatum, albo-squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora, et illi arcte applicata, humeris rotundatis; lateribus ampliata, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, obsolete striata, et in striis remote punctata, nigra, squamulis densis albidis tecta, setisque similibus ut in thorace sub-seriatim echinata. Corpus subtus nigrum, punctatum, cinereo-squamosum, ventre magis nudo, sub-nitido. Pedes mediocres, nigro-picei, cinereo-squamulosi et muricati: femoribus parvum clavatis, muticis. — BHN.

* 3. U. SETOSUS. *Hope.*

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, setulis longis, erectis, fuscis, squamulisque raris, griseis, adspersus; antennis rostro pedibusque rufo-ferrugineis; thorace obsolete punctato, antice constricto; elytris profunde punctato-striatis; interstitiis convexis, lævibus; femoribus dente parvo, obtuso, armatis.

Patria: St.-Vincent. A Dom. HOPE amice communicatus. Mus. SCHH.

Pusillus, *Acalle ptinoide* duplo minor, præsertim angustior. Caput parvum, orbiculatum, subtiliter punctulatum, piceum, squamulis griseis tectum, setisque nonnullis, erectis, fuscis, adspersum; oculi parvi, laterales, rotundati, obscure brunnei, parum prominuli; rostrum capite dimidio longius, minus crassum, teres, paulo arcuatum, versus apicem nonnihil ampliatum et deplanatum, subtilissime punctulatum, fusco-ferrugineum, nitidum, basi squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenues, ferrugineæ, clava ovata, obscuriore. Thorax latitudine postica nonnihil longior, apice supra modice rotundato-productus, lobis ocularibus vix prominulis; anterius nonnihil angustior, intra apicem late et profunde constrictus, lobo anteriore supra caput elevato, ferrugineo; lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus,

supra convexus, obsolete crebre punctulatus, fusco-piceus, squamulis setulisque longis, erectis, fuscis, adspersus. Scutellum parvum, triangulare piceum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus ampliata, a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, lævibus; nigro-picea, nitida, margine apicali ferrugineo, squamulis raris griseis, pone medium in macula parva condensatis adspersa, setulisque longis, erectis, fuscis, parce obsita. Corpus subtus sat profunde sub-remote punctulatum; abdomine cinereo-squamoso. Pedes mediocres, dilutius fusco-ferruginei, pube longa adspersi; femoribus paulo clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis. — BHN.

GENUS 333. — TYLODES (1). *Nobis.*

Tylodes SAHLB., LATR., DEJEAN. *Cryptorhynchus* GERMAR.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis 3 vel 4 basalibus longiusculis, sub-clavatis, reliquis brevibus, nonnihil oblongis, basi apiceque rotundatis: clava ovalis, acuminata.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, versus apicem sensim perparum deplanatum, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, parum convexi.

Thorax basi truncatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius angustior, apice in medio paulo rotundato-productus, pone oculos lobatus.

Scutellum nullum.

Elytra connata, oblongo-ovata, basi coarctata, supra convexa.

Pedes mediocres, antici paulo longiores, robusti; femora parum incrassata, sæpius mutica; tibiæ sub-teretes, crassiusculæ.

TYPUS. — *Tylodes Armadillo.*

Patria: Brasilia.

Observ. — Corpus oblongo-ovatum, convexum, sculpturatum, parce squamosum, obscurum, durum, apterum; mediæ magnitudinis. — Corpus robustius, habitualis forma diversa et scutelli defectus, præter alias minus essentiales differentias, genus hocce a *Cryptorhynchis* genuinis distinguere mihi videntur.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 294. 172.

1. T. ARMIGERUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, obscurus, squamulis fusco-griseis adspersus, thorace remote granulato; elytris sat profunde striato-punctatis, singulo seriebus tribus e tuberculis elevatis notato.

Habitat in Brasilia. Dom. WESTIN. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Tylode armadillone dimidio major; a congeneribus elytris valide tuberculatis facile distinctus. Caput parvum, breve, nigrum, obscurum, ruguloso-granulatum, squamulis fusco-griseis adspersum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, inflexum, apice nonnihil ampliatum, modice arcuatum, nigrum, obscurum, a basi fere ad medium carinula dorsali, recta, et utrinque duabus aliis, minus elevatis, notatum, apice profunde remote punctatum, squamulis fusco-griseis parce adspersum. Antennæ in medio rostri insertæ, longitudine capitis rostrique, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, apice utrinque emarginatus, anterius angustior, capite vix latior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, basi truncatus, marginatus, supra convexus, tuberculis minus crebris, parum elevatis, obsitus, niger, obscurus, squamulis fusco-griseis, sat dense adspersus, subtus sulco profundo pro recipiendo rostro, exaratus. Scutellum nullum. Elytra basi truncata, margine sub-reflexo, antice thorace vix latiora, sed duplo longiora, apicem versus angustata, sub-compressa, apice obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, sat rude sed remote striatim punctata, nigra, obscura, squamulis fusco-griseis parce adspersa, versus latera transversim rugosa; in singulo elytro seriebus tribus e tuberculis validis elevatis, prima non procul a sutura tuberculis quatuor, secunda duobus et tertia laterali tribus, constitutis. Corpus subtus nigrum, obscurum, rude punctatum, squamulis fusco-griseis, adspersum; abdomen excavato-incurvatum. Pedes elongati, validi, mutici, nigri, punctati, papillis griseo-flavescentibus adspersi. Tarsi subtus fulvo-spongiosi. — BHN.

* 2. T. ARMADILLO. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fulvescentibus dense adspersus, rostro medio carinato, confertim rugoso-punctato; thorace verrucoso-rugoso, anterius subito angustato; elytris profunde striato-punctatis, transversim rugosis et sulcatis; tibiis basi atro annulatis.

SAHLB. *Ins. Spec.* I. p. 49. 32. T. 1. f. 8.

Tylodes rugatus. ? DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295. *ed.* 3. p. 320.

Patria: Brasilia. A Dom. WINTHEM amice communicatus. Mus. SCHH.

Hylobio abietis magnitudine æqualis. Caput breve, rotundatum, supra convexum, rugoso-punctatum, nigrum, squamulis erectis fulvescentibus tectum; oculi ovati, inferne acuminati, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, subteres, paulo arcuatum, apicem versus deplanatum et nonnihil ampliatum, confertim rugoso-punctatum, medio tenue carinatum, nigrum, opacum, squamulis erectis fulvescentibus basi densius apicem versus parce obsitum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pubescentes, clava ovata, acuminata, obscuriore. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice supra modice rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus prominulis, sub-obtusis, anterius subito angustior, lateribus in medio rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, postice truncatus, supra convexus, crebre verrucoso-rugosus, niger, opacus, squamulis erectis fulvescentibus sat dense obsitus, interdum maculis ad apicem duabus minutis, lineolisque quatuor longitudinalibus a medio ad basin ductis, denudatis, atris, decoratus. Scutellum nullum. Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora, mox intra basin leviter coarctata et transversim impressa, a medio apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim acute rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice valde declivia, a basi ultra medium profunde dein obsoletius striato-punctata, lineis vel rugulis transversis a basi longe ultra medium elevatis, adeo ut elytra anterius tranversim sulcata appareant; nigra, opaca, squamulis fulvescentibus parce apice densius adspersa. Corpus subtus parum profunde punctatum, nigrum, squamulis late cervinis vestitum; pectus incrassatum, postice retusum, abdomen excavato-incurva-

tum. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis fulvescentibus tecti; femoribus parum clavatis, muticis, apice denudatis, atris; tibiis rectis, basi annulo atro-squamoso, decoratis. — BHN.

* 3. T. PÆDIDUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis luteo-silaceis dense adspersus; rostro basi striolato-rugoso, dein punctato; thorace sub-remote obtuse granulato; elytris punctato-striatis, interstitiis elevatis, convexis, evidenter seriatim granulatis, sutura depressa.

Patria: Brasilia. A Dom. CHEVROLAT et FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Tylodi armadilloni magnitudine et statura subsimilis. Affinis certe *Tylodi granulato*; thorace non carinato, granulato, elytrorum sutura plana, interstitiis magis elevatis, granulis majoribus obsitis, ab illo facile distinctus. Caput breve, supra convexum, crebre rugoso-punctatum, squamulis luteo-silaceis adspersum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, validum, teres, paulo arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, basi striolato-rugosum, parce squamosum, dein punctulatum, glabrum, sub-nitidum; totum nigro-piceum. Antennæ fere in medio, apicem rostri tamen nonnihil propius insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica paulo brevior, apice nonnihil rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus prominulis, sub-obtusis; anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, basi truncatus, supra convexus, granulis sub-remotis, obtusis, obsitus, niger, squamulis luteo-silaceis vel cinereis sat dense adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice truncata, thoracis basi non latiora, ibique transversim coarctata, mox pone basin ampliata, pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acute rotundata, supra convexa, postice valde declivia, sat profunde punctato-striata, interstitiis elevatis, convexis, a basi ultra medium granulis magnis, obtusis, seriatim obsitis, dein subtiliter granulatis; tota nigra, opaca, squamulis luteo-silaceis vel cinereis basi apiceque densioribus adspersa. Pedes elongati, validi, nigri, punctati, silaceo-squamosi; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis subrectis, basi obsolete fusco annulatis. — BHN.

* 4. T. GRANULATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger obscurus, pulvere griseo tectus; thorace remote rugoso-punctato, dorso carinula antice posticeque abbreviata instructo; elytris punctato-striatis, interstitiis remote seriatim granulatis.

Patria: Brasilia. A Dom. FREYREISS communicatus. Mus. SCHH.

Tylodi armadilloni statura non dissimilis, sed paulo minor. Caput minutum, breve, nigrum, obscurum, sub-læve, squamulis griseis crebre tectum; frons deflexa; oculi ovati, nigri, sub-depressi; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, parum arcuatum, medio nonnihil angustatum, nigrum, rugosum, pulvere griseo obtectum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice modice rotundato-productus, lobis ocularibus parum prominulis; anterius angustior, coarctatus, transversim leviter impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, postice truncatus, supra convexus, niger, obscurus, remote parum profunde rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter carinatus, carinula antice posticeque nonnihil abbreviata, squamulis griseis in dorso brunnescentibus dense tectus, subtus pro receptione rostri profunde exaratus. Scutellum nullum. Elytra basi truncata, antice thoracis basi vix latiora, sed illo duplo longiora, posterius angustata, apice rotundata, supra convexa, intra basin transversim leviter impressa, postice valde declivia, profunde punctato-striata, interstitiis elevatis, convexis, singulis serie regulari e tuberculis parvis, remotis, notatis; tota nigra, obscura, pulvere denso griseo tecta. Corpus subtus nigrum, squamulis griseo-flavescentibus vestitum. Pedes elongati, validi, nigri, remote punctati, squamulis griseo-flavescentibus adspersi; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis, apice intus valide uncinatis; tarsis rufo-piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

5. T. INFORMIS (1). GERMAR.

Niger, fulvo-squamosus, femorum ante apicem tibiarumque basi fascia atris; thorace verrucoso, elytris cancellato punctatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 267. 400.

Patria : Brasilia.

6. T. INSUBIDUS (1). *Germar.*

Niger, brunneo-squamosus, thorace granulato, coleopteris ovalibus, sulcatis, interstitiis muricatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 268. 402.

Patria : Brasilia.

GENUS 334. — ACALLES. *Nobis* (2).

Acalles STEPHENS. — *Tylodes* GUÉRIN, DEJEAN. — *Rhynchænus* FABR., GYLLENH. — *Cryptorhynchus* STURM.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus elongatis, ob-conicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis, parum distantibus; clava sub-ovata.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, versus apicem sensim nonnihil deplanatum, modice arcuatum.

Oculi laterales, ovati, sub-depressi.

Thorax aut breviusculus, aut sub-oblongus, basi truncatus, lateribus modice rotundatus, antice in medio nonnihil productus, pone oculos plus minusve distincte lobatus.

Scutellum aut nullum, aut minutissimum vix observandum.

Elytra sub-ovata, connata, supra convexa.

Pedes mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femora nonnihil incrassata, in nonnullis denticulata.

TYPUS. — *Acalles apicalis.*

Patria : America meridionalis et tota Europa, præsertim plagæ meridionales.

---

(1) Forte hujus generis; species mihi invisa.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 295. Genus *Tylodes*, subgenus *Acalles*. — Steph. Brit. Ent. IV. p. 44.

Observ. — Corpus oblongum, sub-ovatum, convexum, sculpturatum, sæpius dense squamosum, apterum; aut mediæ aut minusculæ magnitudinis. — Antennarum structura aliquanto diversa, canali infero thoracis sæpius magis abbreviato, ut et elytrorum basi haud coarctata, hoc genus a *Tylode* distinguitur.

* 1. A. APICALIS. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis silaceis tectus: thorace profunde remote rugoso-punctato, dorso longitudinaliter impresso, antice carinato, medio transversim tuberculato, plaga utrinque basali atra notato: elytris a basi ultra medium plaga magna fusco-atra ornatis, apice dilutius squamosis, sat profunde punctato-striatis: interstitiis alternis basi elevatis, tuberculatis.

Tylodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295.
Cryptorhynchus terminatus. Dom. KLUG *in Litteris.*
Id. figulinus. Dom. GERMAR *in Litteris.*

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Tylode armadillone minor, præsertim brevior. Caput breve, rotundatum, nigrum, profunde remote rugoso-punctatum, squamulis cervinis setulisque concoloribus tectum; fronte leviter impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, apice parum dilatatum, deplanatum, modice arcuatum, nigrum, squamulis setulisque cervinis tectum, apice denudatum, subtiliter punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, subobtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice supra rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, anterius subito angustatus, constrictus, lateribus pone stricturam valde angulariter ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, postice sub-truncatus, supra convexus, profunde remote rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter late sed minus profunde impressus, antice carinula abbreviata munitus, in medio tuberculis quatuor, transversim locatis, modice elevatis, notatus; totus niger, squamulis dilute cervinis tectus, utrinque ad basin plaga sat magna, atra, ornatus. Scutellum vix ullum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi vix latiora, sed illo fere triplo longiora, humeris antrorsum pro-

minulis; pone basin ampliata, a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, sat profunde rude punctato striata, interstitiis alternis dorsalibus a basi ad medium modice elevatis, tri-tuberculatis; tota nigra, squamulis cervinis dense tecta, plaga magna basali ad medium usque dilatata, communi, fusco-atra, linea basali ad suturam pallidiore includente insignita, dein apicem versus pallide silaceo-squamosa. Corpus subtus nigrum, squamulis cervinis dense vestitum. Pedes validi, nigri, cervino-squamosi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis. — BHN.

* 2. A. ARGILLOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, squamulis cinereis, sub-nitidis, dense tectus; rostro parum arcuato, piceo, confertim punctato; thorace crebre punctulato; elytris bifariam punctato-striatis, carinis tribus parum elevatis, notatis; femoribus muticis.

Patria: Insula Teneriffa. A Dom. de WINTHEM et SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere et magnitudo *Cryptorhynchi lapathi*. Caput globosum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum, inter oculos foveola parva impressum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, teres, validiusculum, paulo arcuatum, piceum, confertim punctulatum, glabrum, basi cinereo-albido-squamosum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice supra valde rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, obtusis; anterius angustior, coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus versus basin iterum nonnihil angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice, convexus, niger, confertim punctulatus, squamulis sordide cretaceis vel cinereo-albidis undique tectus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice thorace vix latiora, sed illo duplo longiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, rotundatis; pone humeros ultra medium linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim sub-truncata, supra convexa, striato-punctata, punctis per paria approximatis, carinis utrinque tribus parum elevatis; carina prima a sutura in dorso postico magis elevata: tota nigra, squamulis sordide cretaceis vel cinereo-albidis densis-

sime tecta. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis cinereo-albidis dense obsitum. Pedes elongati, nigri, squamulis setulisque cinereo-albidis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis modice dilatatis, obscure ferrugineis. — BHN.

3. A. IMMANSUETUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, squamulis brunneis adspersus; vertice carinato, rostro crassiore, modice arcuato, confertim punctato: thorace antice constricto, supra sub-plano, crebre parum profunde rugoso-punctato, medio carinato, lateribus valde rotundato-ampliato: elytris bifariam rude punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, femoribus obtuse dentatis.

Cryptorhynchus fuliginosus. ? BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* I. p. 431. 8.

Tylodes id. ? DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295. *ed.* 3. p. 320.

Patria : Nova Hollandia. A Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Hylobii abietis*, nonnihil brevior et latior, magis depressus. Caput breve, supra convexum, punctis magnis, profundis, sat crebris pertusum, nigrum, opacum, squamulis brunneis adspersum; vertice longitudinaliter carinato; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, modice arcuatum, apice nonnihil deplanatum, basi profundius crebrius apicem versus subtilius remotius punctatum, inter antennas foveola parva obsoleta insculptum; totum nigrum, subopacum, squamulis sparsis setiformibus, fuscis scabrum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, minus tenues, piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice subito angustior, apice bis emarginatus, intra apicem constrictus, lobis ocularibus modice productis; lateribus valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, fere planus, sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatus, in medio carinula angusta, minus elevata, notatus; niger, opacus, squamulis fusco-brunneis parce adspersus. Scutellum minutissimum, nigrum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-angustatis, vix elevatis: pone humeros nonnihil ampliata, a

medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in doso paulo convexa, postice declivia, bifariam rude punctato-striata, punctis striarum oblongis, sub-remotis, interstitiis angustis, alternis elevatioribus, vix carinatis, omnibus granulatis; tota nigra, opaca, squamulis parvis brunneis parce adspersa. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigrum, punctis squamulis brunneis obsitis. Pedes elongati, validi, nigri, rude punctati, squamulis setisque brunneis adspersi; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis; tibiis compressis, rectis, basi tenuioribus, apice intus acute uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

4. A. OBESUS. *Dejean.*

Sub-ovatus, niger, densissime læte brunneo-squamosus, antennis non procul ab apice rostri insertis, rostro paulo arcuato, medio tenuissime carinato; thorace amplo, lateribus basi fere recto, anterius subito angustato, vix punctato, crebre granulato; elytris parum profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, vage granulatis: femoribus muticis.

Tylodes id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* p. 438.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295. *ed.* 3. p. 320.

Patria : Nova Hollandia. Ex Musæo Reg. Gall. ad describendum benevole missus.

Barynoto mercurialis nonnihil major. Caput rotundatum, supra convexum, nigrum, squamulis læte brunneis dense tectum, granulis ejusdem coloris parce adspersum; fronte obsolete canaliculata; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, validiusculum, paulo arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, punctulatum, medio carinula tenui, antice abbreviata, instructum, similiter squamosum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, subtenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax amplus, latus, latitudine media multo brevior, apice modice rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, anterius subito angustior, lateribus a medio versus basin fere rectis; postice sub-truncatus, supra modice convexus, niger, squamulis læte brunneis dense tectus, granulis ejusdem coloris sat crebre obsitus. Scutellum nullum. Elytra ovata, antice

truncata, thoracis basi non latiora, humeris sub-rectangulatis; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra convexa, postice declivia, parum profunde punctato-striata, interstitiis convexis; tota nigra, læte brunneo-squamosa, granulis parvis ejusdem coloris adspersa; interstitiis lateralibus granulis nonnullis majoribus, nigris, nitidis, obsitis. Corpus subtus nigrum, læte brunneo-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, læte brunneo-squamosi, setulis brevibus, albidis, adspersi; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis subrectis. — BHN.

* 5. A. NODULOSUS. *Dupont.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis umbrinis sat dense obsitus; vertice albo-squamoso, rostro basi carinato et rugoso-punctato; thorace valde inæquali, remote granulato, postice longitudinaliter antice late profunde transversim excavato; elytris remote striato-punctatis, interstitiis sub-convexis, singulo elytro dorso antico tuberculis quinque plus minusve elevatis; femoribus obsolete dentatis.

Cryptorhynchus id. Dom. DUPONT *in Litteris.*

Patria: Mexico. A Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Acalle apicali nonnihil minor, valde inæqualis. Caput parvum, rotundatum, supra modice convexum, sat crebre rugoso-punctatum, nigrum, squamulis umbrinis adspersum, macula transversa, oblonga, sat magna, in vertice, dense albido-squamosa; fronte leviter impressa; oculi ovati, haud prominuli brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, modice arcuatum, nonnihil deplanatum, nigrum, a basi ad medium crebre rugoso-punctatum, carinatum, parce fusco-setulosum, dein apicem versus subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, fusca, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice supra rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus productis, sub-acutis; anterius angustatus, mox intra apicem leviter coarctatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, dein versus basin iterum nonnihil angustior, postice sub-bisinuatus, supra valde inæqualis, postice convexus, ibique in medio longitudinaliter profunde impressus, anterius late profunde transversim excavatus,

undique granulis minus crebris, nitidis, obsitus; totus niger, squamulis umbrinis sat dense vestitus, utrinque in medio macula parva, silacea, decoratus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi paulo latiora et illi arcte applicata, humeris vix prominulis, rotundatis; mox pone humeros ampliata, a medio apicem versus attenuata, apice ipso acute rotundata, thoracis vix duplo longiora, supra convexa, postice declivia, remote parum profunde striato-punctata, interstitiis convexis, granulis nitidis, sub-remotis, seriatim obsitis; singulo elytro in dorso antico tuberculis quinque magnis, nempe inter strias 2 et 3 a sutura duobus oblongis, valde elevatis, carinæformibus tribusque infra triangulariter positis, minus elevatis; tota nigra, squamulis umbrinis sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis setulis pallidis obsitis. Pedes elongati, nigri, rugoso-punctati, parce umbrino-squamosi; femoribus modice clavatis, obsolete dentatis; tarsis obscure ferrugineis.

Bhn.

* 6. A. Ganglionicus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger opacus, parce ochraceo-squamosus; thorace supra convexo, sex-tuberculato, profunde remote punctato, medio carinato, antice profundissime constricto, fere abscisso, lateribus valde rotundato, lineola ante-scutellari nivea decorato; elytris remote striato-punctatis, valide obtuse tuberculatis, tuberculis fasciculatis; femoribus obsolete dentatis.

Tylodes.? fascicularis. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Brasilia. A Dom. Germar benevole communicatus. Mus. Schh.

Cryptorhyncho lapathi nonnihil major. Caput breve, supra paulo convexum, parum profunde rugoso-punctatum, nigrum, squamulis ochraceis sat dense adspersum; oculi laterales, sub-rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, inflexum, arcuatum, apicem versus deplanatum, basi profundius punctatum, obsolete carinatum, parce brunneo-squamosum, dein subtilissime punctulatum, glabrum, nitidum, totum rufo-piceum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, obscuriore, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocu-

laribus vix productis, intra apicem profundissime constrictus, veluti abscissus, lobo anteriore elevato, utrinque tuberculato; lateribus pone stricturam valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, angulis baseos productis, acutis; basi bi-sinuatus, supra convexus, remote sat profunde punctatus, in medio carinula longitudinali, parum elevata, antice abbreviata notatus, dorso tuberculis quatuor transversim locatis, interioribus validis instructus; totus niger, opacus, squamulis crassis ochraceis sat dense adspersus, in ipsa basi ante scutellum lineola longitudinali, in lateribus punctis duobus, uno in medio, altero ad basin pedum anticorum magis elongato, albido-squamosis, insignitus. Scutellum minutissimum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris elevatis, sub-rotundatis; pone humeros ad medium perparum ampliata, dein apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso paulo convexa, punctis valde remotis, parum profundis, seriatis impressa, tuberculis pluribus majoribus, subobtusis, squamis erectis tectis, obsita; tota nigra, opaca, squamulis ochraceis parce adspersa, punctis duobus parvis lateralibus albidis, uno mox pone medium, altero apicem propius, decorata. Corpus subtus obsolete remote punctatum, nigrum, squamulis raris ochraceis adspersum. Pedes elongati, validi, nigri, densius ochraceo-squamosi; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, obtuso, armatis; tibiis compressis, rectis, basi tenuioribus; tarsis modice dilatatis, subtus læte brunneo-spongiosis. — BHN.

* 7. A. ANGULICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, opacus, parce ochraceo-squamosus; thorace supra transversim convexo, sex-tuberculato, lævi, intra apicem profunde constricto, lateribus utrinque ante medium in angulum acutum dilatatis, scutello minuto, elongato; elytris sub-semi-globosis, tenue punctato-striatis, basi late pallido-squamosis, fasciculisque atris sub-confluentibus ornatis; femoribus obsolete dentatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus.

Acalli ganglionico affinis, sed paulo minor, brevior, et convexior, notisque allatis bene distinctus. Caput minusculum, vertice nigro-orbitis umbrino-squamosis; oculi sub-ovati, sub-depressi; rostrum longitudine thoracis validum, sub-teres, modice arcuatum,

piceum, basi umbrino-squamosum, versus apicem sub-deplanatum, læve, nitidum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, tenuiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava ovata, obtusa. Thorax latitudine baseos vix longior, apice supra modice rotundato-productus, bi-fasciculatus, pone oculos paulo lobatus, antice basi paulo angustior, intra apicem transversim valde constrictus, lateribus utrinque paulo ante medium in angulum acutum productis, dein angustatis, basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus subrectis; supra transversim convexus, impunctatus, dorso tuberculis quatuor, transversim positis, squamoso-fasciculatis, instructus; opacus, squamulis ochraceis parce adspersus. Scutellum minutum, elongatum, nudum. Elytra sub-semi-globosa, antice thoracis basi parum latiora, humeris obtuse rotundatis, apice conjunctim rotundata, supra valde convexa, tenue striata et in striis punctata, interstitiis planis; opaca, parce sed basi late utrinque dense ochraceo-squamosa, in disco fasciculis plurimis e squamis nigris formatis, inter se confluentibus punctoque albo supra apicem alioque ante medium instructa. Corpus subtus disperse punctatum, opacum parce umbrino-squamosum. Pedes longiusculi, validi, squamulis erectis umbrinis dense vestiti; femoribus parum clavatis, obsolete dentatis; tibiis compressis, basi arcuatis.

RLD.

Obs. — Quia scutellum in hac specie manifeste adest, quamvis minutum, ad genus *Cryptorhynchum* forte esset numeranda, sed forma corporis ejusque cum *Acalle ganglionico* affinitas ad genus *Acallem* illam referunt.

* 8. A. RUSTICANUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, dense umbrino-squamosus, parceque setulosus; rostro breviusculo, valido, dense squamoso, apice nudo: thorace crebre profunde scrobiculato, lateribus fere æqualiter rotundato-ampliatis; elytris remote, profunde striato-scrobiculatis, interstitiis lævibus, planiusculis, fasciis transversis pluribus denudatis.

Patria: Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benigne communicatus. Mus. SCHH.

Barynoto mercurialis paulo major. Caput retractum, sub-depressum, dense umbrino-squamosum, vertice puncto impresso; oculi sub-ovati, parum convexi; rostrum capite duplo longius.

validum, paulo arcuatum, dense umbrino-squamosum parceque setulosum, apice parum deplanatum, crebre punctulatum, nudum, nitidum. Antennæ pone medium rostri, apicem propius insertæ, rostro plus dimidio longiores, validiusculæ, piceæ, clava ovata, apice obtusa. Thorax latitudine media vix brevior, apice supra valde rotundato-productus, pone oculos parum lobatus, antice basi parum angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi truncatus, angulis lateralibus acutis, supra præsertim postice convexus, anterius sensim declivis; profunde crebre scrobiculatus, dense umbrino-squamosus setisque paucis adspersus. Scutellum non observandum. Elytra breviter sub-ovalia, antice thoracis basi vix latiora, lateribus a basi ad apicem fere æqualiter valde rotundato-ampliata, apice ipso conjunctim rotundata; valde convexa, sub-nitida, dorso planiuscula, foveolis rotundis, profundis, valde remotis, squamula repletis, seriatim impressa, interstitiis planiusculis, sub-lævibus, parce setulosis; dense umbrino-squamosa, lituris transversis, denudatis, crebre fasciata. Corpus subtus remote punctatum, parce umbrino-squamosum. Pedes longiusculi, validi, dense umbrino-squamosi parceque setulosi; femoribus incrassatis, muticis, subtus longitudinaliter canaliculatis, ante apicem intus emarginatis: tibiis compressis, subrectis. — BILD.

9. A. GRANULIFER. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fusco-brunneis tectus: rostro basi utrinque constricto, ibique crebre punctato, carinato; thorace granulis acutis, plus minusve crebre obsito, medio sulcato, lateribus rotundato-ampliato: elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis carinatis, acute granulatis, sutura plana, femoribus muticis.

Patria: Insula Quaham, maris Pacifici. Ex Musæo Dom. FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Erirhini scirpi.* Caput breve, rotundatum, supra convexum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, opacum, squamulis fusco-brunneis parce adspersum: oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, paulo arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, in ipsa basi utrinque profunde anguste constrictum, ultra medium profunde crebre punctulatum, tenue carinatum, dein subtiliter punctulatum, nigrum, parum nitidum, apice ipso ferrugineum. Antennæ apicem rostri

propius insertæ, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice supra rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus, vix lobatus, anterius angustior, lateribus valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, postice truncatus, supra convexus, granulis sat magnis, acutis, parce in dorso et ad latera densius obsitus, dorso longitudinaliter sulcatus; niger, squamulis fusco-brunneis dense tectus. Scutellum nullum. Elytra antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis; mox pone basin ampliata, a medio apicem versus subito angustata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, postice declivia, parum profunde punctato-striata, interstitiis elevatis, carinatis, granulis sat magnis, acutis, seriatim obsitis; sutura non elevata, plana; tota nigra, squamulis fusco-brunneis dense tecta. Corpus subtus nigrum, dense fusco-brunneo-squamosum. Pedes elongati, nigri, fusco-brunneo-squamulosi et parce albido-setulosi; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis. — Bhn.

* 10. A. Grandicollis. *Schh*

Oblongus, niger, squamulis fulvescentibus variegatus; rostro arcuato, rugoso, thorace obsolete sub-remote punctato, basi angusto, anterius valde rotundato-ampliato; elytris rude profunde striato-punctatis, transversim rugulosis; femoribus muticis.

Patria: Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Habitus fere *Hyphanti bacciferi*, sed dimidio minor; a congeneribus thorace anterius valde rotundato-ampliato, posterius angustior, facile distinctus. Caput parvum, breve, nigrum; vertice elevato, denudato, subtilissime coriaceo; fronte deflexa, dense fusco-squamosa; oculi laterales, ovati, nigri, haud prominuli; rostrum thorace nonnihil brevius, validiusculum, sub-teres, arcuatum, nigrum, striolato-rugosum, squamulis fuscis a basi ultra medium tectum, apicem versus glabrum, nitidum, punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rufo-testaceæ, parce pubescentes, clava breviter ovata. Thorax amplus, latitudine baseos multo longior, apice nonnihil rotundato-productus, lobis ocularibus modice prominulis; anterius leviter constrictus, mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, pone medium versus basin cito angustatus, basi sub-truncatus, angulis baseos lateraliter

nonnihil productis; supra parum convexus, niger, obsolete subremote punctulatus, dorso cruciatim fulvo-squamosus, versus latera et subtus squamulis condensatis ejusdem coloris adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse rotundatis; thorace vix duplo longiora, lateribus inflexa, a basi versus medium perparum ampliata, tum apicem versus iterum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, fere truncata, supra modice convexa, profunde remote striatim punctata, transversim rugulosa, nigra, squamulis fulvescentibus in undulis hinc inde confluentibus adspersa. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, squamulis fusco-brunneis adspersum; pectus incrassatum, postice retusum; abdomen excavato-incurvatum. Pedes mediocres, validi, nigri, remote punctati, squamulis setulisque griseo-flavescentibus adspersi; femoribus crassis, parum clavatis, muticis; tibiis brevibus, rectis, crassiusculis, sub-compressis. — BHN.

* 11. A. URSUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, pulvere griseo tectus; thorace elytrisque setis rigidis erectis fuscis adspersis, rostro fusco-piceo, minus crebre punctulato; thorace confertim punctato, tenue carinato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, remote seriato-granulatis.

Patria: Brasilia. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Tylodis granulati*, sed dimidio minor; rostro fusco-piceo, evidenter punctulato, thoraceque non tuberculato, sed crebre punctato, etc., ab illo facile distinctus. Caput minutum, breve, nigrum, squamulis griseis tectum, setisque brevibus, cylindricis, erectis, pallidis, adspersum; frons deflexa; oculi ovati, nigro-brunnei, haud prominentes; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, apice parum dilatatum, subarcuatum, fusco-piceum, basi setulis griseis obsitum, tum glabrum, nitidum, evidenter minus crebre punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine media paulo brevior, apice supra rotundato-productus, utrinque emarginatus, antice angustior, ibique leviter coarctatus et transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, postice truncatus, supra valde convexus, confertim punctulatus.

longitudinaliter leviter carinatus, niger, obscurus, pulvere griseo tectus, setulis brevibus, crassis, erectis, fuscis, adspersus; subtus sulco profundo pro recipiendo rostro exaratus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, sed illo plus duplo longiora, humeris antrorsum perparum prominulis; basi truncata, lateribus inflexa, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acute rotundata, supra valde convexa, postice declivia, profunde punctato-striata, interstitiis elevatis, convexis, singulis serie regulari e tuberculis minutis, remotis, notatis; tota nigra, pulvere griseo dense tecta, setulis brevibus, erectis, fuscis, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes elongati, validi, nigri, pulvere setulisque dilute griseis dense tecti; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis, apice intus valide uncinatis. — BHN.

* 12. A. SQUALIDUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis setulisque brevibus fuscis tectus; thorace lato, lateribus valde rotundato-ampliato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, remote granulatis, singulo elytro dorso bi-tuberculato; femoribus muticis.

Patria: Brasilia. A Dom de WINTHEM amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Barynoti mercurialis* sed paulo angustior. Caput parvum, breve, rotundatum, nigrum, squamulis fusco-griseis dense tectum; frons deflexa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, inflexum, crassiusculum, parum arcuatum, piceum, punctulatum, a basi ultra medium squamulis setisque brevibus fusco-griseis tectum, dein glabrum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, apice rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, lobis ocularibus prominulis, sub-acutis; anterius subito angustatus, intra apicem coarctatus et transversim impressus, lateribus valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, postice truncatus, supra convexus, niger, squamulis fuscis dense tectus, setulis brevibus, cylindricis, concoloribus, adspersus. Scutellum nullum. Elytra basi truncata, antice thorace vix latiora et illo duplo longiora, a basi ultra medium sensim ampliata, dein apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra

valde convexa, postice declivia, sulcata, sulcis in fundo sat profunde punctatis, interstitiis convexis, granulis remotis, seriatim dispositis, obsitis; singulo elytro dorso antico in interstitio secundo tuberculis duobus, sat validis, obtusis, longitudinaliter locatis, notato; tota nigra, squamulis fuscis dense tecta, setulis brevissimis, concoloribus, adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis griseis adspersum. Pedes validi, nigri, squamulis setulisque griseis dense vestiti; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis rectis. — BHN.

13. A. SUBFASCIATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, nigro-silaceoque squamosus: thorace breviusculo, crebre rugoso-punctato, antice coarctato, scutello minutissimo: elytris remote striato-punctatis, humeris antrorsum subprominulis, pone hos fascia obliqua indeterminata aliaque pone medium transversa communi silaceo-squamosis: femoribus acute dentatis.

Tylodes id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Guadeloupe. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Pissodi piniphilo subsimile et magnitudine æqualis. Caput rotundatum, rugoso-punctatum, piceum, parce silaceo-squamosum, fronte sub-depressa; oculi majusculi, sub-ovales, parum convexi: rostrum longitudine thoracis, tenuiusculum, teres, modice arcuatum, basi rugoso-punctatum, cæterum subtilissime punctulatum; rufo-piceum, glabrum, nitidum. Antennæ medio rostri insertæ, subtenues, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, obtusa. Thorax latitudine postica multo brevior, apice supra parum rotundato-productus, pone oculos modice lobatus, antice basi plus dimidio angustior, lateribus medio subito rotundato-ampliatus, versus basin iterum paulo angustatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, crebre, et sat profunde rugoso-punctatus, nigro-piceus, squamulis silaceis hinc illinc condensatis adspersus. Scutellum minutissimum, tuberculiforme. Elytra sub-ovata, antice thoracis basi parum latiora eoque plus duplo longiora, basi truncata, humeris antrorsum paulo prominulis, rectangulis, non callosis; apice subito angustata et conjunctim sub-rotundata, supra modice, æqualiter, convexa, punctis remotis, sat profundis, ocellatis,

seriatim impressa, interstitiis sub-convexis, alternis sub-elevatis; fusco-picea, griseo-squamosa, pone humeros fascia obliqua, obsoleta et indeterminata, aliaque pone medium transversa, abbreviata, communi, utrinque emarginata, silaceo-squamosis, decorata, apice squamis intermixtis silaceis dilutiore. Corpus subtus sat profunde sed minus crebre punctatum, fusco-piceum, squamulis silaceis parce adspersum. Pedes longiusculi, rufo-picei, setulosi; femoribus modice clavatis, dente acuto armatis, ante apicem griseo annulatis; tibiis sub-teretibus, parum arcuatis. — BLD.

14. A. EXTENSITHORAX. *Chevrolat*

Oblongo-ovatus, fusco-piceus, dense cervino-squamosus: thorace transverso, profunde, remote punctato, lateribus valde ampliato, dorso transversim quadri-calloso, ante apicem valde impresso; elytris striato-punctatis, interstitiis tuberculatis, tuberculis valde inæqualibus, disci majoribus.

Patria: Brasilia. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Phyllobium vespertinum magnitudine æquans; *Acalli bullato* paulo similis. Caput minusculum, parce punctatum, dense cervino-squamosum; oculi sub-ovati, sub-depressi, glauci; rostrum thorace paulo brevius, validum, subteres, modice arcuatum, piceum, basi striolatum, dense cervino-squamosum parceque setulosum, dein subtilissime punctulatum, nudum, nitidum, apice ipso sub-deplanatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro dimidio longiores, subtenues, clava ovali, apice sub-obtusa. Thorax latitudine postica multo brevior, margine antico supra parum rotundato-producto, pone oculos paulo lobatus, antice basi plus dimidio angustior, intra apicem valde coarctatus, lateribus medio subito et valde rotundato-ampliatus, postice iterum angustatus, basi sub-truncatus vel levissime bi-sinuatus; profunde remote punctatus, dense cervino-squamosus breviterque setulosus, supra in dorso planiusculus, intra apicem late et profunde transversim impressus, in margine antico supra fasciculis duobus sub-contiguis et in dorso callis quatuor, rotundatis, transversim positis, instructus. Scutellum vix observandum. Elytra sub-ovalia, antice thoracis basi non latiora, et eo fere duplo longiora, basi leviter tri-sinuata, margine antico sub-reflexo, humeris sub-rectangulis, lateribus pone humeros rotundato-ampliata, apice angustata, et

conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, apice sub-depressa; sat profunde, minus regulariter striato-punctata, interstitiis inæqualiter tuberculatis, tuberculis duobus in interstitio secundo, cæteris multo majoribus; tota dense cervino-squamosa. Corpus subtus profunde et remote punctatum, parce pilosum. Pedes mediocres, dense cervino-squamosi; femoribus modice clavatis, muticis, posterioribus medio infuscatis; tibiis sub-teretibus, basi curvatis, extus paululum sinuatis. RED.

* 15. A. BULLATUS. *Germar.*

Breviter ovalis, niger, squamulis dilute cervinis et pallidis variegatus; rostro breviore, minus arcuato; thorace amplo, lato, antice valde angustato, transversim impresso, macula magna baseos triangulari, dilutiori, notato; elytris apice dilutius squamosis, obsolete punctato-striatis; interstitiis alternis modice elevatis, granulatis, basi utrinque tuberculis binis atro-squamosis, obsitis; femoribus acute dentatis.

Cryptorhynchus id. Dom. GERMAR *in Litteris.*

Tylodes strumosus. KLUG; DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 320.

Patria: Insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Tychio sparsuto parum major. Caput parvum, rotundatum, nigrum, squamulis brunneis adspersum; fronte obsolete impressa; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, minus tenue, modice arcuatum, nigro-piceum, rugoso-punctatum, squamulis obscure umbrinis adspersum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, nigro-pubescente. Thorax longitudine plus duplo latior, a basi ultra medium sensim rotundato-ampliatus, tum valde et subito angustatus, coarctatus et transversim impressus, margine apicali reflexus, apice utrinque late et profunde emarginatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus; niger, squamulis cervinis densissime tectus, in medio baseos macula sat magna, sub-triangulari, e squamulis pallidioribus, decoratus. Scutellum vix ullum. Elytra antice thoracis medio angustiora et illo vix dimidio longiora, humeris fere rectangulis, lateribus inflexa, pone medium apicem versus angustata, apice ipso attenuata, sub-rotundata, supra convexa, postice valde de-

clivia, obsolete punctato-striata, interstitiis alternis modice elevatis, granulatis, singulo elytro ad basin tuberculis duobus atro-squamosis notato, suturæ proximo majore; tota nigra, a basi ad medium squamulis dilute cervinis tecta, dein squamulis adhuc pallidioribus vestita. Corpus subtus nigrum, squamulis umbrinis adspersum. Pedes validi, nigri, squamulis obscure umbrinis vestiti; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis compressis, sub-arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Bhn.

* 16. A. Laticollis *Schh.*

Breviter ovalis, niger, umbrino-squamosus, rostro longiore, magis arcuato; thorace amplo, lato, antice subito angustato, constricto: apice ipso utrinque tuberculato, linea media, angusta, albida, decorato; elytris a medio apicem versus læte cervino-squamosis, obsolete punctato-striatis; interstitiis alternis abrupte costatis; femoribus acute dentatis.

Patria: Cuba. A Dom. Germar amice missus. Mus. Schh.

Statura et similitudo *Acallis bullati*, nonnihil tamen major, aliter coloratus; rostro longiore, magis arcuato, thorace antice profundius constricto, apice evidenter tuberculato, elytrorum interstitiis alternis abrupte costatis, ab illo distinctus videtur. Caput parvum, rotundatum, punctulatum, nigrum, dense umbrino-squamosum; oculi laterales, ovati, sub-depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, inflexum, arcuatum, subtiliter punctulatum, piceum, sub-opacum, a basi ultra medium dense brunneo-squamosum, dein denudatum, glabrum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, fusco-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media fere duplo brevior, apice bi-sinuatus, lobis ocularibus parum productis; mox intra apicem profunde constrictus et transversim impressus, margine apicali reflexo, utrinque evidenter tuberculato; pone stricturam valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus; niger, squamulis brunneis dense tectus, linea media angusta, longitudinali, albida, decoratus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, brunneo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis medio angustiora, humeris vix prominulis, sub-angulatis; a medio apicem versus

citius angustata, apice ipso attenuata, sub-rotundata, supra modice convexa, postice declivia, obsolete punctato-striata, interstitiis alternis costatis, costis abruptis; nigra, a basi ad medium umbrino-dein apicem versus læte cervino-squamosa. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigro-piceum, cervino-squamosum. Pedes elongati, validi, nigro-picei, squamulis brunneis vestiti; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis compressis sub-arcuatis; tarsis elongatis, subtus brunneo-spongiosis. — BHN.

* 17. A. MAGNICOLLIS. *Boheman.*

Breviter ovalis, niger, atro-squamosus, rostro breviore, crassiore, arcuato: thorace amplo, lato, antice subito angustato, minus profunde constricto, in medio dorsi utrinque tuberculato: elytris pone medium apicem versus læte cervino-squamosis, obsolete punctato-striatis, interstitiis alternis antice abrupte costatis: femoribus acute dentatis.

Patria: Cuba. A Dom. GERMAR amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura omnino *Acallis bullati*, sed dimidio minor, aliter coloratus; thorace in medio utrinque tuberculato, interstitiis elytrorum antice abrupte costatis, ab illo distinctus. Caput rotundatum, supra convexum, ruguloso-punctatum, nigrum, parce fusco-squamosum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri: rostrum longitudine thoracis, minus tenue, inflexum, arcuatum, confertim ruguloso-punctatum, nigro-piceum, atro-squamosum, apice ipso denudatum, obscure ferrugineum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, tenues, fusco-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media duplo brevior, apice utrinque late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis, anterius subito angustatus, intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, pone stricturam valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, dense atro-squamosus, medio utrinque tuberculo parvo, obtuso, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi non latiora, humeris vix prominulis, sub-angulatis; a basi ad medium nonnihil ampliata, dein apicem versus citius angustata, apice ipso sub attenuata, rotundata, supra convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis ele-

vatis, antice abrupte costatis; nigra, a basi ultra medium atro-dein apicem versus læte cervino-squamosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, cervino-squamosum. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis atris et cervinis obsiti; femoribus modice clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis compressis, sub-arcuatis; tarsis elongatis, subtus brunneo-spongiosis. — BHN.

* 18. A. DENTICOLLIS. *Germar.*

Ovalis, niger, squamulis cervinis adspersus, antennis rostroque rufo-ferrugineis; thorace amplo, supra plano, longitudinaliter carinato, basi profunde bi-sinuato, angulis retrorsum valde extensis; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Sp.* I. p. 276. 411.
Id. hospes. SCHOENH. *in Litteris*, olim.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN; in Istria, Carniolia, Carinthia et Hungaria meridionali. Dom. SCHUPPEL. Mus. SCHH.

Magnitudo *Phytonomi nigrirostris.* Caput parvum, globosum, nigrum, squamulis brunneis cervinis immixtis tectum; fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi ovati, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, carinula in dorso elevata, a basi ad medium extensa, basi striolato-rugosum, squamulis cervinis adspersum, dein glabrum, crebre evidenter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, minus tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata. Thorax amplus, latitudine baseos nonnihil brevior, apice sub-truncatus, mox pone apicem coarctatus, dein lateribus ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, angulis baseos retrorsum valde productis, supra planus, dorso longitudinaliter carinatus, sat crebre sed parum profunde punctatus, niger, squamulis cervinis adspersus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra ovata, antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, pone humeros ultra medium sensim ampliata, tum apicem versus citius angustata, thorace duplo longiora, apice ipso conjunctim attenuata, supra convexa, profunde punctato-striata, interstitiis alternis elevatis, præsertim in dorso postico; tota nigra, squamulis cervinis anterius adspersa, pone medium vero dense obtecta. Pedes mediocres, nigri, squamulis umbrinis et cinereo-albi-

dis variegati; femoribus parum clavatis, muticis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

19. A. FRIVOLUS. *Schh.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, squamulis fulvescentibus variegatus, setulis erectis, fuscis, adspersus; capite canaliculato, thorace crebre profunde scrobiculato-punctato, antice tenue carinato, utrinque valde rotundato-ampliato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis; femoribus muticis.

Patria: Brasilia. A Dom. GERMAR amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Acallis grandicollis* sed duplo minor et ultra: thorace magis convexo, profunde scrobiculato-punctato, etc., ab illo mox distinctus. Caput breve, rotundatum, supra modice convexum, nigrum, squamulis fulvescentibus tectum, longitudinaliter tenue canaliculatum; oculi ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, teres, arcuatum, apicem versus paulo ampliatum, deplanatum, nigro-piceum, postice fulvo-squamosum, parce fusco-setulosum, dein apicem versus sub-remote punctulatum, nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri sitæ, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior, apice supra paulo rotundato-productus, utrinque vix emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis; antice posticeque angustatus, utrinque valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, punctis profundis, crebris, impressus, dorso antico carinula tenuissima, abbreviata, instructus; niger, sub-nitidus, squamulis fulvescentibus in basi ante scutellum et ad latera magis condensatis, adspersus, setulis longis, erectis, fuscis, parce obsitus. Scutellum nullum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum vix prominulis, a basi ad medium ampliata, dein apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acute rotundata, thorace dimidio longiora, supra convexa, postice declivia, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-convexis, lævibus: tota picea, sub-nitida, squamulis fulvescentibus plagiatim condensatis adspersa, setulisque raris, longis, erectis, fuscis, obsita. Corpus subtus piceum, sub-nitidum, punctis profundis, sub-remotis, impressum, parce setulosum. Pedes

mediocres, parce fulvescenti-squamosi et fusco-pubescentes; femoribus fusco-piceis, paulo clavatis, muticis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — BHN.

20. A. AUBEI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis læte brunneis dense obsitus; rostro ferrugineo, subtiliter punctulato; thorace sat crebre punctulato, dorso postico longitudinaliter impresso, anterius modice angustato; elytris ante medium macula parva albida decoratis, mediocriter punctato-striatis; interstitiis convexis, secundo in ipsa basi elevato, atro-squamoso; femoribus muticis.

Patria: Gallia orientalis. A Dom. AUBÉ amice communicatus; Bannat Hungariæ. A Dom. WALTL ad describendum missus.

Grypidio equiseti dimidio minor. Caput rotundatum, convexum, punctulatum, nigro-piceum, squamulis læte brunneis dense tectum, inter oculos tenue canaliculatum; fronte utrinque macula parva umbrina insignita; oculi ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, validum, arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, obscure ferrugineum, subtiliter punctulatum, basi læte brunneo-squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, sub-obtusis; anterius nonnihil angustior; intra apicem late transversim impressus, lateribus rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, postice truncatus, supra convexus, sat crebre punctulatus, dorso postico longitudinaliter impressus, nigro-piceus, squamulis obscure silaceis vel læte brunneis dense vestitus. Scutellum nullum. Elytra antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis; sed mox pone basin ampliata, a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acute rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, postice declivia, mediocriter punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, interstitiis convexis, secundo in ipsa basi nonnihil elevato, atro-squamoso; nigro-picea, squamulis læte brunneis dense vestita, maculis nonnullis sparsis fuscis variegata; mox ante medium in dorso macula parva, rotunda, albido-squamosa, decorata. Corpus subtus nigro-piceum, squamulis læte brunneis dense obsitum. Pedes mediocres, nigro-picei, con-

fertim punctati, squamulis læte brunneis tecti; femoribus paulo clavatis, muticis, posterioribus extus sæpe fusco maculatis; tibiis brevibus, subrectis. — BHN.

Dominus CAROLUS AUBÉ, auctor Monographiæ excellentissimæ *Pselaphiorum* (Paris, 1834). Mihi multas species ab illo detectas nondum descriptas communicare placuit: quare hoc loco æstimationem et gratitudinem nostram indicare voluimus. SCHH.

* 21. A. HYPOCRITA. *Creutzer.*

Sub-ovatus, niger, squamulis fuscis adspersus; capite, rostro, antennis pedibusque rufo-ferrugineis; thorace antice constricto, confertim rugoso-punctato; elytris obsolete striato-punctatis, interstitiis convexis, subtiliter granulatis et coriaceis.

Tylodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296.
Cryptorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.
STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 128.
Acalles id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 3. p. 320.

Habitat in Styria Alp. Croatia et Gall. orientali. Mus. SCHH.

Trachyphlœo scabriculo dimidio fere major. Caput rotundatum, supra parum convexum, rufo-ferrugineum, subtiliter confertim rugulosum; frons deflexa; oculi parvi, laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, apice nonnihil dilatatum, rufo-ferrugineum, glabrum, nitidum, profunde sed minus confertim punctulatum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, capite cum thorace longiores, tenues, rufo-testaceæ, parum pubescentes, clava ovata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice nonnihil rotundato-productus, lateribus parum rotundatus, anterius angustior, ibique constrictus et transversim leviter impressus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, confertim rugoso-punctatus, anterius ferrugineus, punctulatus, niger, squamulis fusco-griseis adspersus. Scutellum vix ullum. Elytra ovata, basi sub-truncata, antice thorace parum latiora, humeris rotundatis, thorace vix duplo longiora, pone humeros versus medium ampliata, tum apicem versus attenuata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, sub-gibbosa, sulcata, sulcis in fundo parum profunde punctatis, interstitiis convexis, subtiliter coriaceis, granulis parvis, remotis,

obsitis; nigra, squamulis fusco-griseis adspersa, versus latera et apicem condensatis. Corpus subtus nigro-piceum, punctatum, squamulis cinereis adspersum: pectus incrassatum; abdomen excavato-incurvatum. Pedes mediocres, rufo-ferruginei, confertim punctati; femoribus parum incrassatis; tibiis, rectis, crassiusculis, sub-compressis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 22. A. CAMELUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, rufo-piceus, squamulis silaceis adspersus; antennis, rostro pedibusque dilutioribus; thorace sub-globoso, crebre ruguloso-punctulato, obsolete transversim quadri-tuberculato, antice profunde constricto, utrinque densius squamoso; elytris valde convexis, sulcatis, sulcis in fundo profunde punctatis; interstitiis convexis, dorso postico tuberculis quatuor validioribus, transversim positis, instructis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 447. 48.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 406. 52.
HERBST, *Col.* VI. p. 365. 341. T. 88. f. 12.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 130. 15.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 301. 15.
Acalles id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 3. p. 320.
Tylodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed* 2. p. 296.
Cryptorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.
STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 127.

Patria: Styria Alpina Germaniæ. STURM. Mus. SCHH.

Acalle ptinoide duplo major; quam congeneres in elytris magis convexus, gibbosus. Caput parvum, rotundatum, supra convexum, obsolete punctulatum, ferrugineum, squamulis silaceis adspersum; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, teres, validum, paulo arcuatum, apicem versus perparum ampliatum et deplanatum, subtiliter punctulatum, dilute rufo-ferrugineum, nitidum, basi parce silaceo-squamosum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-testaceæ, parce pubescentes, clava ovata. Thorax latitudine postica longior, apice valde rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis; intra apicem sat profunde et late

transversim constrictus, lateribus pone stricturam modice rotundato-ampliatus, dein versus basin iterum nonnihil angustatus, postice leviter emarginatus, supra convexus, parum profunde crebre punctulatus, in medio dorsi tuberculis quatuor, paulo elevatis, obsoletis, transversim locatis, instructus; rufo-piceus, dorso et subtus parce lateribus densius silaceo-squamosus. Scutellum nullum. Elytra ovata, antice conjunctim paulo rotundata, thoracis basi vix latiora, sed mox pone basin ampliata, humeris retusis, sub-rotundatis; a medio apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, thorace vix duplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, sulcata, sulcis profunde rude punctatis, interstitiis convexis, obtuse tuberculatis; in medio dorsi tuberculis quatuor transversim positis, nonnihil validioribus, instructa; tota rufo-picea, anterius parce supra humeros et postice densius silaceo-squamosa. Corpus remote punctatum, fusco-piceum, parce silaceo-squamosum. Pedes mediocres, validi, confertim punctati, rufo-ferruginei, parce silaceo-squamulosi et setulosi; femoribus paulo clavatis, muticis; tibiis teretibus rectis. — BHN.

23. A. PTINOIDES. *Marsham.*

Ovatus, piceus, cinereo-squamosus, supra spinulis erectis, nigris, muricatus; antennis, rostro pedibusque ferrugineis, rostro subrecto; thorace oblongo, crebre parum profunde punctato, antice constricto; elytris convexis, mediocriter punctato-striatis, interstitiis paulo convexis; femoribus muticis.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 258. 59.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 128. 53.

Acalles id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 44. 1.

DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 3. p. 320.

Tylodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296.

LATR. *les Crust., les Arach. et les Ins.* II. p. 87.

Cryptorhynchus echinatus (Megerle). GERM. *Ins. Spec.* I. p. 278. 415.

* VAR. β. Elytris posterius dimidiato-ferrugineis.

Tylodes ptinoides. GUÉRIN, *Iconographie.* V. T. 39. f. 10. a. b.

Patria: Gallia, Anglia, Austria, Suecia. Mus. SCHH.

Parvus, *Anoplo plantari* magnitudine æqualis, sed variat etiam

dimidio major. Caput rotundatum, supra modice convexum, confertim punctulatum, rufo-piceum, squamulis cinereis tectum; oculi parvi, laterales, depressi, nigro-brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, validiusculum, vix arcuatum, teres, apice paulo ampliatum, deplanatum, punctulatum, rufo-ferrugineum, basi cinereo-squamosum. Antennæ basin rostri propius insertæ, subtenues, pallide testaceæ, parce pilosæ, clava parva, ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica longior, apice rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, anterius angustior, intra apicem late transversim impressus et constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basin versus iterum nonnihil angustatus, postice truncatus, supra convexus, confertim parum profunde punctatus, piceus, squamulis depressis cinereis dense vestitus et spinulis crebris, erectis, fuscis, præsertim apice et in dorso utrinque adspersus. Scutellum vix ullum. Elytra antice truncata, ibique thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; mox pone basin ampliata, pone medium posterius attenuata, apice ipso conjunctim acute rotundata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, sub-gibbosa, mediocriter punctato-striata, interstitiis sub-convexis; picea, squamulis griseis vel cinereis dense tecta, spinulis erectis, nigris, seriatis, adspersa, in dorso antico hinc inde condensatis. Corpus subtus punctatum, rufo-piceum, squamulis cinereis adspersum. Pedes mediocres, fusco-ferruginei, confertim punctati, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus paulo clavatis, muticis. — BHN.

24. A. PARVULUS. *Schh.*

Ovatus, ferrugineus, squamulis cinereis variegatus; spinulis brevibus erectis, nigris, muricatus; rostro, antennis pedibusque dilutioribus; rostro modice arcuato; thorace breviore, crebre parum profunde punctulato, antice obsolete constricto; elytris convexis, mediocriter punctato-striatis, interstitiis latioribus, paulo convexis.

Patria: Cæsarodunum (Tours) Galliæ. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Acalli ptinoidi simillimus et minoribus ejus magnitudine æqualis, rostro magis arcuato, thorace breviori, elytris minus gibbosis, evidenter punctato-striatis, interstitiis latioribus, vix convexis, ab illo distinctus videtur. Caput rotundatum, supra

modice convexum, obsolete punctulatum, ferrugineum, squamulis cinereis sat dense adspersum: oculi parvi, sub-rotundati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, confertim punctulatum, dilutius rufo-ferrugineum, basi cinereo-squamosum. Antennæ fere in medio rostri sitæ, subtenues, pallide testaceæ, parce pilosæ, clava ovata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice supra rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, anterius angustior, intra apicem late sed parum profunde transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, sat crebre parum profunde punctatus, ferrugineus, squamulis cinereis dorso parcius lateribus densius adspersus, spinulis crebris, brevibus, erectis, fuscis, obsitus. Scutellum vix ullum. Elytra ovata, antice truncata, ibique thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; mox pone basin ampliata, a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim acute rotundata, thorace vix duplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, mediocriter evidenter punctato-striata, interstitiis latioribus, paulo convexis; rufo-ferruginea, squamulis cinereis dorso plagiatim apice undique obsita, spinulis brevibus, erectis, fuscis, seriatim adspersa. Corpus subtus sub-remote punctatum, piceum; abdomine apicem versus dilutiore, squamulis cinereis parce adspersum. Pedes mediocres, ferruginei, cinereo-pubescentes et squamulosi; femoribus modice clavatis, muticis.

BHN.

* 25. A. ABSTERSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, piceus, griseo-squamosus, antennis rostroque ferrugineis: thorace breviori, lato, dorso canaliculato: elytris sub-gibbosis, profunde punctato-striatis, interstitiis convexis.

Habitat in Carinthia. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Acalli ptinoidi valde affinis, sed dimidio fere major; thorace breviori, latiori, canaliculato, setulis destituto, etc., ab illo distinctus. Caput rotundatum, convexum, piceum, punctulatum, squamulis fusco-griseis tectum; oculi parvi, ovati, depressi, brunnei; rostrum longitudine thoracis crassiusculum, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, sat crebre punctulatum, apice de-

pressum, nonnihil ampliatum. Antennæ in medio rostri sitæ, capite cum rostro longiores, tenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice nonnihil rotundato-productus, antrorsum multo angustior, coarctatus, basi truncatus, supra convexus, dorso canalicula tenui impressus, piceus, profunde crebre punctatus, squamulis depressis, fusco-griseis, tectus. Scutellum vix ullum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, pone humeros ampliata, thorace duplo longiora, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, sub-gibbosa, nigro-picea, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, squamulis depressis, fusco-griseis, vestita. Corpus subtus rufo-piceum, minus profunde punctatum, dense cinereo-squamosum, lateribus denudatis. Pedes mediocres, fusco-picei, dense fusco-pubescentes et squamulosi: femoribus parum clavatis, muticis; tibiis compressis, subrectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 26. A. NAVIERESI. *Chevrolat.*

Ovatus, ferrugineus, griseo-squamosus, antennis, rostro pedibusque dilutioribus; thorace amplo, convexo, antice constricto, confertim punctato, tenue canaliculato, obsolete quadri-tuberculato; elytris globosis, rude punctato-striatis, interstitiis convexis.

Acalles roboris. ? CURTIS; DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 3. p. 320.

Habitat ad Paris. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Acalli absterso affinis, sed dimidio minor; elytris globosis fortius punctato-striatis, ab illo distinctus. Caput rotundatum, convexum, obscure ferrugineum, confertim punctulatum, squamulis cinereis dense obsitum, inter oculos transversim impressum; oculi parvi, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, dilute rufo-ferrugineum, crebre punctulatum, apicem versus nonnihil ampliatum, deplanatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, dilutiori, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, margine antico vix elevatiore, tuberculis duobus armato, apice nonnihil rotundato-productus, antrorsum angus-

tatus, ibique coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice truncatus, supra convexus, dorso canalicula tenui impressus, utrinque tuberculo sat valido instructus, crebre punctatus; totus obscure ferrugineus, squamulis griseis adspersum. Scutellum vix ullum. Elytra globosa, antice thoracis basi parum latiora, humeris rotundatis, pone humeros ultra medium ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, gibbosa, obscure ferruginea, profunde et rude punctato-striata, interstitiis convexis, squamulis griseis præsertim in dorso adspersa. Corpus subtus rufo-piceum, confertim punctatum, punctis squamulis griseis repletis. Pedes mediocres, validi, ferruginei, profunde punctati, squamulis griseis adspersi; femoribus parum clavatis, muticis; tibiis compressis, subrectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Nomen imposuit Celeb. Dom. CHEVROLAT, in memoriam Dominæ NAVIÈRES, quæ hanc speciem detexit, et præterea rei Entomologicæ cultor. — BHN.

* 27. A. NOCTURNUS. *Chevrolat.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis cinereis variegatus: antennis, rostro pedibusque ferrugineis, rostro medice arcuato: thorace obsoletius crebre punctulato, antice leviter constricto: elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis convexis.

Patria: Gallia ad Paris. A Dom. CHEVROLAT et AUBÉ ad describendum amice communicatus.

Acalli ptinoidi magnitudine æqualis; rostro magis arcuato, thorace breviori, elytris evidenter punctato-striatis, supra non spinulosis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra modice convexum, punctulatum, piceum, squamulis cinereo-albidis vel silaceis tectum, interdum supra oculos transversim umbrino-squamosum; oculi parvi, ovati, haud prominuli, nigro-brunnei; rostrum longitudine thoracis, validum, modice arcuatum, teres, apicem versus perparum ampliatum et deplanatum, subtiliter confertim punctulatum, rufo-ferrugineum, basi silaceo-squamosum. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice modice rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus, lobis ocularibus haud prominulis;

anterius nonnihil angustior, intra apicem transversim late sed parum profunde impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, versus basin iterum angustatus, postice truncatus, supra convexus, confertim parum profunde punctulatus, in illæsis dense cinereo-squamosus, dorso plagis denudatis variegatus. Scutellum nullum. Elytra ovata, antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, mox pone basin ampliata, dein a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra valde convexa, sat profunde punctato-striata, punctis striarum crebris, interstitiis convexis; picea, squamulis cinereis in fasciis transversis condensatis, plus minusve dense adspersa. Corpus subtus nigro-piceum punctulatum, vix squamosum. Pedes mediocres, obscure ferruginei, cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus paulo clavatis, muticis. BHN.

28. A. VARIEGATUS. *Schh.*

Ovatus, piceus, squamulis cinereis dense variegatus, rostro crassiori, modice arcuato, evidenter punctulato; thorace crebre profundius punctato, antice vix constricto; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis; femoribus muticis.

Patria : Sicilia. A Dom. LEFEBVRE amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura omnino et summa similitudo *Acallis nocturni*, nonnihil tamen major; rostro evidenter punctulato, thorace profundius punctato, antice vix constricto, elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis sub-planis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra modice convexum, punctulatum, squamulis cinereo-albidis tectum; oculi laterales, ovati, sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, subteres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, confertim evidenter punctulatum, obscure ferrugineum, opacum, squamulis cinereis versus basin densius adspersum. Antennæ in medio rostri sitæ, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuta. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice modice rotundato-productus, utrinque leviter emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; anterius nonnihil angustior, intra apicem vix constrictus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, postice truncatus, supra convexus, crebre sat profunde punctatus, nigro-piceus,

squamulis cinereis parce adspersus. Sutellum nullum. Elytra ovata antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, mox pone humeros ampliata, a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, interstitiis latioribus, planis: nigro-picea, squamulis cinereis dense variegata, setulisque brevibus concoloribus adspersa. Corpus subtus piceum, punctatum, parce cinereo-squamosum. Pedes mediocres, obscure ferruginei, cinereo-squamulosi et pubescentes: femoribus paulo clavatis, muticis. — BHN.

* 29. A. CLAVATUS. *Say.*

Ovatus, piceus, squamulis fuscis dense tectus, spinulis erectis pallidis muricatus, antennis rostroque ferrugineis: thorace globoso, non canaliculato; elytris ovatis, modice convexis, minus profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis.

SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 29.

Patria: Florida. A Dom. SAY benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Acallis Navieresi*, thorace non tuberculato, minime canaliculato, elytris minus convexis, parum profunde punctato-striatis, ab illo mox distinctus. Caput rotundatum, convexum, piceum, punctulatum, squamulis fuscis dense tectum; oculi laterales, parvi, depressi, obscure brunnei: rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, arcuatum, rufo-ferrugineum, punctulatum, apice depressum, nonnihil ampliatum, squamulis fuscis sat dense obsitum. Antennæ capite cum rostro nonnihil longiores, tenues, pallide testaceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice in medio parum rotundato-productus, antrorsum angustatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, piceus, sat profunde minus crebre punctatus, squamulis depressis, fuscis, dense tectus, setulis crassis, erectis, pallidis, adspersus. Scutellum vix ullum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, illique arcte applicata, humeris rotundatis, ante medium ampliata, thorace duplo longiora, posterius attenuata, apice ipso obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, nigro-picea, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, squamulis fuscis dense

tecta, setulis brevibus, crassis, erectis, pallidis, seriatis, adspersa. Corpus subtus obscure ferrugineum, sat crebre profunde punctatum, squamulis fuscis parce adspersum. Pedes mediocres, validi, fusco-ferruginei, dense fusco-pubescentes et squamulosi; femoribus param clavatis, muticis; tibiis sub-compressis, rectis, apice intus uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 30. A. Pertusus. *Schh.*

Sub-ovatus, ferrugineus, supra setulis erectis testaceis muricatus; rostro valde arcuato; thorace profunde rugoso-scrobiculato; elytris sulcatis, sulcis rude punctatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Inter minores hujus generis; *Acalle ptinoide* paulo major. Caput rotundatum, convexum, ferrugineum, squamulis depressis, cinereis, dense adspersum; oculi parvi, laterales, depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, crassiusculum, apice parum dilatatum, valde arcuatum, ferrugineum, striolato-rugosum, squamulis cinereis adspersum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-testaceæ, parum pubescentes, clava ovata. Thorax amplus, latitudine baseos longior, apice nonnihil rotundato-productus, lateribus ampliatus, anterius angustatus, ibique coarctatus et transversim leviter impressus, basi sub-truncatus, supra convexus, piceus, crebre profunde rugoso-scrobiculatus, vel foveolis rotundis impressus, dorso obsoletissime carinatus, setulis erectis fuscis adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris vix prominulis, rotundatis; thorace vix duplo longiora, lateribus inflexa, a basi versus medium sensim ampliata, tum apicem versus attenuata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, sub-gibbosa, ferruginea, sat profunde sulcata, sulcis in fundo rude punctatis, interstitiis convexis, setulis erectis, testaceis, seriatis, adspersa. Corpus subtus rufo-piceum, punctatum. Pedes mediocres, ferruginei, punctati, mutici, setulis pallidis adspersi; femoribus parum clavatis; tibiis teretiusculis, rectis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

31. A. LEMUR[1]. *Muller.*

Fusco-brunneus, setosus, elytris profunde sulcatis, atomis sparsis, macula scutellari fasciaque postica sub-interrupta cinereis: femoribus muticis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 278. 414.

GENUS 335. — TRAGOPUS. *Nobis.*

Acalles DEJEAN; SCHH. olim. — *Cryptorhynchus* GERMAR.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues: funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, sub-clavatis; 2° paulo longiore, reliquis brevibus, sub-rotundatis, clava ob-ovata.

Rostrum validum, sub-teres, parum arcuatum.

Thorax oblongus, lateribus sub-æqualiter rotundatis, antice paulo productus.

Scutellum nullum.

Elytra ovata, convexa, connata.

Pedes longiusculi, validi; femora sub-linearia.

Descriptio. — *Corpus* oblongo-ovatum, convexum, durum, inæquale, squamosum, apterum; mediæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, in medio rostri insertæ, sub-tenues, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculum sub-attingente, recto, clavato; 2 et 3° longiusculis, sub-clavatis, hoc fere duplo longiore; 4-8 brevibus, sub-rotundatis, ultimo nonnihil crassiore; clava ob-ovata, 4-articulata; articulo 1° elongato, reliquis sensim brevioribus. — *Rostrum* vix longitudine thoracis, validum, sub-teres, versus apicem perparum incrassatum, parum arcuatum, inflexum; scrobs linearis, subtus flexa, ad angulum inferum oculi protensa. — *Oculi* parvi, laterales, sub-ovati, depressi. — *Thorax* latitudine longior, basi truncatus, lateribus sub-æqualiter rotundatis, anterius vix angustior, haud coarctatus, antice rotundato-productus, pone oculos haud lobatus, supra modice convexus: rima pectoralis inter pedes anticos protensa, valde profunda, argute

---

1 Forte hujus generis, mihi invisus.

marginata. — *Scutellum* haud conspicuum. — *Elytra* ovata, antice thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis; lateribus usque ad apicem modice rotundata, medio paulo latiora, apice conjunctim rotundata, anum occultantia, supra convexa. — *Pedes* longiusculi longitudine sub-æqualis; femoribus sub-linearibus, subtus obsolete dentatis; tibiis sub-teretibus, rectis, apice unco valido instructis; tarsis minus latis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Tragopus asper.*

A τραγόπους, hircinos pedes habens.

Patria : Java.

Observ. — Generi *Tylodi* valde simile, sed notæ, in descriptione indicatæ, facile hæc genera distinguunt.

* 1. T. ASPER. *De Haan.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-squamosus, rostro profunde rugoso, subrecto; thorace oblongo, remote granulato; elytris ovalibus, sulcatis, interstitiis tuberculatis; femoribus obsolete dentatis.

Cryptorhynchus id. Dom. DE HAAN *in Litteris.*
Tylodes Javanus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 295. *ed.* 3. p. 320.

Habitat in insula Java. A Dom. DE HAAN amice missus. Mus. SCHH.

Tylode armadillone paulo minor. Caput mediocre, breve, nigrum, squamulis fusco-griseis tectum; fronte foveola parva insculpta; oculi laterales, ovati, inferne acuminati, nigri, haud prominentes; rostrum thorace brevius, sub-teres, validiusculum, apice nonnihil dilatatum, parum arcuatum, nigrum, profunde rugosum, squamulis fusco-griseis tectum, apice denudatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine capitis rostrique, minus tenues, piceæ, parce pubescentes, clava breviter ovata, fusco-holosericea. Thorax sub-oblongus, latitudine baseos multo longior, apice rotundato-productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus haud prominulis, antrorsum angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, niger, squamulis griseis tectus, granulis remotis, nitidis, parce obsitus. Scutellum nullum. Elytra thorace vix latiora sed di

midio longiora, basi truncata, humeris rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros versus medium sensim ampliata, pone medium apicem versus citius angustata, apice ipso declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, sulcata, interstitiis convexis, singulis tuberculis, sat validis, nitidis, seriatim digestis, obsitis; tota nigra, dilute griseo-squamosa. Corpus subtus nigrum, dense brunneo-squamosum; abdomen excavato-incurvatum. Pedes elongati, validi, nigri, squamulis setulisque fusco-griseis tecti; femoribus parum clavatis, obsolete dentatis; tibiis subrectis, teretiusculis.

BHN.

GENUS 336. — SCLEROPTERUS. *Nobis* (1).

Cryptorhynchus GERMAR.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues; funiculo 7-articulato: articulis 1°, 2° et 3° longiusculis, sub-clavatis; primo paulo crassiore, reliquis sensim nonnihil brevioribus, parum oblongis apice rotundatis; ultimo multo breviore et latiore, clavæ arcte adpresso et fere incipiente; clava ovata.

Rostrum elongatum, teres, validum, arcuatum.

Thorax oblongus, basi truncatus, ante medium valde coarctatus, apice in medio parum rotundato-productus, lateribus ante oculos emarginatus, vix lobatus.

Scutellum haud observandum.

Elytra breviter ovata, humeris aut obtuse angulatis, aut subrotundatis.

Pedes longiusculi, validi, antici longiores; femora clavata, mutica; tibiæ antice ante apicem intus valde curvatæ.

Patria : Livonia, Carinthia.

Observ. — Corpus sub-ovatum, valde convexum, sculpturatum, durum, forte apterum; minimæ magnitudinis. — Structura antennarum tibiarumque anteriorum, quæ in his a structura *Acallis* generis longe est diversa, separationem ab eodem merito postulare videtur.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 290. 167.

* 1. S. Serratus. *Eschscholtz.*

Sub-ovatus, ater, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro validiori, punctato-rugoso; thorace longiori, antice valde coarctato, canaliculato, profunde punctato, lateribus angulariter producto; elytris breviter ovatis, punctato-sulcatis; interstitiis spinulosis, humeris obtuse angulatis. — Bhn.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 279. 416.

Patria: Livonia.

* 2. S. Offensus. *Schh.*

Sub-ovatus, ater, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro crassiori, striolato-rugoso; thorace breviori, antice valde coarctato, basi canaliculato, profunde punctato, lateribus rotundato; elytris sub-ovatis, punctato-sulcatis, interstitiis rugosis, humeris rotundatis.

Habitat in Carinthia. A Dom. Schuppel communicatus. Mus. Schh.

Scleroptero serrato valde affinis, sed nonnihil minor; rostro crassiori, thorace breviori, lateribus rotundato, interstitiis elytrorum minus distincte spinulosis ut et humeris rotundatis, ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, atrum, crebre profunde punctatum; oculi sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, arcuatum, striolato-rugosum, atrum, sub-nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax latitudine baseos vix longior, apice nonnihil rotundato-productus, mox pone apicem valde coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, basi canaliculatus, punctis profundis confluentibus rugosus, ater, sub-nitidus. Scutellum vix conspicuum. Elytra sub-ovata, gibba, antice thorace nonnihil latiora, et illo vix dimidio longiora, humeris rotundatis, pone humeros ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, atra, profunde punctato-sulcata, interstitiis transversim rugosis. Corpus subtus nigrum, punctatum. Pectus fusco-squamosum. Pedes nigri, tibiis tarsisque ferrugineis: femoribus parum clavatis, muticis; tibiis anticis elongatis, ante

apicem curvatis, posterioribus subrectis, omnibus apice truncatis inermibus; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

COHORS 2. — *Thorax infra pro receptione rostri aut minus distincte, aut vix canaliculatus: canalicula in pectore in plerisque haud continuata, sed nunquam distincte terminata.*

GENUS 337. — DESMIDOPHORUS. *Chevrolat.*

Desmidophorus DEJEAN. *Rhynchaenus* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis primis reliquis longioribus, sub-clavatis, ultimis sub-rotundatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, validum, teres, modice arcuatum; stria lata, obsolete impressa, e medio oculorum ad medium rostri exeunte.

Oculi sub-rotundati, depressi.

Thorax brevis, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius subito angustior, apice rotundato-productus.

Elytra breviter ovata, humeris obtuse angulatis; apice singulatim breviter acuminata.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, convexum, sculpturatum, tuberculosum, squamosum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium attingentes, mox pone medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1 oculum sub-attingente, clavato; 2° et 3° elongatis; 4° et 5° paulo brevioribus, omnibus sub-clavatis; 6-8 sub-rotundatis; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* capite duplo longius, validum, teres, extrorsum perparum incrassatum, modice arcuatum, inflexum; canalicula lata, sed non profunda, ab oculo ad medium rostri ducta, utrinque exaratum; scrobe haud profunda, pone gulam in basi rostri exeunte; mandibulæ mediocres, exsertæ, corniculatæ, validæ, intus obtuse uni-dentatæ. — *Oculi* laterales, sub-rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine baseos multo brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius cito angustior, haud coarctatus, supra occiput rotundato-productus, pone oculos lobatus, supra pulvinatus, infra pone gulam profunde emarginatus; rima pectoralis inter pedes anticos continuata, lateribus et apice haud determinata. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora

illoque triplo longiora, breviter ovata, valde convexa, humeris lateraliter paulo extensis, obtuse angulatis; apice singulatim breviter acuminata. — *Pedes* mediocres, sub-æquales, validi; femoribus omnibus basi distantibus, parum incrassatis; tibiis crassiusculis, sub-teretibus, paulo curvatis, apice vix ungulatis; tarsis latis, subtus spongiosis: articulo 3° latiore, bi-lobo, unguiculari, bi-ungulato.

A δεσμὶς fasciculo, φέρω porto.

Typus. *Desmidophorus hebes.*

Patria: India orientalis; etiam Brasilia, teste Dom. Com. Dejean.

* 1. D. Hebes. *Fabricius.*

Breviter ovatus, convexus, ater, nigro-pilosus; thorace brevi, pulvinato, confertim rugoso-punctato; elytris punctato-sub-sulcatis, tuberculis nonnullis atro-fasciculatis, lituraque laterali apicisque flavo-aureo-squamosis notatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 463. 127.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 194. 177. T. 12. f. 144.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 426. 138. — *Mant.* I. p. 100. 101. — *Spec. Ins.* I. p. 174. 86.
Herbst, *Col.* VI. p. 389. 368. T. 90. f. 14.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 504. 152.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1765. 242.
Desmidophorus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 320.

Patria: Bengalia.

2. D. Aureolus. *Chevrolat.*

Breviter ovatus, ater, convexus, squamis pallidis, aureo-micantibus undique dense tectus; thorace brevi, pulvinato, confertim scrobiculato; elytris sub-sulcatis, sulcis rude, remote punctatis, interstitiis tuberculis nonnullis flavo-aureo-fasciculatis instructis.

Patria: Insula Java. A Dom. Chevrolat nominatus et ex ejus Musæo descriptus.

Desmidophoro hebeti magnitudine et statura æqualis, indumento denso pallide aureo excepto, etiam in cæteris simillimus. Caput

breve, transversum, supra fere planum, confertim punctatum, nigrum, squamis ovatis, depressis, flavo-aureis dense vestitum: oculi rotundati, brunnei, parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, validum, sub-arcuatum, supra convexum, confertim scrobiculatum, atrum, setis pallidis, posterius brevibus, versus os longioribus adspersum. Antennæ mediocres, nigræ, pallido-setulosæ. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice profunde bi-sinuatus, lobo medio lato, antrorsum producto, obtuse rotundato; lateribus anterius obliquis, posterius rotundato-ampliatis, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra modice convexus, pulvinatus, confertissime scrobiculatus, ater, squamis majusculis, ovatis, depressis, aliisque setiformibus, suberectis, omnibus flavis, aureo-micantibus, dense vestitus. Scutellum rotundatum, elevatum, atrum, dense flavo-aureo-squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, angulo humerali lateraliter extenso, rotundato; posterius angustiora, apice singulatim sub-acuminata, dehiscentia, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, sub-sulcata, sulcis rude, remote punctatis, interstitiis planis, rugulosis; atra, squamis lanceolatis, depressis, flavo-aureis, dense tecta, et præterea in interstitiis secundo et quarto a sutura tuberculis nonnullis, flavo-aureo-fasciculosis, in centro brunneis, instructa. Corpus subtus confertim punctatum et rugulosum, squamositate densa flavo-aurea tectum. Pedes validi, atri, confertim rugulosi, dense flavo-aureo-squamosi: femoribus parum crassis, muticis; tibiis arcuatis, dense nigro ciliatis; tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — GHL.

3. D. CONFLUCII (1). *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis fuscis adspersus, rostro parum arcuato, basi rude confertim dein subtiliter remote punctato; thorace crebre profunde punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis dorsalibus tuberculatis, fascia angusta, transversa, arcuata, pone medium punctisque nonnullis niveis ornatis, apice ochraceo-squamosis.

Habitat in China. Mus. Dom. HOPE.

Desmidophoro hebeti magnitudine et statura simillimus; rostro api-

(1) Forte hujus generis, nunc in possessione ad conferendum non esse

cem versus subtiliter punctulato ut et signaturis elytrorum ab illo mox distinctus. Caput mediocre, rotundatum, nigrum crebre profunde rugoso-punctatum, squamulis nonnullis fuscis adspersum. Oculi ovati, transversi, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum thorace nonnihil brevius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigrum, sub-nitidum, basi rude et sat crebre dein minus confertim subtilius punctatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus crassæ, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, atro holosericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius valde angustatus, apice in medio nonnihil rotundato-productus, mox pone apicem coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, profunde crebre punctatus, niger, dorso fere denudatus; lateribus squamulis fusco-cervinis tectus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, atro-holosericeum. Elytra ampla, basi singulatim rotundato-producta, antice thorace multo latiora et illo fere triplo longiora, humeris prominulis, obtuse rotundatis; pone humeros apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, subtiliter striato-punctata, interstitiis planis, secundo quartoque tuberculis tribus elevatis, atris, obsitis; tota nigra, squamulis fuscis atrisque mixtis dense tecta, apice ochraceo-squamosa, fascia pone medium augusta, transversa, arcuata punctisque quinque niveis ornata; puncto primo non procul a sutura ante medium, secundo tertioque obliquis, versus latera transversim locatis etiam ante medium, quarto quintoque in dorso postico positis. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, squamulis fusco-griseis tectum. Pedes mediocres, robusti, nigri, punctati, squamulis paleaceis obsiti; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis teretibus, apicem versus nonnihil ampliatis; tarsis dilatatis, subtus-spongiosis. — BHN.

4. D. PENICILLATUS (1). *Dejean.*

DEJEAN, *Cat. Col. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 320.

Rhynchænus fascicularis. FABR. *Syst. El.* II. p. 462. 120.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 166. 136. T. 1. f. 9.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 424. 131.

---

(1) Mihi invisus.

HERBST, *Col.* VI. p. 460. 466. T. 94. f. 11.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 502. 144.

Patria : Cayenna. ? Brasilia. ?

GENUS 338. RHYSSOMATUS. *Chevrolat.*

Ryssematus CHEVROLAT, DEJEAN. — *Orobitis* GERMAR.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, aut lenticularibus, aut brevissime ob-conicis, paulo coarctatis, successive nonnihil latioribus; clava ovalis, acuminata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, modice arcuatum.

Oculi magni, ovati aut sub-elliptici, fere transversi, supra contigui, vel distantes.

Thorax transversus, basi bi-sinuatus, angulis acutiusculis; anterius valde attenuatus, intra apicem coarctatus.

Elytra sub-ovata, humeris antrorsum prominulis, sub-angulatis; pone humeros in plerisque paulo ampliata, versus apicem valde angustata.

Tibiæ pone basin curvatæ, quatuor posteriores versus apicem extus calcaratæ.

Descriptio. — *Corpus* sub ovatum, convexum, sculpturatum, glabrum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix superantes, versus medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculos attingente, clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, aut lenticularibus aut brevissime obconicis, gradatim crassitudine paulo crescentibus, aliquantulum coarctatis; clava ovalis, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, validiusculum, lineare, teres, modice arcuatum, inflexum; scrobe profunda, curvata, juxta medium incipiente, ad angulum inferum oculi exeunte. — *Oculi* sub-transversi, ovati aut sub-elliptici, sub-depressi, subtus approximati, supra in aliis contigui, in aliis plus minusve distantes, sat magni. — *Thorax* latitudine postica multo brevior, basi bi-sinuatus, marginatus, acutangulatus, anterius valde angustior, lateribus obliquis, parum ampliatis; intra apicem coarctatus, apice sub-productus, in medio leviter emarginatus, lobis ocularibus exiguis, supra parum convexus, infra pone gulam late emarginatus;

rima pectoralis distincta, sed parum profunda, marginata, ante pedum anticorum basin desinens. — *Scutellum* rotundatum, sub-elevatum. — *Elytra* thoracis basi vix latiora illoque triplo longiora, sub-ovata, basi conjunctim tri-sinuata, humeris antrorsum prominulis, sub-angulatis; lateribus pone humeros sæpissime paulo latiora, deinde sensim attenuata et versus apicem rotundata, apice ipso conjunctim rotundata, pygidium obtegentia, supra convexa. — *Pedes* mediocres, validi, longitudine sub-æquales, basi distantes; femoribus modice incrassatis, subtus dente unico armatis; tibiis arcuatis, quatuor posterioribus versus apicem extus calcaratis, apice oblique sub-truncatis, externe excavatis; tarsis subtus spongiosis; articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ῥυσσός rugosus, ατος pellis.

Typus. — *Rhyssomatus novalis*.

Patria: America meridionalis.

Observ. — Generi *Centrino* quoad habitum subsimile est hoc genus, sed antennarum structura diversa, anguli postici thoracis et humeri elytrorum magis acuminati, ut et elytra convexiora.

Stirps 1. *Oculi contigui vel parum distantes: rostrum validum, teres minus elongatum, paulo arcuatum.* (Species 1-8.)

* 1. R. Novalis. *Germar.*

Sub-ovatus, piceus, oculis supra contiguus; thorace carinato, oblique confertim intricato-strigoso: elytris remote seriato-punctatis, sutura interstitiisque secundo, quarto, sexto et octavo totis, septimo nonoque antice, argute costatis. — Fahræus.

Orobitis id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 245. 373.

Observ. Magnitudine *Byrrhi dorsalis* auctorum.

Patria: Brasilia.

* 2. R. PALMACOLLIS. *Say.*

Ovatus, nigro-piceus, oculis sub-contiguis, rostro striolato-rugoso; thorace obsolete carinato, oblique strigoso; elytris rufo variegatis, bifariam profunde punctato-striatis, interstitiis alternis costatis.

Cryptorhynchus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 27. 3.
Tylomus lineaticollis. Dom. GERMAR *in Litteris.*
SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 16. } *Iidem*
Cryptorhynchus id. SAY, l. c. p. 27. 1. } forte.
Rhynchænus id. SAY, *Journ. Acad. Phil.* III. p. 313.

Habitat Missouri Americæ borealis. A Dom. SAY benevole communicatus.

Rhyssomato novali statura simillimus, dimidio tamen minor; thorace obsolete carinato, evidenter strigoso, elytris profundius punctato-striatis, interstitiis lateralibus tantum alternis, costatis, etc., ab illo distinctus. Caput breve convexum, confertim rugose-punctatum, nigro-piceum; oculi ovati, transversi, parum prominuli, in fronte sub-contigui; rostrum thorace vix longius, crassiusculum, teres, parum arcuatum, nigro-piceum, carinatum et utrinque striolato-rugosum. Antennæ pone medium rostri sitæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos duplo fere brevior, anterius multo angustior, apice in medio sub-productus, utrinque sinuato-lobatus, intra apicem coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, nigro-piceus: in medio dorsi carinula parum elevata notatus, sulcis obliquis, crebris, sat profundis, undique exaratus. Scutellum parvum, rotundum, nigro-piceum, fusco-squamosum. Elytra ovata, antice thoracis basi parum latiora, quam lata dimidio longiora, humeris obliquis, prominulis, acutangulatis; pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, punctis profundis per paria approximatis striata, interstitiis alternis planis, alternis argute costatis; tota nigro-picea, obscura, maculis ferrugineis variegata, squamulis minutissimis, pallidis, parce adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, profunde punctatum. Pedes longiusculi, validi, picei, punctati; femoribus parum clavatis, dente parvo, acuto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis apicem versus sen-

sim dilatatis, posterioribus extus calcaratis: tarsis elongatis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 3. R. CRISPICOLLIS. *Schh.*

Sub-ovatus, ater, opacus, oculis sub-contiguis, antennis tarsisque ferrugineis: rostro modice arcuato, basi obsolete carinato; thorace sub-carinato, oblique strigoso; elytris bifariam punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis.

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR communicatus. Mus. SCHH.

Chalcodermo metallino magnitudine et statura subsimilis. Caput rotundatum, atrum, opacum, obsolete crebre rugulose-punctatum; oculi in fronte approximati, sat magni, ovati, transversi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, subteres, tenue, modice arcuatum, nigrum, basi obsolete carinatum, striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustatus, apice supra nonnihil productus, in medio levissime emarginatus, lateribus vix rotundato-ampliatus, intra apicem constrictus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, ater, opacus, undique oblique striolatus, dorso obsolete carinatus. Scutellum minutum, sub-rotundatum, atrum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, latitudine duplo longiora, humeris nonnihil prominulis, acutangulatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, atra, opaca, sat profunde striato-punctata, punctis oblongo-quadratis per paria sub-approximatis, interstitiis alternis modice elevatis, sub-costatis. Corpus subtus atrum, opacum, pectore profunde ventre obsolete punctatis. Pedes validi, atri, punctulati; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis sub-compressis, basi nonnihil arcuatis, posterioribus versus apicem extus calcaratis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

4. R. SUBCOSTATUS. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, niger, nitidus, oculis sub-contiguis; thorace sub-carinato, obsoletius oblique strigoso; elytris seriatim foveolatis, sutura interstitiisque secundo et quarto postice extimoque antice elevato-costatis; antennis tarsisque ferrugineis.

Patria : Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum communicatus.

Balanino nucum paulo minor. Caput rotundatum, nigro-piceum, temere punctatum; oculi transversi, valde elongati, depressi, supra fere conniventes, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, crassiusculum, arcuatum, basi supra sub-carinatum, ad latera longitudinaliter strigosum, undique subtiliter punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ ad medium thoracis vix attingunt, rufo-ferruginea, clava sub-ovata, acuminata. Thorax dimidio latitudinis posticæ vix longior, anterius valde angustatus, apice supra nonnihil productus, utrinque sinuatus, intra apicem constrictus, in medio nonnihil ampliatus, basi marginatus, leviter quadri-sinuatus, angulis lateralibus sub-prominulis; supra modice convexus, niger, nitidus, intra apicem punctis majusculis in serie transversa impressis, margine ipso subtilius punctulato, superficie reliqua oblique, minus argute strigosa, disperse subtiliter punctata, carinula longitudinali in medio obsoleta, lævi. Scutellum rotundatum, rugosum, concolor. Elytra basi latitudine thoracis, antice marginata, conjunctim tri-sinuata, humeris dilatatis, antrorsum nonnihil productis, angulatis, pone humeros versus apicem admodum angustata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra valde convexa, nigra, nitida, immaculata, seriatim foveolata, foveolis rotundis, in singula serie circiter 12-14, sutura interstitiisque secundo et quarto pone medium extimoque anterius elevato-costatis. Corpus subtus nigrum, punctatum, pube tenuissima, grisea adspersum. Pedes mediocres, nigri; femoribus confertim punctatis, modice incrassatis, subtus ante apicem dente sat valido armatis; tibiis arcuatis, rugoso-punctatis, quatuor posterioribus apice flavo-pilosis, obtusius calcaratis; tarsis ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — FHS.

5. R. RUFUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus rufo-brunneus, oculis distantibus; elytris dilutius testaceis: thorace crebre, concinne punctato, lateribus sub-strigoso; elytris profunde seriato-punctatis, posterius sub-sulcatis; interstitiis alternis sub-costatis, costis interioribus antice abbreviatis, exterioribus integris.

Patria: Orizaba, Mexico. A. Dom. CHEVROLAT ad describendum missus.

Magnitudine *Pseudomi notati.* Caput sub-globosum, confertim punctatum, rufo-testaceum, fronte foveola obsoletiore impressa; oculi magni, sub-ovati, perparum prominuli, in fronte distantes, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, lineare, modice arcuatum, rufo-brunneum, glabrum, basi longitudinaliter strigosum, versus apicem subtiliter punctulatum. Antennæ longitudine medium thoracis nonnihil superant, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos dimidio brevior, anterius valde angustatus, apice in medio nonnihil productus, lateribus sat profunde sinuatus, margine lobi ocularis subtus in spinam obtusam exeunte, lateribus intra apicem coarctatus, dein modice ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, marginatus; supra parum convexus, profunde confertim punctatus, lateribus tantum obsoletius oblique strigosis, in medio dorsi linea longitudinali angusta, abbreviata, lævi, impressione laterali intra apicem sub-foveolata; totus rufo-brunneus, glaber. Scutellum sub-rotundatum, rufo-testaceum. Elytra antice conjunctim tri-sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris nonnihil prominulis, angulatis, pone basin ampliata, margine laterali in medio inflexo; posterius attenuata, apice simultaneæ sub-rotundata, thorace triplo fere longiora, supra convexa, profunde seriato-punctata, in dorso antico haud striata, posterius vero lateribusque sub-sulcata, interstitiis alternis elevatis, sub-costatis, costis duabus interioribus ab apice vix ultra medium dorsi productis, exterioribus sub-integris; tota dilutius testacea, pube tenuissima, flavescente, parce adspersa. Corpus subtus rufo-brunneum, punctatum, tenuiter flavo-pubescens. Pedes validi, rufo-brunnei; femoribus punctatis, in medio incrassatis, subtus pone medium dente valido armatis; tibiis strigosis, basi arcuatis, intermediis posticisque apice extus flavo ciliatis, obsolete calcaratis; tarsis subtus griseo-spongiosis. — FHS.

6. R. VIRIDIPES. *Chevrolat.*

Sub-ovalis, fusco-æneus, nitidus, oculis coadunatis, rostro breviore, valido, thorace punctatissimo; elytris seriato-foveolatis, interstitiis postice elevatis, pedibus viridi-æneis, antennis rufo-piceis.

Patria: Vera Crux, Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Magnitudine *Ciono blattariæ* æqualis. Caput rotundatum, viridi-æneum, subtiliter punctulatum, fronte foveola obsoleta impressa; oculi majusculi, sub-ovati, minime prominuli, nigri, supra conniventes; rostrum capite vix duplo longius, parum arcuatum, crassum, lineare, nigro-æneum, undique punctulatum, glabrum. Antennæ thoracis medium vix superant, obscure ferrugineæ, clava ovata, griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos dimidio brevior, antice valde angustatus, apice dorsi nonnihil productus, in medio levissime emarginatus, lateribus utrinque sinuatus, margine subtus in spinam acutam prominente, lateribus intra apicem coarctatus, dein nonnihil ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis obliquis; supra modice convexus, undique punctatus, ad latera profundius, remotius, in dorso crebrius, punctis minoribus interjectis: totus obscure æneus, sub-glaber. Elytra antice thoracis basi vix latiora, basi tenuiter marginata, conjunctim trisinuata, humeris obliquis, antrorsum prominulis, angulatis; lateribus pone humeros fere recta, postice conjunctim rotundata, thorace triplo fere longiora, supra convexa, foveolis rotundis seriatim impressis, sutura interstitiisque pone medium alternatim altius elevatis; tota fusco-picea, sub-æneo-splendentia, glabra. Corpus subtus obscure æneum, pectore profundius, segmentorum ventralium marginibus subtiliter punctatis. Pedes validiusculi, viridi-ænei, punctatissimi; femoribus parum incrassatis, subtus pone medium uni-dentatis; tibiis brevissimis, arcuatis, 4-posterioribus extus ante apicem obsolete calcaratis; tarsis nigro-piceis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

* 7. R. POLYCOCCUS. *Schh.*

Sub-ovatus, ater, opacus, oculis sub-contiguis, supra valde inæqualibus; thorace strigis obsoletioribus, interruptis, adsperso, antice in medio carinato, tuberculis aliquot in disco elevatis; elytris obsolete irregulariter sub-striatis, interstitiis alternis verrucis majoribus, oblongis, seriatim obsitis, granulis rugisque temere interjectis; antennis, tarsis suturaque postice obscure ferrugineis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM et Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus. Mus. SCHH.

Balanino nucum magnitudine æqualis vel paulo robustior. Caput rotundatum, atrum, rugosum, fronte sub-depressa; oculi elongati, transversi, minime prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, arcuatum, lineare, rugoso-punctatum, nigrum. Antennæ thoracis medium attingunt, obscure ferrugineæ, clava ovata, acuminata, flavescenti-sericea. Thorax dimidio latitudinis posticæ aliquantulum brevior, anterius valde angustatus, apice supra parum productus, margine in medio obsolete, ad latera utrinque profundius sinuato, intra apicem constrictus, lateribus sat ampliatis, postice sub-marginatus, bi-sinuatus, angulis lateralibus oblique prominulis; supra parum convexus, ater, opacus, squamulis minutis, flavescentibus, parce adspersus, antice transversaliter impressus, punctis plurimis in impressione irregulariter excavatis, in medio carina longitudinali, postice abbreviata, elevata, rugis duabus brevibus, parallelis, utrinque ad marginem anticum adjacentibus, in dorso posterius tuberculis quatuor, quadrangulariter, et versus latera utrinque duobus aliis, transversim dispositis, omnibus obtusis, superficie reliqua granulis strigisque interruptis, irregulariter, crebre, obsita. Scutellum sub-triangulare, atrum, parce flavescenti-squamosum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, humeris valde elevatis, antrorsum prominulis; lateribus sat ampliata, margine ante medium inflexo, apice conjunctim sub-rotundata; supra anterius modice convexa, posterius sub-gibba, valde irregulariter remote sub-striata, interstitiis alternis verrucis 5-7 oblongis, validis, rugoso-punctatis, dorsalibus majoribus, seriatim obsitis, granulis rugisque undique temere interjectis; tota atra, opaca, squamulis uti thorax adspersa, sutura postice rufescente. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, pectore medio foveolato, undique parce flavo-squamosum. Pedes

validiusculi, nigri, densius flavo-pubescentes; femoribus incrassatis, crebre punctatis, subtus ante apicem uni-dentatis; tibiis breviusculis, nonnihil arcuatis, rugoso-punctatis, quatuor posterioribus extus obtuse calcaratis; tarsis obscure ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — FHS.

8. R. STRIGICOLLIS (1). *Germar.*

Oculis sub-contiguis, piceis: thorace carinato, oblique strigoso: elytris clathratis. GERM.

Orobitis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 245. 374.

Patria : Brasilia.

STIRPS 2. *Oculi plus minusve late distantes, fronte foveola impressa: rostrum subtenue, cylindricum, magis elongatum et arcuatum.* (Species 9-13.)

* 9. R. MORIO. *Schh.*

Sub-ovalis, niger, parum nitidus, creberrime punctulatus: rostro longitudine dimidii corporis, tenui, valde arcuato, punctato, nitido: thorace antice valde constricto, lateribus sub-strigoso: elytris tenue punctato-striatis, interstitiis planis.

Patria : Mexico inter Oaxaba et Acapulco. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Byrrhi dorsalis.* Caput globosum, exsertum, crebre punctatum, fronte inter oculos foveola oblonga impressa; oculi majusculi, sub-ovati, depressi, valde demissi, in fronte late distantes; rostrum longitudine dimidii corporis, cum fronte angulum obtusum formans, tenue, cylindricum, æqualiter valde arcuatum, sat crebre punctulatum, nitidum; mandibulæ compressæ, in margine utroque dente armatæ. Antennæ medio rostri insertæ, thoracis basin pertingentes, subtenues, clava oblongo-ovata, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos duplo brevior, antice plus duplo angustior, apice supra rotundato-productus, margine in medio levissime emarginatus, pone oculos modice lobatus, intra apicem utrinque strictura profunda, punctis pluribus exarata,

(1) Mihi invisus.

transversim impressus, lateribus modice rotundatus, basi modice bi-sinuatus, leviter marginatus, supra modice convexus, creberrime minus profunde punctatus, punctis lateribus et subtus in striolas obliquas confluentibus, rima infera ante pedes anticos utrinque in dentem exeunte. Scutellum minutum, rotundatum, immersum. Elytra thorace plus duplo longiora, antice ejus basi perparum latiora, basi conjunctim modice tri-sinuata, humeris antrorsum valde prominulis; lateribus modice fere æqualiter rotundata, sensim angustata, apice conjunctim rotundata, supra modice æqualiter convexa, punctis crebris, minutis, sub-quadratis, antrorsum sub-distinctis, posterius striis conjunctis, seriatim impressa, interstitiis latis, planis, creberrime, sat profunde punctatis, 9° antrorsum carinato. Corpus subtus in pectore opaco creberrime et profundius, in abdomine nitido remotius et subtilius punctatum. Pedes validiusculi; femoribus modice clavatis, confertissime punctatis, subtus dente acuto, sat valido, armatis; tibiis compressis, punctato-striatis, basi parum arcuatis, extrorsum dilatatis, apice oblique truncatis, posterioribus extus mox intra apicem in dentem acutum ampliatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis. — RLD.

10. R. MARGINATUS. *Chevrolat.*

Ovatus, niger, sub-nitidus, thorace confertissime strigoso, antice transversim impresso, linea longitudinali in medio lævi; elytris regulariter striato-punctatis, interstitiis rugulosis, planis, impressione antica margineque postico thoracis ut et linea intra-marginali elytrorum griseo-squamosis.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Magnitudo *Cryptorhynchi divergentis.* Caput globosum, crebre punctatum, nigrum, fronte inter oculos foveola rotunda impressa; oculi magni, sub-ovati, perparum prominuli, late distantes, nigri; rostrum capite cum thorace paulo brevius, arcuatum, lineare, nigrum, nitidum, subtiliter rugoso-punctatum. Antennæ dimidio thoracis nonnihil superant, nigro-piceæ, clava acuminata, albido-sericea. Thorax latitudine postica multo brevior, anterius duplo angustior, apice supra productus, in medio paululum emarginatus, ad latera utrinque late sinuatus, lobis ocularibus exiguis; intra apicem transversim impressus, utrinque coarctatus, dein sat

ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, confertissime at minus argute intricato-strigosus, punctis sparsis, præcipue in dorso, interjectis, linea angusta longitudinali in medio lævi, impressione antica, transversa obsoletius, margine baseos dense et determinate griseo-squamosis, squamis depressis, nitidis. Scutellum rotundatum, coriaceum, nigrum. Elytra basi latitudine thoracis, antice conjunctim tri-sinuata, humeris nonnihil antrorsum prominulis, angulatis, extus nonnihil dilatatis; pone humeros versus apicem attenuata, postice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra versus basin modice convexa, posterius sub-gibbosa, nigra, sub-nitida, regulariter striato-punctata, punctis oblongo-quadratis, interstitiis planis, evidenter rugulosis, in interstitio extimo linea ab humeris fere ad apicem extensa, griseo-squamosa. Corpus subtus nigrum, in pectore profunde, in ventre subtilius punctatum. Pedes validiusculi, nigri; femoribus undique punctatis, medio incrassatis, subtus versus apicem dente sat valido armatis; tibiis longitudinaliter strigosis punctatisque, basi arcuatis, quatuor posterioribus apice extus aureo ciliatis, minus valide calcaratis: tarsis dilatatis, subtus griseo-spongiosis.

FHS.

* 11. R. STRANGULATUS. *Schh.*

Ovalis, convexus, niger, glaber, thorace subtiliter oblique ruguloso: elytris sub-sulcatis, sulcis remote, profunde punctatis: interstitiis angustis, convexis, sub-costatis.

Patria: Insula Martinique. Dom. FORSSTROEM; ins. St.-Vincent. Dom. HOPE. Mus SCHH.

Minor, *Baridio artemisiæ* sub-æqualis. Caput rotundatum, convexum, punctatum, nigrum, fronte foveola rotunda impressa: oculi magni, nigri, minus prominuli, in fronte distantes; rostrum longum, arcuatum, lineare, nigrum, nitidum, obsolete punctulatum. Antennæ mediocres, rufo-piceæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo brevior, anterius dimidio angustior, apice superne nonnihil productus, in medio leviter emarginatus, utrinque sinuato-lobatus, longe intra apicem constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus sub-acuminatis; supra parum convexus, confertim subtiliter rugulosus, rugulis ab utroque latere oblique retrorsum directis, punctis præterea majusculis in impressione laterali apice

seriatim excavatis; in medio dorsi sub-carinatus, niger, glaber, parum nitidus. Scutellum rotundatum, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi non latiora, humeris nonnihil antrorsum prominulis, angulatis; pone humeros paululum ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sulcis latis, sed parum profundis exarata, sulcis punctis majusculis remotis impressis, interstitiis angustis, elevatis, sub-costatis; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus punctatum, nigrum, magis nitidum. Pedes mediocres, nigri; femoribus medio crassioribus, subtus dente parvo armatis; tibiis arcuatis, posterioribus calcaratis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — Ghl.

* 12. R. Aciculaticollis. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, nitidus, rostro, antennis tarsisque ferrugineis, rostro arcuato, punctulato; thorace oblique strigoso, linea longitudinali in medio lævi, vix elevata; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis elevatis, carinatis.

Patria: Insula St.-Domingo. A Dom. Com. Mannerheim benevole donatus. Mus. Schh.

Statura et summa similitudo *Rhyssomati crispicollis*, sed nonnihil minor, magis nitidus; ab illo elytrorum interstitiis omnibus elevatis, carinatis, mox distinctus. Caput globosum, piceum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum, inter oculos foveola obsoleta insculptum; oculi laterales, sat magni, transversi, in fronte distantes, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, sub-teres, tenue, arcuatum, ferrugineum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, minus tenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius multo angustior, apice supra nonnihil productus, in medio levissime emarginatus, utrinque sinuato-lobatus, lateribus medio nonnihil ampliatus, intra apicem coarctatus, postice bi-sinuatus, tenue marginatus, supra modice convexus, nigro-piceus, nitidus, undique crebre subtiliter oblique striolatus, dorso linea lævi, sub-elevata, instructus. Scutellum minutum, sub-rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace parum latiora, quam lata dimidio longiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, sub-angulatis; pone humeros apicem versus sensim

perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, atra, nitida, profunde punctato-striata, interstitiis omnibus elevatis, sub-costatis. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum. Pedes mediocres, validi, punctati, nigro-picei; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis; tibiis teretibus, basi nonnihil armatis, quatuor posterioribus versus apicem extus calcaratis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

13. R. NIGERRIMUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, glaber, sub-nitidus, thorace transverso, dilatato, confertissime intricato-strigoso, linea longitudinali in medio, lævi; elytris angustioribus, striatis, striis remote punctatis, interstitiis posterius sub-costatis, antennis tarsisque ferrugineis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Baridio artemisiæ paulo minor. Caput globosum, nigrum, nitidum, glabrum, crebre concinne punctatum, fronte antice foveola impressa; oculi majusculi, sub-ovati, sat late distantes, haud prominuli, nigri; rostrum longum, arcuatum, lineare, nigrum, nitidum, punctulatum. Antennæ fere thoracis basin attingentes, ferrugineæ, clava dilutiore, albido-sericea. Thorax latitudine baseos duplo brevior, anterius multo angustior, apice superne nonnihil productus, in medio obsolete emarginatus, versus latera utrinque sat profunde sinuatus, mox intra apicem constrictus, lateribus valde ampliatus, basi bi-sinuatus, supra transversim sub-convexus, totus niger, confertissime oblique strigosus, strigis hinc illinc confluentibus, linea longitudinali in medio distincta, lævi. Scutellum rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi haud latiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris nonnihil prominulis, acutangulatis; lateribus pone humeros sensim angustata, margine medio inflexo, apice conjunctim sub-rotundata, thorace plus triplo longiora; supra convexa, punctato-striata, posterius sub-sulcata, punctis remotis, interstitiis versus basin dorso sub-planis, transversim rugulosis, posterius et ad latera elevatis, sub-costatis; tota nigro-picea, sub-glabra. Corpus subtus nigrum, nitidum, profunde crebre punctatum. Pedes mediocres, nigro-picei; femoribus confertim punctatis, in medio incrassatis, subtus dente parvo armatis

tibiis sub-strigosis, basi arcuatis, quatuor posterioribus extus calcaratis; tarsis ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

Genus 339. CHALCODERMUS. *Chevrolat.*

Chalcodermus Dejean. — *Rhynchænus* Fabr., Germar, Say.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, aut sub-turbinatis, aut sub-rotundatis exterioribus paulatim latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longum, aut validiusculum, aut tenuius, teres, modice arcuatum.

Oculi et supra et infra sub-connati, ovales, sub-depressi.

Thorax brevissime sub-conicus, antice coarctatus, angulis posticis sub-rectangulatis.

Elytra oblongo-sub-triangularia, humeris aut obtusis, sub-rotundatis, paulo retusis, aut obtuse angulatis.

Pedes robusti; tibiæ paulo curvatæ, intus in medio sæpissime dente acuto armatæ, in nonnullis muticæ.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, convexum, sculpturatum, in plerisque glabrum, metallicum, alatum; aut minoris, aut minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin sub-attingentes, mox ante medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculos attingentes apice clavato; 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, aut sub-rotundatis, aut apice truncatis, exterioribus successive paulo crassioribus, nonnihil coarctatis; clava oblongo-ovata, 4-articulata, articulis distinctis. *Rostrum* lineare, modice arcuatum, crassitie et longitudine varians, in plerisque thoracem adæquans, aut validum, aut subtenue; scrobe lineari, profunda, ad oculum protensa. — *Oculi* majusculi, oblongi, transversi, supra in plerisque valde approximati, in nonnullis paulo distantes, infra semper sub-contigui, sub-depressi. — *Thorax* latitudine baseos multo brevior, basi bi-sinuatus, angulis haud acutis, lateribus modice rotundatus, anterius valde angustior, intra apicem coarctatus, antice paulo rotundato-productus, supra modice convexus, pone oculos vix lobatus; infra pone gulam late emarginatus; rima pectorali distincta, ante pedes anticos desinente, lateribus marginata, margine utrinque in dentem unicum

minutum ante coxas producta. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum, paulo elevatum. — *Elytra* antice thoracis basi latiora, illoque triplo longiora, humeris obtusis, sub-angulatis, paulo retusis: versus apicem sensim valde angustata, supra valde convexa, versus apicem declivia, haud callosa, apice ipso in plerisque singulatim in aliis conjunctim sub-rotundata, anum obtegentia. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, robusti, antici basi parum distantes; femoribus clavatis, subtus dente unico valido, acuto, armatis; tibiis sub-angulatis, parum curvatis, anticis infra in medio in plerisque dente acuto armatis, in cæteris leviter bisinuatis, muticis, apice unco valido instructis; tarsis mediocribus, subtus spongiosis, articulo penultimo latiori, bi-lobo, ciliato, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A χαλκὸς æs, δέρμα cutis.

TYPUS. — *Chalcodermus calidus.*

Patria: Brasilia, Mexico, Americæ meridionalis insulæ.

Observ. — Hocce genus quodammodo *Rhyssomato* et *Conotrachelo* generibus est affine.

STIRPS 1. *Thorax aciculatus.* (Species 1-7.)

* 1. C. CALIDUS. *Fabricius.*

Sub-ovatus, cupreo-æneus, sub-nitidus: antennis piceis, rostro basi rugoso: thorace dorso oblique evidenter strigoso, lateribus profunde punctato; elytris seriato-punctatis, punctis oblongis, remotis, interstitiis postice elevatis, anterius transversim sub-rugulosis: femoribus tibiisque anticis subtus uni-dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 472. 166.

Chalcodermus cupreus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 322.

Baris cuprea. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 98.

* VAR. β. Thoracis elytrorumque dorso indeterminate nigro-cœruleo.

Patria: America meridionalis, secundum Mus. Reg. Dan. — Cayenna. Dom. Com. DEJEAN. Mus. GYLLENHAL et SCHH.

Centrino sanguinicolli magnitudine æqualis. Caput parvum, rotundatum, evidenter, confertim punctatum, cupreo-æneum,

glabrum; oculi magni, sub-ovati, depressi, supra fere conniventes, nigri; rostrum thorace paulo brevius, crassiusculum, lineare, parum arcuatum, obscure cupreum, subtiliter punctatum, basi sub-rugosum. Antennæ thoracis basin fere attingunt, piceæ, clava sub-ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos dimidio fere brevior, anterius duplo angustior, apice in medio rotundato-productus, lateribus intra apicem constrictus, dein valde ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis subrectis, supra convexus, dorso evidenter oblique intricato-ruguloso, in medio antico linea longitudinali, obsoleta, lævi, vix elevata, lateribus profunde excavato-punctatis, margine subteriore utrinque in dentem sat validum producto, intra angulum fovea obliqua profunde impressa; totus cupreo-æneus, sub-glaber. Scutellum sub-rotundatum, nonnihil elevatum, concolor. Elytra sub-triangularia, basi conjunctim tri-sinuata, margine sub-reflexo, humeris retusis, sat dilatatis, angulis obtusis; lateribus pone humeros valde attenuata, margine in medio inflexo, apice singulatim sub-rotundata, thorace triplo fere longiora, supra valde convexa, versus apicem declivia, seriato-punctata, punctis oblongis, remotis, interstitiis anterius parum convexis, transversim sub-rugulosis, versus apicem sub-elevato-costatis, callo humerali subtiliter, vage, punctato; tota cupreo-ænea, sub-glabra. Corpus subtus obscure cupreo-æneum, in medio pectoris rude, alibi subtilius punctatum. Pedes validiusculi, obscure cuprei, punctatissimi, squamulis minutis, griseis, adspersi; femoribus modice incrassatis, subtus pone medium valide unidentatis; tibiis arcuatis, longitudinaliter rugosis, anticis subtus in medio dente obtuso armatis, apice uncinatis; tarsis subtus griseo-spongiosis.

Var. β differt tantum colore paginæ superioris in medio indeterminate nigro-cœruleo tincto. — Fhs.

* 2. C. ARMIPES. *Schh.*

Ovatus, convexus, ferrugineus, pube pallida parce adspersus; rostro tenui, subrecto, capite cum thorace longiore: thorace profunde rugoso, vix carinato; elytris sub-triangularibus, obsolete æneo fasciatis, punctis magnis, oblongis, convexis, seriatim impressis; interstitiis remote punctulatis; femoribus tibiisque acute dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole donatus. Mus. SCHH.

Chalcodermo calido paulo major. Caput parvum, rotundatum, convexum, obscure ferrugineum, æneo-micans, sat profunde sed minus confertim punctulatum; oculi magni, oblongi, approximati, in fronte fere conniventes, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace paulo longius, teres, valde tenue, fere rectum, rufum, basi obsolete punctatum, dein sub-læve, apice nigro. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, dense pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, sub-triangularis, apice supra paulo productus, in medio leviter emarginatus, lateribus anterius valde angustatus, leviter constrictus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, rufo-ferrugineus, æneo-micans, margine apicis late ænescenti, undique sat profunde confertim rugosus, dorso vix vel obsoletissime carinatus, pube depressa pallida, parce adspersus. Scutellum rotundatum, elevatum, obscure æneum. Elytra sub-triangularia, antice thoracis basi parum latiora, humeris prominulis, oblique angulatis, thorace triplo fere longiora, ad humeros nonnihil ampliata, tum apicem versus angustata, lateribus inflexa, apice obtuse acuminata, supra valde convexa, apice declivia, striis e punctis sat profundis, oblongis, convexis, exarata, interstitiis fere planis, punctis parvis remotis impressis; tota ferruginea, limbo omni, fascia transversa, in medio maculaque pone medium obscure æneis, præterea setulis brevissimis, albidis, adspersa. Corpus subtus ferrugineum, pectore rude, ventre subtiliter remote punctulatis, puncto singulo setula albida foeto. Pedes elongati, robusti, rufo ferruginei, punctulati, æneo-micantes, setulis albidis adspersi: antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores: femoribus clavatis, tibiisque subtus pone medium dente acuto, sat valido, armatis: tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

3. C. Longirostris. *Chevrolat.*

Sub-ovalis, niger, sub-nitidus, antennis ferrugineis, rostro longiore, minus tenui; thorace angustiore, evidenter at minus confertim rugoloso; elytris striatis, in striis foveolatis; tibiis inferne bi-sinuatis, inermibus.

Rhyssomatus id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Toulcpec in Mexico. A Dom. Chevrolat ad describendum benevole missus.

Balanino villoso magnitudine æqualis. Caput rotundatum, remote punctatum, nigrum; oculi oblongi, depressi, supra minus approximati, nigri; rostrum capite cum thorace dimidio fere longius, lineare, parum arcuatum, minus tenue, nigrum, nitidum, basi evidentius, versus apicem obsoletius punctulatum, glabrum. Antennæ longitudine medium thoracis paulo superant, rufo-ferrugineæ, clava oblonga, acuminata, griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos dimidio fere brevior, anterius duplo angustior, apice supra nonnihil rotundato-productus, lateribus intra apicem constrictus, dein sat ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis lateralibus subrectis; supra modice convexus, argute at minus confertim rugosus, rugulis in dorso antico longitudinaliter dispositis, ad latera obliquis, versus basin arcuatis ibique sub-connexis; totus niger, setulis minutis, albidis, parce adspersus. Scutellum rotundatum, læve, concolor. Elytra thorace dimidio latiora et fere triplo longiora, basi simultaneæ trisinuata, humeris obtusis, callosis, lateribus inflexa, versus apicem attenuata, postice singulatim sub-rotundata; supra convexa, striata vel sub-sulcata, in striis foveolis oblongis impressis, interstitiis angustis, postice elevatioribus; tota nigra, sub-nitida, vix metallico tincta, setulis uti thorax adspersa. Corpus subtus nigrum, pectore rude, ventre subtilius punctatis, puncto singulo uni-setuloso. Pedes longiusculi, punctati, nigri, parce setulosi; femoribus modice incrassatis, subtus pone medium dente valido armatis; tibiis sub-angulatis, basi arcuatis, inferne bi-sinuatis, muticis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

* 4. C. TOMBACINUS. *Schh.*

Sub-ovatus, cupreo-æneus, nitidus, sub-glaber, antennis tarsisque fusco-ferrugineis, capite sub-lævi, rostro crassiusculo, arcuato; thorace angustiore, striis punctisque impresso; elytris triangularibus, sub-sulcatis, sulcis foveolatis; tibiis intermediis subtus in medio uni-dentatis, anticis crenulatis.

Habitat in Brasilia. Dom FALDERMANN. Mus. SCHH.

Magnitudine *Anthonomo druparum* æqualis vel paulo major. Caput rotundatum, æneum, sub opacum, vix punctatum; oculi oblongi, supra fere conniventes, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace haud longius, crassiusculum, lineare, arcuatum, æneum, versus latera baseos seriatim, apice vage punctatum, linea longitudinali, in medio, ante apicem abbreviata, lævi. Antennæ longitudine medium thoracis nonnihil superant, fusco-ferrugineæ, clava ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos dimidio fere brevior, anterius angustior, apice supra aliquantulum rotundato-productus, lateribus intra apicem coarctatus, dein abrupte ampliatus, postice bi-sinuatus, angulis subrectis: supra convexus, sub-pulvinatus, in dorso antico striis quatuor longitudinalibus, posterius interruptis, adjacentibus ad latera utrinque quatuor vel quinque aliis, obliquis, minus regularibus, intermediis postice arcuatim connexis, omnibus plus minusve evidenter punctatis, lateribus foveolis oblongis, irregulariter impressis, margine antice subtiliter punctato; totus æneus, sub-glaber. Scutellum minutum, rotundatum, cupreum. Elytra sub-triangularia, antice pone basin thorace fere duplo latiora, humeris obliquis, valde retusis; lateribus inflexa, pone humeros admodum attenuata, apice singulatim obtuse sub-acuminata; supra valde convexa, versus apicem declivia, sub-sulcata, sulcis parum profundis, punctis vel foveolis oblongis impressis, interstitiis convexis, subtiliter disperse punctulatis; tota æneo-cuprea, rufo tincta, nitida, sub-glabra. Corpus subtus cupreo-æneum, ano sub-violaceo tincto, pectore profunde excavato-punctato, abdominis segmento primo juxta marginem baseos seriatim, profundius, ultimo vage, obsoletius, punctatis, intermediis sub-lævibus vel serie tantum punctorum valde subtilium transversim impressis. Pedes validi, cupreo-ænei; femoribus remotius, minus profunde punctatis, modice incrassatis, subtus pone medium dente sat valido armatis; tibiis parum

arcuatis, strigoso-punctatis, anticis inferne bi-sinuatis, in medio sub-crenulatis, intermediis denticulo in medio munitis, posticis muticis; tarsis rufo-piceis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

* 5. C. Plicaticollis *Schh.*

Oblongo-ovatus, cupreo-æneus, sub-nitidus, rostro tibisque nigrescentibus, antennis tarsisque rufo-piceis; thorace evidenter et sat confertim strigoso; elytris sub-sulcatis, in sulcis foveis oblongis impressis, tibiis omnibus inermibus.

Habitat in Brasilia. Dom. Audouin. Mus. Schh.

Magnitudine *Anthonomo druparum* æqualis. Caput rotundatum, fusco-æneum, opacum, vix punctatum; oculi sub-ovati, depressi, supra fere conniventes, nigri; rostrum capite cum thorace paulo longius, parum arcuatum, lineare, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, versus basin sub-rugosum. Antennæ fere ad basin thoracis attingentes, subtenues, rufo-piceæ, clava ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica dimidio brevior, anterius fere duplo angustior, apice supra nonnihil rotundato-productus, pone oculos vix lobatus, lateribus intra apicem coarctatus, tum abrupte ampliatus, basi bi-sinuatus, tenuiter marginatus, angulis subrectis, supra sat convexus, sub-pulvinatus, undique striis vel sulculis sat profundis exaratus, in dorso antico scilicet 5-6 longitudinalibus sub-parallelis, pone medium abbreviatis, adjacentibus ad latera utrinque nonnullis sensim obliquioribus, proximis tribus in disco postico arcuatim connexis, interstitiis omnibus magis quam in *Chalcodermo tombacino* angustis, sub-convexis; totus cupreo-æneus, nitidus, in fundo striarum pilis tenuissimis disperse obsitis, punctis vero vix conspicuis. Scutellum sub-rotundatum, concolor. Elytra sub-triangularia, anterius thorace dimidio latiora, basi leviter sinuata, humeris obliquis, valde retusis; lateribus inflexa, versus apicem valde attenuata, apice ipso singulatim sub-rotundata, thorace triplo fere longiora; supra convexa, postice declivia, striis vel sulcis, antice minus profunde, exarata, foveolis oblongis, in medio coleopterorum majoribus, impressis; tota cuprea, nitida, pube uti thorax adspersa. Corpus subtus obscure æneum, tenuissime pubescens, pectore profunde excavato-punctato, segmento ventrali primo juxta marginem baseos profunde, ultimo undique vage, intermediis serie transversa in medio tantum

subtiliter punctatis. Pedes longiusculi; femoribus fusco-æneis, parce, subtiliter punctatis, modice incrassatis, subtus pone medium dente valido armatis; tibiis sub-angulatis, nigris, vix metallico tinctis, parum arcuatis, inferne leviter bi-sinuatis, inermibus; tarsis piceis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

* 6. C. Roricatus. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, cupreo-æneus, elytris variegatim albido-squamulosis, seriato-punctatis, rufo-testaceis, limbo omni maculisque duabus discoidalibus cupreo-æneis: thorace undique confertim strigoso: tibiis sub-muticis, versus apicem inferne serrulatis, antennis fusco-ferrugineis.

Patria: Campos, Brasiliæ. A Dom. Chevrolat sub hoc nomine ad describendum communicatus.

Anthonomo druparum magnitudine sub-æqualis. Caput rotundatum, viridi-æneum, sub-opacum, subtiliter, remote, punctatum: oculi sub-ovati, depressi, supra nonnihil distantes, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, obscure æneum, basi lineatim, apice disperse punctatum, linea longitudinali in medio, ante apicem desinente, lævi. Antennæ thoracis basin haud plane attingunt, obscure ferrugineæ, funiculo apice infuscato, clava breviter ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius duplo angustior, apice supra sat rotundato-productus, lobis ocularibus valde exiguis, lateribus intra apicem leviter constrictus, dein versus basin modice ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, angulis subrectis; supra confertim sub-rude intricato-strigosus, strigis dorso antice longitudinaliter, postice transversim, versus latera oblique directis, punctis hinc illinc evidentius impressis; totus cupreo-æneus, pube tenuissima, albida, adspersus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, concolor. Elytra oblongo-triangularia, antice thorace dimidio latiora, humeris obliquis, obtusis, lateribus pone humeros sensim attenuata, apice singulatim sub-acuminata, thorace triplo longiora; supra convexa, postice declivia, punctis majoribus, oblongis, seriatim impressis, interstitiis sub-planis, striis fere nullis; rufo-testacea, sub-nitida, limbo omni, basi latius, maculisque duabus sub-rotundatis in disco, anteriore in medio, majore, posteriore intra apicem, obsoletiore, cupreo-æneis, undique squamulis albi-

dis variegatim, parce adspersa. Corpus subtus obscure æneum, tenuissime albido-squamosum, in pectore profunde, in ventre subtilius punctatum. Pedes validiusculi, cupreo-ænei, tenuiter pubescentes; femoribus minus incrassatis, rugoso-punctatis, subtus pone medium unidentatis; tibiis striato-punctatis, sub-angulatis, nonnihil arcuatis, subtus in medio rudimento tantum denticuli instructis, versus apicem subtiliter serrulatis; tarsis subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

7. C. Serripes. *Chevrolat.*

Oblongus, rufo-testaceus, capite, thorace, scutello, elytrorum marginibus pectoreque ænescentibus, rostro basi striato-punctato, linea longitudinali in medio lævi; thorace longiore, confertim strigoso; elytris seriatim excavato-punctatis, variegatim albido-squamosis; tibiis inferne serratis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann benevole communicatus. Mus. Schh.

Chalcodermo calido longitudine fere æqualis, at multo angustior. Caput rotundatum, æneum, sub-opacum, vertice subtilissime alutaceo, fronte temere punctata; oculi sub-ovati, depressi, supra minus approximati, nigri; rostrum vix thoracis longitudine, parum arcuatum, teres, rufo-brunneum, lateribus sub-ænescentibus, basi seriatim evidentius, apice vage obsoletius, punctatum, linea longitudinali in medio lævi. Antennæ thoracis medium nonnihil superant, rufo-ferrugineæ, clava ovali, albido-sericea. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius fere duplo angustior, apice supra rotundato-productus, lateribus modice ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, angulis subrectis; supra convexus, intra apicem transversim impressus, sub-coarctatus, æneus, dorso rufo tinctus, evidenter confertim strigosus, strigis antice longitudinaliter, postice transversim, ad latera oblique, intus arcuatim directis, area angusta, longitudinali, in dorso antico, lævi; superficie, præter pubem tenuissimam, in striis adspersam, sub-glabra. Scutellum rotundatum, convexum, fusco-æneum. Elytra oblongo-triangularia, anterius thorace dimidio latiora, humeris obliquis, retusis; lateribus pone humeros sensim valde attenuata, margine bi-sinuato, apice singulatim obtuse sub-acuminata, thorace triplo fere longiora; supra convexa, postice declivia, profunde at minus crebre

striato-punctata, striis antice evanescentibus, interstitiis sub-planis, disco rufo-testacea, setulis albidis variegatim adspersa, margine baseos suturaque anguste, margine laterali latius æneseentibus. Corpus subtus antice æneum, posterius rufo-testaceum, æneo-resplendens, undique remotius punctatum, punctis abdominis obsoletioribus, setulis albidis parce adspersum. Pedes longiusculi, rufo-testacei, æneo tinctis, parce albido-setulosi; femoribus modice incrassatis, subtiliter punctulatis, subtus ante apicem, dente acuto armatis; tibiis parum curvatis, lineato-punctatis, inferne ab apice ultra medium serrulatis: tarsis nigro-æneis, subtus spongiosis.

FHS.

STIRPS 2. *Thorax punctatus.* Species 8-13.

8. C. SPINIFER. *Schh.*

Breviter ovatus, fusco-piceus, setulis albidis adspersus, antennis pedibusque ferrugineis; thorace confertim rugoso-punctato, antice carinato; elytris rude crebre punctato-striatis, margine laterali baseos uni-spinosis; subtus inter pedes posteriores utrinque tuberculo valido instructus; femoribus tibiisque uni-dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Ciono scrophulariæ vix major, magis convexus. Caput parvum, globosum, sat crebre ruguloso-punctatum, fusco-piceum, squamulis albidis sat dense obsitum; oculi magni, ovati, glauci, supra subtusque fere contigui; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, teres, modice arcuatum, basi crassius, ibique obsolete carinatum, punctulatum, squamulosum, extrorsum nudum, nitidum, subtiliter punctulatum, totum fusco-piceum. Antennæ subtenues, rufo-ferrugineæ, clava elongata, dilutiore, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice parum rotundato-productus, intra apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam paulo rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim rugoso-punctatus, fusco-piceus, setulis depressis, albidis, undique adspersus, in medio dorsi antice carinula parum elevata, notatus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, punctulatum, concolor. Elytra ovata, antice thoracis basi fere dimidio latiora, humeris lateraliter modice extensis, obtuse angulatis; infra humerum margine laterali acute uni-spinosa, apicem versus sensim angustata,

apice ipso latiuscula, singulatim obtuse sub-rotundata vel fere truncata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, utrinque impressa, profunde crebre punctato-striata, interstitiis angustis, transversim rugosis; fusco-picea, sub-nitida, lateribus ferruginea, setulis depressis, albidis, undique parce adspersa. Corpus subtus fusco-ferrugineum, sub-remote punctatum, setulis pallidis parce adspersum; inter pedes posteriores utrinque tuberculo valido, acuto, instructum. Pedes mediocres, validi, ferruginei: femoribus parum clavatis, punctatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis rectis, intus in medio acute uni-dentatis, apice uncinatis. — Bhn.

9. C. Rubronotatus. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, cupreo-æneus, thorace profunde rugoso-punctato, disco rufescente; elytris rufo-testaceis, sutura, margine laterali maculisque tribus magnis, cupreo-æneis, sulcis parum profunde exaratis, excavato-punctatis, pectore rufo bi-maculato; tibiis brevissimis, obsolete dentatis, antennis fusco-ferrugineis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Chevrolat ad describendum benevole missus.

Anthonomo druparum paulo major, præsertim latior. Caput rotundatum obscure æneum, evidenter at minus crebre punctatum, sub-glabrum; oculi elongati, depressi, supra conniventes, nigri; rostrum capite cum thorace vix brevius, crassiusculum, nonnihil arcuatum, nigro-sub-æneum, subtiliter striato-punctatum, linea longitudinali in medio lævi. Antennæ longitudine thoracis medium nonnihil superant, obscure ferrugineæ, clava ovali, cinereo-pubescente. Thorax dimidio latitudinis postice parum longior, anterius fere duplo angustior, apice supra aliquantulum rotundato-productus, lateribus modice ampliatus, intra apicem coarctatus, basi bi-sinuatus, angulis fere rectis, supra parum convexus, profundissime rugoso-punctatus, rugis irregularibus, intricatis, margine antico subtiliter disperse punctato, rufo-testaceus, æneo-resplendens, marginibus, præsertim apicis, saturate cupreo-æneis. Scutellum rotundatum, convexum, æneum. Elytra sub-triangularia, anterius thorace dimidio latiora, basi utrinque leviter sinuata, humeris, obliquis, retusis; lateribus pone humeros attenuata, margine inflexo, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace

triplo longiora; supra anterius valde convexa, postice declivia, late at parum profunde sub-sulcata, sulcis foveolis sat crebris, sub-rotundatis, excavatis, interstitiis angustis, vix punctatis; rufo-testacea, sutura margineque laterali anguste, apice latius, maculisque tribus majoribus, prima humerali, secunda in medio sub-fasciali, tertia ante apicem sub triangulari, cupreo-æneis: superficie undique setulis albidis, minutissimis, parce adspersa. Corpus subtus obscure æneum, plaga rufescente in pectore utrinque, undique punctis impressis, in ventre subtilioribus, sub-remotis, in pectore profunde excavatis, singulo punctorum setula albida foeto. Pedes breviusculi, obscure ænei, tenuissime albido setulosi; femoribus sat incrassatis, obsoletius punctatis, apice rugosis, subtus pone medium dente acuto munitis, pone dentem sinuatis; tibiis brevissimis, sub-angulatis, nonnihil incurvis, quatuor anterioribus in medio inferne denticulo obtuso instructis, posticis bi-sinuatis, sub-muticis; tarsis nigris, subtus griseo-spongiosis. — FHS.

* 10. C. ÆNEUS. *Dejean.*

Sub-ovatus, obscure æneus, rostro tenuiori, modice arcuato; thorace profunde remote punctato, obsolete carinato; elytris punctis profundis, remotis, seriatim excavatis, interstitiis subtilissime punctulatis; femoribus acute dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed. 2.* p. 297. *ed. 3.* p. 322.
Chalcodermus perforatus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in America boreali. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus; in Mexico. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Chalcodermi metallini*, sed nonnihil major; ab illo thorace profunde punctato, obsolete carinato, interstitiis elytrorum subtilissime punctulatis, mox distinctus. Caput globosum, obscure æneum, sat evidenter, sed minus profunde punctatum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, modice arcuatum, obscure æneum, a basi ultra medium carinatum, striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustatus, coarctatus, apice supra nonnihil rotundato-productus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra

convexus, obscure æneus, dorso remote versus latera crebre profunde punctatus, linea longitudinali, sub-elevata, lævi, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, obscure æneum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, et illo triplo longiora, humeris obtusis, sub-rotundatis; lateribus inflexa, apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, obscure ænea, sub-nitida, striis e punctis profundis, rotundis, exarata, interstitiis planis, subtilissime punctulatis. Corpus subtus obscure æneum, sub-nitidum, profunde punctatum. Pedes validi, nigro-ænei, confertim punctati: femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis compressis, sub-arcuatis obsolete dentatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 11. C. ANGULICOLLIS. *Schh.*

Sub-ovatus, obscure æneus, thorace lateribus bi-angulato, dorso subtiliter remote punctato, linea longitudinali in medio lævi; elytris profunde seriato-punctatis, punctis plurimis remotis, interstitiis planis, subtilissime sub-seriatim punctatis; tibiis quatuor anterioribus obsolete dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. AUDOUIN. Mus. SCHH.

Chalcodermo metallino dimidio major; a *Chalcodermo æneo*, cui valde propinquus, angulis lateralibus puncturaque subtiliore thoracis facile distinctus. Caput rotundatum, obscure æneum, sub-opacum, fronte disperse, evidenter punctata; oculi magni, depressi, supra sat approximati, nigri; rostrum capite cum thorace vix brevius, subtenue, teres, nonnihil arcuatum, æneum, versus apicem nigrescens, basi sub-seriatim, apice vage, subtiliter punctatum, linea longitudinali in medio lævi. Antennæ longitudine thoracis medium paulo excedunt, nigro-sub-æneæ, clava ovata, fusca, cinereo-pubescente. Thorax sub-trapeziformis, latitudine baseos dimidio brevior, anterius multo angustior, apice supra nonnihil rotundato-productus, lateribus intra apicem coarctatus, dein abrupte dilatatus, tuberculis vel callis duobus, uno in medio, altero ante medium, angulos obtusos constituentibus, elevatis; basi bi-sinuatus, angulis subrectis; supra modice convexus, obscure æneus, ad latera profundius, in dorso subtilius remote punctatus, linea longitudinali in medio, vix elevata, lævi. Scutellum rotundatum, convexum, concolor. Elytra antice thoracis basi

nonnihil latiora et illo triplo longiora, humeris obtusis, sub-rotundatis; lateribus inflexa, versus apicem minus attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata; supra valde convexa, obscure ænea, sub-nitida, punctis profundis, rotundis, seriatim excavatis, inæqualiter distantibus, interstitiis planis, subtilissime sub-seriatim punctulatis, lineis ipsis punctulorum tenuissime albido-setulosis: fovea præterea intra apicem obliqua, sat evidenter impressa. Corpus subtus obscure æneum, profunde, præsertim in pectore, punctatum. Pedes validi, nigro-ænei, confertim punctati; femoribus parum incrassatis, pone medium subtus dente valido armatis; tibiis perparum arcuatis, quatuor anterioribus subtus in medio obsolete denticulatis, versus apicem setulosis; tarsis subtus griseo-spongiosis. FHS.

* 12. C. METALLINUS. *Fabricius.*

Sub-ovatus, obscure æneus, antennis piceo-ferrugineis, rostro tenuiore, nigro; thorace in dorso subtilius disperse punctato, lateribus sub-rugosis; elytris profunde seriato-punctatis, interstitiis planis, sub-lævibus, tibiis sub-muticis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 489. 240.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 442. 202.
HERBST, *Col.* VI. p. 473. 485.

Habitat in insulis Americæ meridionalis, secundum Mus. Reg. Dan.

Statura *Chalcodermi calidi*, sed duplo minor et abunde distinctus. Caput rotundatum, nigro-æneum, fronte disperse punctata; oculi sub-ovati, minime prominuli, supra nonnihil distantes, nigri; rostrum capite cum thorace vix brevius, subtenue, teres, modice arcuatum, nigrum, basi sub-striatim, apice vage, subtiliter punctulatum, linea longitudinali in medio, ante apicem abbreviata, lævi. Antennæ medium thoracis vix excedunt, tenues, piceo-ferrugineæ, clava ovali, fusca, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos dimidio brevior, anterius multo angustior, apice supra nonnihil rotundato-productus, lateribus intra apicem leviter constrictus, dein ad medium dilatatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis subrectis; supra convexus, minus profunde, disperse, punctatus, versus latera et in impressione transversa apicali sub-rugosus, totus obscure æneus. Scutellum rotundatum, convexum, concolor.

Elytra antice thoracis, basi dimidio latiora, humeris obtusis, sub-rotundatis; lateribus minus attenuata, margine inflexo, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace triplo fere longiora; supra convexa, obscure cupreo-æneа, seriatim, minus confertim excavato-punctata, interstitiis planis, vix vel obsoletissime punctulatis. Corpus subtus obscure æneum, in pectore profunde, in ventre subtilius punctatum. Pedes nigro-ænei, subtiliter punctati; femoribus parum incrassatis, subtus pone medium dente parvo munitis; tibiis perparum arcuatis, inferne versus apicem tenuiter sub-serrulatis, vix vero dentatis; tarsis elongatis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

* 13. C. Ebeninus. *Schh.*

Sub-ovatus, ater, capite remote punctato, rostro modice arcuato, striolato-rugoso; thorace profunde remote punctato, elytris punctis profundis seriatim excavatis, interstitiis subtilissime punctulatis; femoribus acute, tibiisque quatuor anterioribus obtuse dentatis.

Habitat in insula Cuba. A Dom. Germar missus. Mus. Schh.

Magnitudo et statura *Chalcodermi metallini;* colore atro, thorace profunde punctato, etc., ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, atrum, remote parum profunde punctatum; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, modice arcuatum, subtenue, teres, nigrum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustatus, coarctatus, apice supra nonnihil rotundato-productus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, ater, sub-nitidus, dorso remote lateribus sat crebre profunde punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, et illo duplo longiora, humeris nonnihil prominulis, obtuse sub-angulatis; lateribus inflexa, apicem versus perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, atra, sub-nitida, striis e punctis profundis, rotundis, exarata, interstitiis planis, subtilissime punctulatis. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, profunde punctatum. Pedes validi, atri, confertim punctati; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente parvo,

acuto, armatis; tibiis compressis, sub-arcuatis, intus in medio sub-dentatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bah.

GENUS 340. CONOTRACHELUS. *Latreille.*

Conotrachelus DEJEAN. — *Cryptorhynchus* et *Rhynchænus* auctorum reliquorum.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato: articulis primis reliquis longioribus, sub-obconicis, ultimis brevibus, aut sub-turbinatis, aut rotundatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longum, lineare, sæpissime filiforme.

Oculi sub-laterales, demissi, ovati, sub-depressi.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, antice constrictus, pone oculos lobatus; rima pectoralis aut ante coxas pedum anticorum desinente, aut in paucis pectore continuata, haud apice alte marginata.

Elytra ovata; humeris obtuse angulatis.

Pedes mediocres, antici basi approximati, aut raro distantes.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut majusculæ aut minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin sæpius sub-attingentes, aut in medio aut pone medium rostri insertæ, tenues, fractæ, 12-articulatæ: scapo elongato, apice clavato; funiculo 7-articulato: articulis primis, duobus vel tribus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevioribus, aut sub-turbinatis, aut sub-rotundatis, extrorsum sensim perparum crassioribus, omnibus paulo distantibus, ultimo clavæ haud adpresso; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis. *Rostrum* lineare, arcuatum, inflexum, crassitie et longitudine varians, plerisque dimidium corporis adæquans, filiforme, in aliis paulo brevius et validius; scrobe lineari, curvata, in basi rostri conjuncta. — *Oculi* sub-laterales, valde demissi, sæpius inferne approximati, ovati, sub-depressi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, basi bi-sinuatus, lateribus parum rotundatus, antice multo angustior, ibique valde coarctatus, apice in medio plerumque rotundato-productus, lateribus ad oculos emarginatus, pone oculos lobatus, supra modice convexus, infra pone gulam profunde emarginatus; rima pectoralis pro receptione rostri in plerisque evidentius, in aliis obsoletius exarata, aut ante coxas

pedum anticorum desinente, aut in pectore continuata. *Scutellum* sub-rotundatum, paulo elevatum. — *Elytra* antice thoracis basi plus dimidio latiora illoque triplo longiora, basi sinuata, humeris obtuse angulatis; a basi apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, pygidium obtegentia, supra modice convexa. *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi, antici basi in plerisque approximati, in nonnullis paulo distantes; femoribus clavatis, subtus sæpissime dentatis; tibiis teretibus, arcuatis, apice unco valido instructis; tarsis mediocribus, subtus spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κωνος conus, τράχηλος collum.

TYPUS. — *Conotrachelus diaconitus.*

Patria : America meridionalis et septentrionalis.

Observ. — Structuram pedum anticorum in plerisque basi approximatorum, solummodo respiciens, genus hocce sub divisione *Erirrhinidum*, subdiv. secunda, facile quidem quæreres; attamen pro corporis habitu vel formatione partium, generi *Cryptorhyncho* proxime convenientibus, et quia pedes antici in nonnullis etiam basi distant, in hac divisione aptius collocandum judicavimus.

STIRPS 1. *Coxæ antice approximatæ ; rima in pectore haud continuata.* (Species 1-53.)

Manipulus I. *Antennæ in medio rostri insertæ.* (Species 1-6.)

1. C. MAMILLATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis piliformibus pallidis adspersus; rostro longo, minus tenui, subrecto, punctulato; thorace antice constricto, valde producto, rugoso-punctato, carinato, subtus utrinque spinoso; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis costatis, costa interna pone medium argute abrupta; femoribus acute dentatis.

Patria : America meridionalis. Mus. Imp. Russ.

Statura et similitudo *Conotracheli abruptecostati* et *intermedii*, sed plus duplo major; rostro longiori, subrecto, costa interna elytrorum tantum abrupta, ab illis facile distinctus. Caput parvum, semi-globosum, obscure ferrugineum, subtiliter sat crebre pun-

tulatum, squamulis piliformibus silaceis, sat dense adspersum: oculi ovati, perpendiculares, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum minus tenue, teres, fere rectum, apice nonnihil ampliatum, dilute ferrugineum, sub-nitidum, glabrum, sat crebre minus profunde punctulatum. Antennae in medio rostri insertae, subtenues, obscure ferrugineae; parce pilosae, clava parva, oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice valde rotundato-productus, mox pone apicem valde coarctatus, tum lateribus rotundato-ampliatus, versus basin itidem angustatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, piceus, crebre minus profunde rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter carinatus, squamulis piliformibus silaceis adspersus, subtus ante pedum anticorum insertionem utrinque tuberculo acuto, apice introrsum flexo, armatus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum, obsolete remote punctatum. Elytra basi singulatim rotundato producta, antice thorace dimidio latiora, quam lata plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis costatis, costa interna pone medium abrupta; tota ferruginea, squamulis silaceis praesertim versus latera adspersa. Corpus subtus obscure ferrugineum, sub-nitidum, pectore profunde, ventre remote punctatis, undique squamulis pallidis adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, minus crebre punctati, squamulis silaceis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis teretibus, basi nonnihil arcuatis, apice intus uncinatis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. C. FILIROSTRIS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, piceo-ferrugineus, squamulis flavescentibus adspersus, rostro tenui, dimidio corpore paulo longiore, laevi; thorace antice valde producto, profunde rugoso, apice obsolete carinato, subtus utrinque spinoso; elytris sub-ovatis, profunde punctato-striatis, uni-costatis, costa bis interrupta: femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Forma ab hoc genere aliena, facie et statura *Balanini* et *B. nucum* nonnihil major. Caput parvum, rotundatum, convexum,

piceo-ferrugineum, crebre rugoso-punctulatum, squamulis piliformibus depressis pallidis, minus dense tectum, inter oculos foveola parva impressum; oculi oblongi, remoti, sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum basin abdominis attingens, teres, valde tenue, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, sub-læve, apice nonnihil infuscato. Antennæ in medio rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblonga, fusco-holosoricea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice in medio rotundato-productus, antice multo angustior, ibique valde coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, piceo-ferrugineus, undique rude rugosus, apice obsolete longitudinaliter carinatus, squamulis piliformibus flavescentibus adspersus, subtus ante pedes anticos utrinque dente obtuso armatus. Scutellum rotundatum, elevatum, obscure ferrugineum, sub-læve. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis; thorace plus duplo longiora, lateribus inflexa, a basi apicem versus angustata, sub-triangularia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, ferruginea, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, transversim rugosis, interstitio tertio a sutura bi-interrupto, elevato-costato; tota squamulis pallide-flavescentibus undique sat dense adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, pectore rude, ventre obsolete punctulatis, puncto singulo squama albida fœto. Pedes elongati, validi, rufo-ferruginei, obsolete punctati, setulis pallidis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

3. C. PAVIDUS. *Schh.*

Sub-ovalis, niger, opacus, oculis in fronte coadunatis, rostro longitudine dimidii corporis, fusco-piceum, sub-læve; thorace creberrime foveolato-punctato, antice striolato, ante apicem utrinque constricto; elytris punctis oblongis, profundis, valde remotis, seriatim impressis, interstitiis carinatis, carinis alternis internis antice evanescentibus, basi macula elongata apicali communi pedibusque dense ochraceo-squamosis; femoribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN ad describendum benevole missus.

Balanino nucum dimidio minor. Caput parvum, sub-globosum.

disperse punctatum, nitidum, fronte triangulari, parce ochraceo-squamosa; oculi magni, oblongo-ovales, parum convexi, in fronte postica coadunati, sub capite approximati; rostrum dimidio corpore paulo longius, tenue, cylindricum, modice arcuatum, sub-læve, vel subtilissime punctulatum, fusco-piceum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, thoracis basin fere attingentes, tenues, rufo-piceæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior, apice supra parum rotundato-productus, pone oculos vix lobatus, intra apicem utrinque paulo constrictus, lateribus fere æqualiter modice rotundatus, basi modice bi-sinuatus, lobo medio breviore, supra modice convexus, creberrime foveolato-punctatus, punctis antice in strias confluentibus, squamulis paucis piliformibus ochraceis inordinate adspersus, rima infera profunda, postice utrinque in dentem, coxis incumbentem extensa. Scutellum sub-globosum, sub-elevatum. Elytra breviter ovato trigona, thorace triplo fere longiora, antice ejus basi fere duplo latiora, basi singulatim emarginata, humeris obtuse angulatis, lateribus ab humeris ad apicem parum rotundata, sensim angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra sat alte convexa, punctis profundis, valde remotis, oblongis, anterioribus postice explanatis, seriatim impressa, interstitiis, excepto 1°, anguste carinatis, carinis alternis elevatioribus, interstitiorum 3 et 5 anterius evanescentibus, ipsa basi parce maculaque apicali communi oblongo-quadrata dense ochraceo-squamosis, cæterum squamulis paucissimis piliformibus erectis, adspersa. Corpus subtus sat profunde punctatum, nitidum, segmento ultimo impresso, crebre punctulato. Pedes longiusculi squamulis piliformibus ochraceis sat dense vestiti; coxis anticis intus deplanatis; femoribus incrassatis, anterioribus dente obsolete, posticis minuto, sub-acuto, armatis; tibiis sub-teretibus, canaliculatis, in ipsa basi fere in angulum curvatis. — RLD.

* 4. C. DIACONITUS. *Germar.*

Ovalis, piceo-ferrugineus, squamulis dilute brunneis et albidis variegatus; rostro longo, tenui, valde arcuato, basi obsolete striolato: thorace rugoso-punctato, antice carinato; elytris striato-punctatis, costis quatuor elevatis, dorsalibus abruptis: femoribus anterioribus bi-, posticis uni-dentatis, crenulatis

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.
Balaninus id. Dom GERM. *in Litteris;* teste Dom. SCHUPPEL.

Habitat in insula Cuba. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Conotrachelo lassulo simillimus et valde affinis, nonnihil tamen major; rostro multo longiori, tenuiori, magis arcuato, ab illo mox distinctus. Caput parvum, globosum, piceo-ferrugineum, subtiliter minus crebre punctulatum, squamulis cervinis adspersum; fronte inter oculos foveola parva insculpta; oculi ovati, transversi, subdepressi, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, tenue, teres, valde arcuatum, rufo-ferrugineum, nitidum, glabrum, basi subtiliter striolato-rugosum, dein obsoletissime punctulatum, apice ipso infuscatum. Antennæ in medio rostri sitæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, tenuissimæ, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice parum rotundato-productus, anterius subito angustatus, sub-coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sat crebre profunde rugoso-punctatus, dorso antico tenue carinatus, totus piceo-ferrugineus, squamulis dilute brunneis, præsertim versus latera obsitus, utrinque linea obliqua, albido-squamosa, ornatus. Scutellum parvum, sub-elevatum, rotundatum, obscure ferrugineum. Elytra antice thoracis basi plus dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, a basi apicem versus angustata, thorace triplo longiora, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, dorso sub-depressa, postice declivia, striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, costis dorsalibus interruptis; tota piceo-ferruginea, squamulis dilute brunneis tecta, maculis parvis albidis variegata. Corpus subtus piceum, pube pallida parce adspersum, pectore profunde, ventre obsoletissime punctatis. Pedes mediocres, validi, piceo-ferruginei, squamulis dilute brunneis obsiti; femoribus clavatis, anterioribus subtus dente valido, denticulo parvo adjecto, armatis, posticis uni-

dentatis, dentibus apicem versus crenulatis; tibiis arcuatis, apice intus uncinatis: tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 5. C. SCOPULOSUS. *Schh.*

Sub-ovalis, nigro-piceus, cervino-tomentosus, antennis pedibusque testaceis, rostro longitudine elytrorum, basi striolatum; thorace rugoso-punctato, mutico: elytris ferrugineis, sutura margineque nigris, interstitiis alternis costatis, costis duabus interioribus bis interruptis, parte intermedia valde carinato-elevata: femoribus acute uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FALDERMANN. Mus. SCHH.

Balanino nucum paulo minor. *Conotrachelo serpentino* sub-aequalis. Caput rotundatum, crebre et sat profunde punctatum, nigro-piceum, sub-glabrum, vel tenuissime tantum ad latera pubescens, fronte foveola cuneiformi profunde impressa; oculi ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine elytrorum, tenue, filiforme, arcuatum, nigrum, nitidum, punctulatum, lateribus versus basin sub-rugosum, dorso carinula longitudinali sub-elevata, lævi. Antennæ, in medio rostri insertæ, ad basin thoracis pertingunt, tenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, albo-sericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra parum productus, margine in medio leviter, ad latera utrinque profunde sinuato, lateribus a basi ultra medium sub-parallelis, tunc mox angustatus, sub-coarctatus, postice bi-sinuatus, angulis subrectis; supra medice convexus, rugoso-punctatus, piceus, in dorso saturatius niger, squamulis cervinis, dorso parce, ad latera et subtus dense vestitus. Scutellum sub-ovatum, elevatum, nigrum, tenuiter cinereo-pubescens. Elytra sub-triangularia, antice thorace fere duplo latiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris elevatis, denticulatim nonnihil extensis: lateribus inflexa, versus apicem valde attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra convexa, striato-punctata, interstitiis alternis costatis, costis duabus interioribus bis interruptis, parte intermedia, præsertim costæ intimæ, valde carinato-elevata, postice perpendiculariter truncata, antice sub-declivi; ferruginea, sutura, margine laterali, lineisque dorsalibus costarum elevatiorum nigris, undique squamulis cervinis sub-aequaliter vestita. Corpus subtus nigrum, parce punctatum, tenuiter cervino-squamosum. Pedes longiusculi, rufo-testacei,

cervino-squamosi; femoribus modice incrassatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis perparum arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis — FHS.

6. C. MOESTUS. *Schh.*

Breviter ovatus, ater, supra parce, variegatim, subtus in medio pedibusque densius niveo-squamosus; antennis ferrugineis, rostro punctulato; thorace gibbo, subtilissime confertim strigoso, antice transversim impresso, carinula brevi obsoleta; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis costatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Cioni hortulani*; facies fere *Bruchi*. Caput rotundatum, atrum, undique subtiliter rugoso-punctatum, tenuissime albido-sericeum; oculi ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, atrum, modice arcuatum, in medio sub-compressum, undique subtiliter punctulatum, lateribus parce albido squamosum, carinula vel striis vix conspicuis. Antennæ, in medio rostri sitæ, ad medium thoracis pertingentes, tenues, ferrugineæ, clava ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, anterius duplo angustior, apice in medio nonnihil rotundato-productus, pone oculos vix lobatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi bi-sinuatus, marginatus, angulis lateralibus subrotundatis; supra intra apicem transversaliter lineatim impressus, constrictus, posterius valde gibbosus, undique subtiliter, creberrime strigosus, strigis sub-longitudinalibus, punctulis confertim interjectis, antice in medio carinula, mox abbreviata, elevata; totus ater, dorso fere nudus, ad latera squamulis silaceis adspersus, angulis posticis linea niveo-squamosa notatis. Scutellum majusculum, triangulare, atrum, subtiliter punctulatum, apice ipso niveo-squamoso. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris nonnihil productis, sub-angulatis; lateribus inflexa, versus apicem angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, latitudine antica parum longiora; supra parum convexa, evidenter striata, striis obsoletius punctatis, interstitiis alternis sub-planis, coriaceis, alternis sat argute costatis, atra, opaca, variegatim tenuiter niveo-squamosa, macula parva sub humeris silaceo-tomentosa, squamulis niveis immixtis. Corpus subtus atrum, crebre at minus profunde

punctatum, segmentis tribus posticis abdominis sub-glabris, alibi sat dense niveo-squamosum, ad latera pectoris antice squamulis silaceis immixtis. Pedes mediocres, atri, squamulis niveis silaceisque promiscue vestiti; femoribus sub-arcuatis, modice incrassatis, subtus pone medium dente acuto munitis; tibiis parum arcuatis; tarsis apice valde dilatatis, subtus griseo spongiosis. — FHS.

Manipulus.— Antennæ pone medium rostri insertæ. (Species 7-60.)

Centuria 1. *Femora dentata.* (Species 7-51.)

* *Elytrorum interstitia alterna costata.* (Species 7-49.)

** *Costæ omnes integræ, vel basi aut apice tantum abbreviatæ.* (Species 7-20.)

7. C. SPECTABILIS. *Schh.*

Sub-ovalis, ater, squamulis cinnabarinis, in thorace bilineatim, in elytris variegatim dispositis, adspersus; rostro elongato, tenui, arcuato; thorace rude excavato-punctato, carina longitudinali in medio, postice abbreviata, lævi: elytris profunde seriato-punctatis, interstitiis alternis costatis; femoribus subtus uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Cryptorhyncho stigma aliquantulum longior et in elytris multo latior. Caput parvum, sub-globosum, atrum, remote punctatum, squamulis cinnabarinis adspersum, fronte foveola profunda impressa; oculi ovati, demissi, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, lineare, arcuatum, a basi ultra medium striolatum, dein subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, basi ad medium squamulis cinnabarinis obsitum. Antennæ pone medium nostri insertæ, basin thoracis fere attingunt, tenues, piceo-ferrugineæ, parce griseo-pilosæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius plus duplo angustior, apice supra admodum productus, margine in medio levissime, ad latera utrinque profunde sinuato, lobis ocularibus distinctis, lateribus modice ampliatus ante apicem leviter coarctatus, basi sat profunde bi-sinuatus, angulis sub-prominulis; supra parum convexus, profunde, remote excavato-punctatus, carina longitudi-

nali in medio, ante basin abbreviata, elevata; totus ater, opacus, linea laterali utrinque ab apice oblique versus angulos posticos directa, e squamulis cinnabarinis, notatus, ipsis angulis griseo-flavescenti-squamosis; superficie reliqua nonnisi setis singulis cinnabarinis hinc illinc adspersa. Scutellum rotundatum vel breviter ovale, nigrum, sublæve. Elytra ampla, anterius thorace fere duplo latiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris obtusis, subangulatis; lateribus inflexa, pone humeros ad apicem sensim attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, regulariter, profunde striato-punctata, interstitiis alternis seu 2°, 4°, 6° et 8° sat argute costatis, reliquis subplanis vel perparum convexis, lævibus; totus ater, opacus, signaturis numerosis, irregularibus, plurimis transversim dispositis, e squamulis cinnabarinis, variegatim adspersa. Corpus subtus atrum, opacum, in pectore profunde, remote in ventre subtiliter punctatum, squamulis cinnabarinis parce adspersum. Pedes mediocres, atri, densius cinnabarino-squamosi; femoribus subtus ante apicem dente sat valido armatis; tibiis perparum arcuatis, sub-teretibus, apice uncinatis: tarsis subtus fulvo-spongiosis. — Fhs.

8. C. Porculeti. *Germar.*

Ovalis, nigro-piceus, squamulis miniatis pallidis mixtis variegatus, rostro longo, tenui, arcuato, a basi ultra medium striolato; thorace rugoso-punctato, dorso carinato; elytris triangularibus, striato-punctatis, costis tribus elevatis, non abruptis; femoribus bi-dentatis, dente anteriore, majore, sub-crenulato.

Cryptorhynchus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 285. 424.

Patria: Brasilia. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Statura et summa similitudo *Conotracheli diaconiti*, sed dimidio major; rostro minus arcuato, thorace evidenter carinato, costis elytrorum non abruptis, ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, ferrugineum, subtiliter minus crebre punctulatum, squamulis piliformibus, miniatis, sat dense obsitum; fronte inter oculos foveola minutissima insculpta; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace longius, tenue, teres, arcuatum, rufo-ferrugineum, nitidum, a basi ultra medium striolatum, pube pallida adspersum, tum apicem versus glabrum,

obsolete punctulatum, apice ipso infuscatum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, fere ad basin thoracis pertingentes, tenuissimæ, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice in medio rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, anterius subito angustatus, sub-coarctatus, lateribus rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, sat crebre profunde rugoso-punctatus, dorso longitudinaliter distincte carinatus; totus nigro-piceus, squamulis piliformibus miniatis versus basin præsertim pallidis immixtis, sat dense obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum. Elytra basi conjunctim tri-sinuata, antice thoracis basi plus dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, quam lata dimidio longiora, a basi apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, postice declivia, sat profunde striato-punctata, interstitiis planis, sutura et interstitiis alternis dorsalibus, costatis, costis non abruptis; tota nigro-picea, interstitiis alternis miniato-squamosis, costis magis denudatis, squamulis pallidis adspersis. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, pectore profunde minus crebre, abdomine subtiliter punctatis, undique pube depressa silacea adspersum. Pedes mediocres, validi, nigro-picei, squamulis miniatis pallidis mixtis variegatis; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, posterius sub-crenulato, et pone basin illius alio, minuto, simplici, armatis; tibiis teretibus, nonnihil arcuatis, intus apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 9. C. SERPENTINUS. *Germar.*

Ovalis, piceus, squamulis dilute brunneis dense adspersus, rostro longo, valde arcuato, basi striolato-rugoso; thorace confertim rugoso-punctato carinula obsoleta notato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis 2 et 4 a sutura pone medium tantum elevatis; femoribus acute dentatis.

Conotrachelus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.
Balaninus id. Dom. GERM. *in Litteris.*

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Balanino nucum dimidio minor; statura fere *Conotracheli lassuli,*

sed dimidio major; rostro multo longiori, valde arcuato, interstitiis disci elytrorum pone medium tantum elevatis ut et armatura pedum, ab illo facile distinctus. Caput globosum, piceum, crebre rugoso-punctatum, squamulis dilute brunneis dense tectum; oculi sub-ovati, depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, tenue, teres, valde arcuatum, rufo-piceum, basi striolato-rugosum, squamulis dilute brunneis adspersum, dein glabrum, nitidum, obsolete punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, capite cum rostro longiores, tenuissimæ, rufo-testaceæ, clava elongato-ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice in medio rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, anterius angustatus, leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, supra modice convexus, piceus, crebre rugoso-punctatus, carinula longitudinali postice abbreviata munitus, squamulis dilute brunneis, sat dense adspersus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, nigrum, pube pallida adspersum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, quam lata duplo longiora, humeris, obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso fere plana, postice declivia, evidenter regulariter striato-punctata, interstitiis alternis planis 2 et 4 a sutura pone medium 6 et 8 a basi fere ad apicem elevatis, sub-costatis; tota picea, squamulis dilute brunneis, dense adspersa. Corpus subtus nigrum, nitidum, squamulis pallidis parce adspersum, pectore profunde sat crebre ventre remote punctatis. Pedes robusti, nigri, punctati, squamulis dilute brunneis adspersi; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, armatis; tibiis basi sub-arcuatis, piceis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 10. C. Costirostris. *Schh.*

Ovalis, niger, antennis ferrugineis, rostro arcuato, a basi ultra medium sex-sulcato; thorace rude rugoso-punctato, carinato; elytris squamulis silaceis maculatim adspersis, striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis, costatis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Statura fere *Balanini villosi* sed nonnihil convexior. Caput rotundatum, nigrum opacum, obsolete punctulatum; oculi, oblon-

gi, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, teres, minus tenue, arcuatum, nigro-piceum, supra a basi ultra medium sulcis sex sat profundis, in fundo punctatis, exaratum, apicem versus obsolete remote punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava elongato-ovata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice rotundato-productus, lateribus a basi ultra medium rectis, tunc angulatis et subito angustatis, basi leviter bi-sinuatas, supra parum convexus, niger, rude rugoso-punctatus, longitudinaliter carinatus, squamulis setulisque griseis parce adspersus; punctis ejusmodi duobus ante medium thoracis manifesti ribus notatus. Scutellum rotundatum, nigrum, griseo-squamosum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et latitudine duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim perparum angustata, apice declivia, conjunctim sub-truncata, punctis sat profundis, seriatim digestis, impressa, interstitiis alternis planis, alternis valde elevatis, costatis, nullo modo interruptis; tota nigra, opaca, squamulis silaceis, hinc illinc maculatim condensatis, setulisque brevibus pallidis adspersa. Corpus nigrum, punctatum, setulis pallidis parce adspersum. Pedes elongati, punctati, squamulis pilisque griseis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente acuto armatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

11. C. SUBTILIS. *Chevrolat.*

Ovalis, nigro-piceus, antennis, scutello, elytris pedibusque ferrugineis, squamulis setulisque griseis ochraceisque variegatus; fronte impressa miniato-plagiata, rostro arcuato, basi sex-sulcato; thorace rude rugoso-punctato, antice obsolete carinato; elytris evidenter striato-punctatis, interstitiis alternis sub-costatis; femoribus minus valide uni-dentatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Balanino villoso paulo major. Caput rotundatum, rugoso-punctatum, nigro-piceum, fronte profunde impressa, macula gemina e squamulis miniatis notata; oculi demissi, ovati, perparum promi-

nuli, nigri; rostrum thorace cum capite fere longius, teres, arcuatum, nigro-piceum, a basi fere ad apicem sulcis sex, in fundo punctatis, exaratum, undique setulis griseis parce adspersum. Antennæ, pone medium rostri insertæ, dimidium thoracis nonnihil excedunt, subtenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos haud longior, anterius multo angustior, apice supra valde productus, in medio nonnihil emarginatus, lateribus modice ampliatus, ante apicem constrictus, basi bi-sinuatus, angulis fere rectis; supra modice convexus, rude rugoso-punctatus, in dorso antico obsolete carinatus, nigro-piceus, setulis rigidis, griseis, parce obsitus. Scutellum sub-rotundatum, ferrugineum, rugosum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus inflexa, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora; supra modice convexa, regulariter, evidenter striato-punctata, interstitiis alternis elevato-costatis, costis integris; tota obscure ferruginea, squamulis setulisque rigidis, ochraceis et griseo-albidis variegatim adspersa. Corpus subtus piceum, sat profunde at minus crebre punctatum, setulis griseis parce adspersum. Pedes mediocres, obscure ferruginei, setulis rigidis, griseis, densius obsiti; femoribus parum incrassatis, subtus pone medium dente minus valido armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis; tarsis subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

12. C. Puncticollis. *Schh.*

Sub-ovalis, nigro-piceus, antennis rufo-ferrugineis; thorace confertim rugoso-punctato, antice sub-carinato, parce griseo-setuloso; elytris seriatim griseo-setosis, squamulis flavescentibus, ad latera posticeque plagiatim condensatis, variegatis, margine antico utrinque flavo bipunctato; interstitiis sub-costatis, costis dorsalibus alternis antice evanescentibus; femoribus dente minore armatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann ad describendum amice communicatus.

Balanino villoso magnitudine sub-æqualis. Caput sub-globosum, nigro-piceum, evidenter, remote punctatum, parce griseo-setulosum, fronte foveola parva impressa; oculi ovati, demissi, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, modice arcuatum, nigro-piceum, sulcis sex longitudinalibus fere ad apicem exaratum, setulis griseis hinc illinc adsper-

sum. Antennæ, versus apicem rostri insertæ, dimidium thoracis attingunt, tenuissimæ, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata, albido-sericea. Thorax latitudinem baseos longitudine vix æquans, anterius angustior, apice supra sat rotundato-productus, intra apicem coarctatus, lateribus a basi ultra medium sub-rectis vel parum ampliatis, basi bi-sinuatus; supra modice convexus, confertim, rude rugoso-punctatus, carinula in dorso antico abbreviata, inæquali, elevata; totus nigro-piceus, setulis rigidis, griseis, raro adspersus. Scutellum sub-ovale, concolor, glabrum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, basi conjunctim tri sinuata, humeris obtuse sub-angulatis, lateribus inflexa, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, striato-punctata, interstitiis omnibus elevatis, alternis tamen paulo argutius carinatis; nigro-picea, apice dilutius rufescentia, squamulis flavescentibus in dorso antico obsoletius, ad latera posticeque plagiatim condensatis, variegata, punctisque duobus ejusmodi in margine baseos utrinque notata; costis præterea setis rigidis griseo-flavescentibus seriatim obsitis. Corpus subtus nigro-piceum, punctis profundis, confertissime sub-regulariter excavatis, setulis griseis tenuiter adspersum. Pedes mediocres, rufo-picei, crebre rugoso-punctati, undique griseo-setulosi; femoribus vix incrassatis, subtus pone medium dente minore armatis; tibiis basi perparum arcuatis; tarsis tenuibus sub-elongatis.

FHS.

* 13. C. POSTICATUS. *Say.*

Ovalis, piceus, squamulis dilute cervinis parce adspersus, rostro arcuato, striolato-rugoso; thorace confertim rugoso-punctato, carinato; elytris profunde striato-punctatis, interstitiis alternis parum elevatis, postice flavo sub-fasciatis; femoribus acute uni-dentatis.

Cryptorhynchus id. SAY, *Descript of Curc. of N. Amer.* p. 19. 6.
Rhynchænus id. SAY, *Journ. Acad. Nat. Scient. Phil.*

Habitat in Florida. A Dom. SAY benevole communicatus.

Statura *Conotracheli affinis*, nonnihil tamen minor, parce squamosus; thorace evidenter carinato, femoribus uni-dentatis, ab illo facile distinctus. Caput breve convexum, ferrugineo-piceum, crebre rugoso-punctatum; fronte dense cervino-squamosa; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, teres, arcuatum, ferrugineo-piceum, a basi

ultra medium striolato-rugosum, parce squamosum, apicem versus nudum, nitidum, subtiliter punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri sitæ, subtenues, dilute rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice nonnihil rotundato-productus, anterius angustior, leviter constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, crebre rugoso-punctatus, in medio dorsi carinula sat elevata, postice nonnihil abbreviata, notatus, squamulis cervinis undique parce adspersus. Scutellum parvum, rotundum, piceum. Elytra antice thoracis basi vix dimidio latiora, quam lata fere duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, regulariter sat profunde punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis, sub-carinatis; ferrugineo-picea, squamulis cervinis vel sub-flavescentibus, postice in fasciam indeterminatam condensatis, alibi parcius adspersa, setulis parvis, reclinatis, albidis, seriatim obsita. Corpus subtus piceum, crebre rugoso-punctatum. Pedes longiusculi, validi, obscure ferruginei, pube cervina parce adspersum; femoribus punctatis, modice clavatis, subtus dente sat valido, acuto, armatis; tibiis basi arcuatis, apice uncinatis; tarsis subtus fulvo-spongiosis.— Bhn.

14. C. Intractatus. *Schh.*

Ovalis, nigro-piceus, squamulis cinereis vestitus; rostro longiori, parum arcuato, striolato-rugoso; thorace confertim rugoso-punctato, non carinato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis alternis parum elevatis, setulis albidis seriatim adspersis; femoribus obsolete uni-dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Conotrachelo affini magnitudine et statura simillimus; rostro longiori, parum arcuato, thorace non carinato, femoribus obsolete uni-dentatis, ab illo facile distinctus. Caput breve, convexum, piceum, squamulis cinereo-albidis dense tectum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace longius, subtenue, teres, parum arcuatum, obscure ferrugineum, a basi longe ultra medium striolato-rugosum, cinereo-squamosum, tum denudatum, confertim punctatum. Antennæ longe pone medium

rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice rotundato-productus, anterius angustior, constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, confertim rugoso-punctatus, in dorso non carinatus, squamulis cinereo-albidis et brunneis mixtis tectus et variegatus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, denudatum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, quam lata vix duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, postice declivia, regulariter et profunde punctato-striata, interstitiis alternis fere planis, alternis parum elevatis, subconvexis, nigro-picea, squamulis cinereo-albidis nonnullis brunneis mixtis dense tecta, setulis brevibus albidis seriatim adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, profunde punctatum, squamulis cinereis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, cinereo-squamosi; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, obsoleto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 15. C. LAUTUS. *Schh.*

Ovalis, rufo-ferrugineus, squamulis albidis parce adspersus, capite minus confertim punctulato, rostro arcuato, extrorsum nigro; thorace confertim rugoso: elytris striato-punctatis, costis tribus elevatis, internis antice sub-interruptis, basi maculaque rotunda, libera, versus apicem dense albido-squamosis: femoribus albo annulatis, acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura *Conotracheli distincti*, sed dimidio major. Caput parvum, globosum, rufo-ferrugineum, remote parum profunde punctatum; oculi sat magni, ovati, sub-depressi, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, teres, subtenue, valde arcuatum, rufo-ferrugineum, basi obsolete striolato-rugosum; extra antennas nigro-piceum, obsolete punctulatum, nitidum. Antennæ longe pone mediam rostri insertæ, capite cum thorace parum longiores, tenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava elongato-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo longior,

apice supra rotundato-productus, ad latera sinuatus, antice multo angustior, coarctatus, et transversim obsolete impressus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus supra modice convexus, rufo-ferrugineus, confertim rugosus, squamulis setulisque albidis parce adspersus, versus latera linea angusta, arcuata, e squamulis condensatis ejusdem coloris, notatus. Scutellum rotundatum, elevatum, ferrugineum. Elytra antice thorace fere duplo latiora, et illo triplo longiora, humeris fere rectangulis, lateribus inflexa, pone medium sensim angustata, apice parum declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-depressa, punctis seriatim digestis, impressa, interstitiis alternis planis, costis tribus utrinque elevatis, internis pone basin sub-interruptis; tota rufo-ferruginea, squamulis albidis parce adspersa, ipsa basi maculaque parva, rotunda, libera, versus apicem dense albido-squamosis. Corpus subtus ferrugineum, pectore fortius, ventre obsolete punctulatis. Pedes testacei, punctati, setulis albidis parce obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, versus apicem annulo albo-squamoso, cinctis, subtus pone medium dente sat valido, acuto, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 16. C. LASSULUS. *Schh.*

Ovalis, piceus, squamulis dilute brunneis dense adspersus, rostro modice arcuato, basi striolato; thorace minus crebre rugoso-punctato, carinula abbreviata, notato; elytris striato-punctatis, costis tribus elevatis, interna pone medium interrupta: femoribus dentatis et denticulatis.

Habitat in insula Cuba. A Dom. GERMAR missus. Mus. SCHH.

Statura *Conotracheli lauti*, sed paulo minor rostro; breviori, minus arcuato, thorace carinato ut et colore elytrorum ab illo mox distinctus. Caput rotundatum, piceum, rugoso-punctulatum, squamulis dilute brunneis fere tectum; oculi ovati, transversi, subdepressi, nigri; rostrum capite cum thorace vix longius, subtenue, teres, modice arcuatum, rufo-piceum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein obsolete punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice in medio

rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, antice subito angustatus, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, minus crebre rugoso-punctatus, carinula longitudinali antice posticeque valde abbreviata, munitus; totus piceus, squamulis brunneis adspersus. Scutellum parvum, sub-elevatum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-depressa, postice declivia, striato-punctata, interstitiis alternis planis, costis tribus elevatis, interna pone medium interrupta; tota rufo-picea, squamulis unicoloribus dilute brunneis fere tecta. Corpus subtus piceum, setulis pallidis adspersum, pectore profunde, ventre obsolete punctatis. Pedes robusti, rufo-ferruginei, squamulis dilute brunneis vestiti; femoribus clavatis, subtus pone medium dente valido, acuto, denticulis nonnullis adjecto, instructis; tibiis arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 17. C. DISTINCTUS. *Dejean.*

Ovalis, rufo-testaceus, squamulis silaceis dense adspersus, rostro tenui subrecto, capite cum thorace longiori, basi subtiliter striolato-rugoso; thorace subtiliter rugoso-punctato, non carinato: elytris sub-triangularibus, striato-punctatis, costis tribus elevatis, sub-abruptis: femoribus anterioribus bi-dentatis, posticis multi-denticulatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. SCHUPPEL missus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Conotracheli diaconiti*, sed duplo fere minor; rostro breviori, subrecto, thorace non carinato, subtiliter rugoso-punctato ab illo bene distinctus. Caput parvum, rotundatum, rufo-testaceum, subtiliter punctulatum, squamulis piliformibus silaceis tectum; fronte leviter impressa; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, tenue, teres, subrectum, rufo-testaceum, basi subtiliter striolato-rugosum, dein obsolete punctulatum, apice parum infuscatum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ,

ultra dimidium thoracis pertingentes, tenuissimæ, testaceæ, parce pilosæ, clava elongata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice in medio rotundato-productus, utrinque profunde emarginatus, anterius subito angustatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra modice convexus, subtiliter crebre rugoso-punctatus, non carinatus; totus rufo-testaceus, squamulis piliformibus silaceis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, ferrugineum. Elytra antice thorace dimidio latiora illoque triplo longiora, humeris oblique angulatis, lateribus inflexa, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-depressa, postice declivia, striato-punctata, insterstitiis planis, costis tribus elevatis, abruptis, instructa; tota rufo-testacea, squamulis unicoloribus silaceis sat dense obsita. Corpus subtus ferrugineum, pube pallida parce adspersum; pectore sat profunde, ventre obsolete punctatis. Pedes mediocres, validi, testacei, pube albida adspersi; femoribus clavatis, anterioribus subtus pone medium dente valido, acuto, denticulo parvo adjecto, posticis dente subtus multi-crenulato armatis; tibiis arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

* 18. C. Curvirostris. *Schh.*

Sub-ovalis, rufo-ferrugineus, squamulis silaceis albidisque adspersus; rostro admodum arcuato, carinato, thorace rugoso-punctato, basi maculatim infuscato; elytris evidenter striato-punctatis, interstitiis alternis costatis, in medio nigro sub-fasciatis; femoribus albo sub-annulatis, dente minore, acuto, armatis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann benevole donatus. Mus. Schh.

Magnitudine *Anthonomi ulmi.* Caput rotundatum, rufo-ferrugineum, crebre rugoso-punctatum, silaceo-tomentosum; fronte foveola impressa; oculi ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, subtenue, lineare, valde arcuatum, rufo-ferrugineum, confertim punctulatum, dorso a basi ultra medium carinatum, lateribus striolatum, pube tenuissima. silacea, adspersum. Antennæ, pone medium rostri insertæ, dimidium thoracis vix attingunt, rufo-testaceæ, subtenues, clava dilu-

tiore, ovata, albo-sericea. Thorax latitudine baseos fere brevior, anterius dimidio angustior, apice supra nonnihil productus, margine in medio leviter, ad latera profundius sinuato, lateribus modice ampliatus, ante apicem leviter coarctatus, basi bi-sinuatus, angulis subrectis, supra modice convexus, crebre et profunde rugoso-punctatus, dorso postice obsolete sub-carinatus, rufo-ferrugineus, squamulis silaceis adspersus, in dorso postico lineis duabus a basi ultra medium extensis et intra angulos posticos puncto utrinque albido-squamosis, ad marginem baseos maculis tribus sub-triangularibus, exterioribus minoribus, denudatis, sub-infuscatis. Scutellum sub-rotundatum, rufo-ferrugineum, rugosum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, sub-remote at sat profunde striato-punctata, insterstitiis alternis sub-planis vel perparum convexis, alternis costatis, costa intima inæqualiter elevata, dilutius rufo-ferruginea, in medio plaga difformi, obliqua, sub-fasciali, nec sturam nec marginem lateralem attingente, nigra, undique squamulis silaceis, basi et infra callos posticos magis condensatis, pone fasciam dorsalem albidioribus immixtis, obsita. Corpus subtus obscure ferrugineum, tenuiter griseo-pubescens, in pectore profunde, in ventre subtilius punctatum. Pedes mediocres, parce silaceo-squamosi, rufo-testacei; femoribus parum incrassatis, crebre punctatis, pone medium obsolete albido annulatis, subtus dente minore, acuto, armatis; tibiis basi arcuatis, apice uncinatis; tarsis subtus griseo-spongiosis.— FHS.

* 19. C. MACERITIÆ. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, fusco-ferrugineus vel piceus, cervino-squamosus, antennis gracilibus, dilutioribus; rostro tenui, elongato, thorace antice transversim impresso, in medio carinato; elytris remote striato-punctatis, interstitiis alternis minus argute costatis; femoribus albido annulatis, obsolete dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* p. 322.

Patria : Guadeloupe. Dom. CHEVROLAT Mus. SCHH.

Anthonomo druparum magnitudine æqualis. Caput rotundatum, ferrugineum aut piceum, punctatum, sat dense cervino-squamo-

sum, fronte foveola obsoleta impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, extrorsum arcuatum, subtiliter punctulatum, totum rufo-ferrugineum, pube cervina parce adspersum, dorso carinula, fere ad apicem producta, elevata, lateribus basi etiam longitudinaliter ultra medium striolatis. Antennæ, versus apicem rostri insertæ, thoracis basin fere excedunt, graciles, dilutius rufo-testaceæ, clava ovali, albo-sericea. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice in medio admodum rotundato-productus, pone oculos lobatus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis rectis; supra parum convexus, in dorso antico transversim sat profunde impressus, in medio carinula longitudinali, antice et postice abbreviata, elevata; totus obscure ferrugineus aut piceus, profunde et confertim rugoso-punctatus, squamulis cervinis, dorso densius, ad latera parce obsitus. Scutellum rotundatum, sub-glabrum, concolor. Elytra sub-triangularia, antice thorace duplo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, sensim attenuata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, remote striato-punctata, interstitiis alternis parum argute costatis, alternis planis; tota obscure ferruginea, nonnunquam parce nigro variegata, squamulis cervinis sat dense adspersa. Corpus subtus obscure ferrugineum vel piceum, tenuiter pubescens, pectore rude, abdomine subtilius punctatis. Pedes mediocres, rufo-testacei aut ferrugineo-picei; femoribus clavatis, squamulis cervinis, pone medium in fasciam condensatis, adspersis, subtus dente sat valido munitis; tibiis arcuatis, parce cervino-squamosis; tarsis subtus pallide spongiosis. — FHS.

* 20. C. SUBFASCIATUS. *Schh.*

Ovalis, convexus, niger, squamulis dilute cinereis tectus, capite confertim rude punctato, rostro arcuato, striolato-rugoso; thorace rude rugoso-punctato, antice carinato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis modice elevatis, fasciculato-setosis, fascia pone medium obsoleta fusca; femoribus obtuse dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudine fere *Grypidii equiseti*, sed latior. Caput rotundatum, nigrum, opacum, confertim rude punctatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis,

teres, crassiusculum, valde arcuatum, nigrum, striolato-rugosum, setulis pallidis adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-holosericea. Thorax latitudine media brevior, apice in medio rotundato-productus, pone oculos lobatus, lateribus nonnihil rotundatus, antice basi duplo angustior, ibique coarctatus et transversim impressus, basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, niger, opacus, rude sed minus profunde rugoso-punctatus, dorso antico obsolete carinato, squamulis cinereis setulisque reclinatis, fuscis, parce adspersus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et latitudine duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, apicem versus nonnihil angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, punctis parum profundis, seriatim digestis, impressa, interstitiis planis, alternis modice elevatis, costatis, setulis brevibus, crassis, erectis, fasciculatis, obsitis; tota nigra, dilute cinereo-squamosa, pone medium fascia transversa, recta, communi, fusca, notata. Corpus subtus nigrum sub-nitidum, in pectore rude, ventre obsolete, remote, punctatum, setulis pallidis parce adspersum. Pedes elongati, nigri, punctati, squamulis pilisque griseis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium, dente obtuso instructis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

** *Costæ duæ interiores vel una tantum interruptæ.* (Species 21-40.)

21. C. HOPEI. *Schh.*

Sub-ovalis, ater, rostro subtenui, longitudine fere dimidii corporis; thorace rude rugoso-punctato, parce setoso; elytris luride silaceo-squamosis, setulis sparsis erectis, basi triangulariter maculisque aliquot suturalibus et marginali didyma denudatis, atris; interstitiis 2° et 8° a sutura sub-elevatis, pedibus silaceo-squamosis; femoribus posterioribus basi atris, omnibus uni-dentatis; antennis tarsisque ferrugineis.

Habitat in Brasilia. A Dom. HOPE benevole communicatus.

Cryptorhyncho mangiferæ magnitudine sub-æqualis. Caput parvum sub-rotundatum, atrum, temere rugoso-punctatum; fronte im-

pressa, carinula brevissima, lævi, notata: oculi sub-ovati, demissi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace cum capite dimidio fere longius, subtenue, teres, sat arcuatum, striolato-rugosum, carinula in dorso lævi, fere ad apicem producta, nigrum, ipso apice rufescente, squamulis griseis versus basin parce adspersum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, dimidium thoracis nonnihil superant, tenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovali, acuminata, albo-sericea. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice supra satis productus, in medio sub-emarginatus, lobis ocularibus distinctioribus, lateribus a basi ultra medium fere rectis, vel perparum ampliatus, ante apicem mox angustatus, sub-coarctatus, postice evidenter bi-sinuatus, angulis sub-obtusis; supra modice convexus, confertim, rude rugoso-punctatus, antice transversim impressus, carinula longitudinali in medio, postice abbreviata, lævi; totus ater, opacus, setis rigidis, declinatis, concoloribus, parce obsitus. Scutellum sub-ovale, subtiliter rugosum, nigrum. Elytra sub-ovata, antice utrinque sinuata, thorace plus dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone humeros versus apicem sensim attenuata, apice ipso conjunctim obtuse sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra convexa, postice declivia, regulariter punctato-striata, atra, plaga luride silaceo-squamosa, opaca, pallidius marginata, ab humeris ad apicem utrinque extensa, discum fere totum occupante, relictis solum basi triangulariter, maculis duabus suturalibus, transversis, anteriore in medio dorsi, majore, tertia in ipso apice sub-hemisphærica, nec non macula didyma ad marginem lateralem utrinque, denudatis, atris; undique setulis concoloribus parce adspersa, punctis quoque striarum squamigeris; interstitiis secundo et octavo a sutura sat evidenter costatis, quarto sextoque vero reliquis vix vel perparum elevatioribus. Corpus subtus atrum, sub-glabrum, pectore profunde abdominisque basi apiceque subtilius punctatis, segmentis hujusce intermediis vix nisi lævibus. Pedes mediocres, nigri, dense silaceo-squamosi; femoribus posterioribus basi ultra medium sub-denudatis, omnibus subtus pone medium dente valido armatis; tibiis basi arcuatis; tarsis ferrugineis, subtus flavo-spongiosis.

FHS.

* 22. C. SIMILIS. *Dejean.*

Ovalis, niger, squamulis niveis variegatus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro crassiusculo, modice arcuato, striolato-rugoso, dorso carinato; thorace rude rugoso, antice impresso, medio carinato: elytris squamulis niveis maculatim adspersis, obsolete striato-punctatis: interstitiis alternis elevatis, femoribus acute dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Habitat in America boreali. A Dom. Com. DEJEAN missus. Mus. SCHH.

Balanino villoso paulo major. Caput globosum, nigrum, opacum, crebre rugoso-punctatum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, teres, modice arcuatum, piceum, dorso carina sat elevata instructum, lateribus striolato-rugosum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, parce pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice supra productus, margine in medio leviter, ad latera utrinque profunde sinuato; lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, rude sat crebre rugosus, in dorso antico impressus, carinula longitudinali, antice posticeque abbreviata, notatus, squamulis niveis præsertim versus latera adspersus. Scutellum parvum, sub-elevatum, oblongum, nigrum. Elytra antice thorace dimidio latiora, et illo plus duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, nigra, versus apicem picea, minus profunde striato-punctata, interstitiis alternis modice elevatis, subcostatis, costa secunda a sutura antice sub-interrupta, maculis magnis dilatatis, discum totum fere occupantibus, e squamulis niveis, ornata. Corpus subtus nigrum, profunde punctatum. Pedes robusti; femoribus nigro-piceis, apice dilutioribus, niveo-squamosis, subtus dente acuto, instructis: tibiis rufo-ferrugineis, basi arcuatis; tarsis dilutius ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

23. C. LEUCOPHÆATUS. *Chevrolat.*

Sub-ovalis, nigro-piceus, squamulis niveis variegatus, antennis, elytrorum apice, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro tenuiore, sat arcuato; thorace rude rugoso, antice sub-impresso, medio carinato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis, basi anguste ochraceo-tomentosis, dein densius niveo-squamosis, macula communi transversa, in medio apiceque late sub-denudatis: femoribus obtuse dentatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT sub nomine designato benevole communicatus.

Balanino villoso magnitudine sub-æqualis; *Conotrachelo simili* de cætero valde propinquus, at paulo minor, præsertim angustior, rostrum tenuius, magis arcuatum, etc. Caput rotundatum, nigrum, rugoso-punctatum, parce albido-squamosum; oculi sub-ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, teres, sat arcuatum, dorso a basi ultra medium carinatum, lateribus striolato-rugosum, nigro-piceum, sub-glabrum. Antennæ, pone medium rostri sitæ, dimidium thoracis fere excedunt, ferrugineæ, clava ovali, acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, anterius angustatus, apice supra admodum rotundato-productus, margine utrinque profunde sinuato, lateribus modice ampliatus, ante apicem obsolete coarctatus, basi bi-sinuatus, angulis subrectis; supra modice convexus, valde rugosus, carina longitudinali, distincta, in medio elevata, adjacente in dorso antico utrinque ruga abbreviata, area intermedia sub-impressa; totus nigro-piceus, dorso fere nudus, ad latera utrinque signatura sub-hieroglyphica e lineis quatuor connexis niveo-pubescentibus, notatus, squamulis ferrugineis parce immixtis. Scutellum rotundatum, nigrum, parce albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, versus apicem nonnihil angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra convexa, minus profunde striato-punctata, interstitiis alternis elevato-costatis, costa secunda a sutura antice sub-interrupta; nigro-picea, apice late ferruginea, basi intra humeros litura sub-triangulari e tomento sub-ochraceo notata, dein ultra medium lana tenui sub-nivea, variegatim minus condensata, vestita, in medio plaga communi, transversa, sinuata

apiceque late sub-denudatis. Corpus subtus nigro-piceum, sat profunde punctatum, parce albido-pubescens. Pedes mediocres; femoribus nigro-piceis, apice niveo-squamosis, subtus pone medium dente obtusiore instructis; tibiis ferrugineis, basi nonnihil arcuatis, fusco annulatis; tarsis tenuibus, ferrugineis, subtus pallide spongiosis. — FUS.

* 24. C. ANAGLYPTICUS. *Say.*

Piceo niger, opacus, thorace oblongo, impresso, lineis utrinque duabus albidis: elytris cervino-squamosis, plaga in dorso antico utrinque obliqua, flavescente, humeris apiceque late ferrugineis, sub-denudatis, interstitiis alternis carinatis: femoribus bi-dentatis.

Cryptorhynchus id. SAY. *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 18. 1.

* VAR. β. Elytris rufo testaceis, dorso in medio transversim suturaque antice late, inæqualiter infuscatis.

Patria: Civitates Fœderatæ Americæ borealis.

Conotrachelo argulæ Fabr. brevior, at non angustior. Caput rotundatum, nigrum, sub-rugosum, tenuiter griseo-pubescens; oculi ovati, parum prominuli, nigri: rostrum thorace vix brevius, arcuatum, crassiusculum, carinatum, piceo-nigrum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, thorace breviores, graciles, flavescentes, clava oblongo-ovali. Thorax latitudine longior, sub-cylindricus, antice angustatus, apice in medio productus, pone oculos lobatus, sulco pectorali apice explanato, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, dense ac profunde punctatus, antice transversim impressus, leviter constrictus, carinula valde obsoleta, abbreviata; fusco-niger, dorso fere nudo, lineis utrinque duabus flexuosis ad carinas elytrorum productis, albido-tomentosis. Scutellum sub-rotundatum, concolor. Coleoptera basi thorace duplo latiora, sub-truncata, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, posterius attenuata, apice sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sub-gibba, profunde striato-punctata, interstitiis alternis acute carinatis, costa secunda a sutura antice interrupta: picea tomento cervino a basi ultra medium adspersa, plaga obliqua flavo-squamosa in dorso antico utrinque notata, humeris apiceque late ferrugineis, sub-denudatis. Pectus et abdomen rude punctata, nigra. Pedes rufescentes, nigro variegati, cervino-squamosi: femoribus clavatis,

dentibus duobus, posteriore minore, armatis; tibiis apice angulatis; tarsis brevibus, subtus spongiosis.

Var. β differt tantum elytris pallidioribus, rufo-testaceis, vitta suturali lata, pone medium desinente, ibique versus latera utrinque extensa, inæqualiter nigro-fusca. — FHS.

25. C. SCAPULARIS. *Chevrolat.*

Sub-ovalis, piceus, ferrugineo-squamosus, antennis tibiisque dilutioribus, rostro punctulato, vix carinato; thorace antice transversim impresso, apice setoso, angulis posticis setulisque in dorso antico sparsis, niveis; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis argute costatis, humeris antice squamulisque in costis dorsalibus sparsis, niveis; femoribus obsolete albido fasciatis, evidenter uni-dentatis.

Patria: Alvarado in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Magnitudine *Balanini villosi.* Caput rotundatum, nigrum, squamulis miniatis obsitum, fronte obsolete impressa; oculi ovati, demissi, vix prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, subtenue, modice arcuatum, piceum, apice glabrum, nitidum, subtilissime punctulatum, basi obsolete strigosum, parce miniato-tomentosum. Antennæ, versus apicem rostri insertæ, dimidium thoracis excedunt, tenues, flavo-testaceæ, clava ovali, albo-sericea. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angustior, apice supra productus, margine in medio leviter, ad latera utrinque profunde sinuato, lateribus modice ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis rectis; supra parum convexus, antice transversim late impressus, sub-constrictus, carinula in medio dorsi obsoletissima, utrinque abbreviata; totus piceus, rugoso-punctatus, squamulis griseo-ferrugineis, ad latera apiceque variegatim densioribus, versus paginam subteriorem sub-miniatis, vestitus, apice setulis fuscis adspersus, squamulis niveis ad marginem et in dorso antico immixtis, angulis posticis etiam anguste at evidenter niveo-squamosis. Scutellum sub-ovale, piceum, griseo-ferrugineo-tomentosum. Elytra sub-triangularia, antice thorace fere duplo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, versus apicem admodum attenuata, apice ipso sub-rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, regulariter, evidenter, striato-punctata, interstitiis alternis argute costatis, costis dorsalibus ante medium sub-interruptis,

alternis postice tantum nonnihil convexis; tota fusco-picea, tomento sub-ferrugineo vestita, humeris antice niveo-squamosis costisque setulis ejusdem coloris hinc illinc adspersis. Corpus subtus nigro-piceum, parce pubescens, in pectore segmentisque duobus basalibus profunde, posterius subtiliter punctatum. Pedes mediocres, squamulis sub-ferrugineis albidisque promiscue vestiti; femoribus nonnihil incrassatis, piceis, obsolete albido fasciatis, subtus mox pone medium dente acuto armatis; tibiis basi arcuatis, ferrugineis, inferne infuscatis; tarsis fuscis, subtus griseo-spongiosis.

FHS.

26. C. TRIGONUS. *Schh.*

Sub-ovatus, ferrugineus, squamulis melleis tectus, rostro longo, modice arcuato, a basi ultra medium striolato-rugoso; thorace angustiore, angulis posticis albo notatis; elytris triangularibus, antice cinereo-squamosis, bifariam subtiliter punctato-striatis, interstitiis alternis costatis, costa interna pone medium interrupta; femoribus acute uni-dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Ciono scrophulariæ parum major. Caput breve, convexum, rugaloso-punctatum, obscure ferrugineum, squamulis melleo-lutescentibus tectum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere elytrorum, teres, modice arcuatum, minus tenue, ferrugineum, a basi ultra medium striolato-rugosum, parce squamosum, apicem versus nonnihil dilatatum, nudum, nitidum, punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, testaceæ, clava elongata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius angustior, apice rotundato-productus, pone oculos emarginatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, ferrugineus, supra squamulis melleo-lutescentibus dense vestitus, angulis posticis litura obliqua nivea notatis. Scutellum parvum, oblongum, obscure ferrugineum, cinereo-squamosum. Elytra sub-trigona, antice thoracis basi duplo fere latiora, quam lata vix dimidio longiora, humeris obtuse angulatis, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, postice declivia, subtiliter bifariam punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, costatis, costa prima a sutura magis elevata, pone

medium interrupta; tota ferruginea, a basi ad medium cinereo-dein apicem versus dilute cervino-squamosa. Corpus subtus obscure ferrugineum, punctatum, squamulis cervinis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, ferruginei; femoribus punctatis basi apiceque cervino-medio niveo-squamosis, parum clavatis, subtus dente acuto armatis; tibiis teretibus, rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

27. C. Grammicollis. *Schh.*

Breviter ovatus, ferrugineus, brunneo-squamosus, fronte foveolata; rostro modice arcuato, basi sub-elevato; thorace parvo, antice producto, tri-tuberculato, lineis arcuatis, niveis, decorato; elytris subtriangularibus, linea basali punctisque pone medium albo-squamosis ornatis; humeris prominulis, acutis, bifariam subtiliter punctato-striatis; interstitiis alternis costatis, costa prima bis interrupta; pedibus albido brunneoque variegatis; femoribus acute dentatis.

Patria: Brasilia. A Dom. Faldermann ad describendum amice communicatus.

Statura fere *Conotracheli trigoni*, paulo tamen minor, adhuc magis triangularis. Caput parvum, rotundatum, supra convexum, confertim subtiliter punctulatum, læte miniato-squamosum; fronte transversim impressa, foveola parva insculpta; oculi ovati, subdepressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, teres, modice arcuatum, basi nonnihil elevatum, evidenter punctulatum, squamosum, dein apicem versus vix punctatum, glabrum, nitidum; totum ferrugineum, apice dilutiore. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, dilute ferrugineæ, clava oblonga, dilutiore, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice subito angustior, apice supra lobo valde producto, medio emarginato instructus, lobis ocularibus prominulis; lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim ruguloso-punctatus, in medio dorsi tuberculo sat valido et in margine antico utrinque tuberculo parvo munitus; obscure ferrugineus, squamulis setisque brunneis adspersus, lineis variis, arcuatis, niveis, decoratus, prima utrinque a basi excurrente in medio dorsi conjuncta; altera ei adfixa, apicem versus ducta; tertia laterali, medio valde arcuata, versus apicem retrorsum flexa.

Scutellum parvum, rotundatum, in emarginatura excavata situm, brunneo-squamosum. Elytra antice truncata, thoracis basi plus duplo latiora, humeris mucrone parvo, acuto, instructis; ab humero versus apicem subito angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, postice declivia, subtiliter bifariam punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, interstitiis alternis planis, alternis costatis, costis ante apicem evanescentibus, prima bis interrupta; ferruginea, squamulis dilate brunneis dense tecta, linea transversa in ipsa basi a medio ad humeros extensa punctisque nonnullis sparsis in medio, albido-squamosis, decorata. Corpus subtus ferrugineum, vix squamosum, remote punctatum, segmentis mediis abdominis lævibus. Pedes mediocres, validi; femoribus modice incrassatis, a basi fere ad medium brunneo-dein albido-squamosis, apicem versus annulo fusco decoratis, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-compressis, brunneo-squamulosis et albido-setulosis; tarsis modice dilatatis, subtus griseo-spongiosis. — BOH.

28. C. HUMEROSUS. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, miniato-squamosus, setulis albidis parce adspersus: elytrorum dorso cinereo-tomentoso; thorace antice constricto, in medio dorsi gibbere elevato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis costatis, costis dorsalibus interruptis, humeris sub-spinosis; femoribus uni-dentatis, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis.

Patria: Alvarado in Mexico. A Dom. CHEVROLAT, hoc nomine designatus, ad describendum benevole missus.

Magnitudine *Conotracheli abdominalis.* Caput rotundatum, nigro-piceum, dense miniato-squamosum; oculi sub-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite vel paulo longius, validiusculum, teres, arcuatum, nigro-piceum, basi ultra medium striolato-rugosum, miniato-squamosum, apice subtiliter punctulatum, sub-glabrum. Antennæ, versus apicem rostri insertæ, basin thoracis attingunt, subtenues, dilutius ferrugineæ, clava ovali, acuminata, albido-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice supra admodum productus, pone oculos utrinque lobatus, lateribus intra apicem constrictus, posterius nonnihil rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra rugoso-punctatus, antice transversim impressus, in medio

dorsi pone impressionem tuberculo oblongo, versus basin declivi, carinato, elevato; totus nigro-piceus, squamulis miniatis, basi ante scutellum parcius, alibi dense vestitus, setulis albidis hinc illinc, præsertim circa gibberem et ad marginem apicis, adspersus. Scutellum sub-ovale, nigrum, dense miniato-tomentosum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris angulatim extensis, sub-mucronatis; lateribus inflexa, versus apicem angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, regulariter striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis costatis, costa intima bis, ei proxima unice interruptis; tota nigro-picea, squamulis depressis, miniatis, dense vestita, setulis erectis albidis parce immixtis, in dorso area communi cinereo-tomentosa, basin non attingente, ante callos posticos desinente, utrinque ad striam quintam a sutura extensa. Corpus subtus nigropiceum, pectore profunde punctato, densius miniato-squamoso, abdomine, præter seriem punctorum, ad marginem segmenti basalis, fere lævi, tenuissime miniato-pubescente. Pedes mediocres; femoribus piceis, modice incrassatis, intermediis incurvis, omnibus squamulis miniatis, setulis albidis immixtis, vestitis, versus apicem obsolete albido annulatis, subtus pone medium dente obtuso munitis; tibiis ferrugineis, basi arcuatis, disperse albido-setulosis; tarsis ferrugineis, subtus flavo-griseo-spongiosis.

Fhs.

* 29. C. Inconcinnus. *Schh.*

Ovalis, niger, squamulis griseo-albidis parce adspersus, rostro valde arcuato, striolato-rugoso; thorace profunde rugoso, antico carinato; elytris striato-punctatis, costis quatuor elevatis, internis interruptis; femoribus acute uni-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Conotrachelo abdominali magnitudine et statura simillimus, sed abunde distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum sub-nitidum, remote obsolete punctulatum; oculi ovati, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, minus tenue, valde arcuatum, nigrum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos multo longior, apice supra nonnihil rotundato-productus, ad latera

emarginatus, ante apicem angustatus, coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, niger, confertim et profunde rugoso-punctatus, dorso antico obsolete carinato, squamulis griseo-albidis præsertim versus latera adspersus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum, opacum. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, humeris obtusis, sub-rotundatis; thorace plus duplo longiora, pone medium apicem versus angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, striato-punctata, costis quatuor utrinque modice elevatis; intima ante et infra medium interrupta, squamulis raris, griseo-albidis versus latera et apicem adspersa. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis griseo-albidis parce adspersum. Pedes elongati, robusti, nigri, punctati, pube grisea obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente sat valido, acuto, instructis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 30. C. HUMERALIS. *Schh.*

Ovatus, niger, capite nitidissimo, vertice remote pone oculos crebre punctulato, fronte foveolata: rostro valde arcuato, basi striolato-rugoso; thorace confertim rugoso-punctato, antice carinato: elytris striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis, costatis, dorsalibus abruptis, macula parva humerali niveo-squamosa ornatis: femoribus acute dentatis, niveo annulatis.

Patria: Brasilia meridionalis. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Conotracheli inconcinni;* thorace confertim rugoso-punctato, evidenter carinato, macula humerali nivea elytrorum, femoribus albo annulatis ab illo distinctus. Caput breve, valde convexum, nigrum, nitidissimum, glabrum, pone oculos confertim subtiliter punctulatum; vertice punctis parvis, remotis impresso; fronte foveola parum profunda insculpta: oculi ovati, depressi, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, teres, subtenue, valde arcuatum, apicem versus nonnihil deplanatum, basi striolato-rugosum, dein sub-læve, nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ subtenues, rufo-testaceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius angusta-

tus, apice supra nonnihil productus, utrinque emarginatus, lobis ocularibus vix productis, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre evidenter rugoso-punctatus, dorso antico distincte carinatus, utrinque ante medium tuberculo parvo, parum elevato, notatus; niger, squamulis nonnullis albidis præsertim in angulo postico obsitus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum, punctulatum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-angulatis, ab humero versus apicem sensim angustata; apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, obsoletius striata, et in striis punctis sat magnis impressa, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, costatis, dorsalibus interruptis; nigro-picea, squamulis albidis parce adspersa, singulo in ipsa basi supra humeros macula parva, sub-rotunda, dense niveo-squamosa. Corpus subtus nigro-piceum, sub-remote punctatum. Pedes elongati, nigro-picei, punctati; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis, omnibus niveo annulatis vel fasciatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 31. C. ARGULA. *Fabricius.*

Ovalis, piceus, squamulis cervinis albidisque variegatus, antennis, tibiis tarsisque rufo-testaceis; rostro arcuato, basi carinato, striolato-rugoso; thorace punctato, antice obsolete carinato, transversim impresso, dorso tuberculis duobus aut quatuor glabris, nigris; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis costatis, costis internis bis interruptis, parte intermedia altius elevata, fascia transversa, communi, in medio, atra; femoribus bi-dentatis. — FHS.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 467. 142.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 192. 174. T. 22. f. 301.

Cryptorhynchus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 19. 7.

Curculio nenuphar. HERBST, *Col.* VII. p. 29. 587. T. 99. f. 8.

Rhynchænus cerasi. PECK, *Journ. Mass. Agr. Soc. jan.* 1819.

Conotrachelus variegatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Patria : America borealis.

32. C. MULTITUBERCULATUS. *Fabricius.*

Sub-ovalis, nigro-piceus, pube griseo-flavescente adspersus, antennis, rostro basi, elytris postice, femoribus apice, tibiis tarsisque rufo-testaceis: rostro carinato, thorace antice transversim impresso, dorso valde bi-tuberculato, in medio linea longitudinali, maculaque triangulari ante scutellum denudatis, lævibus: elytrorum interstitiis alternis costatis, costis interioribus interruptis, femoribus bi-dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 483. 214.

Habitat in America meridionali. Dom. SMIDT. Mus. Reg. Dan.

Cælíode quercus aliquantulum major. Caput sub-globosum, confertim, evidenter punctatum, piceum; fronte antice flavo-tomentosa, in medio foveola impressa; oculi sub-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace cum capite paulo longius, validiusculum, arcuatum, dorso ultra medium argute carinatum, lateribus sub strigosum, rufo-testaceum, flavo-pubescens, apice infuscatum, subtiliter punctulatum, glabrum. Antennæ pone medium rostri insertæ, dimidium thoracis nonnihil excedunt; tenues, rufo-testaceæ, clava ovali, albido-sericea. Thorax angustus, latitudine baseos haud brevior, apice in medio nonnihil rotundato-productus, lateribus a basi longe ultra medium sub-parallelis, tum angulatim angustatis, postice bi-sinuatus; supra modice convexus, antice transversim sat profunde impressus, coarctatus, impressione versus latera callo sub-elevato postice terminata, in medio dorsi tuberculis duobus validis erectis; nigro-piceus, apice dilutius rufescens, temento flavescente obsitus, basi utrinque lineola obliqua niveo-squamosa notatus, in medio ante scutellum plaga cuneiformi denudata nigra, lævissima, nitida, per lineam longitudinalem ad apicem continuata. Scutellum parvum, sub-triangulare, piceum, glabrum. Elytra antice thoracis basi duplo latiora, humeris obtuse angulatis, subplicatis; lateribus inflexa, versus apicem sensim attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace fere triplo longiora; supra modice convexa, basi nigro-picea, profundius seriato-punctata, postice late, oblique, rufo-testacea, obsoletius punctato-striata, stria tamen margini proxima evidentiore, infuscata, undique pube, anterius densiore, postice tenuissima, griseo-flavescente, obducta, lituris aliquot intra basin ad marginem lateralem et versus apicem

tenuiter niveo-squamosis, interstitiis alternis postice planis, anterius sub-rugosis, alternis costatis, costis duabus interioribus bis interruptis, parte intermedia intima argutissime carinato-elevata, postice fere spinosa, antice declivi, parte posteriore utriusque costæ interioris supra callos posticos abrupte desinente, intima altius elevata, parte anteriore costæ secundæ nonnisi tuberculum constituente; intermedia brevi, sat elevata, costa tertia apice evanescente, quarta fere integra. Corpus subtus atrum, parce griseo-pubescens, pectore profunde, remote, punctato, abdomine sub-lævi. Pedes mediocres; femoribus basi nigris, apice late rufo-testaceis, pube grisea, extrorsum albo variegata, adspersis; subtus versus apicem dentibus duobus, posteriore obsoletissima, armatis: tibiis valde arcuatis, tarsisque totis rufo-testaceis, tenuiter griseo-pubescentibus. — Fhs.

* 33. C. Coelebs. *Schh.*

Oblongo-ovatus, nigro-piceus, squamulis griseo-albidis adspersus, fronte foveola profunda insculpta; rostro striolato-rugoso, arcuato; thorace inæquali, remote rugoso-punctato, antice obsolete carinato; elytris striato-punctatis, costis parum elevatis, internis interruptis, singulo macula apicali obscure brunnea; femoribus bi-dentatis.

Habitat ad Rio Janeiro. Mus. Schh.

Baridio artemisiæ paulo major. Caput parvum rotundatum, ferrugineum, punctulatum, pube depressa cinereo-albida dense adspersum, inter oculos foveola sat profunda impressum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, modice arcuatum, minus tenue, supra sub-elevatum, nigro-piceum, striolato-rugosum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos longior, apice supra parum rotundato-productus, utrinque emarginatus, lateribus ultra medium rectis, tunc angulatis et subito angustatis, antice coarctatus et transversim impressus, basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, remote rugoso-punctatus, dorso antico longitudinaliter carinato, piceus, pube griseo-albida adspersus. Scutellum rotundatum sub-elevatum, piceum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et latitudine plus duplo longiora, humeris obtusis, lateribus inflexa, pone humeros apicem

versus sensim perparum angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtiliter striatim punctata, costis tribus utrinque parum elevatis, apice abbreviatis, internis ante et infra medium interruptis; tota picea, squamulis griseo-albidis adspersa, versus basin et pone medium magis condensatis, et in ipso callo apicali macula, nigro-picea, denudata, rufo-terminata, notata. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, obsolete punctulatum, pectore dense griseo-albido-squamoso; abdomine denudato, segmento ultimo in medio late, utrinque vero profunde impresso. Pedes elongati, ferruginei, punctulati; femoribus modice clavatis, subtus pone medium bi-denticulatis, pube squamulisque griseo-albidis, versus apicem præsertim condensatis adspersis; tibiis subrectis, setulis albidis sat dense obsitis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 34. C. ELEGANS. *Say.*

Ovalis, obscure ferrugineus, squamulis griseis inæqualiter adspersus, rostro valde arcuato, striolato-rugoso; thorace antice coarctato, crebre rugoso-punctato, linea flexuosa griseo-albida utrinque; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis costis modice elevatis instructis, interna bis interrupta; femoribus bi-dentatis.

Cryptorhynchus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 18.

Patria: Civitates Fœderatæ Americæ borealis. Dom. SAY. Mus. SCHH.

Conotrachelo costirostri subsimilis, nonnihil tamen longior; thorace angustiore minus profunde rugoso-punctato, non carinato ut et femoribus bi-dentatis ab illo abunde distinctus. Caput breve, convexum, obscure ferrugineum, subtiliter confertim rugoso-punctatum, squamulis piliformibus griseis adspersum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, teres, valde arcuatum, dilutius ferrugineum, a basi ultra medium carinatum et utrinque striolatum, punctatum, squamulis griseis parce adspersum, extrorsum nudum, nitidum, punctulatum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice rotundato-productus, mox intra apicem co-

arctatus, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, obscure ferrugineus, vix carinatus, squamulis griseis parce adspersus, versus latera in linea obsoleta, arcuata, condensatis. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, obscure ferrugineum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, punctis parvis per paria approximatis striata, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis, costatis, costa interna bis interrupta; obscure ferruginea, squamulis piliformibus griseis inæqualiter variegata. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, crebre punctatum, pube grisea tenuissime adspersum. Pedes longiusculi, validi, obscure ferruginei, cinero-pubescentes; femoribus intra apicem niveo fasciatis, modice clavatis, subtus bi-dentatis, posteriore minore; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 35. C. AFFINIS. *Dejean.*

Ovalis, piceus, squamulis cervinis et cinereo-albidis variegatus; rostro breviori, modice arcuato, striolato-rugoso; thorace sat crebre rugoso-punctato, utrinque linea arcuata e squamulis albidis, notato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis parum elevatis; femoribus bi-dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Habitat in America boreali. A Dom. Com. DEJEAN missus. Mus. SCHH.

Statura fere *Conotracheli serpentini*, sed dimidio minor, aliter coloratus, femoribus bi-dentatis. Caput globosum, piceum, ruguloso-punctatum, squamulis cervinis, in fronte albidis, adspersum: oculi ovati, depressi, nigri: rostrum thorace parum longius, subtenue, teres, modice arcuatum, piceum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, tenues, dilute rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice rotundato-productus, anterius angustatus, leviter constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, piceus, crebre rugoso-punctatus, squamulis cervinis dense adspersus, utrinque in dorso li-

nea arcuata, antice connexis, albido-squamosis. Scutellum parvum oblongum, nigro-piceum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, quam lata duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, picea, regulariter evidenter striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis parum elevatis, sub-convexis, squamulis cervinis et cinereis variegata. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore profunde, ventre subtiliter punctulatis. Pedes validi, rufo-ferruginei, squamulis cervinis et cinereis variegati; femoribus clavatis, subtus bidentatis; tibiis basi nonnihil arcuatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Variat indumento paginae superioris rubro-ochraceo, obsoletius albido variegato. — Bhn.

* 36. C. Confinis. *Dejean.*

Ovatus, niger, pube grisea parce adspersus, rostro basi superne, antennis, femoribus posterioribus medio, tibiis tarsisque rufo-testaceis; thorace ampliato, rugoso-punctato, linea utrinque flavo-densius griseo-tomentosa; elytris pone medium late griseo-fasciatis, interstitiis alternis modice elevato-costatis, costa intima pone medium interrupta; femoribus aequaliter bi-dentatis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Habitat in Pensylvania. D. Schuppel. Mus. Schh.

Longitudine *Conotracheli albidominalis* at paulo angustior. Caput rotundatum, punctatum, griseo-tomentosum, vertice nigro, fronte lateribus ferruginea, antice foveola insculpta; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, arcuatum, dorso fere ad apicem carinatum, lateribus striolato-rugosum, apice crebre punctulatum, nigrum, supra a basi ultra medium rufo-ferrugineum, tenuiter griseo-pubescens. Antennae versus apicem rostri insertae, longitudine dimidium thoracis nonnihil excedunt, rufo-ferrugineae, clava ovata, albido sericea. Thorax latitudinem mediam longitudine vix aequans, apice in medio nonnihil rotundato-productus, lateribus postice modice ampliatus, ante apicem [illegible] angustatus, constrictus, basi late bi-sinuatus, dorso parum convexus, antice transversim impressus, undique rugoso-

punctatus, niger, margine antico piceo-ferrugineo, ad latera utrinque linea arcuata e tomento griseo notatus, cæterum parce pubescens. Scutellum sub-ovale, concolor. Elytra antice thoracis basi fere duplo latiora, sub-truncata, humeris obtuse angulatis, lateribus ultra medium fere linearia, tum sensim angustata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora vel ultra, supra modice convexa, punctato-striata, nigra, pone medium fascia lata, utrinque antrorsum extensa, rufescente, tomentoque griseo-sub-flavescente dense vestita, alibi parce griseo-pubescentia; interstitiis alternis minus argute elevato-costatis, costa intima pone medium interrupta, omnibus ante apicem abbreviatis. Corpus subtus nigro-piceum, crebre punctatum, tenuissime griseo-pubescens. Pedes mediocres; femoribus medio incrassatis, anticis nigris, parum rufo tinctis, intermediis posticisque rufo-ferrugineis, basi apiceque nigris, omnibus griseo-pubescentibus, albido sub-fasciatis, subtus ante apicem denticulis duobus æqualibus armatis; tibiis nonnihil arcuatis, rufo-testaceis, parce griseo-tomentosis; tarsis ejusdem coloris, subtus flavo-spongiosis. — Fhs.

* 37. C. Intermedius. *Dejean*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis griseis adspersus, antennis brevioribus, ferrugineis; rostro subtenui, arcuato, longitudine capitis cum thorace, basi carinato, striolato-rugoso; thorace angusto, subtiliter crebre punctato, antice carinato; elytris punctato-striatis, costis tribus parum elevatis, abruptis: femoribus obtuse dentatis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 321.

Habitat in Brasilia meridionali. A Dom. Schuppel missus. Mus. Schh.

Magnitudo et summa similitudo *Conotracheli abruptecostati:* rostro breviori, thorace subtiliter punctato, carinato, etc., ab illo facile distinctus. Caput parvum, globosum, nigro-piceum, sat crebre minus profunde punctatum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, teres, modice arcuatum, subtenue, obscure ferrugineum, a basi ad medium sub-carinatum, lateribus striolato-rugulosum, apicem versus subtiliter punctulatum, glabrum, sub-nitidum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, rostro cum capite nonnihil longiores, subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, obscuriori. Thorax angustus, latitudine baseos nonnihil longior, antice

parum rotundato-productus, mox pone apicem leviter coarctatus, lateribus fere rectis, basi bi-sinuatus, supra convexus, niger, subtiliter crebre punctatus, dorso antico carinatus, squamulis griseis adspersus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata, antice thorace dimidio latiora et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi ad medium fere linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, minus profunde punctato-striata, interstitiis alternis planis, alternis modice elevatis, costa prima bis, secunda ante medium interruptis; tota nigra, squamulis griseis adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, pectore profunde, ventre obsoletissime remote punctatis. Pedes mediocres, validi, obscure ferruginei, obsolete punctati, squamulis setulisque cinereo-albidis adspersi; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente sat valido, acuto, armatis; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

38. C. QUADRINOTATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, piceo-ferrugineus, parce silaceo-tomentosus, antennis pedibusque dilutioribus, rostro longitudine dimidii corporis; thorace rugoso-punctato, dorso flavo bilineato: elytris striato-punctatis, interstitiis alternis costatis, costis dorsalibus bis interruptis, plaga humerali aliaque intra apicem flavo-squamosis; femoribus valide dentatis.

Conotrachelus biguttatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 321.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT sub nomine indicato missus.

Balanino nucum paulo minor. Caput rotundatum, evidenter punctatum, ferrugineum, tenuissime silaceo-pubescens; fronte antice transversim impressa, puncto majore in medio insculpta; oculi sub-ovati, demissi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, subtenue, lineare, subtiliter punctulatum, lateribus a basi ultra medium tri-carinatis, dorso linea longitudinali lævi, ferrugineum, basi parce silaceo-squamosum, apice anguste infuscatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad basin thoracis fere attingentes, ferrugineæ, clava ovali, griseo-pubes-

cente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice supra productus, margine in medio leviter, ad latera profunde sinuato, lobis ocularibus sat productis, lateribus a basi ad medium fere parallelis, anterius angustatus, sub-constrictus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim rugoso-punctatus; carinula in dorso antico vix observanda; totus obscure ferrugineus, squamulis silaceis vel flavescentibus, in lineam lateralem, indeterminatam, dorsi utrinque, lituramque oblongam inferne pone oculos condensatis, alibi parcius adspersus. Scutellum rotundatum, rugosum, piceo-ferrugineum, silaceo-tomentosum. Elytra sub-triangularia, antice thorace fere duplo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, posterius admodum attenuata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, evidenter striato-punctata, interstitiis alternis sub-planis, subtiliter coriaceis, alternis elevato-costatis, costis dorsalibus bis interruptis; tota piceo-ferruginea; pube silacea tenuiter adspersa, plaga humerali difformi aliaque apicis sub-lunata, dense flavescenti-squamosis. Corpus subtus piceum, ano dilutiore, pectore profunde punctato, ventre fere lævi, undique setulis paleaceis parce adspersum. Pedes dilutius ferruginei, parce silaceo-squamosi; femoribus pone medium incrassatis, subtus dente valido armatis; tibiis basi arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

Fhs.

39. C. Stigmaticollis. *Chevrolat.*

Sub-ovalis, nigro-piceus, tomento griseo adspersus, rostro carinato; thorace lineis quatuor albidis evidentioribus notato; elytris rufo-ferrugineis, plaga laterali magna utrinque atra, sub-glabra, interstitiis alternis costatis, costa intima pone medium interrupta; femoribus uni-dentatis; antennis, tibiis, apice tarsisque rufo-testaceis.

Cryptorhynchus id. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Campos, Brasiliæ. A Dom. Chevrolat benevole communicatus.

Anthonomo varianti magnitudine æqualis. Caput sub-rotundatum, nigro-piceum, rugoso-punctatum, antice griseo-pubescens; oculi ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thoracem cum capite longitudine fere superans, minus tenue, arcuatum, dorso a basi

ultra medium evidenter carinatum, nigro-piceum, parce griseo-pubescens, apice rufo-ferrugineum, punctulatum, nudum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, longitudine dimidium thoracis nonnihil excedunt, tenues, dilutius rufo-testaceæ, clava ovata, albido-sericea. Thorax latitudine media vix brevior, apice supra nonnihil productus, in medio leviter emarginatus, utrinque sinuato-lobatus, lateribus sub-æqualiter at modice rotundato-ampliatus, basi fere truncatus, supra parum convexus, in dorso antico transversim impressus, rugoso-punctatus, nigro-piceus, margine apicali rufescente, tomento griseo adspersus, linea longitudinali angusta, in medio nuda, dorso utrinque vitta albido-squamosa, sub-arcuata, adjacente alia obsoletiore, antice abbreviata, pagina subteriore fere glabra. Scutellum sub-rotundatum piceum, glabrum. Elytra sub-ovata, antice sub-truncata, thoracis basi duplo latiora, humeris fere rectangulatis, lateribus inflexa, apicem versus sensim attenuata, ipso apice obtuse sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra posterius convexa, sat evidenter punctato-striata, interstitiis alternis modice elevato-costatis, costa intima pone medium interrupta, omnibus ante apicem abbreviatis; rufo-ferruginea, griseo-tomentosa et setulosa, in singulo plaga magna ad marginem lateralem late extensa, dorso attenuata, suturam non attingente, atra, sub-glabra. Corpus subtus nigro-piceum, tenuiter griseo-pubescens, in pectore remote, profunde in ventre subtiliter punctulatum. Pedes mediocres; femoribus nigris, rugoso-punctatis, tenuiter griseo-squamosis, apice albido fasciatis, subtus pone medium dente sat valido instructis; tibiis basi incurvis, rufo-testaceis, versus basin late nigro-fuscis; tarsis totis rufo-testaceis, subtus flavo-spongiosis.

Fhs.

40. C. Deustus. *Schh.*

Ovalis, rufo-testaceus, pube tenui, flavescente, æqualiter obsitus: oculis, plaga marginali sub-hemisphærica juxta apicem elytrorum utrinque; thorace subtus, abdomine antice, femorumque anticorum basi interna, nigris; elytris striato-punctatis, costis duabus interruptis elevatis, exteriore obsoleta: femoribus posterioribus obtuse denticulatis, anticis muticis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann amice communicatus.

Erirhino tortrici magnitudine æqualis. Caput rotundatum, con-

fertim rugoso-punctatum, rufo-testaceum, dense flavescenti-tomentosum; oculi magni, ovati, sub-depressi, nigri; rostrum thorace vix longius, validiusculum, nonnihil arcuatum, dorso a basi ultra medium obsolete carinatum, testaceum, tomento flavescente vestitum, apice infuscatum, punctulatum, sub-glabrum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, dimidium thoracis attingunt, tenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax longitudine latitudinem baseos æquat, apice in medio nonnihil rotundato-productus, lateribus a basi ultra medium parallelis, versus apicem dein admodum angustatis, basi bi-sinuatus; supra modice convexus, remote rugoso-punctatus, carinula in dorso antico obsoletiore elevata; rufo-testaceus, tomento tenui, flavescente, ad latera linea densiore, sub-arcuata, terminato, obsitus; subtus nigro-piceus, rude punctatus, sub-glaber. Scutellum sub-rotundatum, dense albido-tomentosum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris obtusis sub-angulatis, lateribus inflexa, postice angustata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, regulariter striato-punctata, rufo-testacea, tomento depresso, flavescente, æqualiter vestita, plaga magna, marginali, sub-hemisphærica, intra apicem utrinque, nigro-picea, tenuius griseo-pubescente; interstitio secundo a sutura versus basin vix elevato, costa paulo ante medium inchoata, ad callos posticos excurrente, in medio interrupta, altius elevata, in interstitio vero quarto, præter carinulam brevem ante callos posticos, vix nisi rudimenta costæ, ante medium scilicet tuberculum oblongum, et intra basin carinula brevis obsoleta, observantur; interstitiis sexto et octavo etiam nonnihil elevatis, reliquis sub-planis. Corpus subtus disperse, subtiliter punctatum, pectore testaceo, dense flavo-vel miniato-tomentoso; abdomine nigro, tenuiter griseo-pubescente, ano rufescente. Pedes mediocres, testacei, flavo-tomentosi; femoribus nonnihil incrassatis, posticis subtus evidentius, intermediis obsolete unidentatis, anticis inermibus, basi interne nigro-plagiatis; tibiis parum arcuatis; tarsis elongatis, subtus flavo-spongiosis.

FHS.

*** *Costæ tres dorsales interruptæ.* (Species 41-49.)

* 41. C. PRÆUSTUS. *Schh.*

Ovalis, ferrugineus, squamulis cervinis tectus, rostro arcuato, striolato-rugoso; thorace remote profunde rugoso-punctato, antice carinato; elytris apice atris, striato-punctatis, costis tribus elevatis, interruptis; femoribus bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo *Peridineti irrorati.* Caput rotundatum, ferrugineum, confertim punctulatum, squamulis piliformibus, dilute cervinis, dense adspersum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum thorace cum capite nonnihil longius, teres, subtenue, arcuatum, basi apiceque ferrugineum, medio atro-cœruleum, a basi ultra medium striolato-rugosum, squamosum, tum apicem versus punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes. Thorax latitudine baseos longior, apice in medio rotundato-productus, utrinque emarginatus, anterius angustior, coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, obscure ferrugineus, sat profunde sed minus confertim rugoso-punctatus, dorso antico longitudinaliter carinato; squamulis dilute cervinis tectus, ante scutellum lineola abbreviata, longitudinali, e squamulis albidis, notatus. Scutellum rotundatum, elevatum, piceum, albido-squamosum. Elytra antice thorace dimidio latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim angustata, apice declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, dorso fere plana, subtiliter striato-punctata, costis tribus utrinque elevatis, apice abbreviatis: extima ante medium, intermedia in medio et interna ante et infra medium abruptis; ferruginea, squamulis dilute cervinis tecta, apice toto late atro, denudato. Corpus subtus nigrum sub-nitidum, pectore dense cervino-squamoso; abdomine denudato, obsolete punctato. Pedes elongati, rufo-ferruginei, subtiliter punctulati, pube cervina obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium bi-denticulatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BOH.

* 42. C. ABDOMINALIS. *Fabricius.*

Ovalis, nigro-piceus, squamulis minutissimis albidis adspersus; antennis tarsisque ferrugineis, rostro valde arcuato, carinato, apice rufo; thorace confertim rugoso, haud carinato, elytrorum interstitiis alternis costatis, costis duabus interioribus bis, tertia unice, interruptis, macula apicali obliqua atro-picea, anterius denudata, apice silaceo-squamosa; femoribus bi-dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 467. 141.

Habitat in America meridionali. E Mus. Reg. Dan. communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudine *Conotracheli argulæ.* Caput sub-rotundatum, nigro-piceum, confertim punctatum, fronte carinula, abbreviata, notata, antice albido-pubescente; oculi magni sub-ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, validiusculum, valde arcuatum, dorso ultra medium a basi carinatum, lateribus striolato-rugosum, nigro-piceum, tenuiter griseo-pubescens, apice dilutius ferrugineum, subtiliter punctulatum, glabrum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, rufo-ferrugineæ, clava ovali, acuminata. Thorax latitudine baseos fere brevior, apice supra parum productus, in medio leviter emarginatus, utrinque sinuato-lobatus, lateribus postice sub-parallelis, anterius angustatis, basi bi-sinuatus, angulis subrectis; supra parum convexus, intra apicem obsoletius constrictus, undique confertissime rugosus, rugulis plurimis oblique directis; totus nigro-piceus, squamulis griseo-albidis adspersus, subtus profunde excavato-punctatus, glabrior. Scutellum sub-rotundatum, concolor. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, humeris nonnihil elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, postice minus attenuata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra parum convexa, punctato-striata, versus basin transversim rugulosa, interstitiis alternis elevato-costatis, costis duabus internis bis, tertia unice, interruptis, extima fere ad suturam apicis continuata, nigro-picea, pube albida obsita, plaga apicis sat magna, obliqua, picea, anterius denudata, postice et ad suturam flavo-squamosa. Corpus subtus nigro-piceum, parce punctatum, pectore densius, abdomine tenuissime albido-tomentosum. Pedes mediocres, antici flavescentes, posteriores al-

bido-squamosi; femoribus modice incrassatis, piceis, subtus pone medium dentibus duobus armatis, posteriore minore; tibiis arcuatis, piceo-ferrugineis; tarsis dilutius testaceis, subtus pallide spongiosis. — FHS.

* 43. C. CRISTATUS. *Chevrolat.*

Ovalis, piceus, pube albida adspersus, antennis, tibiis tarsisque testaceis, rostro valde arcuato, carinato; thorace rugoso-punctato, antice carinato, linea utrinque obliqua, fulvo-tomentosa; elytris apice plaga utrinque sub-hemisphærica, fusco-castanea, sub-glabra, interstitiis alternis sub-costatis, costis duabus internis bis, tertia unice, interruptis; femoribus bi-dentatis.

Patria: America borealis et insula Guadeloupe. A Dom. CHEVROLAT sub nomine indicato communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudine ut et formatione partium *Conotrachelo abdominali* Fabr. simillimus, specie tamen, ut videtur, distinctus, thorace evidenter carinato, dorso minus confertim rugoso, utrinque flavo-lineato, pedibusque pallidioribus. Caput convexum, crebre punctatum, ferrugineo-piceum, fronte carinula obsoleta, abbreviata, notata, antice inter oculos impressa, parce flavo-squamosa; oculi magni, sub-ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum vix longitudine thoracis cum capite, validiusculum, arcuatum, dorso basi elevatum, ultra medium carinatum, lateribus striolato-rugosum, apice subtiliter punctulatum, nigro-piceum, basi parce flavo-tomentosum, dorso longitudinaliter vel saltem basi apiceque obscure rufescente. Antennæ versus apicem rostri insertæ, dimidium thoracis excedunt, graciles, testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, albido-sericea. Thorax latitudine baseos haud longior, apice supra parum productus, margine in medio obsolete, ad latera profunde sinuato, lateribus postice parallelis, anterius angustatus, basi bi-sinuatus, angulis subrectis; supra modice convexus, dorso ab apice ultra medium distincte carinatus, cæterum rugulosus, punctis disperse interjectis, rugulis in dorso antico sub-ramosis, versus basin sub-transversim dispositis; totus nigro-piceus, linea ab angulis posticis utrinque ad apicem oblique ducta, fulvo-tomentosa, interdum obsoleta, superficie reliqua sub-glabra. Scutellum sub-rotundatum, concolor. Elytra basi thorace dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, posterius modice attenuata, apice conjunctim rotundata; supra parum convexa, striato-punctata, ad ba-

sin transversaliter rugosa, interstitiis alternis sub-costatis, costis duabus suturæ proximis bis, tertia unice, interruptis, extima fere ad apicem continuata; nigro-picea, pube tenuissima albida adspersa; humeris sub-rufescentibus, plaga marginali apicis utrinque sub-hemisphærica, denudata, rufo-castanea, antice atro-piceo terminata, satura tamen nigra, margine apicis lineolaque ad suturam fulvo-tomentosis. Corpus subtus nigro-piceum, pectore remote, profunde punctato, albido-pubescente, abdomine fere lævi, sub-glabro. Pedes mediocres, antici tomento flavescente, posteriores albido adspersi; femoribus nigro-piceis, posterioribus apice rufo-plagiatis, omnibus subtus pone medium dentibus duobus, posteriore obsoleto, munitis; tibiis nonnihil arcuatis, rufo-testaceis, anticis basi infuscatis; tarsis tenuibus testaceis, subtus pallide spongiosis. — FHS.

* 44. C. RUFIROSTRIS. *Schh.*

Ovalis, nigro-piceus, pube tenuissima, albida, adspersus; rostro, antennis pedibusque rufo-testaceis; thorace rude rugoso, haud carinato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis costatis, costis dorsalibus bis interruptis, parte intermedia altius elevata, plaga apicali utrinque obliqua, denudata, obsoleta; femoribus bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Conotrachelo abdominali Fabr. valde propinquus ac magnitudine æqualis, fronte haud carinata, elytrorum costis dorsalibus in medio multo elevatioribus, coloreque pallidiore rostri pedumque ab illo solum discrepans. Caput subrotundatum, sat crebre punctatum, piceum, tenuissime griseo-pubescens; oculi sub-ovati, perparum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, minus tenue, arcuatum, rufo-testaceum, basi parce griseo-squamosum, dorso obsoletius ultra medium carinatum, lateribus striolato-rugosum, apice subtilissime punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, dimidium thoracis vix superant, tenues, rufo-testaceæ, clava ovali, acuminata, albido-sericea. Thorax latitudinem baseos longitudine æquat, apice supra nonnihil productus, margine in medio leviter, utrinque profundius sinuato, lateribus a basi ultra medium sub-linearis, intra apicem sub-coarctatus, postice bi-sinuatus, angulis subrectis; supra modice convexus, rude et sat confertim rugosus, nigro-piceus, pube griseo-albida parce adspersus,

apice lateribusque interdum ferrugineo-translucentibus; subtus remote excavato-punctatus, glaber. Scutellum sub-rotundatum, elevatum, rugosum, piceum. Elytra antice thorace dimidio latiora, humeris nonnihil elevatis, obtuse angulatis; lateribus inflexa, posterius modice attenuata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora; supra modice convexa, minus regulariter striato-punctata, in dorso antico transversim rugosa, interstitiis sub-convexis, alternis costatis, costis duabus interioribus singuli elytri bis remote interruptis, parte intermedia, præsertim costæ intimæ alte carinato-elevata, brevi, postice perpendiculariter truncata, antrorsum declivi; ferrugineo-picea, disco communi saturatius nigrescente, pube minutissima albida adspersa, plaga obliqua intra apicem utrinque denudata, obsoletiore, macula suturali flavo-squamosa, apice terminata. Corpus subtus nigro-piceum, pectore profunde, remote punctato, albido-pubescente, abdomine fere lævi, sub-glabro, nitido. Pedes mediocres, rufo-testacei, tomento albido ac flavescente variegati; femoribus anticis plus minusve infuscatis, omnibus medio incrassatis, subtus versus apicem, dentibus duobus, posteriore obsoleto, instructis; tibiis arcuatis, tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Fhs.

* 45. C. Abruptecostatus. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis griseis adspersus, antennis versus apicem rostri insertis; rostro longiore subtenui, arcuato, basi sulcato; thorace angusto, profunde punctato; elytris sub-triangularibus, punctato-striatis, costis tribus elevatis, abruptis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Balanini nucis.* Caput parvum, globosum, nigrum, minus confertim at profunde punctatum, squamulis griseis adspersum; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum thorace cum capite longius, teres, tenue, modice arcuatum, nigrum, a basi longe ultra medium sulcatum, sulcis sat profunde punctatis, versus apicem subtiliter tantum punctulatum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, tenues, piceæ, parum pubescentes, clava ovata, acuminata, fusco-holosericea. Thorax angustus latitudine baseos longior, apice rotundato-productus, lateribus a basi ultra medium

rectis, tunc subito angustatis; anterius leviter coarctatus, basi bisinuatus, supra parum convexus, niger, profunde confertim punctatus, punctis squamulis griseis repletis. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra sub-triangularia, antice thorace duplo latiora, et illo plus triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim augustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso subplana, minus profunde striato-punctata, interstitiis alternis fere planis, alternis argute costatis, costa externa ante medium interrupta, internis bis abruptis, omnibus apice abbreviatis; tota nigra, squamulis griseis parce adspersa. Corpus subtus nigrum nitidum, pectore remote profunde, ventre obsoletissime punctulatis, squamulis griseis parce adspersum. Pedes elongati, nigri, obsolete punctati, squamulis setulisque pallidis adspersi; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente sat valido, acuto, armatis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 46. C. RUGICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis fuscis parce adspersus; antennis non procul ab apice rostri insertis, rostro crassiori, arcuato, longitudine thoracis cum capite, basi sulcato; thorace angusto, rude rugoso-punctato; elytris oblongo-ovatis, evidenter punctato-striatis, costis tribus dorsalibus elevatis, abruptis; femoribus minus acute dentatis.

Patria: Antioquia Columbiæ. Dom. NISSER. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Conotracheli abruptecostati;* rostro crassiori, thorace rude rugoso-punctato, elytris evidenter punctato-striatis, femoribus minus acute dentatis, ab illo distinctus videtur. Caput parvum rotundatum, nigrum, sat crebre punctulatum, squamulis fusco-griseis, præsertim in fronte obsitum; oculi demissi, oblongi, infra caput conniventes, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, teres, arcuatum, nigrum, sub-nitidum, a basi longe ultra medium multi-sulcatum, sulcis punctatum, apicem versus subtiliter punctulatum, apice ipso ferrugineum, squamulis griseis parce adspersum. Antennæ non procul ab apice rostri sitæ, ultra dimidium thoracis pertingentes, tenues, nigro-piceæ, basi ferrugineæ,

parce pilosæ, clava ovata, acuminata, fusco-pubescente. Thorax angustus, latitudine baseos parum longior, apice rotundato-productus, antice subito angustatus, coarctatus, mox pone apicem rotundato-ampliatus, tum lateribus rectis, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, rude profunde et crebre rugoso-punctatus; totus niger, squamulis griseis obsitus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra basi vix rotundato-producta, antice thorace fere duplo latiora et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, a basi fere ad medium parum, dein citius angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, postice declivia, evidenter striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis argute costatis, costis tribus dorsalibus interruptis, omnibus apice abbreviatis; tota nigra, squamulis fusco-griseis parce adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-nitidum, pectore profunde remote, ventre obsolete punctatis. Pedes elongati, obscure ferruginei, remote punctati, setulis pallidis adspersi; intermedii breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente parvo, acuto, armatis: tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 47. C. RETENSUS. *Say.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis brunneis dense tectus: antennis testaceis, rostro subtenui, arcuato, capite cum thorace nonnihil longiore, basi carinato, striolato-rugoso; thorace angusto, crebre rugoso-punctato, antice obsolete carinato; elytris subtiliter bifariam punctato-striatis, interstitiis alternis costatis, dorsalibus interruptis; femoribus bi-dentatis.

Cryptorhynchus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 27. 1.

Habitat ad Mississippi Americæ borealis. Mus. Dom. SAY.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Conotracheli intermedii,* ab illo colore, femoribus bi-dentatis, unice fere distinctus. Caput parvum, convexum, ferrugineum, crebre subtiliter rugoso-punctatum, squamulis cervinis dense obsitum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, teres, minus tenue, arcuatum, ferrugineum, a basi ad medium carinatum, lateribus striolato-rugosum, squamulosum, extrorsum nudum, sub-nitidum, crebre punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri sitæ, rostro cum capite nonnihil longiores, subte-

nues, testaceæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice rotundato-productus, ibique leviter constrictus, anterius subito angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, ferrugineus, subtiliter crebre rugoso-punctatus, dorso antico obsolete carinatus, squamulis cervinis tectus, lineis tribus obsoletis, e squamulis pallidioribus, notatus, dorsali recta, lateralibus arcuatis. Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, ferrugineum, cervino-squamosum. Elytra oblongo-ovata, basi sub-truncata, antice thorace dimidio latiora et illo plus triplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, a basi ad medium fere linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra modice convexa, dorso sub-plana, punctis parum profundis per paria approximatis striata, interstitiis alternis planis, alternis magis elevatis, carinatis, costis prima et secunda bis interruptis; ferruginea, squamulis cervinis dense vestita. Corpus subtus piceum, pectore cervino-squamosum, profundius ventre nudo, subtiliter punctatis. Pedes longiusculi, validi, ferruginei, squamulis cervinis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus bi-dentatis, dente posteriore minore; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 48. C. DENTIFERUS. *Chevrolat.*

Ovalis, nigro-piceus, tomento fusco-griseoque adspersus; antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, rostro carinato; thorace dorso punctis denudatis obsito, linea longitudinali in medio aliaque laterali flexuosa utrinque, albidis, subtus dense albido-squamosa; elytris basi late cinereo-squamosa, interstitiis alternis costatis, costis interioribus interruptis, pectore basi utrinque puncto niveo; femoribus uni-dentatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2 p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Patria : Mexico. A Dom. CHEVROLAT benevole missus.

Magnitudine *Conotrachelo argulæ* sub-æqualis. Caput rotundatum, nigro-piceum, rugoso-punctatum, fronte flavo-tomentosa, inter oculos lineola impressa; oculi ovati, perparum convexi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, validiusculum, nigro-piceum, extrorsum arcuatum, dorso longe ultra medium carinatum, lateribus rugosum, squamulis flavescentibus adsper-

sum, apice punctulatum, nudum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, dimidium thoracis longitudine superant, tenues, obscure ferrugineæ, clava ovali, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, apice supra nonnihil productus, in medio leviter emarginatus, lobis ocularibus exiguis, ante apicem coarctatus, lateribus a basi ultra medium sub-parallelis; postice bi-sinuatus, supra modice convexus, antice transversim late impressus, nigro-piceus, dorso tomento fusco-griseo obsitus, punctis sparsis denudatis impressus, linea in medio obsoleta, antice abbreviata, aliaque laterali, flexuosa, utrinque, sub-albidis, lateribus et subtus dense albido vel isabellino-squamosus; ante medium dorsi rudimenta tuberculorum duorum vix observanda. Scutellum sub-ovale, nigro-piceum, sub-nudum. Elytra anterius thorace fere duplo latiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone medium angustata, apice conjunctim sub-rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, antice in dorso fere plana, sat evidenter striato-punctata, punctis squamigeris, interstitiis alternis costatis, costis duabus interioribus bis, tertia unice, interruptis, omnibus supra callos posticos desinentibus, parte intermedia costæ intimæ altius elevata, dorso setuloso; tota nigro-picea, tomento fusco griseoque variegata, basi plaga magna communi triangulari cinereo-vel umbrino-squamosa et intra apicem macula utrinque albida vel miniata evidentiore. Corpus subtus atrum, pectore evidenter, remote punctato, parce silaceo-squamoso, ad marginem anticum utrinque puncto niveo-pubescente notato; abdomine basi apiceque miniato-tomentoso, medio nudo, sub-lævi. Pedes mediocres, femoribus incrassatis, piceis, dense silaceo-squamosis, parce setulosis, apice albido-fasciatis, subtus pone medium dente valido armatis; tibiis arcuatis, ferrugineis, silaceo-tomentosis, parce griseo-setulosis; tarsis ferrugineis, subtus flavo-spongiosis. — FHS.

49. C. OBLIQUUS. *Schh.*

Ovalis, rufo-ferrugineus, squamulis brunneis tectus; antennis pedibusque flavo-testaceis; rostro valde arcuato, basi carinato, striolato-rugoso; thorace rude rugoso, carinato; elytris punctato-striatis, costis tribus elevatis interruptis, plaga transversa, obliqua, pone medium, flavo-testacea, ornatis; femoribus bi-dentatis.

Habitat in America meridionali. Mus. Imp. Russ.

Magnitudo et statura *Cryptorhynchi argulæ;* colore, thorace

rude rugoso, etc., ab illo bene distinctus. Caput breve, convexum, crebre rugoso-punctatum, ferrugineum, squamulis brunneis parce adspersum; oculi ovati, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, validiusculum, teres, valde arcuatum, ferrugineum, basi crassius, ibique ultra medium carinatum et striolato-rugosum, parce squamosum, extrorsum nudum, nitidum punctulatum. Antennæ longe pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, testaceæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice rotundato-productus, leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi bisinuatus, supra parum convexus, rude rugosus, obscure ferrugineus, squamulis brunneis parce obsitus, linea utrinque laterali apiceque dilutius ferrugineis; in medio dorsi carinula parum elevata, antice posticeque abbreviata, notatus. Scutellum parvum, rotundatum, ferrugineum, albido-squamosum. Elytra basi singulatim perparum rotundato-producta, antice thorace dimidio latiora, humeris obtusis, sub-rotundatis; pone medium apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim sub-acuminata, supra modice convexa, dorso sub-plana, punctis parvis per paria approximatis striata, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, costatis, costis interruptis; ferruginea, squamulis brunneis sat dense obsita, a medio plaga magna, transversa obliqua, retrorsum extensa, ad suturam conjuncta, silaceo-squamosa. Corpus subtus rufo-piceum, pectore profunde minus crebre punctato, dense miniato-squamoso, ventre impunctato, medio denudato, nitido. Pedes longiusculi, validi, flavo-testacei, pube albida adspersi; femoribus anticis nigro-plagiatis, omnibus modice clavatis, subtus bi-dentatis, posteriore minore; tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

** *Elytrorum interstitia omnia convexa, haud costata.*

* 50. C. CRIBRICOLLIS. *Say.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-squamosus, parce setulosus; antennis tarsisque testaceis, rostro striolato-rugoso, arcuato; thorace crebre profunde scrobiculato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis convexis; femoribus uni-dentatis.

SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 28. 4.

Habitat ad Mississippi. Mus. Dom. SAY.

Erirhino acridulo magnitudine æqualis, sed in elytris latior. Caput breve, convexum, nigrum, crebre subtiliter punctatum, griseo-squamosum; oculi oblongi, transversi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, teres, arcuatum, nigrum, a basi apicem versus striolato-rugosum, parce griseo-squamosum, apice ipso denudatum, nitidum, punctatum. Antennæ versus apicem rostri sitæ, ad thoracis basin fere pertingentes, subtenues, testaceæ, clava ovata, acuminata, parce cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice in medio parum rotundato-productus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, profunde crebre scrobiculatus, squamulis griseis setulisque brevibus, fuscis, sat dense obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra ovata, antice thoracis basi dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, sat profunde crebre punctato-striata, interstitiis angustis, convexis; nigra, griseo-squamosa, setulis brevibus, albidis, seriatim adspersa. Corpus subtus nigrum, crebre profunde rugoso-punctatum, squamulis griseis parce adspersum. Pedes longiusculi, validi, nigri, pube grisea adspersi: femoribus punctatis, modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis: tibiis basi nonnihil arcuatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, testaceis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

* 51. C. RUBICUNDULUS. *Chevrolat.*

Ovalis, convexus, ferrugineus, squamulis setulisque albidis adspersus; rostro modice arcuato, basi striolato-rugoso; thorace nigro-piceo, profunde punctato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, ante medium, plaga obsoleta, fusca, notatis; femoribus anticis muticis, posterioribus obsolete dentatis.

Conotrachelus conformis. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 322.

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT et WESTERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Inter minores hujus generis. Magnitudo et fere statura *Anthonomi ulmi.* Caput parvum, globosum, rufo-ferrugineum, crebre sed parum profunde punctulatum, squamulis albidis adspersum; oculi laterales, globosi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, basi striolato-rugosum, apicem versus obsolete remote punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, parum pubescentes, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos vix longior, apice in medio admodum rotundato-productus, anterius multo angustior, juxta apicem obsolete transversim impressus, lateribus parum rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus; totus nigro-piceus, profunde sed minus confertim punctatus, tenue albido-squamosus et pubescens. Scutellum rotundatum, elevatum, ferrugineum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et latitudine duplo longiora, humeris obtuse angulatis, versus apicem angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, præsertim posterius, ferruginea, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, tenue albido-squamosa et pubescentia; in singulo elytro ante medium plaga irregularis, fusco-brunnea. Corpus subtus punctatum, pectore nigro-piceo, ventre dilutius ferrugineo. Pedes elongati, punctati, rufo-ferruginei, pube albida obsiti; femoribus parum clavatis, anticis muticis, posterioribus subtus pone medium dente obsoleto, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

Centuria 2. Femora mutica. (Species 52-60.)

52. C. COSTALIS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, opacus, squamis setulisque melleis parce adspersus; antennis rufo-testaceis, rostro breviori, arcuato, basi obsolete carinato; thorace apice supra truncato, confertim rugoso-punctato, carinato; elytris sulcatis, sulcis profunde punctatis, interstitiis carinatis; femoribus muticis.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. FALDERMANN.

Ciono hortulano magnitudine æqualis. Caput breve, convexum, nigrum, crebre punctulatum; oculi ovati, haud prominuli, nigri, in fronte sub-approximati; rostrum vix longitudine thoracis, validum, teres, obscure ferrugineum, sub-nitidum, basi obsolete carinatum, undique subtiliter punctulatum. Antennæ mox pone medium rostri sitæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, subtenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-sericea. Thorax latitudine baseos brevior, apice supra truncatus, mox ante apicem coarctatus, anterius angustior, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre sat profunde rugoso-punctatus, in medio dorsi carinula parum elevata, notatus; totus ater opacus, setulis melleo-lutescentibus parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum, læve. Elytra ampla, basi truncata, antice thorace dimidio latiora, et illo vix triplo longiora, humeris obtuse angulatis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, postice declivia, rude sulcata et sulcis profunde crebre punctatis, interstitiis convexis, carinatis, lævibus; nigro-picea, opaca, squamulis setulisque melleo-lutescentibus parce adspersa, illis in ipsa basi et apicem versus magis condensatis. Corpus subtus nigro-piceum, minus crebre punctulatum. Pedes longiusculi, validi, nigro-picei, squamulis melleo-lutescentibus dense obsiti; femoribus punctatis, modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice uncinatis; tarsis elongatis, ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

53. C. TAGAX. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ferrugineus, squamulis cinereis adspersus, inter oculos elevatus; rostro basi carinato, obsolete punctulato; thorace a basi apicem versus angustato, mox intra apicem transversim constricto, undique sat crebre punctulato; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, tuberculis remotis, oblongis, fasciculatis, obsitis; femoribus muticis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum amice communicatus.

Minimus hujus generis; *Anthonomo ulmi* duplo minor. Caput oblongum, convexum, anterius angustatum, punctulatum, ferrugineum, squamulis cinereis sat dense obsitum, inter oculos elevatum; oculi ovati, transversi, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, modice arcuatum, nonnihil deplanatum, obsolete punctulatum, basi carinatum, ferrugineum, squamulis cinereis versus basin parce adspersum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ, clava parva oblongo-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, apice sub-truncatus, mox intra apicem sat profunde transversim constrictus, pone stricturam versus basin sensim ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, sat crebre parum profunde punctatus, ferrugineus, squamulis cinereis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, ferrugineum, cinereo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis; a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, postice declivia, crebre punctato-striata, interstitiis alternis elevatis, carinatis, tuberculis remotis, oblongis, validis, setulosis, obsitis; tota ferruginea, squamulis cinereis parce adspersa. Corpus subtus ferrugineum, punctulatum, squamulis pallidis adspersum. Pedes elongati, ferruginei, punctulati, cinereo-squamulosi; femoribus modice clavatis, omnibus muticis; tibiis rectis, sub-compressis; tarsis modice dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

BHN.

STIPS 2. *Coxæ antice distantes, rima pectoralis magis distincta : antennæ pone medium rostri insertæ.* (Species 54-60.)

54. C. ALATUS. *Chevrolat.*

Ob-ovatus, ater, valde rugosus, rostro anterius tibiisque ferrugineis, fronte miniato-tomentosa : thorace apice valde producto sub-bispinoso ; elytris dorso sub-cristatis, ad marginem seriatim punctatis, costa laterali inæquali, elevata : femoribus uni-dentatis.

Pinarus id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Brasilia. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Balanino nucum magnitudine sub-æqualis. Caput parvum, sub margine thoracis fere occultatum, fronte impressa, nigrum, dense miniato-squamosum, carinula obliqua in vertice utrinque, lævi, notatum : oculi demissi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere dimidii corporis, subtenue, parum arcuatum, basi angulatim elevatum, striolato-rugosum, dorso obsoletius carinatum, fusco-ferrugineum, parce miniato-squamosum, apice punctulatum, læve. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, thoracis basin fere attingentes, graciles, rufo-ferrugineæ, clava ovali, cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, margine antico bi-lobo, valde producto, rugis duabus approximatis, brevibus, elevatis, spinam mentientibus, lateribus postice parum ampliatus, ante apicem abrupte angustatus, constrictus, basi sub-quadrifariam sinuatus, angulis obtusis; supra parum convexus, rude rugosus, ater, opacus, setulis griseis parce adspersus, margine apicis sub-rufescente, miniato-setoso : in medio dorsi carinulæ abbreviatæ rudimentum observatur. Scutellum sub-rotundatum, piceum. Elytra ampla, oblongo-quadrata, antice thoracis basi dimidio latiora, margine singulatim sinuata, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, vix ampliata, apice sub-truncata, thorace plus triplo longiora; supra convexa, valde intricato-rugosa, hinc illinc, præsertim posterius, sub-tuberculata, striis punctorum, præter unicam marginalem, vix extricandis; in medio dorsi prope suturam utrinque carina brevi sub-cristata, argutissime elevata, extrorsum reclinante, anterius mox evanescente, retrorsum acute spinosa, rugula præterea intra basin in eadem linea, costaque laterali sub-crenulata,

intra apicem arcuatim continuata, elevatis; tota atra, opaca, setulis griseis parce adspersa, pone cristas dorsales plagiatim sub-rufescentia, obsolete griseo-tomentosa. Corpus subtus nigrum, fere glabrum, pectore profunde punctato, ventre sub-lævi, segmento anali utrinque foveolato. Pedes mediocres; femoribus piceis, rugoso-punctatis, parce setulosis, subtus in medio dente minus valido armatis; tibiis præter curvaturam baseos, rectis, ferrugineis, griseo-setulosis, apice uncinatis; tarsis piceo-ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — Fhs.

* 55. C. Verticalis. *Klug.*

Breviter ovalis, niger, squamulis brunneis et cinereis variegatus; fronte macula didyma, albido-squamosa ornata, rostro minus tenui, arcuato, profunde striolato-sulcato: thorace rude rugoso, carinato, antice valde coarctato; elytris bifariam punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis; femoribus obtuse dentatis.

Balaninus id. Dom. Klug *in Litteris;* teste Dom. Schuppel.

Patria : Insula Cuba. A Dom. Germar et Schuppel benevole communicatus. Mus. Schh.

Cryptorhyncho frigido dimidio minor, præsertim angustior. Caput parvum, globosum, confertim ruguloso-punctatum, nigrum, vertice denudato, fronte macula magna, superne emarginata, dense albo-squamosa, ornata; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, teres, arcuatum, nigropiceum, a basi ad apicem usque sat profunde striolato-sulcatum, glabrum, nitidum, setulis pallidis adspersum. Antennæ longe pone medium apicem rostri propius insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, medio sub-productus, antrorsum subito angustatus, valde coarctatus, mox pone apicem valde ampliatus, lateribus vix rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, rude profunde rugosus, longitudinaliter anguste carinatus, squamulis brunneis setulisque fuscis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, supra impressum, rugulosum. Elytra basi singulatim emarginata, antice thoracis basi dimidio latiora, latitudine vix duplo longiora, humeris obtuse angulatis, paulo elevatis;

lateribus inflexa, ab humero versus apicem sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso parum convexa, postice declivia, subtiliter striato-punctata, punctis per paria approximatis, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis; squamulis griseis et fusco-brunneis minus dense variegata, pubeque fusca adspersa. Corpus subtus nigrum, remote sat profunde punctatum, squamulis setisque brunneis adspersum. Pedes robusti, nigri, punctati, squamulis brunneis setisque pallidis adspersi; femoribus parum clavatis, omnibus subtus dente obtuso armatis, apicem versus dense læte miniato-squamosis; tibiis sub-compressis, fere rectis; tarsis ferrugineis, subtus fusco-spongiosis. — BOH.

56. C. COSTIFERUS. *Chevrolat.*

Sub-ovatus, fusco-piceus, sub-nitidus, fere glaber, fronte carinata, albo-squamosa; rostro mediocri, minus tenui, arcuato, utrinque bi-sulcato; thorace crebre sat profunde rugoso-punctato, carinato, antice valde coarctato; elytris crebre punctato-striatis, interstitiis alternis carinatis; femoribus sub-acute dentatis.

Patria : Orizaba in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Conotrachelo verticali æqualis eique affinis, sed fere glaber; rostro utrinque tantum bi-sulcato, fronte carinata, etc., distinctus. Caput rotundatum, crebre subtiliter punctulatum, fronte carinata, macula magna, rotundata, albo-squamosa, ornata; oculi demissi, sub-depressi, infra caput approximati, orbitis elevatis; rostrum longitudine thoracis, subtenue, paulo arcuatum, sub-angulatum, utrinque bi-sulcatum, cæterum, sub-læve, piceum, nitidum, apice perparum incrassatum. Antennæ prope apicem rostri insertæ, thoracis medium superantes, validiusculæ, rufo-piceæ, clava ovata, acuminata. Thorax latitudine postica vix brevior, apice supra valde rotundato-productus, lobis ocularibus magnis, antice latitudine majori fere duplo angustior, intra apicem valde coarctatus, lateribus dein modice fere æqualiter rotundatus, postice paulo angustatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre sat profunde rugoso-punctatus, carina latiuscula medio instructus. Scutellum rotundatum sub-elevatum. Elytra breviter sub-ovata, antice thoracis basi fere duplo latiora, illoque duplo longiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris obtuse angulatis; lateribus parum

rotundata, a medio ad apicem sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, sub-nitida, tenuissime striata, et in striis sat crebre et profunde punctata, interstitiis lævibus, alternis planiusculis, alternis acute carinatis, squamulis paucissimis piliformibus, silaceis, adspersa. Corpus subtus crebre et profunde, in segmento abdominis ultimo subtiliter punctatum, canali pectorali parum profundo. Pedes breviusculi, crebre profunde punctati, squamulis piliformibus silaceis parce adspersi; femoribus, posticis præsertim, valde incrassatis, dente minuto, sub-acuto, armatis; tibiis sub-teretibus, basi parum arcuatis; tarsis obscure ferrugineis. — Rld.

* 57. C. Sobrinus. *Dejean.*

Ovalis, piceus, squamulis griseis tectus, rostro antennis pedibusque ferrugineis, capite albido-squamoso, fronte transversim impressa; rostro tenui, arcuato, basi obsolete striolato-rugoso; thorace rude rugoso-punctato, anguste carinato, denudato, antice leviter coarctato; elytris bifariam striato-punctatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis; femoribus acute dentatis.

Conotrachelus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 297. *ed.* 3. p. 321.

Patria: Brasilia. A Dom. Schuppel amice communicatus. Mus. Schh.

Conotrachelo verticali similis et in multis affinis, paulo tamen major, aliter coloratus, rostro tenuiore, basi obsolete tantum striolato-punctato, thorace angustiore, profundius punctato, elytris magis trigonis, versus apicem magis angustatis, femoribus acute dentatis. Caput parvum, globosum, nigrum, sat profunde punctatum, squamulis albidis vestitum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, modice arcuatum, ferrugineum, a basi ultra medium obsolete striolato-rugosum, dein subtiliter punctulatum, glabrum, nitidum. Antennæ longe pone medium rostri insertæ, tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice bis emarginatus, antice rotundato-productus, mox intra apicem coarctatus, anterius subito angustatus, lateribus nonnihil rotundatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, punctis magnis, profundis, sub-remotis, pertusus, interstitiis subtiliter alutaceis, longitudinaliter tenue carinatus, squamulis cervinis pubeque fusca parce adspersus.

Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum, nigro-piceum, punctulatum. Elytra basi singulatim vix rotundato-producta, antice thoracis basi dimidio latiora, latitudine fere duplo longiora, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis; lateribus inflexa, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, striato-punctata, punctis striarum parvis, per paria approximatis, interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis; tota ferruginea, squamulis griseis dense vestita, setulis pallidis, reclinatis, adspersa. Corpus subtus piceum, remote punctatum, setulis pallidis adspersum. Pedes mediocres, validi, rufo-ferruginei, punctati, parce silaceo-squamosi et pubescentes; femoribus parum clavatis, omnibus subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis sub compressis, parum arcuatis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. - BHN.

* 58. C. BICRISTATUS. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, griseo-squamosus; thorace margine et dorso antico bi-tuberculato, canaliculato, antice valde coarctato: elytris bifariam obsolete punctatis, costis tribus elevatis, interruptis, et laterali continua; femoribus subtus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura omnino *Cryptorhynchi divergentis* Germ. sed aliter coloratus, femoribus acute dentatis. Caput globosum, nigrum, griseo-squamosum; oculi oblongi, transversi, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, teres, subtenue, arcuatum, rufo-ferrugineum, basi striolato-rugosum, dein obsolete punctatum, glabrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ultra thoracis medium pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parum pubescentes, clava oblonga, acuminata, obscuriore. Thorax latitudine baseos parum brevior, lateribus a basi ultra medium fere rectis, tunc angulatis et subito angustatis; basi leviter bi-sinuatus, antice valde coarctatus, margine antico valde producto medio late emarginato, bi-tuberculato; profunde et late canaliculatus, dorso medio etiam bi-tuberculato-fasciculatus, niger, obsolete punctatus, squamulis griseis unicoloribus tectus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi duplo fere latiora, et latitudine sesqui-longiora, humeris valde prominulis, obtuse angulatis; lateribus inflexa,

versus apicem sensim perparum angustata, apice declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, squamulis unicoloribus griseis undique tecta, obsolete striato-punctata, costis quatuor utrinque elevatis, interna ante et infra medium interrupta, mediis multoties abruptis, quasi e tuberculis constitutis, externa integra. Corpus subtus nigrum, obsolete punctatum, squamulis griseis adspersum. Pedes elongati, griseo-squamosi et pallide setulosi; femoribus modice incrassatis, subtus dente parvo acuto, munitis; tibiis basi parum curvatis, apice oblique truncatis, unco minuto, armatis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

59. C. Gemellatus. *Schh.*

Sub-ovatus, nigro-piceus, squamulis brunneis adspersus; rostro longo, tenui, arcuato; thorace antice subito angustato, supra confertim punctulato, obsoletissime carinato; elytris bifariam punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis, utrinque in ipsa basi maculis duabus parvis, flavidis, notatis; femoribus dente parvo, acuto, armatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Faldermann ad describendum amice communicatus.

Statura omnino *Cryptorhynchi frigidi*, sed plus duplo minor; rostro longiore, tenuiore, elytris subtiliter punctato-striatis, interstiis alternis magis elevatis, ut et colore indumenti, ab illo facile distinctus. Caput breve, supra convexum, confertim parum profunde punctulatum, nigro-piceum, squamulis piliformibus brunneis adspersum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, tenue, teres, inflexum, arcuatum, apice nonnihil deplanatum, obscure ferrugineum, sub-opacum, basi evidenter punctulatum, parce squamosum, dein apicem versus obsolete punctulatum, glabrum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, tenues, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice subito angustior, apice bis emarginatus, supra lobo medio obtuso, rotundato-productus, lobis ocularibus longe prominulis; intra apicem constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim minus profunde punctulatus, in medio carinula valde obsoleta, antice posticeque abbreviata, notatus; nigro-piceus, squamulis brunneis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, denudatum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis

basi fere duplo latiora, humeris sub-angulatis, vix elevatis; ab humero versus apicem sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, bifariam minus profunde punctato-striata. interstitiis alternis planis, alternis elevatis, carinatis; tota rufo-ferruginea, maculatim fusco variegata, squamulis piliformibus brunneis sat dense adspersa, basi utrinque maculis duabus parvis, flavidis, notata. Corpus subtus piceum, minus profunde sat crebre punctatum, punctis squamulis læte brunneis obsitis. Pedes elongati, validi, obscure ferruginei, squamulis læte brunneis obsiti; femoribus modice clavatis, subtus dente parvo, acuto, armatis; tibiis subtus compressis, fere rectis; tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis.—Bhn.

* 60. C. Porcatirostris. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, opacus, squamulis piliformibus ochraceis parce adspersus, oculis supra coadunatis; rostro breviusculo, valido, basi pluri-sulcato; thorace crebre rugoso-striolato, apice parum producto; elytris maculis ochraceo-squamosis adspersis, remote minus profunde striato-punctatis, interstitiis alternis carinatis; femoribus obtuse dentatis.

Patria : Brasilia interior. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim amice donatus. Mus. Schh.

Otiorhyncho ovato paulo minor. Caput rotundatum, subtilissime punctulatum, glabrum, nitidum; oculi majusculi, oblongo-ovati, parum convexi, supra et infra fere coadunati, orbitis impressis; rostrum thoracis circiter longitudine, validum, sub-teres, modice arcuatum, a basi ad medium sulcis pluribus exaratum, dein versus apicem valde complanatum, subtilissime punctulatum, piceum, nitidum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, medium thoracis attingentes, validiusculæ, ferrugineæ, clava majuscula, oblongo-ovali. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice subito angustatus, quam basi parum angustior, apice supra perparum rotundato-productus, pone oculos non lobatus, lateribus intra apicem vix coarctatus, dein ad basin fere æqualiter modice rotundatus, basi levissime bi-sinuatus, supra modice convexus, opacus, creberrime, tenue rugoso-striolatus, squamulis piliformibus parce adspersus. Scutellum elongatum, apice rotundatum, sub-elevatum. Elytra breviter sub-ovata, thorace duplo longiora, antice ejus basi fere duplo latiora, basi singulatim levissime emarginata, humeris sub-

rectangulis, obtusis; lateribus a medio ad apicem rotundata et angustata apice conjunctim, rotundata, supra valde convexa, punctis ovatis, profundis, ocellatis, valde remotis, seriatim impressa, interstitiis alternis carinatis, alternis planiusculis, exterioribus tamen leviter carinatis, squamulis piliformibus ochraceis in maculas condensatis, variegata. Corpus subtus sat crebre et profunde punctatum, piceum, nitidum; canali pectorali nullo. Pedes mediocres, crebre punctati, parce ochraceo-pilosi; femoribus parum clavatis, dente minuto, obtuso, armatis; tibiis sub-teretibus, basi arcuatis.—RLD.

Ad hoc genus verisimile referendi sunt (species mihi invisæ):

61. C. CONCENTRICUS. *Olivier.*

Thorace ferrugineo macula dorsali nigra, elytris nigris macula magna communi ferruginea. — OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 207. 196. T. 23. f. 318.
Conotrachelus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 321.

Patria : St.-Domingo.

62. C. COLUBER. *Fabricius.*

Obscure cinereus, elytris lineis elevatis, compresso-carinatis : femoribus dentatis. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 469. 150.

Patria : America meridionalis.

63. C. ARATUS. *Germar.*

Piceo-niger, thorace confertim punctato, elytris sub-pubescentibus, striato-punctatis, costis tribus elevatis, interna bis-interrupta; femoribus obsolete bi-dentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 283. 421.

Patria : America septentrionalis (Kentucky).

64. C. DEGLUPTUS. *Germar.*

Piceus, brunneo-tomentosus, thorace carinato, antice bi-dentato, elytris costis tribus acutis interruptis, plaga magna dorsali denudata atra; femoribus bi-dentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 284. 422.

Patria : Brasilia.

65. C. SEMICOSTATUS. *Germar.*

Niger, opacus, fusco-sub-pubescens; thorace confertim punctato, carinato, elytris striato-punctatis, costis tribus elevatis, internis interruptis; femoribus acute dentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 284. 423.

Patria : Brasilia.

GENUS 341. CYPHORHYNCHUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ, breviusculæ, minus tenues; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis, paulo coarctatis; clava oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, validum, teres, arcuatum, basi gibbum.

Oculi ovati, depressi, inferne approximati.

Thorax oblongus, lateribus ad medium rectis, antrorsum subito angustatior, apice rotundato-productus, pone oculos prolixe lobatus.

Elytra oblongo-ovata; humeris obtuse angulatis.

Tibiæ parum comprimatæ, basi curvatæ.

Descriptio. — *Corpus* ovatum, convexum, rigidum, inæquale, squamosum, alatum; aut medioeris, aut minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, mox pone medium rostri sita, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° oculum sub-attingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, 4-8 brevibus, sub-rotundatis, paulo coarctatis, extrorsum gradatim nonnihil latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis.—*Rostrum* longitudine fere thoracis, validum, teres, arcuatum, basi nonnihil elevatum, gibbum, inflexum; scrobe subito subtus flexa, in medio rostri subtus connivente. — *Oculi* demissi, inferne approximati, ovati, depressi. — *Thorax* latitudine baseos paulo longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus ultra medium rectis; anterius cito angustior, apice rotundato-productus, supra modice convexus, lateribus pone oculos eximie excisus, pone oculos valde lobatus; rima pectoralis distincta, inter pedes anticos continuata et ibi desinens, lateribus acute marginata, margine

utrinque dente unico producto, instructo. — *Scutellum* mediocre, sub-elevatum, apice rotundatum. — *Elytra* antice thoracis basi dimidio latiora illoque fere triplo longiora, sub-ovata, humeris obtuse angulatis; supra convexa, apice conjunctim rotundata, pygidium tegentia. — *Pedes* mediocres, validiusculi; femoribus in medio paulo incrassatis, subtus aut dentatis, aut muticis; tibiis sub-teretibus, parum comprimatis, basi curvatis, apice oblique truncatis, unco minuto armatis; tarsis minus latis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κυφὸς curvus, ῥύγχος rostrum.

Typus. — *Cyphorhynchus rhinoceros.*

Patria : Brasilia, Madagascar.

Observ. — Genus hocce *Cryptorhyncho* generi aliquatenus simile, sed forma rostri, præter alias discrepantias, sufficienter ea distinguit.

1. C. Rhinoceros. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, squamositate cinereo-albida undique adspersus; thorace disperse punctato, tuberculis pluribus inæqualibus obsito; elytris remote seriatim punctatis, interstitiis dorsalibus remote tuberculatis, basi et pone medium plagis guttulisque lacteo-squamosis ornatis; femoribus acute dentatis.

Cryptorhynchus id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Crypthorycho lapathi magnitudine æqualis et statura similis. Caput breve, retractum, rugulosum, nigrum, cinereo-squamulosum, tuberculo parvo, nitido, in medio frontis instructum; oculi demissi, ovati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine fere thoracis, validum, basi gibbere elevato, transverso, notatum, dein sub-constrictum, extus valde arcuatum, teres, rugulosum et punctatum, nigrum, cinereo-albido-squamosum et setulosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, cinereo-pubescentes. Thorax latitudine baseos fere longior, anterius nonnihil angustior, apice utrinque profunde sinuatus, lobo medio lato, antrorsum producto, leviter emaginato, pallido-fimbriato; lateribus antice nonnihil obliquis, dein rectis; basi sub-bisinuatus, supra convexus, inæqualis, disperse puncta-

tus, niger, inæqualiter cinereo-albido-squamulosus, tuberculisque decem obsitus, quorum duo majora in medio marginis apicalis, sulco profundo distincta; duo in medio disci, etiam majuscula; in dorso posteriori duo parva et in utroque latere etiam duo minoris magnitudinis. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum, nitidum, læve, glabrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris lateraliter extensis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, punctis sub-remotis, seriatim digestis impressa, non striata, interstitiis dorsalibus alternis tuberculis nonnullis inæqualibus punctatis obsitis; nigra cinereo-squamulosa, plagis difformibus baseos guttulisque nonnullis pone medium dorsi lacteo-squamosis ornatis. Corpus subtus vix punctatum, nigrum, inæqualiter cinereo-albido squamosum. Pedes mediocres, validi, nigri, albido-squamosi et setulosi; femoribus clavatis, subtus dente valido armatis. —GYLL.

* 2. C. SQUALIDUS. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, squamulis unicoloribus griseis dense vestitus, antennis testaceis; thorace canaliculato, obsoletius quadri-tuberculato; elytris striato-punctatis, parce setosis, interstitiis alternis modice elevatis; femoribus muticis.

Patria : America meridionalis. ? Ex Musæo Dom. BARTELS ad describendum amice communicatus.

Habitus et summa similitudo *Cryptorhynchi divergentis*, dimidio tamen major præsertim longior; thorace obsolete tuberculato, humeris minus prominulis, squamulis griseis unicoloribus undique vestitus, ab illo distinctus. Caput breve, globosum, nigro-piceum, crebre punctulatum, squamulis griseis vestitum; oculi ovati depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, teres, arcuatum, basi nonnihil elevatum, apicem versus parum deplanatum, rufo-piceum, apice dilutiore, denudatum, crebre sat profunde rugoso-punctatum, a basi ultra medium griseo-squamosum et setosum. Antennæ subtenues, testaceæ, pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, apice utrinque emarginatus, supra rotundato-productus, lobis ocularibus longe productis, lateribus ultra medium rectis, tunc apicem versus angulatis et subito angustatis; basi leviter bi-sinuatus,

supra modice convexus, profunde et late canaliculatus, dorso antico utrinque bi-tuberculatus, tuberculis parum elevatis; nigro-piceus, crebre rugoso-punctatus, dense griseo-squamosus. Scutellum parvum, oblongo-ovatum, nigro-piceum, griseo-squamosum. Elytra antice sinuata, thorace fere duplo latiora, et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis, apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, postice declivia, striato-punctata, interstitiis alternis elevatioribus; tota nigro-picea, squamulis setulisque griseis unicoloribus dense tecta. Corpus subtus nigrum, subtiliter minus crebre punctatum, setulis griseis parce adspersum. Pedes elongati, nigro-picei, griseo-squamulosi et setulosi; femoribus sub-linearibus, muticis; tibiis basi parum curvatis, apice oblique truncatis, unco minuto armatis; tarsis elongatis, obscure ferrugineis, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 3. C. SCIRRHOSUS. *Schh.*

Breviter ovalis, niger, squamulis griseis adspersus; rostro valde arcuato, striolato-rugoso, basi elevato; thorace confertim ruguloso, apice obsolete quadri-tuberculato; elytris striato-punctatis, costis tribus elevatis, interruptis, apice pallido-squamosis; femoribus acute dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Balanino villoso magnitudine æqualis. Caput globosum, sub thorace fere occultatum, nigrum; oculi laterales, oblongi, transversi, parum prominuli nigri; rostrum longitudine thoracis, teres, minus tenue, valde arcuatum, nigrum, striolato-rugosum, supra mox ad basin elevatum, squamulis griseis adspersum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, longitudine thoracis cum capite, subtenues, ferrugineæ, parum pubescentes, clava elongata, utrinque acuminata, dense griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, lateribus a basi ultra medium rectis, tunc angulatis et subito angustatis, apice rotundato-productus, basi obsolete bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, confertim rugulosus, squamulis griseis adspersus, in margine apicali tuberculis duobus parum remotis et ante medium itidem tuberculis binis magis remotis, parum elevatis, notatus. Scutellum rotundatum, sub-elevatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, et illo duplo longiora, humeris obtuse angulatis, lateribus inflexa, pone medium

sensim angustata, apice ipso declivia, conjunctim rotundata, supra convexa, nigra, squamulis piliformibus griseis, ad basin magis condensatis adspersa, et in apice densius flavescenti-squamosa; striato-punctata, interstitiis alternis planis, alternis argute costatis, costis interruptis, omnibus apice abbreviatis. Corpus subtus nigrum, rude punctatum, puncto singulo setula albida foeto. Pedes elongati, robusti, nigri, confertim punctati, setulis albidis obsiti; antici et postici longitudine æquales, intermedii nonnihil breviores; femoribus modice clavatis, subtus pone medium dente acuto, armatis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

4. C. SINGULARIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, niger, dense albo-squamosus, antennis basi testaceis: thorace tuberculis tribus pallido-fasciculosis instructo; elytris punctato-striatis, tuberculo juxta humerum calloque postico atro et albido-fasciculosis notatis: apice nudis, nigris; femoribus muticis; tibiis rectis.

Lophoderes id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Insula Madagascar. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo *Balanini villosi.* Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum; oculi demissi, ovati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, valde arcuatum, basi fasciculo alte elevato, pallido-setoso, instructum, obsolete punctulatum, nigrum, posterius albo-squamulosum, apice nudum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, scapo testaceo. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice subito angustior, apice emarginatus, vix in medio productus, intra apicem constrictus; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis: basi profunde bi-sinuatus, supra fere planus, obsolete punctatus, in medio dorsi leviter canaliculatus, niger, squamis depressis albis dense tectus, antice tuberculis tribus notatus, quorum medium apicale magnum, fasciculo alte elevato e setis erectis pallidis instructum; laterales minores, breviter fasciculati. Scutellum rotundatum, nigrum, dense albo-squamosum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, pone basin subito in angulum obtusum, callo elevato instructum, ampliata, posterius nonnihil angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra in dorso

plana, punctato-striata, nigra, dense albo-squamosa, relicta in ipso apice plaga majuscula, nuda, saturate nigra; juxta callum humeralem tuberculum oblongum, setis erectis atris et albis mixtis obsitum conspicitur, et in callo postico fasciculus major, altior, posterius e setis erectis atris, anterius e setis albis compositus. Corpus subtus sub-disperse punctatum, nigrum, anterius dense, posterius parce albo-squamosum. Pedes validi, nigri, punctati, dense albo-squamosi; femoribus clavatis, haud dentatis; tibiis rectis; tarsis modice dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

Obs. — Ab hoc genere differt thoracis margine antico vix in medio antrosum producto, et tibiis rectis. — GHL.

GENUS 342. MITREPHORUS. *Nobis.*

Character generis.—Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus elongatis, ob-conicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, validum, teres, paulo arcuatum.

Thorax oblongus, basi bi-sinuatus, anterius multo angustior, antice quasi in cornu porrectum, deplanatum, extensus.

Scutellum rotundatum, sub-elevatum, distinctum.

Elytra cylindrica, basi tri-sinuata.

Pedes mediocres, sub-æquales; femora parum clavata; tibiæ teretes, rectæ; tarsi elongati, paulo angustati.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-cylindricum, squamosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, prope apicem rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos attingente, recto, clavato, 2° et 3° oblongis, obconicis, illo paulo crassiore, 4-8 brevibus, sub-rotundatis, ultimo paulo crassiore, clavæ haud adpresso; clava majuscula, ovalis, acuminata, 4-articulata, articulis distinctis. — *Rostrum* capite duplo longius, validum, teres, paulo arcuatum, inflexum; scrobe profunda, in basi rostri cum opposita coeunte. — *Oculi* magni, laterales, demissi, sub-rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine postica paulo longior, basi modice bi-sinuatus, lateribus paulo rotundatus, versus apicem subito angustatus, coarctatus, antice supra insigniter productus, quasi in cornu elongatum, porrectum, deplanatum, protensus, pone oculos modice lobatus, supra paulo convexus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, basi profunda, dein explanata. — *Scutellum* mediocre, rotundatum,

paulo elevatum. — *Elytra* thoracis basi parum latiora eoque fere triplo longiora, cylindrica, basi singulatim rotundato-producta et simul emarginata, thoracis emarginaturas implentia, lateribus recta, supra versus apicem vix callosa, apice obtuse rotundata, anum obtegentia; humeris paulo retusis, sub-rotundatis. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femoribus parum incrassatis, sub-compressis; tibiis teretibus, rectis, apice exteriore unco valido perpendiculari armatis; tarsis tibia parum brevioribus, sub-angustatis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, subtus parum spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Mitrephorus Waterhousei.*

A μιτρηφόρος, mitram gestans.

Patria : Brasilia interior, prope provinciam Minas Geraës.

Observ. — Respectu habitus cum *Gasterocerco* genere paulo convenit, sed rima thoracis infera abbreviata et aliarum partium notæ differunt.

♀ 1. M. WATERHOUSEI. *Schh.*

Oblongo-cylindricus, niger, dense cinereo squamosus, rostro versus apicem denudato; thoracis margine antico supra in cornu deplanatum, dense fasciculato-squamosum, producto: elytris tenue punctato-striatis, pedibus squamis erectis adspersis; femoribus muticis.

Patria : Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benigne communicatus.

Lixo filiformi paulo minor. Corpus totum dense cinereo-squamosum. Caput latiusculum, fronte sub-depressa; oculi late distantes, depressi; rostrum capite duplo longius, validum, piceum, apice parum complanatum, in mare paulo brevius, apice ipso denudato, in femina tenuius a medio ad apicem denudatum, subtilissime punctulatum. Antennæ prope apicem rostri insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava ovali, acuminata. Thorax latitudine baseos paulo longior, apice supra in medio eximie productus, in cornu deplanatum, caput longe excedens squamisque porrectis cinereis dense obsitum extensus, pone oculos modice lobatus, antice basi fere duplo angustior, ante apicem sub-coarctatus, lateribus ad medium sensim latior, dein rotundatus, basi perparum latior, et modice bi-sinuatus, supra paulo convexus, præter squamas ordina-

rias, squamulis parvis granuliformibus cinereis parce adspersus, basi canalicula lata, minus evidente, exaratus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, paulo elevatum, dense flavido-squamosum. Elytra cylindrica, antice thoracis basi parum latiora, quam lata plus duplo longiora, basi singulatim rotundata et in lobis emarginata, thoraci arcte applicata, humeris sub-callosis, lateribus rectis; apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, tenue punctato-striata, interstitiis planis, 2° basi elevato; in lateribus insuper squamulis nonnullis, parvis, granuliformibus, nigris, seriatim adspersa. Corpus subtus abdomine medio fusco. Pedes mediocres, præter squamas depressas, paucis suberectis adspersi; femoribus parum incrassatis, muticis; tibiis compressis, basi abrupte arcuatis. — Rld.

G. R. Waterhouse, Esq. Curator Societatis Entomologicæ Londinensis, Entomologus laudatus, quare hujus insecti denominatione nomen ejus reservare volui.

Genus 343. COLOBODES. *Nobis.*

Character generis.— Antennæ mediocres, minus tenues: funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, sub-turbinato; 2° longiusculo, sub-obconico, reliquis brevibus, rotundatis; clava oblonga, ovata.

Rostrum longum, validiusculum, teres, modice, arcuatum.

Oculi sub-laterales, demissi, ovati, sub-depressi.

Thorax oblongus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus posterius subrectis; anterius subito angustior, pone oculos lobatus.

Elytra oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis.

Pedes mediocres, intermedii paulo breviores.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, convexum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, versus medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, clavato; 2° breviusculo, sub-turbinato; 3° elongato, sub-obconico; 4-8 brevibus, rotundatis, exterioribus gradatim perparum crassioribus, omnibus sub distantibus, ultimo clavæ haud adpresso; clava oblongo-ovata, sub-acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine thoracis cum capite, validiusculum, lineare, teres, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, profunda, pone gulam in basi rostri exeunte.— *Oculi* laterales, demissi, ovati, sub-depressi.— *Thorax* latitudine longior, basi leviter bi-sinuatus, late-

ribus a basi ultra medium subrectis, anterius valde angustior, apice modice rotundato-productus, supra modice convexus, pone oculos lobatus; rima pectoralis distincta, sed haud profunda, ante pedes anticos desinens. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum, sub-elevatum. *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, antice singulatim, sub-rotundata, oblongo-ovata, humeris obtuse angulatis; supra convexa, apice conjunctim obtuse rotundata, pygidium obtegentia. — *Pedes* mediocres, validi, antici posticique perparum longiores; femoribus modice clavatis, subtus dentatis; tibiis basi curvatis, paulo compressis, apice unco valido instructis; tarsis elongatis, articulo penultimo latiusculo, bi-lobo, subtus spongioso; ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κολοβώδης, imperfectum aliquod membrum habens.

TYPUS. — *Colobodes Billbergii*, ex ins. Java.

Observ. — Generi *Cyamobolo* simillimum est hoc genus, sed differt præcipue rima pectorali abbreviata structuraque diversa; notæ in descriptione indicatæ cæterum facile distinguunt.

* 1. C. BILLBERGII. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis umbrinis, atris et miniatis variegatus, vertice silaceo-squamoso; thorace antice bi-, medio quadri-tuberculato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitio 2° tri-fasciculato, singulo elytro silaceo-quadri-maculato.

Cryptorhynchus frontalis. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in insula Java. A Dom. DE HAAN missus. SCHH. et CHEVROLAT.

Cryptorhyncho lapathi parum major. Caput parvum, rotundatum, nigrum, dense umbrino-squamosum; vertice macula semilunata, silaceo-squamosa, ornato; oculi ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, parum arcuatum, apice nonnihil dilatatum, deplanatum, nigrum, striolato-rugosum, apicem versus punctulatum, basi pallido-squamosum. Antennæ ad dimidium thoracis pertingentes, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine nonnihil longior, lateribus ultra medium rectis, tunc angustatis, apice nonnihil rotundato-productus, basi obsolete bi-sinuatus, supra convexus, antice margine bi-, medio transversim quadri-

tuberculatus, squamulis umbrinis, miniatis, albidis et atris mixtis, tectus, setis erectis, crassis, antice obsitus. Scutellum parvum, oblongum, nigrum, denudatum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace dimidio latiora et illo triplo longiora, humeris obtuse angulatis; apicem versus angustata, apice ipso obtuse rotundata, supra convexa, postice declivia, nigra, squamulis umbrinis atrisque reticulatim mixtis, variegata; singulo elytro basi maculis duabus, una supra-humerali, majore, altera non procul a sutura; pone medium itidem maculis duabus, una laterali, altera non procul a sutura, silaceo-squamosis, ornato; subtilissime punctato-striata, interstitio secundo a sutura fasciculis tribus e setis crassis obsito. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis albidis adspersum. Pedes validi, nigri, squamulis umbrinis, pallidis et miniatis maculatim condensatis, variegati; femoribus modice clavatis, subtus dente valido, armatis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

Dom. G. J. BILLBERG, Reg. Suec. Judicii Cameralis Consiliarius; Reg. Ord. de Stella Polari Eques, Auctor *Monographiæ Mylabridum* et plurium scriptorum in Entomologia.

GENUS 344. PERIDINETUS. *Nobis.*

Conotrachelus DEJEAN. — *Rhynchænus* FABR.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues, in medio rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, ob-conicis; 3° et 4° brevibus, ovalibus, reliquis rotundatis; clava oblongo-ovalis, acuminata.

Rostrum longiusculum, validum, teres, lineare, modice arcuatum.

Oculi majusculi, ovati, paulo convexi.

Thorax brevissime sub-obconicus, anterius subito angustior, co-arctatus, pone oculos haud lobatus; rima infera ante coxas pedum anticorum desinente.

Elytra oblongo-ovata; humeris obtuse angulatis.

Pedes mediocres, validi; femora antica basi parum distantia.

Descriptio. — *Corpus* sub-oblongo-ovatum, parum convexum, dense squamosum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis, medium attingentes, in medio rostri sitæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos sub-attingente, clavato, paulo curvato; 2° et 3° longiusculis, ob-conicis, illo paulo crassiore; 4° et 5° brevibus, ovalibus; 6-8 rotundatis, æqualibus; clava majuscula,

oblongo ovalis, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, validum, lineare, teres, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, profunda, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, ovati, nonnihil convexi, majusculi. — *Thorax* latitudine baseos vix longior, basi modice bi-sinuatus, lateribus basi parum rotundatus, versus apicem cito angustior, coarctatus, apice in medio nonnihil rotundato-productus, pone oculos haud lobatus, supra paulo convexus, infra pone gulam profunde emarginatus; rima infera leviter excavata, ante coxas pedum anticorum desinente. — *Scutellum* majusculum, transversum; apice rotundatum. — *Elytra* antice thoracis basi vix dimidio latiora illoque triplo longiora, oblongo-ovata, humeris obtuse sub-angulatis; lateribus pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, anum obtegentia, supra parum convexa, versus apicem haud callosa. — *Pedes* longitudine sub-æquales, validi, antici basi nonnihil distantes; femoribus clavatis, subtus dente armatis; tibiis teretibus, basi paulo curvatis, apice unguiculatis; tarsis longiusculis, articulo penultimo latiore, profunde bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, falcato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Peridinetus irroratus.*

A περι δίνητος versabilis.

Patria: America meridionalis.

Observ. — Respectu habitus fere cum *Baridio* hocce genus convenit; quodammodo quoque cum genere *Conotrachelo.*

* 1. P. IRRORATUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, supra atro-subtus dense cum pedibus niveo-squamosus, fronte impressa; rostro valido, valde arcuato, subtilissime punctulato: thorace antice leviter constricto; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis internis apice carinatis, maculis niveo-squamosis dense irroratis; dorso planiusculis et squamulis ochraceis, passim condensatis, parce adspersis; femoribus acute dentatis, ob squamas rariores bi-annulatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 467. 143.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* II. p. 429. 150. — *Mant.* I. p. 106. 110.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 509. 172.

HERBST. *Col.* VI. p. 467. 472.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1763. 225.

Conotrachelus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 296. *ed.* 3. p. 321.

Rhinobatus marmoreus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 97.

Patria : Cayenna, Brasilia. A Dom. Com. Dejean et Chevrolat benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Baridii interpunctati.* Caput sub-globosum, fronte impressa, postice verticeque parce ochraceo-squamosis; puncto medio orbitisque niveo-squamosis; oculi ovati, nonnihil convexi; rostrum longitudine fere thoracis, validum, teres, cylindricum, valde arcuatum, subtilissime punctulatum, nudum, nitidum. Antennæ medio rostri insertæ, subtenues, clava oblongo-ovati, acuminata, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice plus dimidio angustior, apice supra parum rotundato-productus, pone oculos non lobatus, intra apicem utrinque leviter coarctatus, lateribus fere ad medium sensim latioribus, dein rectis et parallelis, basi modice bi-sinuatus, supra modice convexus, squamulis minutis, angustis, niveis, subtus dense, versus latera et in margine toto antice parcius vestitus, dorso late nigro-squamoso, squamulis umbrinis passim adsperso, linea ante-scutellari, alia opposita in margine antico, punctisque duabus utrinque in dorso, oblique positis, cum squamositate laterali confluentibus, niveo-squamosis. Scutellum transversim ovale. Elytra antice thoracis basi fere dimidio latiora, eo triplo longiora, sub-ovata, basi conjunctim tri-sinuata, humeris obtuse sub-angulatis; lateribus pone humeros apicem versus sensim angustata, ante apicem utrinque leviter impressa, apice ipso singulatim obtusissime rotundata, supra dorso antico præsertim ad suturam planiuscula, tenue anguste punctato-striata, interstitiis planis, 1° et 2° apice, 6° et 8° totis anguste, tenuissime carinatis; dense atro-squamosa, dorso squamulis ochraceis passim condensatis parce adspersa, maculis numerosis, e squamulis minutissimis niveis, præsertim ad latera et apice condensatis, irrorata. Corpus subtus dense niveo-squamosum, abdominis disco nudo, nitido, sub-lævi. Pedes dense niveo-squamosi; femoribus clavatis dente acuto, squamis obsito, armatis, ob squamas rariores ad apicem bi-annulatis; tibiis teretibus, præsertim basi modice arcuatis.

Rld.

* 2. P. ZINCKENI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, nitidus, supra squamulis umbrinis dense vestitus, fronte impressa, rostro valido, arcuato, punctulato; thorace obsoletissime punctulato, sub-carinato, antice valde constricto; elytris planiusculis, tenue punctato-striatis, interstitiis apice carinatis, versus latera et apicem niveo-maculatis, pectore niveo-squamosis; femoribus albido-annulatis, acute dentatis.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus SCHH.

Facies et summa similitudo *Peridineti irrorati*, sed semper minor et abunde distinctus; magnitudine valde varians. Caput rotundatum, pube densa, depressa, dilute umbrina tectum, inter oculos foveola impressum; oculi ovales, parum convexi; rostrum thorace nonnihil brevius, validum, teres, modice arcuatum, obsolete punctatum, basi umbrino-squamosum, dein glabrum, nitidum. Antennæ in medio rostri insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, clava oblongo-ovali, acuminata. Thorax latitudine baseos parum brevior, apice supra parum rotundato-productus, lobis ocularibus nullis, anterius angustatus, ibique modice coarctatus et transversim impressus, lateribus parum rotundatus, basi paulo latior, leviter bisinuatus, supra parum convexus, subtilissime punctulatus, squamulis angustis, umbrinis, tectus, dorso obsolete carinatus, linea ante-scutellari punctisque quinque ante marginem anticum niveo-squamosis decoratus. Scutellum rotundatum, crebre punctulatum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, illo plus duplo longiora, basi singulatim leviter emarginata, humeris obtuse sub-angulatis; lateribus a basi versus apicem nonnihil angustata, apice parum declivia, conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, subtiliter striata, striis subtilissime punctulatis, interstitiis planis, apicem versus carinatis; dorso umbrino-squamosa, versus latera et apicem maculis punctisque numerosis, lunulaque in margine ante medium, multo majore, niveo-squamosis, ornata. Corpus subtus obsolete punctulatum, pectore dense niveo-squamoso. Pedes breviusculi, punctati, squamulis niveis obsiti; femoribus modice clavatis, annulo e squamulis magis condensatis, niveis, decoratis; subtus pone medium dente acuto armatis; tibiis sub-teretibus præsertim basi arcuatis, intermediis intus ante apicem gibbere instructis. — RLD.

Dom. J. L. T. F. ZINCKEN GENANNT SOMMER, Doctor Medicinæ,

Medicus Aul. Brunsvigiæ, coadjutor meritus Prof. Dom. Germari in edendo excellente opere *Magazin der Entomologie.*

♂♀ 3. P. MACULATUS. *Sturm.*

Ovalis, ater, sub-nitidus, supra sat dense nigro-squamosus, fronte convexa; rostro validiusculo, modice arcuato, obsolete carinato, basi striolato-rugoso; thorace sub-conico, crebre subtiliter punctulato, utrinque vitta lata albido- et ochraceo-squamosa; elytris subtiliter punctato-striatis, singulo macula basali, fascia media et apicali albido-squamosis et ochraceo-tinctis; femoribus acute dentatis, posticis albido-annulatis.

Cryptorhynchus id. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 128.

Patria: Cuba. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Baridio nitenti magnitudine æquali; an hujus generis? Caput sub-globosum, opacum, subtiliter, crebre punctulatum, squamulis atris dense adspersum; oculi ovati, depressi; rostrum, longitudine fere capitis cum thorace, minus tenue, teres, sub-cylindricum, modice arcuatum, glabrum, dorso obsolete carinatum, a basi ultra medium striolato-rugosum, dein punctulatum, nitidum; maris paulo brevius et crassius. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, clava oblongo-ovata, atro-holosericea. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice supra paulo rotundato-productus, pone oculos non lobatus, antice plus dimidio angustior, vix coarctatus, lateribus fere æqualiter, parum rotundatus, basi modice bi-sinuatus, lobo medio sub-truncato, supra modice convexus, subtilissime crebre punctulatus, in utroque latere vitta lata albido-squamosa, maculam ochraceam includente, notatus, dorso parce umbrino-squamosus. Scutellum parvum, transversum, apice obtuse rotundatum. Elytra thorace vix triplo longiora, antice ejus basi vix dimidio latiora, basi singulatim obtuse rotundata, humeris obtuse angulatis; lateribus pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, dorso antico planiuscula, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; squamulis nigris sat dense vestita, singulo elytro macula in basi transversa, fascia mox pone medium intus retrorsum flexa, anteque apicem alia, intus dentem deorsum emittente, albido-squamosis, plus minusve ochraceo-tinctis et margi-

natis. Corpus subtus subtiliter punctulatum, pectoris lateribus albido-et ochraceo-squamosis; abdominis segmento 1° et 2° in mare foveola lata conjunctim impressis. Pedes validiusculi, subtiliter punctulati; parcissime albido-pilosi; femoribus modice clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis, posticis. pone medium flavido-annulatis; tibiis præsertim basi arcuatis. — BLD.

* 4. P. SIGNATUS. *Schh.*

Breviter ovalis, ater, dense nigro-squamosus, fronte impressa; rostro breviusculo, valido, modice arcuato, basi subtiliter striolato; thorace sub-conico, utrinque vitta lata albido-squamosa, ochraceo-bipunctata; elytris subtiliter punctato-striatis, singulo macula humerali, lineola transversa ante medium, fascia m dia maculaque apicali albido-squamosis et ochraceo-marginatis; femoribus acute dentatis, apice albido-maculatis.

Patria: Porto Ricco. Dom. MORITZ. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Peridineti maculati*, sed differt forma latiore, fronte impressa, humeris magis ampliatis et elevatis, signaturis elytrorum paulo aliter formatis. Caput sub-globosum, opacum, parce nigro-squamosum, fronte foveola lata, non profunda impressa; oculi ovales, depressi; rostrum longitudine thoracis, validum, modice arcuatum, glabrum, sub-nitidum, sub-striolatum, versus apicem sensim nonnihil ampliatum, apice ipso paulo de-planato et punctato. Antennæ pone medium rostri insertæ, sub-tenues, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine postica multo brevior, antice plus dimidio angustior, vix coarctatus, apice supra modice rotundato-productus, pone oculos non lobatus, lateribus parum, fere æqualiter rotundatus, basi modice bi-sinuatus, lobo medio sub-truncato, supra modice convexus, crebre subtilissime punctulatus, utrinque vitta magna, antice latiore, albido-squamosa, maculas duas ochraceas includente, ornata, dorso fere triangulariter parce nigro-squamoso. Scutellum parvum, transversim ovale. Elytra thorace haud triplo longiora, antice thoracis basi fere dimidio latiora, basi singulatim levissime emarginata, humeris ampliatis, obtuse angulatis, elevatis; lateribus modice rotundata sensimque angustata, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis; parce atro-

squamosa, in singulo elytro macula parva humerali, ante medium ad suturam linea transversa, abbreviata, in medio fascia lata transversa, introrsum attenuata, suturam non attingente, ad latera antrorsum dilatata ibique cum linea memorata fere connexa, et ope illius maculam atro-holosericeam ad suturam cingente, puncto postice aut libero aut cum fascia connexo adjecto, ante apicem macula intus et antrorsum et deorsum dentem emittente albido-squamosis et tenue ochraceo-limbatis, macula ochracea insuper in fascia media anteque hanc ad marginem puncto libero ochraceo. Corpus subtus subtiliter punctulatum, nitidum, pectoris lateribus albido et ochraceo-maculatis, abdomine basi forsan in mare tantum impresso. Pedes validiusculi, squamis albidis passim adspersi; femoribus modice clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis, ad apicem macula in anterioribus parva, in posticis magna flavo-albida notatis; tibiis sub-teretibus, præsertim basi arcuatis. — RID.

GENUS 345. STRONGYLOPTERUS. *Chevrolat.*

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus oblongis, obconicis, reliquis transversis, sub-perfoliatis, gradatim latioribus; clava oblongo-ovata.

Rostrum longiusculum, subtenue, sub-teres, parum arcuatum; mandibulæ parvæ, exsertæ.

Oculi laterales, sub-ovati, depressi.

Thorax basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, coarctatus, apice supra oculos paulo excisus.

Scutellum minutissimum, immersum.

Elytra oblonga, sub-ovata, thoracis basi ibi parum latiora, humeris antrorsum sub-prominulis; supra paulo convexa.

Pedes mediocres, medii sub-breviores; femora modice clavata; tibiæ teretes, rectæ; tarsi elongati, paulo angustati.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ellipticum, minus convexum, sculpturatum, parce pilosum, alatum forte; minoris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, pone medium rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculos sub-attingente, recto, clavato; 2° et 3° oblongis, sub-obconicis; 4-8 brevibus, transversis, sub-perfoliatis, pilosis, gradatim crassitudine crescentibus; clava majuscula, oblongo-ovata, apice acuminata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* capite plus duplo longius et manifeste angustius, lineare, sub-teres, parum arcuatum,

inflexum; scrobe profunda, versus oculos percurrente; mandibulæ parvæ, exsertæ. — *Oculi* laterales, paulo demissi, sub-ovati, inferni, acuminati, depressi. — *Thorax* latitudine postica perparum longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus paulo rotundatus, anterius angustior, intra apicem constrictus, antice sub-truncatus, lateribus paulo emarginatus, pone oculos vix lobatus, supra parum convexus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, dein explanata, haud profunda. — *Scutellum* minutum, vix observandum, immersum. — *Elytra* oblonga, sub-ovata, thoracis basi parum latiora illoque fere triplo longiora, basi leviter sinuata, humeris antrorsum sub-prominulis, sub-acutis; pone medium apicem versus sensim angustata, apice conjunctim rotundata, pygidium sub-obtegentia, supra paulo convexa, versus apicem haud callosa. — *Pedes* mediocres, validiusculi, medii paulo breviores; femoribus modice clavatis, subtus dentatis; tibiis teretibus, rectis, apice unco valido intus armatis; tarsis elongatis, minus latis, subtus spongiosis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Strongylopterus ovatus*; e Chili.

A στρογγύλος figura teres, πτερὸν ala.

Observ. — Genus quoad habitum *Baridio* generi paulo proximum; etiam magnam habet similitudinem cum genere *Cnemecarlo*, sed characteres essentiales longe alios, ut ex descriptione patet.

* 1. S. OVATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, parum nitidus, dense griseo-pubescens, rostro longitudinaliter striato; thorace confertim punctulato, longitudinaliter carinato, intra apicem constricto; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis paulo convexis, obsolete granulatis: femoribus acute uni-dentatis.

Patria: Chili. A Dom. CHEVROLAT communicatus Mus. SCHH. Ex Musæo Reg. Gall. ad describendum missus.

Latitudo *Erirhini bimaculati*, sed nonnihil brevior. Caput parvum, convexum, confertim punctulatum, nigrum, opacum, parce pubescens, inter oculos leviter impressum; oculi sub-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, minus crassum, sub-teres, paulo arcuatum, lineare, longitudinaliter striolatum, striis obsolete punctatis, interstitiis sub-carinatis; nigro-pi-

ceum, parum nitidum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, minus tenues, obscure ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice sub-truncatus, utrinque pone oculos leviter emarginatus, anterius angustior, intra apicem constrictus, lateribus paulo rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim sed parum profunde punctatus, carinula media longitudinali, angusta, parum elevata, lævi, notatus; niger, sub-nitidus, vix pubescens. Scutellum minutissimum, immersum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum perparum prominulis, sub-acutis; a basi ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, mediocriter punctato-striata, punctis striarum sub-oblongis, parum profundis, interstitiis sub-convexis, obsolete granulatis: nigra, parum nitida, pube grisea dense obsita. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigro-piceum, magis nitidum. Pedes mediocres, validiusculi, punctati; femoribus nigro-piceis, modice clavatis, subtus dente acuto instructis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — BHN.

GENUS 346. CEUTHORHYNCHUS. *Schuppel.*

Ceuthorhynchus GERMAR, LATREILLE, DEJEAN, SCHH. (1), *Nedyus* STEPHENS (2), SCHH. *in Litteris* olim.—*Falciger* MEGERLE, STURM, STEVEN, DEJEAN olim.— *Rhynchænus* FABR., OLIVIER, GYLLENH., ZETTERSTEDT.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues; funiculo 7-articulato: articulis aut tribus aut quatuor basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava libera, ovalis, acuminata.

Rostrum longum, filiforme, in aliis subtenue, in aliis validiusculum, lineare, modice arcuatum, inflexum, ad pectus applicandum.

Oculi laterales, rotundati, sub-depressi.

Thorax brevis, lateribus valde rotundato-ampliatus, anterius

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 298. *Ceuthorhynchus.* Manip. 2 —Germar Ins. Spec. I. p. 217. Fam. 2

(2) Stephens, Brit. Ent. IV. p. 27. 284

angustior, longe intra apicem coarctatus, antice supra sub-truncatus, sæpissime elevatus, reflexus, supra aut æqualis aut utrinque tuberculatus; pone oculos minus distincte lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus; rima infera indeterminata; inter coxas pedum anticorum desinente.

Scutellum haud observandum.

Elytra brevia, sub-ovata, humeris obtuse angulatis; apice singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora, dorso planiuscula.

Pedes breviusculi, antici basi parum distantes, coxæ tuberosæ; tibiæ apice muticæ.

Observ. — Corpus rhombicum, contractum, supra paulo convexum, sculpturatum, squamosum; species amplectens plurimas parvas, statura simillimas.

Patria : Præsertim Europa tota; nonnulli in partibus orbis reliqui.

STIRPS I. *Thorax inæqualis, aut tuberculatus, aut margo anticus elevatus, reflexus.* (Species 1-139.)

Manipulus I. *Femora mutica.* (Species 1-49.)

* 1. C. TOPIARIUS. *Illiger.*

Breviter ovatus, niger, subtus cinereo-albido-squamosus, supra variegatus, antennis pedibusque piceo-ferrugineis; thorace bi-tuberculato, antice profunde constricto, margine apicis alte elevato: elytris punctato-striatis, atro-cinereoque tessellatis, suturæ basi niveo-squamosis; femoribus subtus fasciculo dentiformi notatis.

Ceuthorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 239. 368.

Falciger tessellatus. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 142.

Patria : Hungaria, Tauria, Austria, Italia, Lusatia.

Magnitudo et statura *Ceuthorhynchi echii.* Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, inæqualiter albido-squamulosum; fronte inter oculos impressa. oculi rotundati, sub-depressi, nigro-brunnei, sub callo elevato locati; rostrum capite dimidio longius, validum, arcuatum, confertim punctulatum, nigrum. Antennæ subtenues, rufescentes, clava picea. Thorax transversus, antice subito angustior, apice utrinque late emarginatus, intra apicem

profundissime constrictus, margine apicis alte elevato, rotundato; lateribus pone stricturam subito ampliatus, tuberculo transverso utrinque instructus; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio baseos fovea profunda impressus, undique confertim punctulatus, niger, inæqualiter cinereo-albido-squamulosus. Scutellum tuberculiforme, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi arcte applicata et paulo latiora, humeris rotundatis, lateribus nonnihil ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, interstitiis planis, dorsalibus subtiliter alutaceis, lateralibus et apicis muricatis; nigra, maculis alternantibus albo-et atro-squamulosis tessellata; in basi suturæ linea, lata, communis, dense niveo-squamosa, observatur; sutura posterius ferruginea et apice iterum albo-squamosa. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, in medio linea angulata, elevata, notatum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, densius albo-squamosum. Pedes mediocres, validi, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, piceis, subtus fasciculo dentiformi albo-piloso notatis; tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

GHL.

* 2. C. ALBOVITTATUS. *Dahl.*

Breviter ovatus, niger, subtus dense, supra inæqualiter albido-squamosus, antennis tarsisque rufescentibus; thorace mutico, albido sub-trivittato: elytris sub-punctato-striatis, sutura basi, margine interstitiisque duobus densius albo-squamosis; femoribus subtus fasciculo dentiformi notatis. — GHL.

Ceuthorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 231. 357.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Falciger id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Patria : Hungaria, Constantinopolis.

* 3. C. MACULA-ALBA. *Herbst.*

Niger, obscurus, supra cinereo-subtus dense albido-squamosus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis; thorace canaliculato, linea media albida; elytris punctato-striatis, macula oblonga scutellari margineque laterali albo-squamosis. — GHL.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 404. 384. T. 91. f. 14.

Ceuthorhynchus macula-alba. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Falciger id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Rhynchaenus cardui. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 135. 90. T. 29. f. 441.

Patria : Germania, Gallia.

Var. β. Supra parce cinereo-squamosus; antennis, tibiis tarsisque piceo-ferrugineis.

Patria : Tauria.

* 4. C. Suturalis. *Fabricius.*

Niger, supra parce, subtus dense albido-squamosus, pedibus testaceis; thorace depresso, vitta media alba; elytris punctato-striatis, sutura tota margineque laterali albo squamosis. — Gyll.

Rhynchaenus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 455. 86.

Curculio id. Fab. *Ent. Syst.* I. II. p. 412. 80. — *Mant. Ins.* I. p. 102. 68. — *Spec. Ins.* I. p. 170. 51. — *Syst. Ent.* p. 133. 36.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 137. 43.

Sturm, *Verz.* 1796. p. 54. 24. T. 2. f. 12.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 486. 72.

Herbst, *Col.* VI. p. 453. 456.

Panz. *Ent. Germ.* p. 306. 40.

Villers, *Ent.* I. p. 188. 51. et VI. p. 268. 51.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1749. 135.

Cryptorhynchus id. Ahrens, *Fn. Ins. Eur.* IV. T. 9.

Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Falciger id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Patria : Germania, Gallia.

* 5. Alboscutellatus. *Chevrolat.*

Breviter ovatus, niger, subtus dense, supra parcius albido-squamulosus, rostri apice, antennis pedibusque ferrugineis; thorace brevi, canaliculato, bi-tuberculato, antice constricto, margine apicis elevato; elytris striatis, macula scutellari albo squamosa notatis.

Patria : Galliæ provincia, Campania. A Dom. Chevrolat nominatus et amice communicatus. Mus. Schh.

Parvus, *Ceuthorhyncho chrysanthemi* sub-æqualis: a *Ceuthorhyncho*

suturali, cui similis, differt magnitudine dimidio minori, thorace magis convexo, elytrorum sutura basi tantum albo-squamosa, etc. Caput rotundatum, sub-disperse punctatum, nigrum, opacum, fronte sub-depressa; oculi sub-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, basi punctulatum, nigrum, apice rufo-ferrugineum. Antennæ obscure ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late et profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra in disco fere planus, in medio canaliculatus, in utroque latere tuberculo obtuso instructus, undique confertim punctulatus, niger, opacus, parce albido-squamulosus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo sub-elevato instructis; lateribus vix ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, distincte striata, striis vix punctatis, interstitiis planis, confertim rugulosis; nigra, squamulis albidis, ad latera et apicem magis condensatis adspersa, et in regione scutelli plaga indeterminata dense albo-squamosa notata. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres, ferruginei, albo-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis. — GYLL.

* 6. C. ARATOR. *Schh.*

Niger, dense cinereo-albido-squamosus; thorace canaliculato, vix tuberculato, antice constricto; elytris punctato-striatis, interstitiis subtiliter alutaceis, apice non muricatis.

Habitat in Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho syriti simillimus et affinis, distinctus tamen thorace vix tuberculato, elytris apice non muricatis, etc. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, dense albido-squamosum, fronte plana; oculi ovati, brunnei; rostrum capite cum thorace longius, arcuatum, basi carinatum, striatum et punctulatum, nigrum, feminæ tenue, maris basi crassius, dense albido-squamosum. Antennæ longiusculæ, tenues, nigro-piceæ. Thorax latitudine multo brevior, antice subito fere dimidio angustior, apice late emarginatus, intra apicem minus profunde constrictus, margine modice elevato; lateribus pone

stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, angulis rotundatis, supra parum convexus, sat profunde punctatus, in medio canaliculatus, versus latera non tuberculatus, niger, dense cinereo-squamulosus. Scutellum nullum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, late et sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis, apice non muricatis; nigra, squamulis densis albidis lineatim vestita. Corpus subtus, punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum. Pedes longiusculi, nigri, dense cinereo-squamulosi; tarsis piceis, subtus albido-spongiosis. — GHL.

* 7. C. SYRITES. *Germar.*

Saturate niger, densius pubescens, pedibus sub-piceis; thorace canaliculato, obsoletius bi-tuberculato, antice reflexo: elytris brevioribus, apice muricatis, rostro longissimo, tenui. — GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 232. 358.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 577. 63-64.
SAHLB. *Ins. Faun.* II. p. 58. 56.
Nedyus obstrictus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 28. 3.
Curculio affinis. PANZ. *Faun. Germ.* LVII. 15.
Ceuthorhynchus assimilis. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298.
Falciger id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84. *ed.* 3. p. 323.
Rhynchænus alauda. FABR. *Syst. El.* II. p. 454. 82. Forte.
ILLIG. *Mag.* IV. p. 142. 82.
Curculio alauda. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 411. 77.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 137. 40.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 305. 37.
Patria: Tota Europa, Persia.

* 8. C. ASSIMILIS. *Paykull.*

Plumbeo-niger, parcius pubescens, capite exserto; thorace canaliculato, evidentius bi-tuberculato, antice reflexo: elytris longioribus, apice plus minusve distincte muricatis, rostro longissimo tenui. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 451. 67.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 141. 63. et IV. p. 177. 63.

Sahbl. *Ins. Fenn.* II. p. 57. 55.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 409. 65.

Payk. *Faun. Suec.* III. p. 257. 77. — *Mon. Curc.* p. 69. 67.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 134. 30.

Herbst, *Col.* VI, p. 419. 404.

Panz. *Faun. Germ.* XLII. 6.?

Marsh. *Ent. Brit.* I. p. 257. 55.?

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 28. 2.

Curculio obstrictus. Marsh. *Ent. Brit.* p. 255. 50.

Id. Alauda. Herbst, *Col.* VI. p. 440. 392. T. 92. f. 5.

Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Falciger id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Geoffr. *Ins.* I. p. 288. 24.?

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

* 9. C. Austerus. *Schh.*

Ovatus, ater, sub-nitidus, subtus dense, supra parcius cinereo-squamulosus; thorace brevi, transverso, bi-tuberculato, in dorso sub-interrupte canaliculato; elytris punctato-striatis, interstitiis planis, lateralibus et apicis subtiliter muricatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. Aubé descriptus.

Statura et fere magnitudo *Ceuthorhynchi assimilis;* thorace convexiore transverso et colore atro tamen abunde ab illo distinctus; *Ceuthorhyncho atratulo* in multis similis, sed plus duplo major, densius squamosus, et interstitia elytrorum muricata. Caput sub-globosum, retractum, punctulatum, atrum, sub-nitidum, parce cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigri, modice convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, atrum, nitidissimum. Thorax brevis, transversus, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem profunde transversim impressus, margine apicis tamen parum alte elevato; lateribus pone stricturam ampliatus, tuberculo parvo utrinque instructus, basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, in dorsi medio canaliculatus, posterius transversim convexus, ater, sub-nitidus, lateribus et in canalicula dorsali densius cinereo-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus

non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, sat distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, lateralibus et apicis subtiliter muricatis: atra, sub-nitida, squamulis minutis cinereis adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, atrum, densius cinereo-squamulosum. Pedes validiusculi, punctati, atri, cinereo-squamulosi et pubescentes: tarsis parum latis, subtus albido-spongiosis. — GYLL.

10. C. HEPATICUS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, fuscus, opacus, undique cinereo-squamulosus: elytris hepaticis, tibiis tarsisque dilutius testaceis, rostro atro, nitido: thorace transverso, bi-tuberculato, antice constricto, margine apicis sat alte elevato: elytris anguste striatis, interstitiis planis, alutaceis.

Patria: Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. AUBÉ descriptus.

Statura *Ceuthorhynchi depressicollis*, sed dimidio major, aliter corolatus; *Ceuthorhyncho sophiæ* magnitudine æqualis et admodum similis, sed femora mutica. Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigro-fuscum, cinereo-squamulosum: oculi rotundati, nigro-brunnei, modice convexi; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, atrum, nitidissimum. Antennæ nigræ, clava majuscula, oblonga, dense cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem transversim late et profunde impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, in medio dorsi obsolete canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo notatus, undique confertim punctulatus, fuscus, opacus, squamulis minutis cinereis adspersus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, instructis: lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; dilutius fusca seu hepatica, opaca, squamulis cinereis, nitidis, adspersa. Corpus subtus punctulatum, fuscum, dense cinereo-squamosum. Pedes mediocres, validi, femoribus fuscescentibus, dense cinereo-squamulosis: tibiis tarsisque dilutius testaceis. — GYLL.

11. C. ÆGROTUS. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus dense, supra inæqualiter albido-squamosus, rostro, elytris pedibusque rufo-testaceis; thorace transverso, obsolete bi-tuberculato, in medio baseos profunde impresso; elytris anguste striatis, striis vix punctatis, ad basin suturæ macula albido-squamosa notatis.

Patria: Gallia, ad Cæsarodunum. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Statura et facies *Ceuthorhynchi quadridentis*, sed dimidio minor. Caput parvum, rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, albido-squamulosum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, arcuatum, rufo-testaceum, basi paulo crassius, punctatum et squamulosum, extrorsum magis tenue, dilutius testaceum, læve, nitidum. Antennæ obscure testaceæ, clava nigra, albo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice subito duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem transversim impressus, margine apicis modice elevato, obscure ferrugineo; lateribus pone stricturam ampliatus et tuberculo parvo utrinque instructus, basi vix sinuatus, elevato-marginatus, in medio baseos fovea profunda sed non ampla instructus, supra posterius transversim convexus, obsolete punctulatus, niger, lateribus dense, in disco parce albido squamosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis vix vel obsoletissime punctatis, interstitiis planis, sub-strigosis; rufo-brunnea, in basi suturæ plaga indeterminata albo-squamosa notata, et præterea lituris parvis ejusmodi adspersa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus saturatius; tibiis tarsisque dilutius testaceis, albo-pubescentibus. — GHL.

* 12. C. DEPRESSICOLLIS. *Gyllenh.*

Niger, cinereo-pubescens, subtus dense albido-squamosus; thorace depresso, obsolete canaliculato, bi-tuberculato, postice truncato; elytris obsoletius crenato-striatis, cinereo-lineatis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 147. 68.
SAHLB. *Ins. Faun.* II. p. 61. 62.
Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.
Curculio nigrinus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 250. 35.
Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 30. 8.

Patria : Suecia, Finlandia, Anglia.

Observ. — Individua, e Scania a Dom. Prof. Zetterstedt missa, colore paginæ superioris dilutiore, fusco-testaceo, tantum differunt, forte nuper exclusa. — Squamositas paginæ superioris in illæsis densior, colorem nigrum occultat et in fuscum vertit. — Pars antica suturæ elytrorum interdum densius albido-squamosa, ut in *Ceuthorhyncho florali*, sed thorax depressus, basi truncatus, abunde distinguit. — GHL.

* 13. C. RUBIDUS. *Schh.*

Nigro-piceus, subtus dense, supra maculatim albo-squamulosus, pedibus testaceis; thorace profunde punctato, bi-tuberculato, canaliculato, antice constricto, margine apicis elevato ferrugineo; elytris striatis fusco-testaceis, maculis sparsis albo-squamosis ornatis.

Patria : America borealis, ad Mississippi. Ex Musæo Dom. SAY, ad describendum missus.

Magnitudo et facies *Cœliodis quercus.* Caput rotundatum, convexum, punctulatum, piceum, lineis sub-tribus albo-squamulosis notatum; oculi demissi, brunnei, parum prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validum, modice arcuatum, cylindricum, punctulatum, nigro-piceum, squamulosum. Antennæ validiusculæ, nigro-piceæ. Thorax latitudine postica brevior, antice duplo angustior, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis elevato ferrugineo; lateribus pone stricturam subito ampliatus, basi bi-sinuatus; supra in disco fere

planus, in medio dorsi canaliculatus, in utroque latere tuberculo obsoleto instructus, undique profunde punctatus, nigro-piceus, lateribus late, in vitta dorsali anguste, dense albo-squamulosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis vix punctatis; interstitiis planis, confertim alutaceis; fusco-testacea, opaca, maculis numerosis, oblongis, albo-squamulosis, præsertim versus latera adspersa. Corpus subtus punctatum, fusco-piceum, dense albo-squamulosum. Pedes mediocres, pallide testacei, albo-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis; tibiis arcuatis, tenuibus. — GHL.

* 14. C. NODICOLLIS. *Chevrolat.*

Breviter ovatus, convexus, saturate niger, opacus, subtus dense, supra parce cinereo-squamulosus, antennis testaceis; thorace transverso, bi-tuberculato, antice vix constricto; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, alutaceis.

Patria: Cayenna. A Dom. CHEVROLAT nominatus, et ex ejus Musæo descriptus.

Ceuthorhyncho sulcicolli paulo minor. Caput sub globosum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, vertice carinula angusta notato; oculi nigro-brunnei, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, nigrum, nitidum, læve. Antennæ tenues, pallide testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem vix constrictus, margine apicali perparum elevato; lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi profunde bi-sinuatus, supra in disco convexus, pulvinatus, versus latera utrinque tuberculo obtuso instructus, confertim punctatus, saturate niger, opacus, squamulis minutis cinereis parce adspersus. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis convexis, alutaceis; saturate nigra, opaca, squamulis minutis cinereis parce adspersa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum,

opacum, squamulis cinereis sat dense vestitum. Pedes mediocres, nigri, parce cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, muticis.

GHL.

* 15. C. ERYSIMI. *Fabricius.*

Nigro-æneus, sub-nitidus, rostro pedibusque nigris, capite exserto, postice non carinato, fronte sub-impressa; elytris cæruleis, profunde punctato-striatis, humeris obtuse angulatis, elevatis: thorace canaliculato, bi-tuberculato. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 452. 72.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 138. 94. T. 29. f. 438.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 142. 64.
SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 58. 57.
ZETTERST. *Faun. Ins. Lapp.* I. p. 324. 45.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 410. 70. — *Mant.* I. p. 101. 54.
HERBST, *Col.* VI. p. 407. 388. T. 92. f. 1.
OLIV. *Enc. meth.* V. p. 484. 64.
PAYK. *Faun. Suec.* III. p. 265. 87. — *Mon. Curc.* p. 76. 73.
PANZ. *Faun. Germ.* XVII. 7. — *Ent. Germ.* p. 304. 30.
MARSH. *Ent. Brit.* p. 257. 56.
CEDERH. *Faun. Ingr.* n. 325.
WALCKEN, *Faun. Paris.* I. p. 246. 29.
VILLERS, *Ent.* IV. p. 286.
LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1743. 100.
Ceuthorhynchus id. MÉNÉTRIÉS, *Cat. raisonne*, p. 223. 1004.
Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 28. 4.

* VAR. β. Elytris virescentibus. GHL. l. c. var. b.
SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 58. 57.
Nedyus chloropterus.? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 29. 5.

* VAR. γ. Elytris fuscescentibus, parum æneo-micantibus. — SAHLB. *Ins. Fenn.* l. c. var. c.
GYLLENH. *Ins. Suec.* l. c. obs. ad var. γ.

Patria: Tota Europa, Anatolia, Persia.

16. C. COERULESCENS. *Dejean.*

Breviter ovatus, fusco-æneus, subtus dense albido-squamosus; thorace profunde punctato, vix canaliculato, tuberculo parvo utrinque instructo; elytris saturate cœruleis, nitidis, profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo, statura et facies *Ceuthorhynchi erysimi* omnino, etiam color genuini ejusdem speciei, sed textura thoracis et elytrorum diversa. Caput rotundatum, confertim punctatum, fusco-æneum, fronte plana, vertice carinula brevi instructo; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum thorace paulo brevius, tenue, valde arcuatum, nigrum, nitidum, basi leviter carinatum et punctatum. Antennæ tenues, nigræ, medio piceæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior, apice late emarginatus, intra apicem obsolete transversim impressus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, vix vel obsoletissime canaliculatus, confertim et sat profunde punctatus, tuberculo parvo utrinque instructus, fusco-æneus, parum nitidus. Scutellum minutum, demersum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo sub-elevato instructis; lateribus vix ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, versus apicem subtiliter muricatis; saturate cœrulea, nitida. Corpus subtus confertim punctatum, fusco-æneum, sat dense albido-squamosum. Pedes mediocres, validi, nigri, dense albido-squamulosi et pubescentes.

GHL.

* 17. C. CONTRACTUS. *Marsham.*

Ovatus, niger, supra fere glaber, subtus cinereo-albido-squamosus; thorace bi-tuberculato, antice constricto; elytris distincte punctato-striatis, nigro-cærulescentibus, nitidis, interstitiis sub-lævibus. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 143. 65. et IV. p. 578. 65.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 324. 46.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 59. 58.

Curculio id MARSH. *Ent. Brit.* p. 250. 36.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 29. 6.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

Falciger minutus. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 141.

Observ. — *Ceuthorhyncho hirtulo* magnitudine et facie simillimus, sed in illo elytra sub-setosa, illorum interstitia transversim strigosa et femora sub-dentata. — Elytrorum color interdum nonnihil virescenti-tinctus, interdum totus niger.

Patria : Europa septentrionalis et temperata, Tauria.

* 18. C. ATRATULUS. *Gyllenh.*

Ovatus, ater, sub-nitidus, subtus dense, supra cinereo-albido-squamulosus, tarsis piceis; thorace profunde punctato, posterius transversim convexo, in medio interrupte canaliculato, utrinque obtuse tuberculato; elytris sat profunde punctato-striatis, suturæ basi obsolete albo-squamosis.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 580. 70-71.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 63. 56.

Curculio floriger.? FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 123. 26.

Id. floralis.? OLIV. *Enc. méth.* V. p. 497. 115.

Id. subglobosus.? LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1805. 537.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 289. 26.

Patria : Suecia, Germania, Finlandia, Gallia.

Observ.—*Ceuthorhyncho cochleariæ* valde similis, sed color atrior, magis nitidus, thorax profundius punctatus; posterius transversim

magis convexus, in medio baseos apicisque foveola impressus, non vero canalicula contigua notatus ut in *Ceuthorhyncho cochleariæ*: præterea supra parce tantum squamulosus, etiam in basi suturæ.

Ghl.

* 19. C. Cochleariæ. *Gyllenh.*

Niger, cinereo-sub-pubescens, suturæ basi pectoreque albido-squamosis; thorace canaliculato, bi-tuberculato, basi bi-sinuato, disco convexo; elytris profunde punctato-striatis, humeris rotundatis.

Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 144. 66.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 60. 59.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 29. 7.

Patria : Suecia meridionalis, Gallia, Anglia.

* 20. C. Querceti. *Gyllenh.*

Niger, subtus dense, supra parcius albido-squamosus, antennarum medio, pedibus elytrorumque apice rufo-testaceis; thorace acuto bi-tuberculato. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 149. 70. et IV. p. 579. 70.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 62. 64.

Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

Patria : Suecia meridionalis, Finlandia. (In pratis humidis.)

* 21. C. Apicalis. *Gyllenh.*

Ovatus, niger, subtus densius, supra parce cinereo-squamulosus, elytrorum margine apicali, tibiis tarsisque rufo-testaceis; thorace obsoletius bi-tuberculato, antice profunde constricto; elytris punctato-striatis, ad basin suturæ albo-squamosis: femoribus subtus fasciculo dentiformi notatis.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 579. 70-71.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 62. 65.

* Var. β. Elytris apice latius rufo-testaceis.

Ceuthorhynchus analis. Dom. Steven *in Litteris.*

* VAR. γ. Ut var. β, et præterea margo anticus thoracis etiam rufo-testaceus.

Ceuthorhynchus analis. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 221. 28.

* VAR. δ. Elytris totis, femorum apice, tibiis tarsisque pallidius testaceis.

Rhynchænus analis. PANZ. *Ind. Fn. Germ.* p. 193.

Id. hæmorrhoidalis. PANZ. *Fn. Germ.* XCIX. 11.

Patria : Europa; α et δ in Scania Sueciæ capti a Dom. ZETTERSTEDT; var. β, in Tauria. Dom. STEVEN; var. γ, in Germania, Halæ. Dom. GERMAR. Mus. SCHH.

Observ. — Var. γ *Ceuthorhyncho querceti* admodum similis, etiam quoad colorem, sed margo anticus thoracis paulo altius elevatus, et femora subtus fasciculo dentiformi albido-setoso instructa, quæ notæ speciem præcipue distinguunt.

In var. δ elytra tota pallidius testacea, ad basin suturæ albo-squamosa; apex femorum, ut et tibiæ et tarsi etiam pallide testacea; immaturus forte. — GHL.

22. C. SII. *Chevrolat*.

Ovatus, ater, sub-nitidus, subtus dense albido-squamosus, tarsis pallide testaceis; thorace bi-tuberculato, antice constricto, vitta dorsali albo-squamosa notato; elytris punctato-striatis, in basi suturæ albido-squamosis, apice summo rufescentibus; femoribus subtus fasciculo dentiformi notatis.

* VAR. β. Elytrorum apice latius rufo; tibiis obscure ferrugineis. GUÉRIN, *Iconogr. du Regne anim.* de CUVIER, V. T. 39. f. 5.

* VAR. γ. Elytris totis femoribusque rufo-testaceis; tibiis tarsisque pallidioribus.

Patria : Gallia. α, ex Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. e Musæo Paykulliano descriptus; var. β et γ, Parisiis, in sio inciso. Dom. AUBÉ et CHEVROLAT.

Ceuthorhyncho apicali admodum similis et affinis, sed dimidio, imo duplo major, atrior, thorax paulo latior, etc. Caput sub-globosum, retractum, confertim punctatum, atrum, postice carinula angusta instructum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, cylindricum, arcuatum, atrum, niti-

dum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ, clava oblonga, nigra, albo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice subito dimidio angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem profunde transversim impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, tuberculo parvo, obtuso utrinque instructus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, ater, vitta dorsali albido-squamosa, interdum interrupta, notatus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, punctato-striata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; atra, sub-nitida, squamulis minutis cinereis parce adspersa, ad basin suturæ plaga indeterminata dense albido-interdum pallido-squamosa notata, et in ipso apice anguste rufescentia. Corpus subtus punctatum, atrum, dense albido-squamosum. Pedes longiusculi, punctati, atri; femoribus subtus fasciculo parvo dentiformi cinereo notatis; tarsis dilatatis, pallide testaceis.

Var. β differt tantum elytris apice latius rufis, et tibiis obscure ferrugineis.

In *var.* γ elytra tota rufo-testacea, ad basin suturæ dense albo-squamosa; femora etiam rufo-testacea, sed tibiæ et tarsi magis pallida. — GHL.

* 23. C. PUMILIO. *Gyllenh.*

Breviter ovatus, fusco-piceus, albido-squamulosus, supra dilutior; rostro brunneo, pedibus testaceis; thorace transverso, obsolete bituberculato, confertim punctato, antice profunde constricto, margine apicali alte elevato; elytris sub-globosis, distincte punctato-striatis; humeris obtuse angulatis, elevato-callosis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 578. 66-67.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 60. 60.

* VAR. β. Femoribus medio infuscatis. — GHL. l. c. var. b.

* VAR. γ. Supra dilutius fusco-testaceus, rostro rufescente, pedibus pallidis. — GHL. l. c. var. c.

Patria : Scania.

24. C. SEPTENTRIONALIS. *Chevrolat.*

Ovatus, nigro-æneus, subtus squamositate densa cinerea, supra æneo-micante vestitus, antennis testaceis; thorace transverso, bi-tuberculato, in medio dorsi canaliculato: elytris striatis, striis obsolete punctatis.

Patria : America septentrionalis, Boston. A Dom. CHEVROLAT nominatus, et ex ejus Musæo descriptus.

Parvus, *Ceuthorhyncho contracto* æqualis. Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigro-æneum, dense cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi semi-globosi, atri; rostrum longitudine fere thoracis, cylindricum, valde arcuatum, atrum, basi squamulosum, apice nudum, nitidum. Antennæ testaceæ, clava obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice subito angustior, apice sub-emarginatus, pone apicem constrictus, margine apicis parum elevato: lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio dorsi canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo mediocri notatus, confertim punctulatus, nigro-æneus, squamulisque ejusdem coloris vestitus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigro-ænea, squamis virescenti-æneis, nitidis, vestita. Corpus subtus punctulatum, nigro-æneum, squamositate densa cinerea, æneo-sub-micante, tectum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-squamulosi.

GHL.

* 25. C. ZIMMERMANNI. *Schh.*

Ovatus, niger, sub-nitidus, subtus dense cinereo-squamosus; rostro elytrisque rufo-castaneis, nitidis, pedibus testaceis; thorace transverso, bi-tuberculato, canaliculato, antice constricto, margine apicis alte elevato; elytris distincte punctato-striatis, suturæ basi obsolete albo-squamosis.

Patria : America septentrionalis, Pensylvania. A Dom. ZIMMERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Ceuthorhynchi contracti*, sed plus duplo minor, adeoque

e minimis nobis cognitis hujus generis. Caput rotundatum, retractum, punctulatum, nigrum, vertice carinula angusta notato; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum thorace fere longius, cylindricum, arcuatum, basi castaneum, extrorsum dilutius rufescens, totum nitidum. Thorax brevis, transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem late et profunde transversim impressus, margine apicis alte elevato; lateribus pone stricturam ampliatus, tuberculo parvo utrinque instructus, basi leviter bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, in medio dorsi anguste canaliculatus, undique confertim punctulatus, niger, sub-nitidus. Scutellum tuberculiforme, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace quadruplo longiora, supra convexa, sat profunde striata et in striis evidenter punctata, interstitiis planis, sublævibus; dilute castanea, sub-nitida, squamulis minutis cinereis adspersa, ad basin suturæ plaga indeterminata dense albido-squamosa notata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes validi, testacei, cinereo-pubescentes; femoribus externe infuscatis. — Ghl.

* 26. C. Posthumus. *Illiger.*

Ovatus, niger, subtus dense, supra parcius cinereo-squamulosus, tibiis tarsisque rufescentibus; thorace transverso, obsolete bi-tuberculato, in medio baseos breviter canaliculato, antice constricto, margine apicis parum alte elevato; elytris punctato-striatis, interstitiis subrugosis. — Ghl.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 237. 366.

Patria : Germania.

* 27. C. Floralis. *Paykull.*

Niger, cinereo-pubescens, sutura corporeque subtus dense albido-squamosis; thorace canaliculato, bi-tuberculato, sub-convexo, basi bisinuato; elytris obsoletius crenato-striatis, cinereo-lineatis, humeris obtusis vix angulatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 450. 59.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 145. 67.

Zetterst. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 325. 47.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 60. 61.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 408. 60.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 266. 88. — *Mon. Curc.* p. 73. 74.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 133. 24.

HERBST, *Col.* VI. p. 448. 448.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 30. 10.

* VAR. β. Sutura elytrorum vix albo-squamosa. — GHL. l. c. var. c.

SAHLB. l. c. var. b.

* VAR. γ. Supra niger, parum cinereo-pubescens. — GHL. l. c. var. c.

SAHLB. l. c. var. c.

Curculio constrictus. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 258. 61.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 30. 9.

Patria : Europa borealis et intermedia.

* 28. C. PULVINATUS. *Ghl.*

Breviter ovatus, niger, densius albido-squamosus; thorace latiore, transversim convexo, canaliculato, obsoletissime bi-tuberculato, antice alte reflexo; elytris brevioribus, obsolete crenato-striatis, sutura interstitiisque dense albido-squamosis, humeris obtuse angulatis.

Patria : Germania. A Dom. SCHUPPEL, in Gallia Dom. CHEVROLAT et AUBÉ amice communicatus. Mus. SCHH. Etiam in Persia Dom. FALDERMANN, et in Ostrogothia Sueciæ a Dom. Prof. ZETTERSTEDT captus.

Ceuthorhyncho florali simillimus, sed latior et brevior, supra densius albo-squamosus : thorax multo magis convexus, etc. Caput, oculi, rostrum et antennæ omnino ut in *Ceuthorhyncho florali.* Thorax transversus, antice dimidio angustior, apice truncatus, intra apicem late et profunde transversim impressus, margine alte elevato, reflexo, rotundato; lateribus posterius valde ampliatus, latitudinem elytrorum fere attingens; basi bi-sinuatus, supra posterius transversim valde convexus, in medio canaliculatus, rudimento tantum valde obsoleto tuberculi in disco utrinque notatus : punctulatus, niger, dense albido-squamulosus. Elytra antice sinuata, thorace parum latiora, humeris obtuse angulatis : apice

singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sat profunde striata, et in striis subtiliter crenato-punctata, nigra, interstitiis omnibus squamulis latioribus quam in *Ceuthorhyncho florali*, plerisque rotundatis, albis, dense tectis, sutura anterius tantum adhuc densius albo-squamosa. Pygidium breve, apice rotundatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes validi, nigri, albido-squamulosi et pubescentes. — GHL.

29. C. CONVEXICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, subtus et lateribus dense, supra parce albido-squamulosus; thorace transverso, convexo, obsolete bi-tuberculato, antice parum reflexo, dorso non canaliculato; elytris amplis, striatis, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, alutaceis.

Patria : Germania, Berolini. A DOM. SCHUPPEL benevole communicatus.

Parvus, *Ceuthorhyncho florali* et *pulvinato* æqualis et similis, thorace non canaliculato, antice parum reflexo præcipue distinctus. Caput sub-globosum, confertim punctatum, nigrum, parce squamulosum, fronte fovea rotundata sat profunda impressa; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ nigræ, clava majuscula albido-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice subito angustior, apice emarginatus, intra apicem constrictus, margine apicis ad latera tantum nonnihil elevato; lateribus pone stricturam modice ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio acuminato; supra transversim convexus, confertim punctatus, versus marginem utrinque tuberculo valde obsoleto instructus, sed in medio non canaliculatus, niger, subtus et lateribus dense, supra parce albido-squamulosus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra ampla, basi apiceque obtuse rotundata, pone basin subito valde ampliata, callo humerali elevato, rotundato; supra convexa, anguste striata et in striis vix vel obsoletissime punctata, interstitiis convexis, confertim alutaceis; nigra, lateribus dense, in dorso parce albido-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate albida dense tectum. Pedes mediocres, nigri, parce albido-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis. — GHL.

30. C. ERYTHRORHYNCHUS. *Schh.*

Ovatus, nigro-fuscus, opacus, subtus dense, supra parce albo-squamosus; rostro rufescente, nitido, tibiis pallide testaceis; thorace transverso, obsolete bi-tuberculato, antice constricto; elytris profunde striatis, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, sub-rugosis, lineatim albo-squamosis.

Ceuthorhynchus pyrrhorhynchus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Gallia, ad Cæsarodunum. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Ceuthorhyncho florali dimidio major, præsertim longior. Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, dense albido-squamosum, fronte plana: oculi rotundati, nigri, modice convexi: rostrum longitudine thoracis, tenue, cylindricum, rufescens, nitidum, basi squamulosum. Antennæ tenues, piceæ, clava nigra. Thorax transversus, antice paulo angustior, apice leviter emarginatus, pone apicem sat profunde constrictus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi evidenter bi-sinuatus, supra sub-convexus, tuberculo valde obsoleto utrinque notatus, in dorso vix canaliculatus, subtiliter punctulatus, nigro-fuscus, opacus, sat dense cinereo-albido-squamulosus. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis angustis, convexis, rugulosis; fusca, opaca, lineatim albido-squamulosa. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, opacum, dense albo-squamulosum. Pedes mediocres, albido-pubescentes: femoribus sub-clavatis, fuscis; tibiis pallide testaceis; tarsis infuscatis. — GHL.

* 31. C. Achilleæ. *Hellwig.*

Angustior, niger, undique dense cinereo-squamosus, rostri apice pedibusque piceis; thorace profundius canaliculato, antice reflexo, vix tuberculato; elytris punctato-striatis, anterius depressis.

Curculio id. Dom. Hellwig *in Litteris;* teste Dom. Schneider.

Habitat in Germania. Dom. Schneider. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho florali minor, angustior, *Ceuthorhyncho nano* æqualis, sed minus convexus, thorax profundius canaliculatus, vix tuberculatus, etc. Caput parvum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte depressa; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, tenue, arcuatum, nigrum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum glabrum, apice rufo-piceum. Antennæ tenues, nigræ, clava ovata, pubescente. Thorax latitudine multo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, margine elevato, reflexo, intra apicem minus profunde transversim impressus, lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, in medio sat profunde canaliculatus, versus latera vix tuberculatus, undique punctulatus, niger, dense cinereo-squamulosus. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtusis, sub-rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, anterius depressa, sat profunde punctato-striata, interstitiis scabris, sed non apice muricatis; nigra, dense cinereo-squamosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamosum. Pedes dense cinereo-squamulosi; femoribus muticis, nigris; tibiis tarsisque piceis. — Ghl.

* 32. C. Nanus. *Besser.*

Oblongo-ovatus, niger, undique dense cinereo-albido-squamulosus; thorace canaliculato, bi-tuberculato, margine apicali alte elevato; elytris punctato-striatis, apice muricatis.

Patria : Tauria, Volhynia. Dom. Besser et Steven; Austria, Hungaria. Dom. Schuppel; Gallia. Dom. Aubé; Helvetia. Dom. Chevrier. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho florali proximus, sed angustior et paulo longior,

thorax evidentius canaliculatus et bi-tuberculatus. Caput subglobosum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, vertice carinula tenui instructo; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum thorace fere longius, cylindricum, arcuatum, nigrum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum glabrum, læve, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava majuscula, ovata. Thorax latitudine vix brevior, anterius dimidio angustior, apice late emarginatus, pone apicem sat profunde transversim impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi evidenter bi-sinuatus, supra posterius transversim convexus, in medio dorsi distincte canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo mediocri instructus, undique punctulatus, niger, dense cinereo-albido-squamulosus. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, interstitiis convexis rugulosis, apicem versus muricatis; nigra, undique dense cinereo-albido-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis albidis dense tectum. Pedes longiusculi, tenues, nigri, cinereo-albido-squamulosi et pubescentes. — GHL.

* 33. C. ANGUSTULUS. *Schh.*

Oblongus, angustus, niger, undique dense cinereo-albido-squamulosus: thorace canaliculato, bi-tuberculato, margine antico sat alte elevato; elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis planis, confertim punctulatis, apice muricatis.

Patria: Persia. A Dom. FALDERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho nano admodum similis, sed dimidio minor, præsertim angustior; elytra subtilius punctato-striata, interstitiis planis. Caput oblongum, parum convexum, confertim punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamulosum, vertice carinula elevata notato; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, nigrum, basi squamulosum, extrorsum nudum, nitidum. Antennæ nigræ, clava oblonga, albo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice angustior, apice emarginatus, pone apicem late et profunde transversim

impressus, margine apicis alte elevato; lateribus obliquis, vix ampliatis; basi distincte bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio dorsi evidenter canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo transverso instructus, confertim punctulatus, niger, sat dense cinereo-albido-squamulosus. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra parum convexa, in regione scutelli impressa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, confertim punctulatis, versus apicem muricatis; nigra, dense cinereo-albido-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes longiusculi, subtenues, nigri, albido-pubescentes. — Ghl.

* 34. C. Ericæ. *Gyllenh.*

Niger, virescenti-pollinosus, sutura basi pectoreque albo-squamosis, antennis, pedibus rostroque longissimo, tenui, rufis; thorace subdepresso, bi-tuberculato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis tuberculato-rugosis, seriato-pilosis. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 147. 69.
Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 61. 63.
Zetterst. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 325. 48.
Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 33. 17.
Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.
Falciger rufirostris. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

* Var. β. Corpore toto rufo-testaceo. — Ghl. l. c. var. b.
Sahlb. l. c. var. b.

Observ. — Occurrit interdum nudus, niger, absque polline flavovirescenti, qualem in Fauna Lapponica, loc. cit. descripsit Dom. Prof. Zetterstedt, forte antequam flores visitaverat captus.

Patria : Suecia, Finlandia, Styria, Gallia.

35. C. ALBOSETOSUS. *Schh.*

Ovatus, ater, sub-nitidus, subtus dense albo-squamosus et setosus, rostro, antennis pedibusque rufo-testaceis; thorace confertim granulato, in margine apicis bi-nodoso, lateribus utrinque tuberculato, dorso obsolete canaliculato; elytris punctato-striatis, interstitiis nodosis, albido-setosis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Statura et similitudo *Ceuthorhynchi ericæ*, sed duplo major, ater. Caput retractum, rotundatum, modice convexum, confertim punctulatum, atrum, fronte carinula elevata instructa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, tenue, cylindricum, arcuatum, saturate rufum, nitidissimum. Antennæ longiusculæ, subtenues, testaceæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice late emarginatus, margine apicis parum elevato, in medio bi-nodoso; lateribus obliquis, versus angulum posticum tuberculo valido, conico, instructis; basi sub-truncatus, interrupte elevato-marginatus, in medio baseos nempe fovea profunda, sed non ampla insculptus, supra parum convexus, in medio dorsi obsolete canaliculatus, confertim granulatus, ater, vix squamulosus. Elytra antice sub-truncata, pone basin subito angulatim ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, nodulosis, versus apicem sub-muricatis; atra, sub-nitida, setulis cinereo-albidis, præsertim posterius adspersa. Corpus subtus convexum, punctatum, atrum, squamis setisque albidis dense vestitum. Pedes breviusculi, validi; femoribus saturatius; tibiis tarsisque dilutius rufo-testaceis, parce albido-pubescentibus. — GHL.

36. C. POLLIGER. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, subtus dense cretaceo-squamosus, supra dense fusco-setosus, pallescenti-squamulosus, rostro pedibusque rufo-testaceis; thorace canaliculato, granulato, bi-tuberculato, in canali dorsali vitta pallida notato; elytris punctato-striatis, sutura basi pallida.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Statura et magnitudo *Ceuthorhynchi troglodytis*. Caput retractum,

sub-globosum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum; oculi rotundati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, arcuatum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum, totum rufo-testaceum. Antennæ tenues, piceæ, clava majuscula, nigra. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, sat confertim granulatus, in medio leviter canaliculatus, versus marginem utrinque tuberculo conico armatus, niger, squamulis pallescentibus, in vitta dorsali condensatis vestitus, setulisque erectis fuscis dense adspersus. Scutellum minutum, vix observandum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, pone basin oblique ampliata, humeris obtuse angulatis, lateribus dein non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra perparum convexa, distincte punctato-striata, versus apicem muricata, nigra, squamositate pallida, versus basin suturæ in vittam abbreviatam condensata, vestita, setulisque suberectis fuscis dense adspersa. Corpus subtus convexum, confertim punctatum, nigrum, dense cretaceo-squamosum. Pedes mediocres, toti rufo-testacei, cretaceo-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis. — Ghl.

Congenerici forte; species mihi invisæ.

37. C. Monostigma. *Marsham.*

Supra cinereo-fuscus, subtus incanus; thorace bi-tuberculato, linea intermedia postice exarata, coleoptera striata, puncto albo pone scutellum. — Steph.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 31. 11.

Patria : Anglia.

38. C. Pyrrorhynchus. *Marsham.*

Niger, subtus argenteo-albus, thorace punctulato, obsolete bi-tuberculato, rostro rufo basi nigro; elytris sub-punctato-striatis. — Steph.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 31. 12.

Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 257. 57.

Patria : Anglia.

39. C. Melanarius. *Kirby.*

Niger, cinereo-pubescens, subtus dense albido-squamosus; thorace sub-convexo, bi-tuberculato, obsolete canaliculato; elytris profunde crenato-striatis, humeris sub-prominulis. — Steph.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 31. 13.

Patria : Anglia.

40. C. Sulculus. *Kirby.* ?

Niger, tenue cinereo-pubescens, sutura postice corporeque subtus albido-squamosis; thorace sub-convexo, profunde canaliculato, bi-tuberculato, basi sub-truncato; elytris obsoletius crenato-striatis, humeris sub-prominulis. — Steph.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 32. 14.

Patria : Anglia.

41. C. Phæorhynchus. *Marsham.*

Nigricans, vellere argenteo-cinerascenti, elytris obsoletius striatis; thorace bi-tuberculato, rostro ferrugineo. — Steph.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 32. 15.
Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 258. 60.

Patria : Anglia.

42. C. Ruficrus. *Marsham.*

Niger, elytris obscure rufis, cinereo-striatis, tibiis testaceis; thorace antice rufo, obsolete bi-tuberculato. — Steph.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. 32. 16.
Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 258. 60.

Patria : Anglia.

43. C. Consputus. *Germar.*

Niger, pedibus rufis, thorace marginato, canaliculato, lateribus aspero; elytris brunneis, macula scutellari albido-squamosa, apice hispidis. Germ.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 233. 359.
Patria : Halæ.

44. C. Terminatus. *Herbst.*

Niger, thoracis linea dorsali; elytrorum macula scutellari alba, apice rufescente. — Herbst.

Curculio id. Herbst, *Col.* VI. p. 401. 380. T. 91. f. 11.
Cryptorhynchus id. Illiger, *Mag.* VI. p. 331.

Patria : Germania.

45. C. Variegatus. *Olivier.*

Ovatus, thorace antice elevato, utrinque bi-tuberculato; elytris nigris albo-variis, tarsis rufis. — Oliv.

Rhynchænus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 135. 89. T. 33. f. 505.

Patria : Europa.

46. C. Umbellæ. *Fabricius.*

Nigricans, elytris striatis, scutello albo. — Fabr.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 450. 60.

Patria : Carolina.

47. C. Fossarum. *Reich.*

Ater, rostro tenui, thorace globoso, minutissime punctato; elytris (abbreviatis) simpliciter striatis. — Reich.

Curculio id. Reich. *Mant.* p. 9. 5. T. 1. f. 3.

Patria : ....

48. C. Minutus. *Reich.*

Ater, thorace fere globoso, vix tuberculato, margine anteriore elevato; elytris punctato-striatis, tibiis tarsisque flavis. — Reich.

Curculio id. Reich. *Mant.* p. 11. 7. T. 1. f. 7.

Patria : ....

49. C. Pultiarius. *Fourcroy.*

Sub-rotundatus, niger, thorace utrinque spinoso, lineisque tribus albis. — Geoff.

Curculio id. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 123. 25.

VILLERS, *Ent.* LINN. I. p. 190. 69. et IV. p. 271. 69.

Curculio pygmæus. OLIV. *Enc. méth.* V. 497. 118.

WALCKEN. *Fn. Paris.* I. p. 247. 32.

Curculio aculeatus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1804. 536.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 288. 25.

Patria : Gallia.

Manipulus II. *Femora dentata.* (Species 50-139.)

* 50. C. ECHII. *Fabricius.*

Niger, subtus dense albido,- supra fusco-squamulosus; thoracis margine postico vittisque tribus angustis albis ; elytris versus latera muricatis, undique lineolis albis ornatis, quibusdam obliquis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 482. 207.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 209. 199. T. 23. f. 317.

LAMARCK, *Animaux sans vertèbres.* IV. p. 351. 5.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 436. 176.

HERBST, *Col.* VI. p. 391. 370. T. 91. f. 1.

PANZ, *Fn. Germ.* XVII. 12. — *Ent. Germ.* p. 314. 85.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 279. 122.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 144. 60.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 38. 34.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 322.

Curculio glyphicus. SCHALLER, *Acta Hal.* I. p. 282.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 566. 29.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1770. 271.

Curculio geographicus. VILLERS, *Ent.* LINN. I. p. 201. 116. T. 1. f. 22. et IV. p. 275. 116.

FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 128. 43.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1778. 329.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 294. 40.

Patria : Europa intermedia et meridionalis, Ægyptus.

* 51. C. Radula. *Schuppel.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, inæqualiter cinereo-albido-squamosus, antennis, tibiis tarsisque testaceis; thorace canaliculato, albo sub-trilineato, lateribus muricato, margine apicis alte elevato, ferrugineo; elytrorum striis angustis, vix punctatis, interstitiis planis, lateralibus et apicis muricatis, omnibus albo-et pallido-tessellatis. — Ghl.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 238. 367.

Patria : Germania australis.

* 52. C. Horridus. *Panzer.*

Breviter ovatus, sub-depressus, piceus, inæqualiter albido-squamosus, antennis, elytris pedibusque testaceis; thorace canaliculato, obsolete tri-vittato, spinulis erectis nigris setisque albis obsito; elytris punctato-striatis, interstitiis pari modo ac thorax spinulosis et setosis.

Curculio id. Panz. *Fn. Germ.* LXXXIV. 9. — *Krit. Rev. d. Ins.* I. p. 131.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ins.* IV. p. 38. 35.

Curculio spinosus. Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1805. 540.

Geoffr. *Ins.* I. p. 290. 30.

* Var. β. Elytrorum basi et sutura, femoribusque obscurius nigro-piceis.

Var. γ. Paulo major, niger, densius cinereo-albido-squamosus, antennis, tibiis tarsisque solis testaceis.

Patria : Germania, Gallia, Anglia, Hispania, Tauria, Bessarabia. Mus. Schh. Var. γ, Italia, ex Musæo Dom. Chevrolat designata.

Magnitudo et statura *Ceuthorhynchi echii*. Caput retractum, rotundatum, punctatum, nigrum, dense albido-squamosum, vertice carinula angusta instructo; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, arcuatum, supra profunde striatum et rugulosum, nigrum. Antennæ subtenues, pallide testaceæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice subito duplo angustior quam basi, apice late emarginatus, pone apicem constrictus, margine apicali modice elevato, in medio sub-emargi-

nato, spinulis brevibus serrato; lateribus pone stricturam subito ampliatus, basi sub-truncatus, sat alte elevato-marginatus: supra fere planus, in medio dorsi leviter canaliculatus, confertim rugulosus; niger, sub-nitidus, spinulis erectis nigris setulisque tenuioribus albidis dense obsitus, linea dorsali media recta, aliaque obliqua, obsoleta utrinque, albido-squamosis, notatus. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis convexis, sub-nodosis; aut dilutius, aut saturatius testacea, sub-nitida, spinulis seu setis rigidis nigris, immixtis aliis tenuioribus albidis, sat dense obsita. Corpus subtus punctatum, nigrum, nitidum, densius albido squamosum. Pedes mediocres, validi, scabri, testacei, albido-squamulosi et pubescentes.

Var. β differt tantum elytrorum et femorum colore obscurius nigro-piceo.

Var. γ secundum diagnosin tantum differt. — GHL.

* 53. C. CARINIFRONS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense cretaceo-squamosus, supra fusco-setosus, parce albido-squamosus; rostro saturate rubro, antennis, tibiis tarsisque obscure testaceis; thorace canaliculato, bi-tuberculato; elytris anguste striatis: vertice carinato.

Patria: Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Statura et facies *Ceuthorhynchi horridi*, sed paulo longior. Caput valde retractum, sub-globosum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, posterius carinatum, fronte inter oculos sub-impressa; oculi rotundati, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum longitudine dimidii corporis, subtenue, arcuatum, basi punctulatum et sub-striatum, extrorsum læve, nitidum, totum saturate rubrum. Antennæ tenues, testaceæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, margine apicis parum elevato; lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, in medio canaliculatus, versus marginem utrinque tuberculo conico instructus, granulatus, niger, opacus, squamis albidis parce irroratus, setulisque suberectis fuscis sat dense adspersus. Scutellum ovatum, depressum, dense albo-squa-

mulosum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata; pone basin subito ampliata, humeris obtuse angulatis, callo sub-elevato notatis; lateribus dein non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis; nigra, opaca, parce albido-squamosa, setulisque suberectis fuscis sat dense adspersa. Corpus subtus convexum, punctulatum, nigrum, dense cretaceo-squamosum. Pedes validi, albido-squamulosi; femoribus clavatis, piceis, subtus dente obtuso armatis; tibiis tarsisque obscure testaceis. — Ghl.

Observ. — E Capite Bonæ Spei duplo minorem communicavit Dom. Drège, in cæteris simillimum.

* 54. C. Viduatus. *Gyllenh.*

Niger, opacus, sub-depressus, elytris leviter striatis, macula laterali utrinque, lunula apicis corporeque subtus albido-squamosis; thorace mutico; pedibus fusco-ferrugineis. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 220. 127.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 95. 120.

Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 322.

Patria: Suecia, Finlandia, Tauria, Volhynia.

* 55. C. Raphani. *Fabricius.*

Niger, undique dense cinereo-squamosus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace depresso, alutaceo, utrinque obsolete tuberculato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, alutaceis; pone humerum utrinque fascia obliqua, abbreviata, densius cinereo-albido-squamosa notatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 485. 221.

Germar, *Mag. d. Ent.* III. p. 249. 16.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 438. 185.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 146. 66.

Herbst, *Col.* VI. p. 417. 401.

Panz. *Ent. Germ.* p. 315. 92.

Falciger symphyti. De Heyden, Sturm, *Ins. Cat.* 1826. p. 142.

Falciger andropeginis. Kock, secundum Dom. Megerle.

Patria : Germania intermedia, Austria.

Observ. — *Ceuthorhyncho viduato* quidem in multis similis, sed paulo longior, minus saturate niger, densius squamosus, tubercula lateralia thoracis evidentiora, fascia abbreviata elytrorum obliqua, obsoleta, etc.

56. C. Borraginis. *Fabricius.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger opacus, undique sat dense cinereo-squamulosus, antennis tarsisque rufescentibus ; thorace transverso, antice constricto, lateribus valde rotundato, in dorso distincte canaliculato ; elytris leviter striatis, striis obsolete punctatis, interstitiis planis alutaceis, sutura anterius albo-squamosa.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 483. 212.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 213. 203. T. 23. f. 321.
Germ. *Mag. d. Ent.* III. p. 251. 17.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 437. 180.
Herbst, *Col.* VI. p. 470. 480.
Cryptorhynchus id. Ahrens, *Fn. Ins. Eur.* IV. T. 10.

Patria : Gallia. Typum ex Musæo Olivieri, communicavit Dom. Chevrolat; alium ex Musæo Dom. Aubé etiam vidimus.

Magnitudo et statura *Ceuthorhynchi marginati.* Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, vertice leviter carinato; oculi rotundati, nigri, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, nigrum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ mediocres, pallide testaceæ, clava nigricante. Thorax brevis, transversus, antice subito duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem profunde constrictus, margine apicali modice elevato; lateribus pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, parum elevato-marginatus, lobo scutellari triangulo; supra parum convexus, in medio dorsi distincte canaliculatus, obsolete punctatus, niger, opacus, squamulis piliformibus cinereis minus dense adspersus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata; pone basin subito in angulum obtusum ampliata, posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, leviter striata, striis vix punctatis, insterstitiis planis, subtiliter alu-

taceis; nigra, opaca, minus dense cinereo vel olivaceo-squamulosa, sutura plerumque anterius vitta densius albo-squamosa notata. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa cinereo-albida tectum. Pedes validi, nigri, cinereo-pubescentes; tarsis rufescentibus.

Observ. — Vitta suturalis albo-squamosa, in individuo collectionis Fabricianæ, a Dom. Germar et Ahrens designato et delineato, forte detrita fuit. — Ghl.

* 57. C. Lineatus. *Schh.*

Niger, subtus dense, supra lineatim albo-squamosus, antennis tarsisque testaceis; thorace longiore, antice leviter constricto, supra albo-trilineato; elytris punctato-striatis, sutura interstitiisque alternis dense albo-squamosis; femoribus omnibus subtus valide dentatis.

Patria : Tauria. Ex Musæo Dom. Steven, ad describendum, amice missus.

Ceuthorhyncho albovittato similis et affinis, sed dimidio minor, thorax longior, femora omnia valide dentata, etc. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, dense albo-squamulosum, postice leviter carinatum; oculi demissi, brunnei, parum convexi; rostrum fere longitudine capitis cum thorace, minus tenue, modice arcuatum, supra rugulosum et punctatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ longiusculæ, testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice duplo angustior, apice late emarginatus, intra apicem minus profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, supra fere planus, confertim punctatus, nigro-fuscus, opacus, vittis tribus angustis, dense albido-squamosis, ornatus, lateralibus arcuatis. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, nigra, sutura interstitiisque alternis dense albo-squamosis, interjacentibus parce, disperse squamosis, squamis omnibus majusculis, orbiculatis. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes validi, dense albo-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, omnibus subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis sub-arcuatis piceis, apice dilutioribus; tarsis dilatatis, testaceis. — Ghl.

* 58. C. ABBREVIATULUS. *Fabricius.*

Niger, subtus cinereo-supra fusco-squamulosus, albido irroratus, antennis tarsisque testaceis; thorace sub-carinato, elytris punctato-striatis, obsolete albido-fasciatis, interstitiis subtiliter alutaceis. GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 482. 206.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 436. 175.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 144. 59.
HERBST. *Col.* VI. p. 417. 400.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 314. 84.
Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 322.
Curculio invasor. HERBST, *Col.* VI. p. 414. 397. T. 92. f. 10.
Rhynchænus variegatus. GRAVENH. (Cfr. Interpr.) p. 205. 2578.
Falciger atomarius. Dom. ZIEGL. *in Litteris.*
Observ. — Statura et magnitudo *Ceuthorhynchi echii.*

Patria : Germania, Caucasus.

* 59. C. FATIDICUS. *Schh.*

Niger, opacus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace mutico, elytris punctato-sub-sulcatis, cruce baseos apicisque communibus, maculaque laterali utrinque composita, corporeque subtus albo-squamosis.

Habitat in Caucaso. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Rhynchæno crucifero Oliv. sive *trimaculato* Ins. Suec. quoad staturam et signaturas simillimus, sed triplo major et ultra, vertex non carinatus, etc. Caput sub-depressum, confertim rugoso-punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, vertice non carinato; oculi laterales, rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, confertim punctatum, supra carinatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Antennæ longiusculæ, subtenues, ferrugineæ, clava scapique apice nigris. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior, apice late emarginatus, margine alte elevato, intra marginem profunde constrictus; lateribus pone stricturam ampliatis, dein fere rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertissime ruguloso-punctatus, niger, in disco parcius cinereo, antice utrinque et

subtus dense albido-squamosus, tuberculo laterali destitutus. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus ante medium ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, anguste sub-sulcata, sulcis obsolete punctulatis, interstitiis latis, planis, confertim alutaceis; nigra, opaca, fusco-squamulosa, in regione scutelli plaga communis, sub-cruciata, albo-squamosa; versus apicem etiam litura communis ejusmodi, e lineis tribus in singulo elytri conflata, suturali longiore, extima hamata; in medio laterali utrinque, fascia abbreviata, e maculis quinque inæqualibus composita, et præterea squamulæ albidæ in disco sparsæ. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes validi, punctati, nigri, fasciatim albido-squamulosi; femoribus clavatis, subtus valide dentatis; tibiis arcuatis, scabris, apice latioribus; tarsis dilatatis, ferrugineis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

* 60. C. CRUCIFER. *Olivier.*

Niger, opacus, sub-depressus, elytris punctato-striatis, cruce baseos apicisque, macula utrinque laterali, corporeque subtus albo-squamosis, thorace mutico. — GHL.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 210. 200. T. 23. f. 319.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 94. 119.

Rhynchænus trimaculatus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 219. 126. et IV. p. 592. 126.

Curculio id. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 209. 26. — *Mon. Curc.* p. 26. 24.

FABR. *Mant. Ins.* I. p. 108. 127. var.

Curculio cruciger. HERBST, *Col.* VI. p. 394. 373. T. 91. f. 4. — *Arch.* IV. p. 73. 27. T. 24. f. 15.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 498. 123.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1754. 171.?

Ceuthorhynchus 4-maculatus. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 220. 6.

Curculio 4-maculatus. LINN. *Fn. Suec.* 600. — *Syst. nat.* I. II. p. 609. 29. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1749. 29.?

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 410. 71. — *Mant.* I. p. 101. 58. — *Spec. Ins.* I. p. 169. 44. — *Syst. Ent.* p. 133. 31.?

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 484. 65.?

HERBST, *Col.* VI. p. 449. 451.?

MARSH. *Ent. Brit.* p. 252. 42.?

PANZ. *Ent. Germ.* p. 304. 31.?

WALKEN, *Fn. Paris.* I. p. 244. 23.?

VILL. *Ent. Linn.* I. p. 181. 25.?

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 453. 74.?

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 38. 33.

Curculio 5-maculatus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 122. 22.?

GEOFFR. *Ins.* I. p. 287. 22.? (Cfr. ILLIG. *Mag.* VI. p. 310. 74.)

Patria : Europa septentrionalis et intermedia, Tauria, Volhynia.

* 61. C. T-ALBUM. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, saturate niger, opacus, subtus dense albo-squamosus, flagello antennarum tarsisque ferrugineis; thorace elytris manifeste angustiore, lateribus sub-tuberculato; elytris profundius punctato-striatis, lituris quatuor albo-squamosis ornatis, baseos apicisque suturæ communibus, sub-cruciformibus, lateralibus macularibus.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH. E Bannatu etiam ad conferendum misit Dom. WALTL.

Ceuthorhyncho crucifero simillimus et certe nimis affinis, sed thorax paulo longior et angustior videtur, lateribus sub-tuberculatus, et striæ elytrorum nonnihil profundiores. Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, vertice leviter carinato; oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, arcuatum, supra punctatum et carinatum, atrum, non nitidum. Antennæ mediocres, flagello ferrugineo, scapo et clava nigricantibus. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio fere angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem late et profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, marginis medio sub-elevato, granulato, tuberculum mentiente; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, in medio dorsi leviter canaliculatus, confertim punctulatus, saturate niger, opacus, in angulis anticis et vitta dorsali albo-squamulosus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi multo latiora,

humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra perparum convexa, sat profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, confertim subtiliter alutaceis, versus apicem muricatis; saturate nigra, opaca, squamulis minutis fuscis adspersa; in basi suturæ vitta brevis, communis, albo-squamosa, antice utrinque macula rotundata ejusmodi aucta; in apice suturæ etiam vitta brevis, adjectis utrinque macula una alterave, et intra medium marginis lateralis utrinque maculis tribus vel quatuor, transversim positis, etiam albo-squamosis. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes validi, nigri, inæqualiter albido-squamulosi; tarsis ferrugineis. — Ghl.

* 62. C. Ornatus. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, ater, subtus dense niveo-squamosus, antennis tarsisque testaceis; thorace canaliculato, utrinque tuberculo marginali oblongo, crenato, instructo; elytris punctato-striatis, plaga magna cruciformi pone scutellum, alia sinuata apicis, fasciaque abbreviata laterali utrinque, niveo-squamosis, ornatis.

Ceuthorhynchus Andreæ. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 220. 9. forte.

Curculio cruciger, var. 3. Herbst. *Col.* VI. p. 395.?

Patria : Volhynia. A Dom. Besser amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho litura paulo major, *Ceuthorhyncho trimaculato* æqualis et simillimus; signaturis elytrorum aliter formatis et coloratis fere unice ab illo distinctus. Caput parvum, punctulatum, atrum, parce albido-squamulosum, fronte inter oculos impressa; oculi semi-globosi, nigro-brunnei, sub callo elevato, ciliato, locati; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, supra punctatum et carinatum, atrum, opacum. Antennæ testaceæ, scapi apice et clava nigricantibus. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem late impressus, margine apicis modice elevato; lateribus posterius ampliatus, et in ipso margine tuberculo oblongo, compresso, crenato utrinque instructus; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, in medio dorsi canaliculatus, obsolete punctatus, ater, in vitta media, antice abbreviata lateribusque anterius dense albo-squamosus. Elytra antice sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris lateraliter extensis, rotundatis; lateribus non ampliata,

apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis, interrupte holosericeo-atro et fusco tessellatis; in regione scutelli plaga magna, communis, cruciformis, niveo-squamosa et apex totus similiter vestitus; margo lateralis etiam anterius inæqualiter niveo-squamosus, in medio laterali ramulum angustum concolorem in discum emittens. Pygidium apice rotundatum, dense niveo-squamosum. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate nivea dense tectum, ventre in medio plaga biloba atra notato. Pedes validi, nigri, fasciatim albo-et fusco-squamulosi; tarsis dilute testaceis. — Gyll.

63. C. Peregrinus. *Chevrolat.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense niveo-squamosus, antennis tarsisque testaceis; thorace transverso, inæquali, variegato, lateribus obtuse tuberculato; elytris tenuiter punctato-striatis, cinereo-variegatis, plaga magna communi, cruciformi, pallido-squamosa pone scutellum, alia sinuata alba in apice, et fascia abbreviata nivea intra medium marginis utrinque, ornatis.

Patria : Sicilia; etiam Barbaria, ad Algier. A Dom. Chevrolat nominatus, et ex ejus Musæo descriptus.

Ceuthorhyncho trimaculato paulo major, latior; quoad signaturas elytrorum *Ceuthorhyncho ornato* subsimilis. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum, fronte inter oculos impressa, vertice leviter carinato; oculi semi-globosi, brunnei, sub callo elevato locati; rostrum longitudine fere thoracis, cylindricum, arcuatum, nigrum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ testaceæ, scapo et clava infuscatis. Thorax brevis, transversus, antice subito dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem constrictus, margine apicis parum alte elevato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, callo oblongo, sub-crenato, tuberculiformi, instructis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra parum convexus, inæqualis, canalicula dorsali et foveis nonnullis impressus, obsolete punctatus, nigro-fuscus, opacus, lituris cinereo-squamosis variegatus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi multo latiora, humeris lateraliter extensis, o tundatis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotun-

data, thorace duplo longiora, supra parum convexa, subtiliter punctato-striata, nigra, opaca, lituris numerosis cinereo-squamosis variegata; ad basin suturæ plaga magna, communis, cruciformis, dense pallido-squamosa, conspicitur; paulo ante apicem litura transversa, flexuosa, albo-squamosa, et in medio marginis lateralis utrinque fascia macularis, abbreviata, niveo-squamosa, observatur. Pygidium rotundatum, carinatum, dense cretaceo-squamosum. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, squamositate densa nivea tectum, ventris disco plaga, lateribus punctis nonnullis atris notatis. Pedes validi, nigri, sub-fasciatim albo-et fuco-squamulosi; tarsis dilatatis, testaceis. — Ghl.

* 64. C. Litura. *Fabricius.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense, supra maculatim niveo-squamosus, antennis tarsisque testaceis; thorace canaliculato, utrinque tuberculo sub-conico, a margine niveo-squamoso incluso, notato; elytris punctato-striatis, plaga communi, cruciformi baseos, alia sinuata apicis, fasciaque laterali abbreviata utrinque niveo-squamosis ornatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 484. 217.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 222. 129.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 95. 121.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 438. 183. — *Mant. Ins.* I. p. 108. 128. — *Spec. Ins.* I. p. 178. 101. — *Syst. Ent.* p. 141. 73.

Payk. *Fn. Suec.* III. p. 210. 27. — *Mon. Curc.* p. 26. 25.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 145. 64.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 514. 193.

Herbst. *Col.* VI. p. 472. 483.

Panz. *Ent. Germ.* p. 315. 90.

Villers, *Ent.* I. p. 200. 105. et IV. p. 273. 105.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1769. 261.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 34. 19.

Curculio cruciger, var. 2. Herbst, *Col.* VI. p. 395.

Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 322.

Falciger id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Var. β. Lituris albido-squamosis dilatatis et confluentibus, maximam paginæ superioris partem occupantibus. — Ghl.

Patria : Septentrionalis et intermedia Sibiria.

* 65. C. Trimaculatus. *Fabricius.*

Ater, opacus, antennis tarsisque ferrugineis, thorace depresso, canaliculato, utrinque valide tuberculato; elytris punctato-striatis, plaga lata apicali, fascia media laterali abbreviata punctisque tribus utrinque versus basin suturæ, albo-squamosis, sutura antice pallescenti-squamosa. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 484. 216.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 211. 201. T. 23. f. 320.
Illig. *Mag.* VI. p. 311. 216.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 438. 182. — *Mant.* I. p. 108. 127. — *Spec. Ins.* I. p. 178. 100. — *Syst. Ent.* p. 141. 72.
Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 145. 58.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 514. 192.
Herbst, *Col.* VI. p. 471. 482.
Panz. *Ent. Germ.* p. 315. 89.
Villers, *Ent.* I. p. 100. 204. et IV. p. 273. 104.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1769. 260.
Rhynchænus lituræ, var. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 223.

Patria : Germania, Lusitania.

* 66. C. Trisignatus. *Schh.*

Niger, opacus, undique cinereo-albido-squamosus, antennis tarsisque testaceis; thorace sub-carinato, vix tuberculato; elytrorum sutura antice simpliciter, fasciaque maculari abbreviata laterali albo-squamosis.

Habitat in Tauria. Dom. Steven. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho litura paulo minor. Caput mediocre, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, vertice sub-carinato, fronte inter oculos impressa; oculi laterales, brunnei, modice prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validiusculum, punctatum et striatum, nigrum, opacum, cinereo-squamulosum. Antennæ mediocres, testaceæ. Thorax latitudine mediia multo brevior, antice subito angustior, apice late emarginatus, margine satis alte elevato, intra marginem profunde constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, margine elevato, crenulato; basi bi-sinuatus, supra

posterius transversim sub-convexus, confertim punctulatus, in medio leviter carinatus, niger, opacus, cinereo-albido-squamulosus. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, nigra, interstitiis alutaceis, lineatim cinereo-albido-squamosis; sutura a basi fere ad medium vitta simplici albidius squamosa notata et in medio laterali fascia macularis abbreviata ejusdem coloris. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, cinereo-squamosum. Pedes validi, nigri, punctati et cinereo-squamosi; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis; tarsis dilatatis, dilute testaceis. — GHL.

* 67. C. ALBOSIGNATUS. *Dahl.*

Niger, parum nitidus, subtus dense albo-squamulosus, tarsis apice ferrugineis; thorace brevi, mutico, antice constricto, supra albido tri-vittato; elytris sub-sulcatis, disperse albido-squamosis, sutura antice dense niveo-squamosa.

Patria: Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT, sub indicato nomine, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo fere et statura *Ceuthorhynchi lituræ*. Caput rotundatum, modice convexum, granulatum, nigrum, limbo albo-squamuloso cinctum; oculi demissi, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, supra granulatum et sub-striatum, nigrum, parce squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ, pilosæ et pubescentes. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior, apice emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis satis alte elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, supra transversim convexus, sub-pulvinatus non tuberculatus, confertim granulatus, niger, vittis tribus albo-squamulosis notatus, media latiore, recta, lateralibus arcuatis. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, sat profunde striata vel sub-sulcata, sulcis vix punctatis, interstitiis planis, evidenter rugulosis; nigra, squamulis albidis inæqualiter adspersa; sutura antice fere ad medium dense niveo-squamosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes longiusculi, validi, nigri,

dense albo-squamulosi; femoribus clavatis, omnibus subtus dente valido armatis; tibiis sub-arcuatis, tarsorum articulo penultimo dilatato, ferrugineo. — GHL.

* 68. C. MELANCHOLICUS. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, opacus, subtus dense, supra parcius cinereo-squamosus, tibiis tarsisque obscure ferrugineis; thorace transverso, evidenter canaliculato et bi-tuberculato, antice constricto; elytris profunde striatis, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, alutaceis; litura apicali fasciaque abbreviata laterali utrinque albo-squamosis notatis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho asperifoliarum in multis similis, sed dimidio major, magis convexus, thorax evidentius canaliculatus et bi-tuberculatus, elytra profundius striata. Caput sub-globosum, retractum, confertim punctatum, nigrum, opacum, parce cinereo-squamulosum, vertice carinula angusta notato; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, punctatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ piceæ clava nigricante. Thorax brevis, transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem constrictus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam ampliatis, tuberculo conico utrinque instructis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra posterius transversim convexus, in medio dorsi evidenter canaliculatus, obsolete punctatus, niger, opacus, parce cinereo-squamulosus. Scutellum minutum, demersum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, alutaceis; nigra, opaca, inæqualiter cinereo-squamulosa, et præterea in apice litura communi sinuata, et intra medium marginis lateralis utrinque fascia abbreviata, maculari, albo-squamosis, ornata. Pygidium apice rotundatum, nigrum, dense albido-squamosum. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate albida dense tectum. Pedes validi, albo-pubescentes; femoribus parum crassis, nigris, subtus dente mediocri armatis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — GHL.

* 69. C. ASPERIFOLIARUM. *Kirby.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense, supra inæqualiter albo-squamosus, antennis, tibiis tarsisque pallide rufescentibus; thorace transverso, profunde, sed anguste constricto, lateribus vix tuberculato; elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis planis, alutaceis, fascia abbreviata laterali utrinque, lineaque antica suturali niveo-squamosis ornatis.

Curculio id. Dom. KIRBY *in Litteris.*
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 221. 128.
Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 37. 32.
Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.
Falciger intersectus. Dom. MEGERLE *in Litteris.*
Ceuthorhynchus id. (Knock.) GERM. *Ins. Spec.* I. p. 227. 351.
Ceuthorhynchus leucostigma. GERM. sec. Dom. KUNZE *in Litteris.*
Curculio oleraceus. ♂. SCOP. *Ent. Carn.* p. 29. 88.

Patria: Anglia. Dom KIRBY; Austria. Dom. MEGERLE. Suecia. Dom. BOHEMAN et ZETTERSTEDT. Mus. SCHH et GHL.

Ceuthorhyncho interstincto simillimus et nimis affinis, thorace paulo breviore et latiore, angustius constricto, lateribus sub-mutico fere unice distinctus. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, opacum, fronte impressa, albido-squamulosa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine thoracis, valde arcuatum, punctulatum, nigrum, basi albido-squamulosum. Antennæ rufescentes, clava nigricante. Thorax brevis, transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem profunde sed anguste constrictus; margine apicali alte elevato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, posterius nonnihil elevato-marginatis; basi sub-truncatus, utrinque elevato-marginatus, in medio baseos impressus; supra transversim sub-convexus, confertim punctatus, postice in medio leviter canaliculatus, niger, opacus, parce albido-squamulosus. Scutellum minutum, demersum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, opaca, squamulis albidis parce adspersa; intra medium mar-

ginis lateralis singuli elytri fascia abbreviata, niveo-squamosa, e lineolis tribus composita, quarum media brevior, et in anteriore parte suturæ linea communis, etiam niveo-squamosa observatur; apex elytrorum sinuatim albo-squamosus. Corpus subtus punctulatum, nigrum, sat dense albido-squamulosum. Pedes validi; femoribus clavatis, nigris, subtus dente acuto armatis; tibiis tarsisque dilute rufo-testaceis. — GHL.

70. C. LEPIDUS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, ater, subtus dense albo-squamosus, antennis, tibiis tarsisque rufo-testaceis; thorace transverso, antice constricto, lateribus tuberculato; elytris tenuiter punctato-striatis, plaga communi baseos sub-cruciformi, fasciaque abbreviata laterali utrinque niveo-squamosis, lineisque numerosis, brevibus albido-squamosis ornatis.

Patria : Alsatia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Ceuthorhyncho asperifoliarum magnitudine æqualis et similis; quoad signaturas elytrorum etiam *Ceuthorhyncho chrysanthemi* subsimilis. Caput rotundatum, confertim punctulatum, atrum, fronte impressa; oculi semi-globosi, atri; rostrum thorace fere longius, cylindricum, valde arcuatum, supra striatum et punctatum, atrum. Antennæ pallide testaceæ, clava nigricante. Thorax brevis, transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem profunde constrictus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, et in ipso margine tuberculo oblongo notatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra fere planus, in medio dorsi leviter canaliculatus, obsolete punctatus, ater, parce albido-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thorace multo latiora, humeris fere rectangulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata et in striis obsolete punctata; interstitiis planis, alutaceis; atra, opaca, lineolis numerosis, brevibus, interruptis, albido-squamosis, notata, et præterea in basi suturæ vitta communis, ante medium abrupta, niveo-squamosa, adnexa utrinque lineola et puncto ejusmodi, cum vitta crucem formantes, et intra medium marginis lateralis utrinque

fascia brevis, inæqualis, niveo-squamosa. Corpus subtus punctatum, atrum, dense albo-squamosum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus nigris; tibiis fusco-piceis; tarsis dilutius testaceis. Ghl.

* 71. C. Abruptestriatus. *Schh.*

Ater, supra lineatim albo-squamulosus, tibiis tarsisque testaceis; thorace brevi, plano, bi-tuberculato, antice profunde constricto, vitta dorsali albo-squamosa notato; elytris punctato-striatis, sutura lineisque numerosis interruptis albo-squamulosis ornatis.

Patria : Tauria. A Dom. Steven amice communicatus. Mus. Schh.

Parvus, *Ceuthorhyncho chrysanthemi* fere minor eique subsimilis. Caput retractum, rotundatum, parum convexum, punctulatum, atrum, sat dense albo-squamulosum; oculi demissi, nigri, modice prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, arcuatum, atrum, supra punctulatum et sub-striatum. Antennæ tenues, nigræ. Thorax brevis, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late et sat profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus; basi leviter bi-sinuatus, supra in disco fere planus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, undique obsolete punctatus, ater, in medio dorsi vitta latiuscula albo-squamulosa notatus. Scutellum vix observandum. Elytra antice subsinuata, thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis sub-convexis, granulatis; atra, sutura tota albo-squamulosa, interstitiisque omnibus lineis rectis, bis vel ter interruptis, albo-squamosis, ornatis. Corpus subtus confertim punctatum, atrum, parce albo-squamosum, præsertim anterius. Pedes mediocres, albo-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, omnibus subtus dente parvo armatis; tibiis tarsisque testaceis. — Ghl.

* 72. C. SIGNATUS. *Dahl.*

Breviter ovatus, sub-convexus, niger, subtus dense niveo-squamosus, supra variegatus, tarsis fusco-ferrugineis; thorace pulvinato, obsolete bi-tuberculato, antice utrinque parum elevato marginato: elytris punctato-sub-sulcatis, lineis numerosis, abbreviatis, fascia laterali, vittaque suturali medio interrupta niveo-squamosis, ornatis.

Ceuthorhynchus id. (Dahl.) DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. 298. *ed.* 3. p.322; teste Dom. CHEVROLAT.

Ceuthorhynchus lamii. Dom. GERMAR *in Litteris.*

Patria : Hungaria, Germania. A Dom. GERMAR et SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho asperifoliarum magnitudine æqualis et facie subsimilis, sed thorax longior, convexior, in margine antico parum elevatus, tibiæ nigræ, etc. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, albo-squamulosum; oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, arcuatum, punctulatum, nigrum, basi squamulosum, extrorsum nudum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, vix basi piceæ. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem vix constrictus, margine apicis versus latera tantum nonnihil elevato; lateribus anterius obliquis, posterius rotundatis; basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, confertim punctulatus, versus marginem utrinque tuberculo obsoleto instructus; niger, in medio et ad latera albido-squamosus, relictis vittis duabus latis, denudatis, interdum interruptis. Scutellum minutum, demersum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, sub-sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, sutura late et dense niveo-squamosa, in medio macula oblongo-quadrata, nigra, interrupta; ad basin suturæ utrinque macula parva, et intra medium marginis lateralis fascia brevis, e lineolis tribus composita, ejusdem coloris; præterea in interstitiis lineolæ numerosæ, interruptæ, minus dense albo-squamosæ, observantur. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense niveo-squamosum. Pedes validi, nigri, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis.

subtus dente mediocri armatis; tibiis rectis; tarsis dilatatis fusco-ferrugineis. — Ghl.

* 73. C. Campestris. *Ziegler.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense niveo-squamosus, antennis tibiisque piceo-ferrugineis, tarsis dilute testaceis; thorace transverso, lateribus obtuse tuberculato, antice constricto, in dorso vittis tribus albo-squamosis notato; elytris punctato-striatis, vittis punctisque niveo et albo-squamosis ornatis, vitta suturali in medio macula oblonga, nigra, interrupta.

Falciger id. Ziegler, teste Dom. Megerle *in Litteris.*

Id. signatus. Dom. Dahl *in Litteris*, secundum Dom. Chevrier.

Id. lamii. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Ceuthorhynchus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 322.

Var. β. Vittis thoracis, plurimisque elytrorum obscurioribus, cinereo-albidis, punctis vero baseos fasciæque lateralis, magis determinatis, niveis.

Ceuthorhynchus variegatus. Dom. Waltl *in Litteris.*

Patria: Austria. Dom. Megerle; Helvetia. Dom. Chevrier. Mus. Schh. et Ghl. Var. β e Patavia, a Dom. Waltl communicata. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho ruguloso proximus, sed fere duplo major, antennæ et tibiæ obscuriores. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte sub-plana, vertice anguste carinato; oculi semi-globosi, nigri; rostrum thorace fere longius, cylindricum, valde arcuatum, nigrum, supra punctulatum et sub-carinatum, basi squamulosum. Antennæ longiusculæ, scapo et clava piceis, flagello ferrugineo. Thorax transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem sat profunde constrictus, margine apicis modice elevato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, tuberculo obtuso utrinque instructis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra fere planus, confertim punctatus, niger, lateribus late albo-squamosus, et in dorso vittis tribus ejusmodi notatus, quarum media recta, laterales sub-arcuatæ. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, nigra, in interstitiis vittis numerosis,

albo-squamosis, notatis, plerisque brevibus, interruptis, duabus tantum in singulo elytro versus suturam longioribus, a basi ultra medium continuis; in ipsa sutura vitta communis niveo-squamosa, in medio dorsi vitta brevi, atra, interrupta; ad basin suturæ utrinque vitta alia, brevis, paulo exterius punctum solitarium, et intra medium marginis lateralis fascia abbreviata, e maculis 3, vel 4 composita; omnes niveo-squamosæ. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa nivea tectum. Pedes validiusculi, albo-squamulosi; femoribus sub-clavatis nigris, subtus dente parvo armatis; tibiis piceo-ferrugineis; tarsis dilutius testaceis.

Var. β differt tantum vittis thoracis et plerisque elytrorum obscurioribus, cinereo-albidis, unde vittæ et puncta baseos, æque ac fasciæ laterales, quæ magis determinatæ et niveo-squamosæ, melius dignoscantur; signaturæ omnes quoad situm et formam alias simillimæ. — GHL.

* 74. C. DECORATUS. *Schh.*

Niger, undique dense albo-squamosus, tibiis tarsisque obscure testaceis; thorace antice breviter constricto, plagis duabus dorsalibus arcuatis punctoque laterali utrinque, nigris, notato; elytris sub-remote punctato-striatis, albo-nigroque plagiatim variegatis.

Patria: Tauria. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Parvus, *Ceuthorhyncho ruguloso* non major. Caput parvum, subglobosum, punctulatum, nigrum, dense albo-squamulosum, relictis in fronte maculis duabus oblongis, denudatis; oculi demissi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace paulo brevius, modice arcuatum, lineare, punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ nigræ, clava majuscula, ovata. Thorax latitudine postica vix brevior, antice dimidio angustior, apice emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, margine apicis nonnihil elevato; lateribus pone stricturam ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra convexus, pulvinatus, sub-disperse punctatus, niger, dense albo-squamosus, in dorso plagis duabus arcuatis et in utroque latere puncto, e squamulis nigro-brunneis, notatus. Scutellum demersum, ægre observandum. Elytra antice elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris sub-rotundatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata,

interstitiis planis, alutaceis; nigra, limbo omni inæqualiter fasciaque composita pone medium dense albo-squamosis ornata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa alba tectum. Pedes breviusculi, validi, dense albido-squamulosi; femoribus subclavatis, nigris, subtus dente mediocri armatis; tibiis rectis tarsisque obscure testaceis. — Ghl.

* 75. C. Molitor. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense niveo-squamosus, tibiis ferrugineis, tarsis dilutius testaceis; thorace sub-transverso, bi-tuberculato, antice constricto, supra in vitta dorsali lateribusque albo-squamoso; elytris obsolete punctato-striatis, vitta baseos suturæ et fascia maculari a basi suturæ oblique ad medium marginis ducta niveo-squamosis notatis; pone fasciam dense albo-squamosis; in medio suturæ vitta brevi atra insignitis.

Patria: Sicilia, forte. A Dom. Lefebvre amice communicatus. Mus. Schh.

Statura et fere magnitudo *Ceuthorhynchi campestris*, cui admodum similis, thorace vitta dorsali tantum unica et signaturis elytrorum nonnihil diversis tamen distinctus. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, fronte plana, dense albo-squamosa, vertice carinula angusta notato; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, nigrum, supra punctulatum et posterius squamulosum. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem profunde constrictus, margine apicis sat alte elevato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, et in ipso margine tuberculo seu callo oblongo notatis; basi subtruncatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, obsolete punctulatus, niger, opacus, lateribus late et in vitta unica dorsali dense albo-squamosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato, ruguloso, instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, nigra, opaca; in suturæ parte anteriore vitta niveo-squamosa observatur, macula oblonga, atra, in medio dorsi interrupta; e basi suturæ fascia macularis oblique versus medium marginis lateralis ducta exstat, etiam niveo-squamosa; pone fasciam elytra dense albo-squamosa, lituris nonnullis nigricantibus adspersa. Corpus subtus

punctatum, nigrum, dense niveo-squamosum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus nigris; tibiis obscure ferrugineis; tarsis dilute testaceis. — GHL.

* 76. C. CHRYSANTHEMI. *Muller.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, subtus dense niveo-squamosus, antennis, tibiis tarsisque pallide testaceis; thorace sub-transverso, bi-tuberculato, antice constricto, supra in vitta dorsali unica lateribusque albo-squamoso: elytris punctato-striatis, lineis suturalibus fasciisque macularibus albo-squamosis ornatis, anteriore valde flexuosa; sutura medio atra. — GHL.

GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 221. 29.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec* IV. p. 596. 136-7.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 36. 26.

Rhynchænus rugulosus, var. c. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 232. 136.

VAR. β. Pedibus totis pallide testaceis.

Patria: Suecia, Germania, Anglia.

* 77. C. FIGURATUS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-convexus, saturate niger, antennis, tibiis tarsisque testaceis; thorace transverso, bi-tuberculato, antice constricto, vittis tribus albido-squamosis notato; elytris punctato-striatis, plaga tri-ramosa in basi suturæ, maculisque lateralibus et apicis dense albo-squamosis ornatis; sutura in medio atra.

VAR. β. Thorace elytrisque densius cinereo-albido-squamosis.

Patria: Westrogothia Sueciæ. Mus. SCHH. et GHL.

Ceuthorhyncho chrysanthemi admodum similis, sed thorax paulo brevior, magis convexus, dorso tri-vittatus; a *Ceuthorhyncho ruguloso*, cui etiam valde affinis, differt, colore saturatius nigro et signaturis elytrorum aliter formatis. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, sat dense cinereo-albido-squamulosum, fronte impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum thorace longius, cylindricum, valde arcuatum, atrum, supra posterius punctulatum, apice læve, nitidum. Antennæ breviusculæ, tenues, saturate testaceæ,

clava nigricante. Thorax brevis, transversus, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem, constrictus, margine apicis quasi interrupte elevato: lateribus pone stricturam subito ampliatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra posterius nonnihil convexus, versus latera utrinque tuberculo mediocri instructus, confertim punctulatus, saturate niger, vitta media antice latiore, alia utrinque, sub-arcuata, lateribusque cinereo-albido-squamosis. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora; humeris obtuse angulatis, callo oblongo, sub-elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra sub-convexa, punctato-striata, interstitiis sub-convexis, alutaceis; saturate nigra, parce cinereo-squamulosa; in medio baseos plaga communis triloba, dense albo-squamosa conspicitur, seu potius vitta suturalis, in medio dorsi macula oblongo-quadrata, interrupta, antice utrinque ramum, extrorsum arcuatum emittens; extra ramuli hujus apicem linea oblonga, et versus medium marginis lateralis maculæ tres vel quatuor, fasciam abbreviatam formantes, ut et versus apicem elytrorum litura una alterave, omnes dense albo-squamosæ. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa alba tectum. Pedes mediocres, albo-squamulosi; femoribus nigris; tibiis tarsisque dilute testaceis.

Var. β differt tantum thorace elytrisque densius albo-squamosis, unde vittæ thoracis minus regulares, confluentes, videntur; signaturæ supra memoratæ elytrorum tamen dignosci possunt, utpote densius et albidius squamosæ, quam reliqua superficies.

Ghl.

* 78. C. Rugulosus. *Herbst.*

Breviter ovatus, sub-convexus, nigro-fuscus, antennis, tibiis tarsisque testaceis; thorace brevi, transverso, bi-tuberculato, antice constricto, in dorso vittis tribus parallelis cinereo-squamosis notato; elytris vittis punctisque albo-squamosis ornatis, maculaque media suturali atra notatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 231. 136. et IV. p. 596. 136.

Curculio id. Herbst, *Col.* VI. p. 406. 386. T. 91. f. 16.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 35. 25.

Curculio quercicola, var. β. Payk. *Fn. Suec.* III. p. 216. 33.

VAR. β. Fusco-ferrugineis, elytris pedibusque dilutius testaceis. — GYLLENH. l. c. var. b.

Patria : Suecia, Germania, Anglia, Gallia.

79. C. GALLICUS. *Chevrolat.*

Ovatus, sub-depressus, niger, opacus, undique dense cinereo-albido-squamosus, tibiis tarsisque testaceis; thorace transverso, antice constricto, lateribus vix tuberculato, supra vittis tribus albidioribus, obsoletis, notato; elytris punctato-striatis, vitta suturali, in medio macula atra interrupta, guttulisque nonnullis densius et albidius squamosis ornatis.

Patria : Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT nominatus, et ex ejus Musæo descriptus.

Ceuthorhyncho ruguloso magnitudine æqualis et simillimus, thorace lateribus vix tuberculato, elytrisque minus convexis, evidentius punctato-striatis, unice distinctus. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, parce squamulosum, fronte inter oculos impressa ; oculi semi-globosi, nigri ; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, nigrum, supra punctulatum et basi squamulosum. Antennæ tenues, nigræ, flagello piceo. Thorax transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem sat profunde constrictus, margine apicis modice elevato, in medio sub-emarginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, callo obsoleto marginali notatis, non vero tuberculatis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, in dorso leviter canaliculatus, confertim punctulatus, niger, cinereo-squamulosus, in vitta media, antice dilatata, aliaque brevi, obsoleta utrinque, densius et albidius squamosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra anterius fere plana, posterius nonnihil convexa, sat evidenter punctato-striata, interstitiis rugulosis ; nigra, sat dense cinereo-albido squamosa ; vitta suturalis, ad basin utrinque nonnihil dilatata, et paulo pone medium dorsi macula sub-quadrata atra interrupta, densius et albidius squamosa, quales etiam guttulæ nonnullæ in disco anterius; margo lateralis inflexus etiam densius albo-squamosus. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa cinereo-albida tectum. Pedes longiusculi, subtenues, albido-squamulosi; femoribus sub-

clavatis, nigris, subtus dente mediocri armatis; tibiis saturatius, tarsis dilutius testaceis. — GHL.

80. C. MENDOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, saturate niger, inæqualiter cretaceo-squamulosus, tibiis tarsisque testaceis; thorace oblongo bi-tuberculato, supra vitta tenui cretacea notato; elytris evidenter punctato-striatis, vitta suturali, in medio interrupta, densius, lineisque numerosis, abbreviatis, parcius cretaceo-squamosis insignitis.

Patria: Gallia, Parisis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Minutus, *Ceuthorhyncho rugaloso* duplo minor, angustior. Caput rotundatum, punctatum, saturate nigrum, cretaceo-squamulosum, fronte plana; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, tenue, cylindricum, arcuatum, atrum, supra punctulatum et basi squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem late, sed parum profunde transversim impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus obliquis, posterius rotundato-ampliatis, utrinque tuberculo mediocri instructis; basi bi-sinuatus, supra sub-convexus, distincte punctatus, saturate niger, lateribus et in vitta angusta dorsali cretaceo-squamosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sat distincte punctato-striata, saturate nigra, lineis numerosis, pluries interruptis, minus dense cretaceo-squamosis insignita; sutura communis densius cretaceo-squamosa, ad basin macula ejusmodi utrinque aucta, in medio dorsi nigro-interrupta. Corpus subtus punctulatum, nigrum, sat dense cretaceo-squamosum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus parum crassis, nigris, subtus dente parvo armatis; tibiis saturatius; tarsis dilutius testaceis.

GHL.

81. C. OCCULTUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, niger, opacus, subtus dense cretaceo-supra parcius cinereo-squamulosus, tibiis tarsisque testaceis; thorace transverso, canaliculato, bi-tuberculato, antice constricto, supra in vitta dorsali lateribusque dense cinereo-squamoso; elytris obsolete punctato-striatis, sutura interrupte, fasciaque pone humerum densius albo-squamosis.

Patria : Gallia, Aureliani. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Ceuthorhyncho arquatæ Herbstii simillimus, sed dimidio minor; thorax paulo brevior, elytra obsoletius striata et variegata. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, opacum, parce squamulosum, vertice anguste carinato; oculi semi-globosi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, validiusculum, arcuatum, supra confertim punctulatum, atrum. Antennæ mediocres, piceæ. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice vix dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem late sed parum profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato, in medio sub-emarginato, unde quasi interrupte elevato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, tuberculo parvo, sub-conico, instructis; basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra transversim nonnihil convexus, punctulatus, niger, opacus, lateribus et in vitta media dorsali densius, in disco reliquo parce cinereo-squamulosus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique in angulum humeralem obtusum ampliata, posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, obsolete punctato-striata, nigra, opaca, sat dense cinereo-squamulosa; sutura communis densius et albidius squamosa, in medio nigro-interrupta, ad basin utrinque linea brevi alba aucta, puncto nigro terminata; pone humerum utrinque litura angulata, etiam densius et albidius squamosa, pone quam linea brevis nigra observatur. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus nigris, subtus dente acuto armatis; tibiis tarsisque dilutius testaceis. — GHL.

82. C. Concinnus. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense, supra inæqualiter albido-squamosus, antennis tarsisque pallide testaceis; thorace sub-transverso, obsolete bi-tuberculato, antice leviter constricto, margine apicis parum elevato; elytris obsolete punctato-striatis, marginibus inflexis lineolisque nonnullis baseos densius albido-squamosis notatis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Parvus, *Ceuthorhyncho ruguloso* paulo minor et subsimilis. Caput retractum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, vertice carinula angusta notato; oculi brunnei, modice convexi; rostrum fere longitudine thoracis, minus tenue, arcuatum, supra confertim punctulatum, squamulosum, nigrum, opacum. Antennæ pallide testaceæ clava fusca. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicis parum alte elevato; lateribus posterius rotundato-ampliatis, in ipso latere callo oblongo, obsoleto, notatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus; supra transversim nonnihil convexus, in dorso vix canaliculatus, confertim punctulatus, niger, opacus, versus latera densius, in disco parce cinereo-albido-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, opaca, inæqualiter cinereo-albido-squamulosa; latera inflexa nempe densius et albidius squamulosa, ut etiam lineoleæ nonnullæ ad basin suturæ et in disco anteriore elytrorum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes longiusculi, albido-pubescentes; femoribus sub-clavatis, nigris, subtus dente acuto armatis; tibiis sub-arcuatis, etiam nigris; tarsis elongatis, pallide testaceis. — Ghl.

* 83. C. ARQUATA. *Herbst.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, niger, opacus, subtus dense cretaceo-squamosus, antennis, tibiis tarsisque pallido-testaceis; thorace sub-transverso, bi-tuberculato, antice leviter constricto, lateribus et in vitta dorsali albo-squamoso: elytris punctato-striatis, squamositate albida variegatis, sutura, medio nigro-interrupta, lituraque composita sub-humerali niveo-squamosis ornatis. — GHL.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. 396. 374. T. 91. f. 5. Teste Dom. SCHUPPEL.

Patria : Germania.

* 84. C. MELANOSTICTUS. *Marsham.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, saturate niger, subtus dense albo-squamosus, supra variegatus, tarsis testaceis; thorace oblongo, canaliculato, bi-tuberculato, leviter constricto, margine apicis interrupte elevato; elytris punctato-striatis, squamositate albida variegatis, sutura in medio atro-interrupta, fascia maculari pone humeros, apiceque densius et albidius squamosis.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 282. 132.

Patria : Anglia, Germania. A Dom. KIRBY et SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH. et GHL.

Ceuthorhyncho arquatæ magnitudine æqualis et admodum similis, thorace longiore, tibiarum colore, etc., tamen distinctus. Caput depressum, punctatum, nigrum, albido-squamosum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum thorace longius, tenue, cylindricum, valde arcuatum, supra posterius punctulatum, saturate nigrum. Antennæ medio testaceæ, basi apiceque nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice angustior, apice late emarginatus, pone apicem constrictus, margine apicis interrupte, modice elevato; lateribus posterius ampliatus, tuberculo parvo utrinque instructus; basi bisinuatus, supra posterius nonnihil convexus, in medio canaliculatus, confertim punctatus, saturate niger, lateribus et in vitta dorsali dense albido-squamosus. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; saturate nigra, inæqualiter albido-squamosa; sutura communis densius et albidius squamosa, in medio dorsi macula oblongo-quadrata atra

interrupta, et ad basin utrinque vitta brevi alba aucta, litura nigra terminata; pone humerum utrinque fascia macularis, abbreviata, obliqua, dense albo-squamosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes longiusculi, nigri, albido-squamulosi; tarsis solis testaceis; femora sub-clavata, subtus dente acuto armata. — Ghl.

* 85. C. Lycopi. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, saturate niger, subtus dense cretaceo-squamosus, supra cinereo-variegatus, tarsis testaceis; thorace obsolete bi-tuberculato et canaliculato, inæqualiter cinereo-squamoso; elytris punctato-striatis, vittis numerosis, interruptis lituris que cinereo-albidis notatis, sutura communi densius et albidius squamosa, medio atro-interrupta, basi utrinque lineola alba stipata.

Patria: Gallia, Parisiis, in Lycopo Europæo. A Dom. Chevrolat nominatus, ab illo et Dom. Aubé amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho arquatæ et *melanosticto* magnitudine aqualis et admodum similis, a priori tibiarum colore, a posteriori thorace breviore præcipue distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, vertice anguste carinato; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, valde arcuatum, supra posterius punctatum et sub-carinatum, totum atrum. Antennæ nigræ, flagello piceo. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, apice emarginatus, pone apicem late sed minus profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato, rotundato; lateribus posterius ampliatis, in ipso margine callo oblongo, angusto, instructis; basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra transversim sub-convexus, in dorsi medio obsolete canaliculatus, confertim punctatus, saturate niger, squamositate cinerea vestitus, relictis lituris pluribus magis nudis, nigris. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis; apice etiam singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis, saturate nigra, posterius lineis numerosis, interruptis, antice lituris difformibus cinereo-squamosis notata; sutura communis densius et albidius squamosa, in medio dorsi macula oblonga, atra, interrupta, et ad basin utrinque macula alba stipata. Corpus subtus punctatum, ni-

grum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes validiusculi, nigri, albido-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis; tarsis solis testaceis. — GHL.

* 86. C. PERTURBATUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-convexus, ater, opacus, subtus dense cretaceo-squamosus, tarsis testaceis: thorace obsolete canaliculato, distinctius bi-tuberculato, lateribus et in vitta dorsali cinereo-squamoso; elytris punctato-striatis, lituris pluribus albido-squamosis notatis; sutura communi densius albo-squamosa, ad basin utrinque lineola brevi ejusmodi stipata, in medio dorsi atro-interrupta.

Patria: Gallia, Parisiis, in Lycopo Europæo. A Dom. AUBÉ amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho lycopi simillimus, et forte modo ejus varietas; tuberculis lateralibus thoracis paulo evidentioribus, et signaturis thoracis elytrorumque nonnihil diversis, unice distinctus. Caput, oculi, rostrum et antennæ exacte ut apud *Ceuthorhynchum lycopi* descripta; thoracis forma eadem, sed calli laterales paulo altius elevati, tuberculiformes, et in pagina superiore modo vitta dorsalis et una lateralis utrinque cinereo-squamosæ, disco reliquo fere nudo, unde saturatius atro. Elytrorum structura et textura etiam ut in priori omnino, sed lineæ et lituræ squamulosæ minores, breves, obsoletiores, unde signaturæ densius albo-squamosæ ad basin suturæ melius appareant; in margine laterali utrinque, pone humerum, litura angusta, arcuata, densius albo-squamosa quoque observatur. Corpus subtus et pedes ut in priori. — GHL.

* 87. C. QUADRIDENS. *Panzer.*

Niger, sub-depressus, subtus cinereo-squamosus, tarsis rufis, thorace canaliculato, bi-tuberculato, elytris cinereo-irroratis, suturæ basi albidis. — GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 221. 32.

Curculio id. PANZ. *Fn. Germ.* (*ed.* 1.) XXXVI. 13. — *Ent. Germ.* p. 302. 17.

Id. calcar. PANZ. *Fn. Germ.* (*ed.* 2.) XXXVI. 13.

Rhynchænus boraginis. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 227. 133. et IV. p. 594. 133.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 312. 20.

Curculio id. PAYK. *Fn. Suec.* III. *App.* p. 457. 30-31.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Nedyus id.? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 35. 32.

Curculio quercicola. MARSH. *Ent. Brit.* p. 280. 126.

Nedyus id.? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 35. 23.

* VAR. β. Suturæ basi ochracea.

Patria : Europa intermedia et septentrionalis.

* 88. C. RESEDÆ. *Marsham.*

Sub-depressus, niger, subtus dense pallescenti-squamosus, tibiis tarsisque ferrugineis; thorace canaliculato, obtuse bi-tuberculato, medio transversim sub-convexo; elytris anguste punctato-striatis, lineola scutellari pallido-squamosa.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 256. 52. Teste Dom. KIRBY.

Habitat in Anglia. Dom. KIRBY. Mus. GHL.

Ceuthorhyncho quadridenti Panz. (*Rhynchænus boraginis* Ghl. Ins. Suec.) proximus, sed fere duplo major, magis depressus et in pluribus distinctus. Caput majusculum, punctatum, nigrum, pallescenti-squamulosum, fronte plana; oculi laterales, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, sub-striatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ longiusculæ, subtenues, piceæ, clava oblongo-ovata pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior, apice late emarginatus, margine in medio modice elevato, intra apicem late, sed parum profunde transversim impressus, lateribus pone medium ampliatus, cum tuberculo parvo, obtuso, utrinque; basi leviter bi-sinuatus, supra in medio transversim sub-convexus, evidenter canaliculatus, confertim punctatus, niger, in dorso parce, lateribus et subtus dense pallescenti-squamosus. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo sub-elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra perparum convexa, anguste punctato-striata, interstitiis dorsalibus subtiliter alutaceis, lateralibus et in callo postico evidenter muricatis; nigra, squamulis pallescentibus sub-variegata, et in basi suturæ linea communi dense albido-squamosa notata. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamulis densis pallescentibus, posterius longioribus, vestitum. Pedes mediocres, pallescenti-squamu-

losi; femoribus parum clavatis, nigro-piceis, subtus dente parvo, piloso, armatis; tibiis tarsisque dilutius ferrugineis. -- GHL.

* 89. C. PALLIDACTYLUS. *Marsham.*

Sub-depressus, niger, undique parcius cinereo-squamulosus, antennis tarsisque testaceis; thorace utrinque tuberculo valido armato, obsoletius canaliculato; elytris evidentius crenato-striatis, lateribus et postice muricatis.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 259. 64. Teste Dom. KIRBY.
Nedyus id.? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 35. 24.

Habitat in Anglia. Dom. KIRBY. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho resedæ magnitudine æqualis et similis, sed thorax magis depressus, tubercula ejus validiora, striæ elytrorum evidentiores, crenatæ, squamositas minus densa, antennæ testaceæ, etc.— *Ceuthorhyncho obsoleto* Germ. etiam propinquus, sed color antennarum et tarsorum alius, scapulæ non fulvæ, etc.--Caput majusculum, oblongum, punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi laterales, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, sub-læve, nigrum. Antennæ subtenues, testaceæ, clava parum obscuriore. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius multo angustior, apice late emarginatus: margine parum elevato; intra apicem modice constrictus, lateribus pone medium ampliatus, tuberculo sat valido armatus, basi leviter bi-sinuatus, margine reflexo; supra depressus, in medio obsoletius canaliculatus, sat profunde punctatus, niger, parce cinereo-squamulosus. Elytra antice thoracis basi multo latiora, margine elevato, humeris obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra perparum convexa, evidenter crenato-striata, interstitiis dorsalibus planis, alutaceis, lateralibus et in callo postico muricatis; nigra, squamulis piliformibus cinereis parce, sub-æqualiter adspersa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, punctati, cinereo-squamulosi; femoribus parum clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tarsis dilatatis testaceis.

GHL.

* 90. C. MURINUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, niger, opacus, subtus dense cretaceo-, supra cinereo-squamosus, antennis tarsisque testaceis; thorace sub-transverso, obsolete canaliculato, antice leviter constricto, lateribus non tuberculato; elytris anguste striatis, in basi suturæ, lateribus inflexis et apice dense albo-squamosis.

Patria: Tauria, ad Elisabethgorod. A D:no. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho quadridenti dimidio major et ultra, præsertim longior. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, vertice carinula augusta instructo, fronte antice foveola impressa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, minus tenue, cylindricum, modice arcuatum, supra confertim punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicis parum alte elevato; lateribus pone stricturam obliquis, posterius rotundato-ampliatis, non tuberculatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, confertim punctatus, in disco obsolete canaliculatus, niger, opacus, sat dense æqualiter cinereo-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis vix, vel obsolete punctulatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; nigra, opaca, sat dense cinereo-squamulosa; in basi suturæ vitta indeterminata albo-squamosa; latera inflexa et apices elytrorum etiam albidius squamosi. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes longiusculi, nigri, albido-squamulosi; tarsis solis testaceis. — GHL.

* 91. C. MARGINATUS. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, opacus, subtus dense niveo-, supra parce fusco-et cinereo-squamosus; thorace transverso, leviter canaliculato, antice profunde constricto, margine apicis alte elevato, lateribus mutico; elytris anguste striatis, macula brevi in basi suturæ lateribusque inflexis anterius niveo-squamosis, pygidio apice rotundato, integro. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 224. 130.

Curculio id. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 211. 28. — — *Mon. Curc.* p. 27. 26.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Patria : Suecia, Gallia.

* 92. C. PUNCTIGER. *Megerle.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, opacus, subtus dense niveo-, supra parce fusco-et cinereo-squamosus; thorace transverso, leviter canaliculato, antice profunde constricto, margine apicis alte elevato, lateribus obsolete tuberculato; elytris anguste striatis, macula brevi in basi suturæ, margineque laterali inflexo anterius niveo-squamosis; pygidio apice inciso.

Falciger id. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Rhynchænus marginatus, var. minor et pygmæa. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 593. 130.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 39. 39.

Patria : Austria, Helvetia, Anglia, Suecia. SCHH. et GHL.

Ceuthorhyncho marginato simillimus, sed plerumque duplo minor et ultra, thoracis latera sub-tuberculata et pygidium apice incisum, unde specie distinctus videtur; ex utraque etiam ambo sexus occurrunt. Caput, oculi, rostrum et antennæ exacte ut in *Ceuthorhyncho marginato;* thoracis forma eadem, sed latera ejus tuberculo parvo, sæpe obsoleto instructa. Elytra omnino ut in priori. Pygidium breve, apice sat profunde, sed anguste incisum. Corpus subtus et pedes ut in priori. — GHL.

* 93. C. RUFITARSIS. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, saturate niger, sub-nitidus, subtus dense niveo-squamosus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace transverso, obsolete bi-tuberculato, antice constricto, margine apicis modice elevato; elytris sub-sulcatis, basi suturæ marginibusque inflexis indeterminate niveo-squamosis; pygidio apice inciso.

Patria : Tauria, ad Elisabethgorod. A Dom. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho punctigero magnitudine æqualis et similis, colore antennarum et tarsorum tamen distinctus. Caput rotundatum, confertim punctulatum, saturate nigrum, vertice anguste carinato, fronte sub-impressa; oculi brunnei, parum convexi; rostrum vix longitudine thoracis, validiusculum, cylindricum, modice arcuatum, confertissime punctulatum, atrum. Antennæ mediocres, obscure ferrugineæ, clava nigra, albido-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice fere duplo angustior quam basi, apice late emarginatus, pone apicem profunde constrictus, margine apicis sat alte elevato; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, confertissime subtiliter rugulosus, in medio baseos foveola profunda impressus, versus latera utrinque tuberculo obsoleto, transversim oblongo instructus, saturate niger, minutissime cinereo-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, notatis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, anguste sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis planis, confertim subtiliter alutaceis; saturate nigra, sub-nitida, squamulis minutis cinereis parce adspersa; in basi suturæ et margine elytrorum inflexo squamositas indeterminata, nivea, observatur. Pygidium rotundatum, apice anguste incisum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamositate nivea dense tectum. Pedes validi, saturate nigri, parce albido-squamulosi; tarsis solis dilute ferrugineis; femoribus clavatis, subtus dente parvo, obsoleto, armatis. — GHL.

94. C. PILOSELLUS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-convexus, saturate niger, nitidus, subtus dense pallido-squamosus, supra fusco-pilosus, tarsis piceis; thorace transverso, bi-tuberculato, antice constricto; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, rugulosis, macula scutellari pallido-squamosa notatis.

Patria: Gallia, Aureliani. Ex Musaeo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Parvus, *Ceuthorhyncho contracto* duplo major. Caput rotundatum, confertim punctatum, saturate nigrum, sub-nitidum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum fere longitudine thoracis, subtenue, arcuatum, supra punctulatum, atrum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ. Thorax transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem profunde constrictus, margine apicis sat alte elevato; lateribus rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, confertim punctatus, in medio dorsi canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo mediocri instructus, saturate niger, sub-nitidus, pilis brevibus, erectis, fuscis, sat dense vestitus, et in medio antico lineola brevi albo-squamosa notatus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, rugulosis, apicem versus muricatis; saturate nigra, sub nitida, sat dense fusco-pilosa, in regione scutelli macula communi pallido-squamosa notata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa albido-pallescente tectum, plevris lutescenti-squamosis. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri; femoribus subtus dente parvo armatis; tarsis piceis, articulo unguiculari dilutius rufescente. — GHL.

*95. C. QUERCICOLA. *Fabricius.*

Niger, opacus, subtus cinereo-squamosus; thorace depresso, bi-tuberculato, basi canaliculato; elytris cinereo-variegatis, suturæ basi alba. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 451. 66.

GYLLENH. *Ins. Suec.* II. p. 230. 135.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 133. 86. T. 33. f. 500.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 408. 64.
HERBST, *Col.* VI. p. 403. 383. T. 91. f. 13.
PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 215. 33. — *Mon. Curc.* p. 70. 68.
LATR. *Hist. nat.* XI. p. 134. 29.
Curculio lineola-alba.? HERBST, *Arch.* IV. p. 73. 33.
LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1755. 177.?

Patria: Europa intermedia et septentrionalis.

* 96. C. DENTICULATUS. *Schrank.*

Sub-depressus, niger, opacus, undique dense cinereo-squamosus, tibiis tarsisque obscure testaceis; thorace latiore, obsolete bi-tuberculato, margine apicis modice elevato; elytris intra apicem fortius muricatis; sutura basi apiceque macula pallido-squamosa notata.

GHL.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 136. 91. T. 23. f. 323.
Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 496. 113.
SCHRANK, *Enum.* p. 107. 205.
FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 125. 31.
Cryptorhynchus id. ILLIG. *Mag.* VI. p. 330.
Falciger iota. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.
Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.
Curculio dentatus.? PANZ. *Fn. Germ.* LVII. 13.
Id. armus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1805. 541.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 290. 31. ?

Patria: Germania, Gallia, Podolia, Tauria.

* 97. C. VERRUCATUS. *Steven.*

Sub-depressus, niger, opacus, subtus dense cinereo-supra parce fusco-squamulosus, tibiis tarsisque testaceis; thorace antice constricto, margine apicis alte elevato, lateribus utrinque tuberculo acuto armato; elytris anguste striatis, apice muricatis; sutura basi apiceque macula albo-squamosa notata.

Patria: Tauria. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho denticulato in multis similis, distinctus tamen thora

cis margine antico altius elevato, tuberculis ejus majoribus, elytris apice subtilius muricatis, et indumento tenuiore, aliter colorato. Caput retractum, rotundatum, punctulatum, nigrum, in vertice carinula, brevi instructum, fronte antice impressa; oculi demissi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace paulo brevius, minus tenue, cylindricum, arcuatum, nigrum, basi punctulatum. Antennæ tenues, nigræ. Thorax brevis, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis alte elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, elevato-marginatus; supra in disco parum convexus, obsol te canaliculatus, in utroque latere tuberculo conico instructus, undique subtiliter punctulatus, niger, opacus, squamositate tenuissima fusca parce adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus vix ampliata, apice singulatim obtuse-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra fere plana, concinne striata, striis, vix punctulatis, interstitiis latis, planis, confertissime alutaceis; versus apicem granulis elevatis muricata, nigra, opaca, squamositate tenui fusca, parce adspersa; pone basin suturæ macula communis, oblonga, dense albido-squamulosa et in ipso apice alia parva ejusmodi. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes mediocres, cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, nigris, apice testaceis, subtus dente parvo armatis; tibiis tarsisque testaceis. — Ghl.

* 98. C. Rusticus. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, opacus, parce cinereo-squamulosus; rostro basi multi-striato; thorace parum convexo, profundius punctato, canaliculato, antice alte reflexo, lateribus granulato; elytris punctato-sub-sulcatis, interstitiis planis, alutaceis, lateribus et apice granulato-muricatis.

Patria : Europa meridionalis. A Dom. Chevrolat nominatus, et Dom. Lefebvre amice communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et fere facies *Ceuthorhynchi guttulæ.* Caput parvum, rotundatum, punctulatum, nigrum, fronte impressa; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, a basi ad medium distincte multi-stria-

tum, apice læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior, apice late emarginatus, intra apicem late inæqualiter transversim impressus, margine apicis alte elevato; lateribus pone impressionem ampliatus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, inæqualis, canalicula dorsali, basi apiceque profundiore impressus, lateribus in medio granulatus, disco reliquo sat profunde punctatus, niger, opacus, squamulis minutis cinereis parce adspersus. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra minus convexa, sub-sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis, lateralibus et apicis, præsertim in callo humerali et postico, granulatis; tota nigra opaca, squamulis minutis obscure cinereis parce adspersa. Corpus subtus confertissime punctatum, nigrum, sat dense cinereo-albido-squamulosum. Pedes longiusculi, nigri, densius cinereo-squamulosi et pubescentes; femoribus modice clavatis, subtus dente valido, acuto, armatis; tibiis rectis, scabris; tarsis elongatis, dilatatis, subtus pallido-spongiosis. — Ghl.

* 99. C. Pollinarius. *Forster.*

Niger, sub-depressus, supra brunneo-cinereoque, subtus albido-squamosus; antennis tarsisque ferrugineis; rostro elongato, atro, arcuato; thorace canaliculato, bi-tuberculato; elytris margine granulato-muricatis. — Ghl.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 226. 132.
Curculio id. Forst. *Cent. Ins.* p. 33.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 521. 222.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1771. 274.
Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV, p. 34. 20.
Curculio dentatus. Marsh. *Ent. Brit.* p. 280. 125.
Ceuthorhynchus glaucinus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.
Falciger id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Patria : Anglia, Gallia, Suecia meridionalis.

100. C. HUMERALIS. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, plumbeo-niger, opacus, subtus dense albido-, supra subtiliter cinereo-squamulosus; thorace sub-depresso, evidenter canaliculato et bi-tuberculato, margine antico sat alte elevato; elytris concinne sub-sulcatis; interstitiis planis, alutaceis, apice et pone humeros fortiter muricatis.

Patria: Persia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

Magnitudo et facies *Ceuthorhynchi assimilis*: a *Ceuthorhyncho rapæ*, cui etiam admodum similis, præcipue differt: thorace magis depresso et antice altius elevato, elytrisque fortius muricatis. Caput parvum, rotundatum, punctulatum, plumbeo-nigrum, subtiliter cinereo-squamulosum, vertice carinula brevi instructo, fronte impressa; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, valde arcuatum, nigrum, supra basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem late, sed minus profunde transversim impressus, margine apicis sat alte elevato, in medio leviter emarginato; lateribus posterius ampliatis, tuberculo valido instructis; basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, in medio dorsi profunde canaliculatus, obsolete punctatus, plumbeo-niger, opacus, subtiliter cinereo-squamulosus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, callo oblongo, elevato, rugoso, instructis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, anguste, concinne sub-sulcata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis, versus apicem et pone callum humeralem fortiter muricatis: plumbeo-nigra, opaca, squamositate subtili cinerea vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamosum. Pedes validiusculi, nigri, albido-squamulosi et pubescentes: femoribus subtus dente mediocri armatis. — GYLL.

* 101. C. OBSOLETUS. *Germar.*

Ovatus, sub-depressus, ater, opacus, subtus dense griseo-, supra fusco-squamulosus; thorace canaliculato, bi-tuberculato, margine antico alte elevato: elytris punctato-striatis, callo apicali muricatis: scapulis fulvo-squamosis. — GYLL.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 230. 356.

Observ. — Femora antica mutica dicit Dom. Germ. l. c.; sed in individuis nostris, non paucis, a Dom. Schuppel et Germar communicatis, femora ista semper dente parvo armata invenimus.

Patria : Borussia, Germania, Tauria.

102. C. Faeculentus. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-convexus, ater, sub-nitidus, squamulis argenteo-micantibus undique parce adspersus; thorace brevi, transverso, obsolete bi-tuberculato, margine antico modice elevato, in medio baseos fovea profunda impresso; elytris sat profunde striatis, interstitiis sub-convexis, rugulosis.

Patria : Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. Aubé descriptus.

Minutus, *Ceuthorhyncho contracto* fere minor. Caput retractum, rotundatum, confertim punctulatum, atrum, parce squamulosum, fronte plana; oculi rotundati, brunnei, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, cylindricum, arcuatum, atrum, nitidum. Thorax brevissimus, transversus, antice dimidio angustior quam basi, apice late emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicali in medio sat alte elevato; lateribus posterius ampliatus, tuberculo obsoleto instructus; basi sub-truncatus, in medio marginis postici fovea profunda, scutelli locum occupante, insculptus; supra modice convexus, in medio dorsi obsolete canaliculatus, confertim, evidenter punctatus, ater, sub-nitidus, parce squamulosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, ruguloso, instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis sub-convexis, rugulosis; atra, sub-nitida, squamulis minutis, argenteo-micantibus, parce adspersa. Corpus subtus confertim punctatum, atrum, sub-nitidum, squamulis argenteo-micantibus parum dense adspersum. Pedes validiusculi, punctati et scabri, atri; femoribus subtus dente mediocri armatis. — Ghl.

* 103. C. PICITARSIS. *Steven.*

Niger, sub-nitidus, fere glaber, tarsis ferrugineis; thorace profundius punctato, canaliculato, obsolete bi-tuberculato, margine apicis elevato; elytris olivaceis, sub-sulcatis, interstitiis planis, rugulosis, apice muricatis.

Patria: Tauria. Dom. STEVEN; Geneva Helvetiæ. Dom. CHEVRIER.

Ceuthorhyncho sulcicolli similis, sed paulo minor et in pluribus distinctus. Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, vertice carinula brevi instructo, fronte plana; oculi demissi, brunnei, parum prominuli; rostrum vix longitudine capitis cum thorace minus tenue, arcuatum, nigrum, supra punctatum et sub-striatum. Antennæ longiusculæ, subtenues, nigræ, clava albido-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis satis alte elevato; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, sat profunde punctatus, in medio canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, niger, sub-nitidus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus vix ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, concinne sulcata, sulcis vix punctulatis, interstitiis planis, evidenter transversim rugosis; nigro-olivacea, nitida, glabra, apice muricata. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, nitidum, pectoris lateribus parce cinereo-squamulosis. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus parum crassis, subtus dente parvo armatis, tibiisque nigris; tarsis dilatatis, dilute ferrugineis. — GHL.

* 104. C. SULCICOLLIS. *Ghl.*

Ovatus, sub-convexus, niger, sub-nitidus, subtus dense albo-, supra parce cinereo-squamosus; thorace profunde canaliculato, bi-tuberculato, antice constricto; elytris sub-sulcatis, interstitiis rugulosis, apice muricatis; pleuris dense niveo-interdum flavescenti-squamosis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 228. 134. et IV. p. 594. 134.

Falciger id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 26. 15. ?

Ceuthorhynchus alauda. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 220. 21.

Curculio pleurostigma. MARSH. *Ent. Brit.* p. 282. 131.

Patria : Europa intermedia et septentrionalis, Ægyptus.

* 105. C. RAPÆ. *Ghl.*

Plumbeo-niger, undique densius cinereo-squamulosus; thorace longiore, subtilius punctato, utrinque tuberculato, antice angustiore, margine minus alte elevato, elytrorum interstitiis subtilius alutaceis, apice muricatis.

Falciger napi. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84. ab ipso communicatus.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

Rhynchænus sulcicollis, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 228. 134.

Habitat in Gallia, Germania, Tauria, Suecia. Mus. SCHH. et GHL.

Rhynchæno sulcicolli, Ins. Suec. proximus et valde affinis, distingui tamen possit, notis in diagnosi indicatis, et indumento densiore paginæ superioris, unde color magis plumbeus, ut in *Ceuthorhyncho assimili,* a quo femoribus dentatis fere unice differt. Caput rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi laterales, majusculi, nigro-brunnei, modice prominuli; rostrum capite cum thorace longius, tenue, arcuatum, nigrum, basi sub-striatum et squamulosum, apice læve, glabrum, nitidum. Antennæ nigræ, clava majuscula, ob-ovata, acuminata. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius fere dimidio angustior, apice late emarginatus, margine minus alte elevato, intra apicem late, sed parum profunde transversim impressus, lateribus pone medium ampliatus, utrinque tuberculo parvo, obtuso, armatus, basi bi-sinuatus, lobo medio inciso; supra in disco modice convexus, sed profunde canaliculatus, subtilius et minus confertim quam in *Ceuthorhyncho sulcicolli* punctatus, plumbeo-niger, squamulis minutis cinereis satis dense vestitus. Scutellum elevatum, rotundatum concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo ele-

vato notatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in disco modice convexa, evidenter striata et in striis confertim subtiliter punctata, interstitiis dorsalibus planis, subtiliter alutaceis, lateralibus calloque apicali muricatis; plumbeo-nigra, satis dense cinereo-squamulosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, densius cinereo-albido-squamosum. Pedes longiusculi, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, subtus dente mediocri armatis; tarsis dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — GHL.

106. C. ROBERTI. *Chevrolat.*

Ovatus, modice convexus, niger; sub-nitidus, subtus dense, supra parcius cinereo-albido-squamosus; thorace transverso, canaliculato, bi-tuberculato, profunde punctato, margine antico minus alte elevato; elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis planiusculis, rugulosis.

Patria: Belgia. A Dom. CHEVROLAT nominatus, et ex ejus Musæo descriptus.

Ceuthorhyncho sulcicolli similis, sed duplo major et ultra. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, parce squamulosum, fronte plana; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine thoracis, tenue, cylindricum, arcuatum, atrum, supra basi punctatum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ longiusculæ, nigræ, clava oblonga, acuminata. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicis minus alte elevato; lateribus obliquis, posterius ampliatis, et utrinque tuberculo valido, obtuso, instructis; basi sub-bisinuatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, in medio dorsi evidenter canaliculatus, undique profunde punctatus, niger, sub-nitidus, in cavitatibus albido-squamulosus. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planiusculis, rugulosis, apice sub-muricatis; nigra subopaca, vix squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, nitidum, sat dense albido-squamosum. Pedes mediocres, nigri, albido-squamulosi et pubescentes; femoribus sub-clavatis, subtus dente sub-acuto armatis. — GHL.

* 107. C. Napi. *Koch.*

Plumbeo-niger, squamositate cinereo-albida undique dense tectus; thorace breviore, canaliculato, antice alte reflexo, lateribus vix tuberculato; elytris anguste simpliciter striatis, apice non muricatis; femoribus obsolete dentatis.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 220. 17. Teste Dom. Kunze.

Rhynchænus assimilis. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 136. 92. T. 29. f. 442. Teste Dom. Germar. l. c.

Patria : Germania, Lipsiæ. A Dom. Kunze amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho sulcicolli dimidio major et ultra; a *Ceuthorhyncho rapæ,* præter magnitudinem insigniorem, etiam differt thorace breviore, antice altius reflexo, lateribus vix tuberculato; elytris anguste, simpliciter striatis, apice non muricatis; femoribus obsoletius dentatis et indumento squamoso densiore, cinereo-albido. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, albido-squamulosum, fronte fere plana; oculi rotundati, brunnei, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, atrum, glabrum, nitidum. Antennæ tenues, nigræ, clava albido-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late et profunde constrictus, margine apicis alte elevato, reflexo; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, non tuberculatis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio canaliculatus, undique confertim punctatus, plumbeo-niger, squamulis piliformibus cinereo-albidis dense tectus. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis vix punctatis, interstitiis planis, confertim alutaceis, sed non versus apicem muricatis; plumbeo-nigra, squamulis angustis, depressis cinereo-albidis dense tecta. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamulosum. Pedes longiusculi, subtenues, nigri, cinereo-squamulosi: femoribus subtus dente parvo, obsoleto, armatis. — Gyll.

108. C. INAFFECTATUS. *Schh.*

Niger, subtus dense, supra parcius cinereo-squamulosus; rostro tenui, arcuato, basi striato; thorace transversim convexo, canaliculato, margine antico parum elevato; elytris sulcato-punctatis, interstitiis lineatim cinereo-squamulosis, pygidio apice obtuso.

Patria: Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et facies *Ceuthorhynchi syritis*, sed thorax non tuberculatus, nec elytra apice muricata et femora dentata, etsi obsolete. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, supra versus basin striato-punctatum, nigrum, basi parce squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax transversus, antice duplo angustior, apice late emarginatus, margine parum alte elevato; lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra transversim convexus, in medio canaliculatus, undique punctatus, niger, parce cinereo-squamulosus. Scutellum minutum, demersum, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, elevato-marginata, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra in disco convexa, distincte sulcata et in sulcis catenato-punctata, interstitiis disperse alutaceis; nigra, squamulis cinereis, in interstitiis lineatim congestis adspersa. Pygidium breve, apice obtusum; punctatum, nigrum. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus parum clavatis, subtus dente obsoleto armatis. — GHL.

109. C. GLABRIROSTRIS. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, opacus, undique sat dense cinereo-albido-squamosus; rostro tenui, glabro, nitidissimo, thorace pulvinato, canaliculato, in margine antico parum elevato, lateribus non tuberculato; elytris punctato-sulcatis, interstitiis planis, lineatim albido-squamosis; pygidio apice rotundato.

Patria: Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Ceuthorhyncho inaffectato simillimus, vix verbis distinguendus.

tamen duplo fere major, rostrum longius, magis tenue, glabrum, pygidium apice minus obtuse rotundatum, et patria diversa, unde forte specie distinctus. Caput rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo-squamosum, supra planum; oculi rotundati, nigri, modice convexi; rostrum thorace fere longius, valde tenue, cylindricum, arcuatum, nigrum, nitidissimum, læve, vix basi punctulatum. Antennæ longiusculæ, nigræ, clava ovata, albido-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice duplo angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicis perparum elevato; lateribus anterius obliquis, posterius rotundato-ampliatis, muticis; basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra convexus, pulvinatus, in medio dorsi leviter canaliculatus, obsolete punctatus, niger, opacus, squamulis piliformibus cinereo-albidis sat dense vestitus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo oblongo, elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, distincte sulcata, et in sulcis obsolete punctata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, opaca, squamulis albidis, in interstitiis lineatim condensatis vestita. Pygidium apice acutius rotundatum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, opacum, squamositate cinereo-albida sat dense vestitum. Pedes mediocres, nigri, albido-pubescentes; femoribus subtus dente parvo, obsoleto, armatis. — GHL.

* 110. C. SOPHIÆ. *Steven.*

Ovatus, niger, opacus, subtus dense cretaceo, -supra cinereo-squamosus; thorace transverso, sub-depresso, canaliculato, distincte bituberculato, margine apicis sat alte elevato; elytris convexis, subtiliter punctato-striatis; interstitiis planis, confertim alutaceis, apice muricatis.

Falciger id. STEVEN. Mus. Mosqu. II. p. 100.

Ceuthorhynchus insperatus. SCHH. *in Litteris*, olim.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Ceuthorhyncho florali* vix major. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, opacum, cinereo-squamulosum; oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum thorace fere longius,

tenue, cylindricum, valde arcuatum, nigrum, supra ad basin punctulatum et squamulosum, apice glabrum, nitidum. Antennæ tenues, nigræ, clava oblonga, albido-pubescente. Thorax transversus, antice vix dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem late, sed parum profunde transversim impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus posterius ampliatis, et in ipso margine utrinque tuberculo valido, oblongo, instructis; basi bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, in medio dorsi leviter canaliculatus, subtiliter punctulatus, niger, opacus, squamulis minutis cinereis, in vitta dorsali recta, aliaque subarcuata utrinque, magis condensatis, vestitus. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtusissime angulatis, callo oblongo, elevato, notatis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, subtiliter striata, et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, confertim alutaceis, apicem versus muricatis; nigro-fusca, opaca, squamulis minutis cinereis vestita. Pygidium rotundatum, punctulatum, nigrum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense cretaceo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, albido-squamulosi et pubescentes; femoribus parum crassis, subtus dente obsoleto armatis. — GHL.

* 111. C. NEUTRALIS. *Schh.*

Breviter ovatus, plumbeo-niger, opacus, subtus et lateribus dense albido-, supra parcius cinereo-squamulosus; vertice breviter carinato; thorace transversim convexo, canaliculato, obsolete bi-tuberculato, margine antico alte elevato; elytris brevibus, leviter punctato-striatis, apice muricatis.

Patria : Germania, Berolini. A Dom. SCHUPPEL detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Ceuthorhyncho florali* æqualis; *Ceuthorhyncho sophiæ* simillimus, sed minor, præsertim in elytris brevior, thorace convexiore, vertice carinato, femoribusque anticis muticis præterea distinctus. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, vertice carinula brevi instructo: oculi rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, basi supra sub-striatum et cinereo-squamulosum, apice nudum, nitidum, totum nigrum. Antennæ longiusculæ, tenues, nigræ, clava

majuscula, conica. Thorax brevis, transversus, antice angustior, apice emarginatus, intra apicem late et profunde transversim impressus, margine apicis sat alte elevato; lateribus pone stricturam ampliatus, basi bi-sinuatus, supra transversim convexus, in medio canaliculatus, versus marginem utrinque tuberculo parvo instructus, in disco confertim punctulatus, plumbeo-niger, parce cinereo-squamulosus, in canalicula dorsali et in linea intra-marginali utrinque squamulis albidioribus condensatis adspersus. Scutellum oblongum, elevatum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora, humeris sub-rotundatis, callo oblongo, alte elevato, instructis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, confertim subtiliter alutaceis, intra apicem callo muricato instructis; plumbeo-nigra, opaca, squamositate subtili cinerea vestita. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes mediocres, nigri, dense albido-squamulosi; femoribus parum crassis, anticis muticis, posterioribus subtus dente mediocri armatis. — GHL.

* 112. C. MISELLUS. *Schh.*

Sub-depressus, niger, opacus, subtus dense, supra parcius albido-squamulosus; thorace brevi, subtilissime punctulato, obsolete bi-tuberculato, in medio dorsi canalicula densius albo-squamosa notato; elytris subtiliter striatis, interstitiis planis, alutaceis; rostro basi distincte striato.

Patria : Caucasus. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Parvus, *Ceuthorhyncho ruguloso* æqualis; *Ceuthorhyncho sophiæ* simillimus et nimis affinis, paulo tamen latior et magis depressus, rostrum paulo crassius, basi distincte striatum, etc. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, postice leviter carinatum, fronte sub-impressa; oculi demissi, nigri, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus tenue, modice arcuatum, nigrum, basi distincte striatum, apice læve, nitidum. Antennæ subtenues, nigræ, clava majuscula, albido-pubescente. Thorax brevis, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem constrictus, margine apicis modice

elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, in medio leviter canaliculatus, in utroque latere tuberculo obsoleto instructus, confertim subtiliter punctulatus, niger, in canalicula dorsali dense, cæterum parce albido-squamulosus. Scutellum demersum, vix observandum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis vix punctulatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis, callo postico sub-muricato; nigra, squamulis minutis albidis sat dense æqualiter vestita. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, dense albido-squamulosi; femoribus parum crassis, subtus dente parvo armatis. — GHL.

* 113. C. OBTUSICOLLIS. *Schh.*

Sub-depressus, niger, undique dense albido-squamulosus, antennis ferrugineis, tarsis testaceis; thorace canaliculato, antice constricto, margine apicis modice elevato, obtuso; elytris anguste striatis, interstitiis planis, alutaceis: rostro longo, arcuato, punctulato.

Patria: Tauria. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice communicatus.

Ceuthorhyncho sulcicolli parum major. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum, postice leviter carinatum, fronte sub-impressa; oculi demissi, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace longius, subtenue, arcuatum, supra punctulatum, nigrum, parce squamulosum. Antennæ longiusculæ, tenues, ferrugineæ, clava majuscula, nigricante. Thorax brevis, transversus, antice vix dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis modice elevato: lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra fere planus, in medio canaliculatus, versus latera non tuberculatus, confertim punctulatus, niger, opacus, sat dense albido-squamulosus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sub-sinuata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis vix punctulatis, interstitiis

planis, alutaceis; nigra, squamulis albidis sat dense vestita, in sutura anteriore adhuc magis condensatis. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes validi, dense albido-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, subtus dente mediocri armatis; tibiis arcuatis, ejusdem coloris; tarsis dilatatis, totis pallide testaceis. — Ghl.

* 114. C. Æneicollis. *Megerle.*

Ovatus, sub-depressus, obscure æneus, subtus dense, supra parcius albo-squamosus, scapulis squamositate fulvescenti tectis; thorace canaliculato, antice constricto, margine apicis alte elevato, lateribus callo transverso notato; elytris virescenti-æneis, punctato-striatis, interstitiis planis, alutaceis, apice callo muricato instructis. — Ghl.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 234. 361.

Var. β. Elytris læte viridibus, parum æneo-tinctis, pedibus viridi-æneis, tarsis piceo-testaceis. — Ghl.

Patria: Austria.

* 115. C. Scapularis. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-convexus, cœrulescens, nitidus, subtus inæqualiter albo-scapulisque pallido-squamosus, pedibus æneo-tinctis; thorace canaliculato, bi-tuberculato, margine antico vix elevato; elytris punctato-striatis cœruleis, interstitiis convexis, rugulosis, apice sub-muricatis.

Patria: Helvetia. A Dom. Chevrier amice communicatus. Mus. Schh.

Parvus, *Ceuthorhyncho erysimi* vix major, illique facie et colore subsimilis. Caput retractum, sub-globosum, confertim punctatum, nigro-cœrulescens, fronte albo-squamulosa; oculi brunnei, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, arcuatum, nigrum, supra basin striatum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice vix dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicali perparum elevato; lateribus posterius rotundato-ampliatus, tuberculo valido, obtuso, utrinque instructus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, sat profunde

punctatus, in medio dorsi late canaliculatus, nigro-cœrulescens, certo situ æneo-micans, vitta albo-squamosa in canali dorsali notatus. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato callosis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, sub-rugosis, apicem versus sub-muricatis; saturate cœrulea, nitida, glabra, ad basin suturæ tantum cinereo-squamulosa. Corpus subtus punctatum, nigro-cœrulescens, anterius dense, in ventre inæqualiter albo-squamosum, scapulis apice pallescenti-squamosis. Pedes mediocres, validi, nigri, æneo-micantes; femoribus sub-clavatis, confertim punctatis, subtus dente acuto armatis; tarsis nigris, subtus albo-spongiosis. — GHL.

116. C. OBSCURECYANEUS. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, sub-nitidus, subtus inæqualiter cinereo-squamosus; thorace canaliculato, bi-tuberculato, margine apicali parum elevato; elytris sat profunde punctato-striatis, obscure cyaneis, interstitiis convexis rugulosis.

Patria: Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Ceuthorhyncho erysimi paulo major. Caput retractum, rotundatum, confertim punctulatum, nigrum, vix squamulosum, fronte plana: oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, arcuatum, nigrum, nitidum, supra basin carinatum et striatum. Antennæ mediocres nigræ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem late sed parum profunde transversim impressus, margine apicali nonnihil elevato, in medio sub-truncato; lateribus posterius rotundato-ampliatus, tuberculo sub-conico utrinque instructus; basi sub-truncatus, supra transversim convexus, in medio dorsi canaliculatus, sub-disperse punctatus, niger, cœrulescenti-sub-micans, in canali dorsali et versus latera anterius obsolete cinereo-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, rugulosis; obscure cyanea, sub-nitida, vix squamulosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, inæqualiter cinereo-squamu-

losum. Pedes longiusculi nigri; femoribus subtus dente obtuso armatis. — Ghl.

* 117. C. Viridanus. *Schh.*

Ovatus, convexus, obscure viridis, subtus parce cinereo-squamulosus; thorace transverso, bi-tuberculato, antice constricto, æneo-micante; elytris punctato-sub-sulcatis, interstitiis transversim rugulosis, apice muricatis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

Patria: Sibiria, ad Irtysch. A Dom. Gebler amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho erysimi similis, sed dimidio major, elytrorum sulci latiores, illorum interstitia confertim rugulosa, et femora postica dente parvo armata. Caput retractum, sub-globosum, confertim punctulatum, viridi-æneum, vertice sub-carinato, fronte foveola impressa; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum thorace fere longius, arcuatum, tenue, nigrum, supra ad basin sub-striatum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava oblonga. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem late et profunde transversim impressus, fovea media adhuc profundiore insculptus, margine apicali sat alte elevato; lateribus posterius ampliatus, basi bi-sinuatus, supra transversim convexus, in medio dorsi obsolete canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo obtuso instructus, undique confertim sat profunde punctatus, viridi-æneus, sub-nitidus, glaber. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, punctato-sub-sulcata, interstitiis planis, subtiliter transversim rugulosis; obscurius viridia, parum nitida. Corpus subtus profunde punctatum, viridi-æneum, parce cinereo-squamulosum. Pedes punctulati, cinereo-squamulosi, obscure viridi-ænei; femoribus posticis subtus dente minuto armatis; tarsis dilatatis, nigris, subtus cinereo-spongiosis. — Ghl.

* 118. C. Cyanipennis. *Illiger.*

Niger, sub-setosus, subtus griseo-squamosus; thorace canaliculato, constricto, bi-tuberculato, subtus apice rufo; elytris cyaneis, punctato-striatis, interstitiis planis, seriatim punctatis, apice muricatis. — Ghl.

Germ. *Ins. Spec.* I. p. 235. 363.
Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 594. 134-5.
Curculio sulcicollis. Payk. *Fn. Suec.* III. p. 217. 34.
Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 230. 134. *Observ.*

Patria: Germania, Gallia, Tauria, Suecia.

* 119. C. Suturellus. *Schh.*

Breviter ovatus, convexus, niger, corpore subtus scapulisque dense albo-squamosis; thorace sub-transverso, confertim rugoso-punctato, canaliculato, bi-tuberculato, antice leviter constricto, subtus apice rufescente; elytris punctato-striatis, cœruleis, nitidis, interstitiis planis, strigosis; sutura antice albo-squamulosa.

Patria: Tauria. A Dom. Steven amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho cyanipenni in multis similis, sed dimidio minor, non setulosus. Caput rotundatum, convexum, punctatum, nigrum, albido-squamulosum; oculi brunnei, parum convexi; rostrum longitudine thoracis, subtenue, valde arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ longiusculæ, tenues, nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, antice vix dimidio angustior quam basi, antice emarginatus, pone apicem late, sed parum profunde transversim impressus, margine apicali parum elevato; lateribus posterius ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra parum convexus, in medio dorsi canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo sub-acuminato instructus, sat profunde rugoso-punctatus, niger, parce albido-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter strigosis; cœrulea, nitida, sutura

anterius dense albido-squamosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa alba tectum, æque ac scapulæ; ipse margo apicalis thoracis, pone gulam, rufescens. Pedes longiusculi, validi, nigri, albido-squamulosi; femoribus sub-clavatis, omnibus subtus dente obtuso armatis. — Ghl.

* 120. C. Carinatus. *Ghl.*

Ovatus, convexus, niger, sub-nitidus, parce cinereo-squamosus et setulosus; capite convexo, postice carinato; thorace brevi, canaliculato, bi-tuberculato, antice constricto, subtus apice rufescente; elytris sat profunde punctato-striatis, apice muricatis.

Patria : Tauria. A Dom. Steven amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho hirtulo similis et affinis, sed duplo major; caput convexum postice, carinatum, elytra profundius punctato-striata, etc. Caput retractum, sub-globosum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, vertice anguste carinato; oculi nigri, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, subtenue, arcuatum, nigrum, supra basin punctulatum et sub-striatum, extrorsum læve, nitidum. Antennæ longiusculæ, subtenues, nigræ. Thorax brevis, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem, late, sed parum profunde transversim impressus, margine apicali modice elevato: lateribus posterius ampliatus, basi bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio dorsi canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo obtuso instructus, undique sat profunde punctatus, niger, parum nitidus, vix squamulosus, parce setulosus. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis obsoletius punctatis, interstitiis sub-convexis, confertim rugulosis, versus apicem muricatis; nigra, sub-nitida, lateribus parce cinereo-squamulosa et setulosa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, posterioribus subtus dente obtuso armatis. — Ghl.

* 121. C. CHALYBÆUS. *Germar.*

Breviter ovatus, sub-convexus, niger, sub-nitidus, subtus dense cinereo-albido-squamosus; thorace transverso, bi-tuberculato, canaliculato, antice constricto; elytris punctato-striatis, cyaneis, setulosis, interstitiis convexis, rugulosis, apice muricatis. — GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 237. 365.
Ceuthorhynchus subcyaneus. Dom. SCHUPPEL *in Litteris*, olim.

Observ. — Femora posteriora subtus dente, etsi valde obsoleto, armata, unde huic manipulo inserendus.

Patria : Germania, Gallia, Tauria.

* 122. C. HIRTULUS. *Schuppel.*

Niger, sub-setosus, subtus griseo-squamulosus, capite exserto, fronte sub-depressa; thorace canaliculato, constricto, bi-tuberculato; elytris obscure cœrulescentibus anguste striatis, apice muricatis; femoribus obsolete dentatis. — GHL.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 236. 364.
Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 595. 134-5.

Patria : Germania, Bavaria, Tauria, Suecia.

123. C. SETIFERUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, parum convexus, supra ferrugineus, inæqualiter albo-squamosus et setosus, subtus niger, squamositate densa cretacea tectus, rostro, antennis pedibusque dilutius testaceis; thorace oblongo, canaliculato, bi-tuberculato, margine apicali parum elevato; elytris profunde punctato-striatis, nitidis, albo-et fusco-setosis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE descriptus.

Ceuthorhyncho squamigero in multis similis, sed duplo major, dense setosus; thorax longior, etc. Caput sub-globosum, confertim punctulatum, ferrugineum, dense albido-squamulosum, vertice carinato; oculi demissi, nigri, modice convexi; rostrum longitudine thoracis, tenue, cylindricum, arcuatum, dilute testaceum, nitidum. Antennæ tenues, testaceæ, clava obscuriore, albo-pubes

cente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice paulo angustior, apice late emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicali perparum elevato; lateribus pone stricturam, nonnihil ampliatis, versus basin utrinque tuberculo mediocri nigro instructis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus; supra inæqualis, in medio dorsi canaliculatus, obsolete punctatus, ferrugineus, squamositate densa albida vestitus, setulisque erectis fuscis in disco, albis ad latera, sat dense adspersus. Scutellum oblongum, angustum, albo-squamosum. Elytra antice truncata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra nonnihil convexa, distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, sub-rugosis; ferruginea, nitida, ad suturam et margines laterales late et dense albo-squamosa, setulisque erectis fuscis in disco, albis ad latera sat dense adspersa. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, squamositate cretacea dense tectum. Pedes longiusculi, testacei, dense albido-squamulosi; femoribus omnibus subtus dente mediocri armatis. — GYLL.

124. C. SQUAMIGER. *Schh.*

Ovatus, parum convexus, supra rufo-testaceus, subtus niger, dense albo-squamosus, rostro tenui, lævi, antennis pedibusque dilutius testaceis; thorace obsolete punctato, canaliculato, bi-tuberculato, margine antico parum elevato; elytris punctato-striatis, sutura lateribusque albo-squamosis, apice sub-muricatis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Ceuthorhyncho troglodyti et *urenti* similis et affinis, sed paulo major, rostro magis tenui, fere lævi, testaceo; thoracis margine antico parum elevato, et indumento distinctus. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, sat dense albo-squamosum, vertice carinula brevi instructo; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, arcuatum, cylindricum, fere læve, pallide testaceum, nitidum. Antennæ tenues, pallide testaceæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius nonnihil angustior, apice emarginatus, intra apicem leviter constrictus, margine apicis parum elevato; lateribus obliquis, vix ampliatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus; supra parum convexus, in

medio canaliculatus, versus marginem utrinque tuberculo parvo instructus, obsolete punctatus, rufo-testaceus, squamositate candida, in canalicula dorsali et versus latera condensata, vestitus. Scutellum minutum, demersum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, punctato-sub-sulcata, interstitiis convexis, transversim rugosis; rufo-testacea, sub-nitida, squamositate alba, in sutura et versus latera condensata adspersa, et in callo intra-apicali setis nonnullis erectis nigris muricata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa alba tectum. Pedes mediocres, pallide testacei, albo-squamulosi; femoribus clavatis, subtus dente parvo armatis. — GHL.

* 125. C. RHUSII. *Schh.*

Breviter ovatus, supra rufo-testaceus, pallido-setulosus, subtus nigricans, squamositate densa cretacea tectus, rostro, antennis pedibusque pallidis; thorace parum convexo, canaliculato, bi-tuberculato, margine antico parum elevato; elytris convexis, punctato-sub-sulcatis.

Patria : Caffraria, in specie generis Rhus. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et facies *Ceuthorhynchi troglodytis.* Caput sub-globosum, punctulatum, rufo-testaceum, pallido-squamulosum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, modice arcuatum, basi supra punctulatum et squamulosum, extrorsum glabrum, læve, nitidum, totum pallide testaceum. Antennæ tenues, pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem leviter constrictus, margine apicis parum elevato; lateribus obliquis, posterius ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra fere planus, in medio obsolete canaliculatus, versus marginem utrinque tuberculo parvo, sub-conico, fusco, armatus, confertim punctulatus, rufo-testaceus, squamulis setiformibus pallidis, in canalicula dorsali condensatis, adspersus. Scutellum parvum, tuberculiforme, fuscum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi ibi non latiora, sed mox pone basin valde ampliata, humeris fere rectangulatis, callo elevato instructis; lateribus non

ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, punctato-sub-sulcata, interstitiis elevatis, convexis; rufo-testacea, parum nitida, setulis sub-erectis pallidis, in interstitiis seriatim adspersa. Pygidium rotundatum, punctatum, rufo-testaceum. Corpus subtus punctulatum, nigricans, squamositate densa cretacea tectum. Pedes breviusculi, validi, toti pallide testacei; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis. — GHL.

* 126. C. RINICÆ. *Schh.*

Breviter ovatus, supra rufo-testaceo-et pallido-variegatus, flavescenti-et fusco-setosus, subtus nigricans, dense cretaceo-squamosus, rostro, antennis pedibusque pallidis; thorace sub-convexo, canaliculato, bi-tuberculato, margine antico parum elevato; elytris convexis, punctato-sub-sulcatis.

Patria: Caffraria, in vegetabili, Rinica dicto. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Ceuthorhynchi rhusii*; thorace paulo magis convexo, elytris pallidis, plagis rufo-testaceis variegatis, et illorum indumento pallido, setulis fuscis mixto, tamen differre videtur. Caput, oculi, rostrum et antennæ omnino ut in *Ceuthorhyncho rhusii.* Thoracis forma etiam eadem, sed supra in dorso antico magis convexus, ibique setulis erectis fuscis adspersus, cæterum simili modo canaliculatus et bi-tuberculatus, rufo-ferrugineus, pallido-squamulosus. Elytro structura ut in priori, supra modice convexa, punctato-sub-sulcata, interstitiis convexis, seriatim pallido-setulosis, plagis rufo-testaceis et pallidis alternantibus colorata, quarum media rufo-testacea et callus intra apicem etiam setulis erectis fuscis adspersus. Corpus subtus et pedes omnino ut in priori. — GHL.

* 127. C. TROGLODYTES. *Fabricius.*

Rufo-brunneus, subtus albido-squamosus, antennis pedibusque rufo-testaceis; thorace mutico, cinereo-trilineato; elytris profunde punctato-striatis, squamulis erectis, albidis, seriatis, muricatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 485. 223.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 214. 205. T. 23. f. 317.

Gyllenh. *Ins. Suec.* II. p. 233. 148.

Curculio troglodytes. Fabr. *Ent. Syst.* II. p. 439. 184. — *Mant.* I. p. 108. 131.

Payk. *Fn. Suec.* III. p. 214. 31. — *Mon. Curc.* p. 30. 29.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 514. 196.

Herbst, *Col.* VI. p. 473. 484.

Marsh. *Ent. Brit.* p. 281. 127.

Panz. *Ent. Germ.* p. 315. 94.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 146. 68.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1763. 224.

Villers, *Ent.* Linn. IV. 289.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 39. 36.

Ceuthorhyncus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 221. 38.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298.

Var. β. Corpore supra glabro, rufo-brunneo, sutura obscuriori; forte detritus. — Ghl. l. c. var. c.

Curculio pusio. Panz. *Ent. Germ.* p. 311. 67.? — *Fn. Germ.* XXXVI. 15. — *Krit. Rev. d. Ins. Fn.* I. p. 129.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ins.* IV. p. 39. 37.

Var. γ. Pallide testaceus, elytrorum sutura fusca, rostro brunneo. — Ghl. l. c. var. c.

Curculio spiniger. Herbst, *Col.* VI. p. 410. 391. T. 92. f. 4.

Nedyus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. 39. 38.

Var. δ. Thorace lineis tribus, elytris lituris variis albo-squamosis. — Ghl. l. c. var. d. et IV. p. 597. 137.

Var. ε. Duplo minor, nigro-piceus, antennis pedibusque saturatius rufis; thorace tri-lineato, elytris disperse albo-squamosis et setulosis.

Patria : Europa intermedia et septentrionalis; var. ε. e Batavia.

* 128. C. Urens. *Hoffmannsegg.*

Rufo-brunneus, subtus albido-squamulosus, supra dense fusco-setosus: antennis pedibusque dilutius ferrugineis; thorace rude punctato, canaliculato, margine antico sat alte elevato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, rugosis.

Cryptorhynchus id. Dom. Com. Hoffmannsegg *in Litteris.*

Patria : Lusitania. A Dom. Schuppel, sub hoc nomine benevole communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho troglodyti simillimus et valde affinis, pagina superiore tota setis longis, erectis, rigidis, dilute fuscis, dense obsita, præcipue distinctus. Caput parvum, rotundatum, punctatum, brunneum, parce cinereo-squamulosum, fronte impressa ; oculi semi-globosi, brunnei ; rostrum capite cum thorace longius, valde arcuatum, supra profunde striatim punctatum, saturate brunneum. Antennæ tenues, dilutius ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior, apice bi-sinuatus, intra apicem profunde transversim impressus, margine alte elevato, muricato ; lateribus obliquis, parum ampliatis ; basi truncatus, elevato-marginatus ; supra parum convexus, rude punctatus, in medio canaliculatus, rufo-brunneus, setis longis, erectis, rigidis, sub-fuscis, dense obsitus. Scutellum minutum, demersum, fuscum. Elytra antice truncata, elevato-marginata, thoracis basi arcte applicata, pone basin subito valde ampliata, obtuse angulata, callo humerali elevato ; posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra in medio convexa, basi apiceque impressa, profunde striata et in striis obsolete punctata, interstitiis convexis, sub-rugosis ; rufo-brunnea, setis longis, erectis, rigidis, sub-fuscis, dense obsita. Corpus subtus saturatius rufo-piceum, confertim punctatum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, dilutius ferruginei, cinereo-pubescentes. — Ghl.

* 129. C. Validirostris. *Schh.*

Niger, opacus, subtus parce cinereo-squamosus, femoribus piceis, tibiis tarsisque testaceis ; thorace profunde punctato, canaliculato, bituberculato, antice constricto ; elytris sulcatis, interstitiis convexis, seriatim granulatis, suturæ basi albido-squamosa ; rostro valido, arcuato.

Patria : Tauria, ad Elisabethgorod. A. Dom. Steven missus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere facies *Ceuthorhynchi pericarpii ;* abunde tamen distinctus rostro longiore, femoribus dentatis, etc. Caput rotundatum, confertim punctatum, nigrum, opacum, posterius leviter

carinatum, fronte inter oculos impressa; oculi demissi, semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, nigrum, supra punctulatum et obsolete carinatum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ. Thorax latitudine postica brevior, antice paulo angustior, apice late emarginatus, intra apicem late, sed minus profunde transversim impressus, margine apicis modice elevato, in medio leviter emarginato; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi leviter sinuatus, supra parum convexus, profunde punctatus, in medio dorsi anguste canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo parvo instructus, totus niger. Scutellum vix detegendum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis angustis, elevatis, seriatim granulatis; nigra, opaca, in basi suturæ lineola albido-squamulosa notata. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, cinereo-squamulosi; femoribus subclavatis, piceis, omnibus subtus dente parvo armatis; tibiis tarsisque testaceis. — GHL.

Observ. — *Rhytidosomo globulo* quoad habitum similis, sed flagello antennarum 7-articulato, ab illo genere distinctus.

Congenerici forte; species mihi invisæ.

130. C. OVALIS. *Marsham.*

Sub-depressus, nigro cinereoque nebulosus, thorace bi-tuberculato, puncto utrinque nigro, antennis pedibusque nigris, tarsis obscure ferrugineis. — STEPH.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 33. 18.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 179. 113.

Patria: Anglia.

131. C. CALIGINOSUS. *Stephens.*

Niger, sub-depressus, subtus cinereo-squamosus, thorace utrinque bi-tuberculato, antennarum apice tibiis tarsisque ferrugineis. — STEPH.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 34. 21.

Id. nigrinus. STEPH. *Catal.* p. 155. 1665.

Patria : Anglia.

132. C. MELANOSTIGMA. *Marsham.*

Niger, corpore subtus pallido, elytris nigro-cinerascentibus, macula communi nigra. — STEPH.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. 36. 27.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 256. 53.

Patria : Anglia.

133. C. CINEREUS. *Marsham.*

Cinereus, elytris basi linea suturali abbreviata antice alba postice nigra, tarsis rubellis. — STEPH.

Nedyus id. STEPHEN. *Brit. Ent.* IV. p. 36. 28.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 283. 134.

Patria : Anglia.

134. C. SCUTELLATUS. *Stephens.*

Ater, cinereo-squamosus, antennis pedibusque nigris, elytris immaculatis, suturæ basi macula oblonga alba. — STEPH.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 37. 29.

Patria : Anglia.

135. C. UNIGUTTATUS. *Marsham.*

Cinerascenti-squamosus, elytris cano-nebulosis, macula communi nigricanti, tarsis rufescentibus. — STEPH.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 37. 30.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 283. 135.

Patria : Anglia.

136. C. CONGENER. *Schuppel.*

Fusco-squamosus, tibiis tarsisque rufis, thorace lateribus tuberculato antice marginato, elytris striatis; macula marginali, suturali apicisque albidis. — GERM.

GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 217. 352.
Patria : Germania.

137. C. RIMULOSUS. *Germar.*

Niger, griseo-squamosus, thorace transversim convexo, tuberculato, canaliculato, antice vix marginato, coleopteris ovato-globosis, punctato-sulcatis, sutura medio fusca. — GERM.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 230. 355.

Patria : Germania.

138. C. IGNITUS. *Germar.*

Æneo-niger, griseo-subpubescens, thorace canaliculato, sub-tuberculato, marginato, profunde punctato, coleopteris cyaneis, transversim rugosis, punctato-striatis, apice muricatis. — GERM.

GERM. *Ins. Spec.* 234. 362.

Patria : Halæ.

139. C. TYPHÆ. *Herbst.*

Testaceus, capite thoraceque nigricante tomentoso, elytris striato-punctatis, tomentosis, pedibusque rufis. — HERBST.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 415. 398. T. 92. f. 11.
Cryptorhynchus id. ILLIG. *Mag.* VI. 331.

Patria : Germania.

STIRPS 2. *Thorax sub-æqualis, nec tuberculatus, nec antice reflexus.* (Species 140-148.)

Manipulus I. *Femora mutica.* Species 140-144.)

* 140. C. VIRGATUS. *Schh.*

Ovatus, sub-convexus, niger, subtus dense cretaceo-squamosus, supra albo-variegatus, antennis tarsisque ferrugineo-piceis; thorace transverso, antice profunde constricto, inæqualiter albo-squamoso; elytris punctato-subsulcatis, brunneo-squamosis, sutura lineolisque numerosis, interruptis, dense candido-squamosis ornatis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho campestri magnitudine æqualis; *Ceuthorhyncho as-*

perifoliarum quoad signaturas similis; thorace breviori, antice profunde constricto, elytrorum signaturis magis determinatis, rostroque paulo breviore distinctus. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, dense albo-squamosum, fronte plana; oculi brunnei, modice convexi; rostrum vix longitudine thoracis, minus tenue, parum arcuatum, punctulatum, nigrum, a basi ultra medium dense albo-squamosum, apice nudum. Antennæ mediocres, ferrugineo-piceæ, clava albo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito duplo angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem profunde constrictus, margine apicali tamen vix elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim ruguloso-punctatus, niger, squamositate alba inæqualiter vestitus, relictis nempe plagis duabus dorsalibus punctoque laterali utrinque nudis, nigris. Elytra ampla, antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; pone humeros adhuc nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, sat profunde sulcata, et in sulcis punctata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, squamositate fusco-brunnea plagiatim vestita, lineisque numerosis, interruptis, dense albo-squamosis variegata; in sutura nempe vitta lata, communis, in medio interrupta, et ad basin suturæ utrinque lineola brevis, sub-obliqua, dense candido-squamosæ; prope basin et pone medium disci elytrorum lineolæ numerosæ, inæqualis longitudinis, fasciatim collocatæ, minus dense albo-squamosæ; apex et latera inflexa etiam albo-squamosæ. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cretaceo-squamosum. Pedes validiusculi, punctati, nigri, albido-squamulosi; femoribus compressis, muticis; tibiis brevibus, rectis, externe versus apicem pectinato-ciliatis; tarsis dilatatis fusco-ferrugineis. — Ghl.

* 141. C. Nubilosus. *Schh.*

Ovatus, sub-convexus, niger, subtus dense, supra inæqualiter albo-squamosus, antennis tarsisque ferrugineo-piceis; thorace longiore, antice leviter constricto, in disco pulvinato, inæqualiter albo-squamoso, postice canaliculato; elytris punctato-subsulcatis, fusco-squamulosis, sutura lineolisque numerosis, interruptis, albido-squamosis, notatis.

Patria: Tauria, Caucasus, Sibiria. A Dom. Steven et Gebler amice communicatus. Mus. Schh.

Ceuthorhyncho virgato magnitudine æqualis et simillimus, rostro

longiore et tenuiore, thorace etiam paulo longiore, antice minus profunde constricto, et signaturis squamosis obsoletioribus, minus determinatis, tamen distinctus. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, parce albido-squamulosum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum thorace fere longius, tenue, cylindricum, modice arcuatum, confertim punctulatum, nigrum, glabrum. Antennæ rufo-piceæ, clava nigra, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice fere duplo angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicis perparum elevato; lateribus posterius rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra in disco convexus, pulvinatus, in medio baseos canaliculatus, undique confertim punctulatus, niger, inæqualiter albido-squamulosus. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus vix ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, sat profunde sulcata, sulcis in fundo punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, sutura lineisque numerosis, interruptis, albo-squamosis, pari modo ac in *Ceuthorhyncho virgato* notata, sed obsoletioribus, minus determinatis. Corpus subtus confertim, punctatum, nigrum, squamositate albida sat dense tectum. Pedes mediocres, nigri, albido-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis; tarsis rufo-piceis. — GHL.

* 142. C. INTERSTINCTUS. *Schh.*

Ovatus, sub-convexus, nigro-fuscus, subtus dense cretaceo-, supra inæqualiter albo-squamosus; antennis piceis; thorace longiore, antice leviter constricto, disco pulvinato, dense albo-squamoso; elytris punctato-subsulcatis, sutura lineolisque numerosis, interruptis, albo-squamosis, notatis.

Falciger variegatus. VOGT. secundum Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Patria : Austria. A Dom. MEGERLE communicatus. Mus. SCHH. et GHL.

Ceuthorhyncho nubiloso simillimus et certe nimis affinis, sed dimidio minor, densius squamosus, et patria alia, unde forte diversus. Caput, oculi, rostrum et antennæ exacte ut ad *Ceuthorhynchum nubilosum* descripta. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicali perparum elevato; lateribus

posterius ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra in disco convexus, pulvinatus, confertim punctulatus, nigro-fuscus, dense albo-squamosus, plagis duabus dorsalibus arcuatis obscurioribus, minus dense squamosis notatus. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus vix ampliata, apice singulatum rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, sub-sulcata, sulcis punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigro-fusca, opaca; in sutura vitta communis, in medio interrupta, densius et albidius squamosa, adjecta ad basin utrinque lineola brevi ejusmodi; prope basin et pone medium disci præterea lineolæ numerosæ, inæqualis longitudinis, sub-fasciatim collocatæ, minus dense albo-squamosæ, conspiciuntur. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum. Pedes mediocres, nigri, albido-pubescentes; femoribus sub-clavatis, muticis; tarsis vix piceis.

Observ. — Quamvis margo apicalis thoracis in hac specie et *Ceuthorhyncho nubiloso* nonnihil elevatus videatur, tamen propter eximiam in cæteris cum *Ceuthorhyncho virgato* similitudinem, in hac sectione collocavimus. — GHL.

* 143. C. UNIFORMIS. *Schh.*

Niger, sub-opacus, undique densius albido-squamulosus, antennis (clava excepta) tarsisque ferrugineis; thorace parum convexo, confertissime ruguloso, antice vix constricto; elytrorum sulcis obsolete punctatis, interstîtiis planis, confertim alutaceis; rostro apice sub-attenuato.

Patria : Caucasus. Ex Musæo Dom. STEVEN, ad describendum, amice missus.

Magnitudo et fere statura *Sibynis viscariæ.* Caput rotundatum, parum convexum, punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, parum arcuatum, a basi ad apicem sensim nonnihil attenuatum, supra punctulatum, nigrum, albido-squamulosum, apice nudum, piceum, nitidum. Antennæ mediocres, ferrugineæ, clava majuscula, nigra, albido-pubescente. Thorax latitudine postica brevior, antice duplo angustior, apice emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, margine vix elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi sub-truncatus, supra parum convexus, con-

fertissime ruguloso-punctatus, in medio baseos foveola oblonga impressus, niger, opacus, sat dense albido-squamulosus. Scutellum demersum, angustum, nigrum. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sulcis obsolete punctatis exarata, interstitiis planis, confertim rugulosis; nigra, sub-opaca, in interstitiis lineatim dense albido-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes longiusculi, albido-squamulosi; femoribus clavatis, nigris, muticis; tibiis ejusdem coloris, subrectis, basi tenuibus, extrorsum latioribus, versus apicem extus ciliatis; tarsis dilatatis, ferrugineis. — GHL.

Observ. — Generi *Sibyni* propinquus, sed thorax subtus pone gulam profunde emarginatus, seu rima pectorali præditus.

* 144. C. VILIS. *Schh.*

Niger, parum convexus, parce, in elytris, sat dense albido-squamulosus; thorace rotundato, confertissime punctulato, antice profunde constricto, reflexo-marginato; elytris sulcatis.

Patria : Tauria, ad Elisabethgorod. A Dom. STEVEN amice donatus.

Magnitudo fere *Ceuthorhynchi assimilis.* Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, albido-squamulosum, fronte plana; oculi sub-depressi, brunnei; rostrum thorace paulo brevius, arcuatum, basi crassum, punctulatum et squamulosum, extrorsum attenuatum, fere subulatum, nudum, nitidum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice sinuato-emarginatus, intra apicem profunde constrictus, margine apicis alte elevato; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi vix sinuatus, angulis lateralibus rotundatis; supra parum convexus, confertissime punctulatus, in medio baseos foveola oblonga impressus, niger, squamulis cinereo-albidis adspersus. Scutellum parvum, tuberculiforme, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulis, non elevatis; pone humeros nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, sat profunde sulcata, sulcis vix punctulatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, lineatim

albido-squamulosa. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, sat dense cinereo-albido-squamulosum. Pedes nigri, cinereo-squamulosi; femoribus medio crassioribus, muticis; tibiis subrectis, externe in medio denticulo longiori, et dein pluribus parvis, pallidis, pectinis instar armatis; tarsis elongatis, parum dilatatis.

Ghl.

* 145. C. Coarctatus. *Schh.*

Niger, sub-opacus, undique dense albido-squamulosus, pedibus rufo-piceis; thorace pulvinato, antice profunde constricto, margine apicis parum elevato; elytris obsolete punctato-striatis; rostro longo, tenui, arcuato.

Patria: Tauria. Ex Musæo Dom. Steven, ad describendum, amice communicatus.

Magnitudo fere *Ceuthorhynchi assimilis.* Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum; oculi demissi, semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace fere longius, tenue, arcuatum, nigrum, basi punctulatum et squamulosum, extrorsum læve, nudum, nitidum. Antennæ subtenues, nigræ, clava majuscula, albo-pubescente. Thorax latitudine medii brevior, antice duplo angustior, apice emarginatus, intra apicem late et profunde transversim impressus, margine apicis tamen parum elevato; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim valde convexus, pulvinatus, confertim rugoso-punctatus, niger, dense albido-squamulosus. Scutellum nullum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, evidenter striata, striis obsoletius punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, opaca, in interstitiis dense lineatim albido-squamosa. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes longiusculi, rufo-picei, albido-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis; tibiis subrectis, extrorsum latioribus; tarsis dilatatis. — Ghl.

Manipulus II. *Femora dentata.* (Species 146-148.)

* 146. C. Pubicollis. *Dahl.*

Ovatus, parum convexus, nigro-fuscus, subtus dense cretaceo-squamosus, supra albo-variegatus; thorace antice vix constricto, tubulato, postice leviter canaliculato; elytris punctato-striatis, sutura interstitiisque omnibus vittis interruptis albo-squamosis ornatis.

Falciger signatulus. Creutzer *in Litteris.*

Id. signatus. Dom. Megerle *in Litteris.*

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323. Teste Dom. Chevrolat.

Patria : Austria. Dom. Megerle; Italia. Dom. Chevrolat. Mus. Schh. et Ghl.

Ceuthorhyncho campestri et *nubiloso* magnitudine æqualis, posteriori etiam quoad signaturas elytrorum simillimus, thorace antice tubulato, femoribusque dentatis, tamen distinctus. Caput parvum, sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum, vertice carinula angusta notato; oculi nigro-brunnei, modice convexi; rostrum thorace fere longius, tenue, arcuatum, nigrum, nitidissimum, basi supra punctulatum et squamulosum. Antennæ longiusculæ, nigræ. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice fere dimidio angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem obsoletissime constrictus, margine apicali non elevato, sed tubulato; lateribus posterius ampliatus, basi sub-truncatus, supra parum convexus, in medio postico leviter canaliculatus, undique subtiliter punctulatus, nigro-fuscus, squamositate densa alba vestitus, relictis plagis duabus dorsalibus, arcuatis, obscurioribus, minus squamosis, interdum valde obsoletis. Elytra ampla, antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; nigro-fusca, opaca; in sutura vitta communis, latior, in medio interrupta, dense albo-squamosa, et in interstitiis omnibus lineolæ, inæqualis longitudinis, bis vel ter interruptæ, etiam albo-squamosæ conspiciuntur. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes validi, nigri, dense albo-squamulosi et pubes-

centes; femoribus subtus dente parvo, obtuso armatis; tibiis sub-arcuatis; tarsis fusco-piceis. GHL.

* 147. C. SIGNATELLUS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-convexus, saturatius niger, subtus dense niveo-squamosus, supra variegatus; thorace antice non constricto, margine apicali versus latera nonnihil elevato, in dorso albo-squamoso, vittis duabus arcuatis, nigris, notato; elytris punctato-striatis, sutura lineolisque numerosis, interruptis, niveo-et albo-squamosis ornatis.

Patria : Tauria, ad Elisabethgorod. A Dom. STEVEN, amice communicatus. Mus. SCHH. Eundem, ut typum *Rhynchæni variegati*, ex Musæo OLIVERIARO misit Dom. CHEVROLAT, sed descriptioni auctoris nullatenus correspondet.

Ceuthorhyncho pubicolli quoad signaturas simillimus, sed duplo minor; rostrum brevius, minus tenue, color saturatius niger et signaturæ elytrorum magis determinatæ. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, dense albo-squamosum; oculi rotundati, brunnei, parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, validiusculum, sub-arcuatum, nigrum, supra punctulatum et ad basin albo-squamosum. Antennæ mediocres, nigræ, clava majuscula, albo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem non constrictus, margine apicali versus latera tantum callo nonnihil elevato instructo; lateribus oblique versus posteriora ampliatis; basi sub-truncatus, elevato-marginatus, supra in disco modice convexus, confertim punctatus, niger, dense albo-squamosus, relictis vittis duabus dorsalibus arcuatis, nudis, nigris. Scutellum demersum, nigrum. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, sat distincte punctato-striata, interstitiis planis, alutaceis; saturate nigra, vittis lineolisque numerosis, interruptis, niveo-squamosis, ornata, quarum vitta communis, suturalis latior, in medio semel interrupta, lineæ reliquæ breviores, bis vel ter interruptæ. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate nivea dense tectum. Pedes validi, nigri, albo-pubescentes; femoribus clavatis, subtus dente obtuso armatis; tarsis piceis. — GHL.

148. C. NUBECULOSUS. *Schh.*

Niger, capite, rostro attenuato corporeque subtus dense cinereo-albido-squamosis; thorace pulvinato, antice sub-tubulato, vittis duabus dorsalibus brunneis notato; elytris punctato-sulcatis, interstitiis omnibus vittis albido-squamosis, vix interruptis, ornatis.

Patria: Sibiria. A Dom. GEBLER amice communicatus. Mus. SCHH.

Ceuthorhyncho pubicolli simillimus et affinis, sed rostrum brevius, basi crassius, apice attenuatum, supra dense squamulosum; vittæ albidæ elytrorum parum interruptæ, etc. Caput parvum, rotundatum, convexum, punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamulosum; oculi rotundati, brunnei, minus prominuli; rostrum capite cum thorace brevius, basi crassiusculum, apicem versus attenuatum, modice arcuatum, supra punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum, apice ipso nudum. Antennæ nigræ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine parum brevior, anterius subito angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem depressus, sub-tubulatus; lateribus æqualiter ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra transversim convexus, pulvinatus, confertim punctatus, niger, squamulis densis cinereo-albidis vestitus, et vittis duabus dorsalibus latis brunneo-squamosis notatus. Scutellum minutum, demersum, nigrum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, distincte sulcata et in sulcis punctata, interstitiis angustis, planis, alutaceis; nigra, sutura interstitiisque omnibus vittis albido-squamosis, parum fusco-interruptis, ornatis. Pygidium breve, apice rotundatum, punctatum, nigrum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis cinereo-albidis dense tectum. Pedes validi, nigri, albido-squamulosi et pubescentes; femoribus clavatis, subtus dente mediocri armatis. — GHL.

Genus 347. RHINONCUS. *Nobis.*

Campylirhynchus Megerle, Dejean, Sturm, Steven. — *Rhinoncus* Stephens (1).—*Ceuthorhynchus* Germar, Schh. (2). —*Rhynchænus* Fabr., Olivier, Gyllenh., Zetterstedt.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, tenues; funiculo 7-articulato: articulis basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum breviusculum, crassiusculum, teres, nonnihil arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, modice convexi.

Thorax brevis, lateribus paulo rotundatus, anterius angustior, intra apicem parum coarctatus, infra pone gulam profunde emarginatus.

Scutellum haud observandum.

Elytra breviter ovata, humeris obtusis, sub-angulatis, in nonnullis fere retusis; apice singulatim rotundata, abdomine breviora.

Pedes mediocres, antici basi paulo distantes; tibiæ apice muticæ.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, contractum, supra modice convexum, sculpturatum, parce squamosum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* pone medium prope apicem rostri insertæ, thoracis medium vix pertingentes, tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1° elongato, clavato, oculum vix attingente; 2° et 3°, interdum etiam 4°, longiusculis, illo semper crassiore, sub-obconicis; reliquis brevibus, æqualibus, sub-rotundatis; clava ovalis, acuminata, libera, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Caput* sæpius depressum, in nonnullis paulo convexum. — *Rostrum* longitudine capitis, crassiusculum, teres, parum arcuatum, inflexum; scrobe lineari, curvata, versus oculos protensa. — *Oculi* laterales, rotundati, modice convexi. — *Thorax* latitudine baseos paulo brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, antice multo angustior ibique perparum coarctatus, apice sub-truncatus, pone oculos haud lobatus, supra modice convexus, utrinque sæpius tuberculatus, infra pone gulam pro-

(1) Stephens, Brit. Ent. IV. p. 40. 285.

(2) Germar, Ins. Spec. I. p. 219. Fam. 3 —Schh. Curc. Disp. Meth. p. 297. Stirps 2.

funde emarginatus, non canaliculatus. — *Scutellum* haud conspicuum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo plus triplo longiora, humeris in aliis obtuse angulatis, in aliis magis rotundatis; breviter ovata, posterius paulo angustata, apice singulatim rotundata, abdomine breviora, supra modice convexa. — *Pygidium* nudum, apice semi-rotundatum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, antici basi distantes; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ῥὶν nasus, ὄγκος massa.

TYPUS. — *Rhinoncus castor.*

Patria : Præsertim Europa tota, raro extra illam.

Observ. — A genere *Ceuthorhyncho* mox dignoscitur rostro breviore et crassiore, oculis magis prominulis, etc. — In pluribus notis cum *Phythobio* conveniunt hujus generis species, sed numerus diversus articulorum funiculi antennarum distinctionem postulat. — Confer observationem ad genus *Phythobium*, hujus Operis III. p. 458.

* 1. R. CASTOR. *Fabricius.*

Breviter ovatus, sub-convexus, niger, subtus dense albo-squamosus, supra variegatus, antennis pedibusque rufo-testaceis: thorace confertim granulato, bi-tuberculato, obsolete canaliculato, albido-trivittato: elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis omnibus tuberculatis, albido-tessellatis, suturæ basi niveo-squamosa.

GHI.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 451. 64.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 159. 80.
OLIV. *Ent.* 83, p. 132. 85. T. 33. f. 499.
ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 326. 50.
SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 67. 76.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 408. 62.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 133. 27.
HERBST, *Col.* VI. p. 403. 382.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 303. 23.
Rhinoncus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 41. 5.

Campylirhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.

Curculio pericarpius, var. LINN. *Fn. Suec.* 602. — *Syst. nat.* I. II p. 609. 31. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1750. 31.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 255. 75. ♂. — *Mon. Curc.* p. 67. 65. ♂.

WALCKEN, *Fn. Par.* I. p. 246. 28.

VILLERS, *Ent.* I. p. 182. 27.

Curculio fruticulosus. HERBST, *Col.* VI. p. 400. 379. T. 91. f. 10.

Id. seniculus. GRAVENH. (Cfr. interpr.) p. 206. 2885.

Campilirhynchus 4-cornis. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

* VAR. β. Squamositate, præsertim vittæ basalis suturæ pectorisque flavescente; pedibus pallide lutescentibus.

Rhinoncus flavipes. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 41. 4. forte.

* VAR. γ. Corpore paulo magis oblongo, cæterum ut in α et omnino.

Curculio leucostigma. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 255. 51. Teste Dom. KIRBY.

Rhinoncus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 42. 6.

* VAR. δ. Supra parce, obscure cinereo-squamulosus, vitta baseos suturæ elytrorum albida, minus determinata; pedibus saturatius rufis.

Rhynchænus castor, var. b. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 160.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* p. 326. 50. var. b.

SAHLBERG, *Ins. Fenn.* II. p. 67. 76. var. b.

Rhynchænus scabratus. FABR. *Syst. El.* II. p. 454. 81. (Secundum ejus Musæum, teste Dom. GERMAR *in Litteris.*)

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 411. 76. (Secundum ejus Musæum, teste Dom. GERMAR *in Litteris.*

HERBST, *Col.* VI. p. 452. 455.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 305. 36.

* VAR. ε. Omnino ut var. δ, sed basis suturæ elytrorum concolor, nigra.

Rhinoncus rufipes. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 42. 8.

* VAR. ζ. Dimidio minor, nigrior, parce cinereo-variegatus; thorace vitta media lateribusque albido-squamosis; elytris parce cinereo-variegatis, suturæ basi lineola communi intense albo-squamosa notata; pedibus rufescentibus.

Rhinoncus interstitialis. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 42. 7.
Curculio id. REICH. *Mant.* p. 6. 2. f. 2.

Observ. — Seorsim inspectæ varietates jam recensitæ quidem valde dissimiles apparent, sed occurrunt frequenter individua intermedia combinantia unde characteres ad distinctiones specificas determinandas, vix eruendi. — GHL.

Patria : Europa intermedia et septentrionalis.

2. R. GRANULIPENNIS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, parum convexus, niger, subtus dense, supra parcius albo-squamosus, antennis pedibusque testaceis; thorace canaliculato, bi-tuberculato, margine apicali vix elevato; elytris obsolete punctato-striatis, interstitiis plerisque tuberculatis, suturæ basi linea communi densius albo-squamosa notata.

Patria : Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT nominatus, et ex ejus Musæo descriptus.

Minimis *Rhinonci castoris* adhuc duplo minor, magis oblongus; thorax profundius canaliculatus, elytra parcius tuberculata, etc. Caput punctatum, nigrum, dense albido-squamulosum, fronte impressa; oculi nigri, modice convexi; rostrum capite fere brevius, crassum, arcuatum, punctulatum, nigrum, apice nitidum. Antennæ testaceæ, clava fusca. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice angustior quam basi, apice emarginatus, margine apicis perparum elevato; lateribus anterius obliquis, posterius rotundato-ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete punctatus, in medio sat evidenter canaliculatus, versus basin utrinque tuberculo mediocri instructus, niger, albido-squamulosus. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato instructis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, sat distincte striata, striis vix vel obsoletissime punctatis, interstitiis convexis, plerisque granulis seu tuberculis parvis, numerosis, nitidis, adspersis; nigra, sat dense albido-squamulosa, et præterea versus basin suturæ lineola communi, densius et albidius squamosa notata. Corpus subtus punctatum, nigrum, squamositate densa alba tectum. Pedes breviusculi, validi, pallide testacei, albido-squamulosi. GHL.

* 3. R. BRUCHOIDES. *Herbst.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, opacus, subtus dense albo squamosus, antennis pedibusque pallide testaceis; thorace transverso, bi-tuberculato, evidenter canaliculato, margine apicali vix elevato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, parce tuberculatis. — GHL.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 416. 399. T. 92. f. 18. — *Archiv* IV. p. 95. 84. Teste Dom. SCHUPPEL.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 572. 67.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1800. 491.

Curculio crassus. MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 264. 81.

Rhinoncus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. p. 42. 9.

* VAR. β. Thoracis margine apicali elytrisque posterius rufescentibus.

Rhynchænus leucogaster. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 161. 81.

Id. asperatus. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 583. 81.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 68. 77.

* VAR. γ. Thorace vittis tribus, elytris lituris variis albido-squamosis notatis; femoribus rufo-piceis.

Observ. — *Rhinonco castori* valde affinis; var. γ, præsertim ejus var. ζ, simillima, sed corpus minus convexum, thorax evidentius canaliculatus, elytra distinctius punctato-striata et illorum interstitia parce tantum tuberculata.

Patria: Suecia, Germania, Volhynia; variationem γ etiam ex Sibiria occidentali misit Dom. GEBLER.

* 4. R. INCONSPECTUS. *Herbst.*

Ovatus, convexus, nigro-fuscus, opacus, subtus dense albido-squamosus, supra squamositate cinereo-rubescente variegatus, antennis pedibusque rufo-testaceis; thorace bi-tuberculato, sat distincte canaliculato; elytris punctato-striatis, interstitiis subtiliter rugulosis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 158. 79.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 67. 75.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 405. 385. T. 91. f. 15.

Campylirhynchus inconspectus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.

Rhynchænus suturalis. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 131. 84. T. 33. f. 498.

Rhynchænus occipitrinus. REICH. *Mant.* p. 5. 1. T. 1. f. 1.

Rhinoncus canaliculatus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 43. 10. forte.

Patria : Germania, Gallia, Suecia.

* 5. R. PERICARPIUS. *Fabricius.*

Breviter ovatus, convexus, niger, subtus dense cretaceo-squamosus, antennis pedibusque obscure ferrugineis: thorace transverso, confertim granulato, obsolete bi-tuberculato et canaliculato; elytris punctato-striatis, interstitiis subtiliter alutaceis, suturæ basi marginibusque lateribus dense cretaceo-squamosis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 451. 65.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 131. 83. T. 33. f. 497.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 127. 78.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 326. 49.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. 96. 74.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 408. 63. — *Mant.* I. p. 101. 49. — *Spec. Ins.* I. p. 167. 37. — *Syst. Ent.* p. 132. 26.

HERBST, *Col.* VI. p. 401. 381. T. 91. f. 12. — *Arch.* p. 70. 9. T. 24. f. 4.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 255. 75. *. — *Mon. Curc.* p. 67. 75. *.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 134. 28.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 483. 60.

CEDERH. *Fn. Ingrica.* 324.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 303. 24.

Rhinoncus id. STEPH. *Brit. Ent.* VI. p. 40. 1.

Campylirhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3, p. 324.

Ceuthorhynchus gramineus. Dom. GERMAR *in Litteris.*

* VAR. β. Squamositate lineæ basalis suturæ et laterum pectoris pallescente, elytris præterea lineola pone callum humeralem nonnullisque intra apicem densius albido-squamosis notatis. — GHL.

Ceuthorhynchus conjectus. SCHH. *in Litteris*, olim.

Observ. — Var. β nulla essentiali nota ab α distinctus, nobis videtur.

Patria : Europa intermedia et septentrionalis, Volhynia, Tauria; var. β ex Sibiria a Dom. GEBLER communicatus.

* 6. R. GRAMINEUS (1). *Fabricius.*

Niger, elytris striatis, antennis pedibusque ferrugineis. — FABR.

Curculio id. FABR. *Syst. El.* II. p. 523. 95. — *Ent. Syst.* I. II. p. 465. 298.

HERBST, *Col.* VI. p. 494. 520.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 325. 147,

Brachyrhinus id. LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI, p. 165. 30,

Patria : Germania.

* 7. R. SUBFASCIATUS. *Gyllenh.*

Ovatus, convexus, niger, albido-irroratus, lineola scutellari corporeque albido-squamosis, antennarum basi tibiisque testaceis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 253. 153.

Rhinoncus tibialis. ? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 41. 3.

VAR. β. Pedibus totis testaceis. GHL. l. c. var. b.

Patria : Suecia meridionalis, Austria, Gallia, Sibiria.

* 8. R. GUTTALIS. *Gravenhorst.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense cinereo-albido-squamosus, supra variegatus, antennarum basi, tibiis tarsisque testaceis; thorace oblongo, sub-conico, obsolete bi-tuberculato et canaliculato; elytris punctato-striatis, cinereo-variegatis, suturæ basi dense albo-squamosa.

Ceuthorhyncus id. GRAVENH. (Cfr. interpr.) p. 206. 2886.

GERM. *Ins. Spec.* I. p. 222. 48.

Campylirhynchus id. STURM. *Ins. Cat.* 1826. p. 108.

Campylirhynchus scutellatus. STURM, l. c. p. 108.

---

(1) *Rhinonco pericarpio* eadem species forte, teste Cel. Germar *in Litteris.*

Rhynchænus erythrocneme. BECK. *Beytr.* p. 22. 33. T. 6. f. 33.

Curculio perpendicularis. REIC, *Mant.* p. 10. 6. T. 1. f. 6. forte.

Patria : Germania, Suecia, Illyria. Mus. SCHH. et GHL.

Rhinonco subfasciato valde similis, sed paulo minor, thorax nonnihil longior, anterius magis angustatus. Caput rotundatum, confertim punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum, fronte inter oculos sub-impressa; oculi semi-globosi, brunnei; rostrum vix capite longius, crassum, subrectum, confertim punctatum, nigrum. Antennæ breviusculæ, piceæ, scapo testaceo. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius paulo angustior, apice subtruncatus, margine vix elevato; lateribus nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra convexus, sub-pulvinatus, confertim et sat profunde punctatus, leviter canaliculatus, obsolete bi-tuberculatus, niger, parce cinereo-squamulosus. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris obtuse angulatis, callo elevato notatis; lateribus parum ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, sat profunde crenato-striata, interstitiis convexis, alutaceis; nigra, squamulis cinereis, sub-fasciatim congestis, variegata; in basi suturæ lineola communi dense albo-squamosa notata. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, sat dense cinereo-squamosum. Pedes longiusculi, subtenues; femoribus punctatis, nigris, muticis; tibiis tarsisque testaceis.—GHL.

9. R. DENTICOLLIS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, subtus dense cinereo-albido-squamosus, tibiis testaceis; thorace granulato, canaliculato, quadri-tuberculato, antice parum angustato; elytris punctato-striatis, interstitiis convexis, alutaceis, suturæ basi albido-squamosa.

Patria : Italia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Minoribus *Rhinonci guttalis* æqualis et similis. Caput et antennæ ut in jam nominato. Thorax latitudine vix brevior, antice parum angustior, apice emarginatus, margine apicali vix elevato, sed in medio tuberculis duobus parvis instructo; lateribus nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra sub-convexus, confertim granulatus, in medio dorsi obsolete canaliculatus, versus posteriora utrinque tuberculo obtuso instructus, niger, parce cinereo-squamulosus. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis

basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis convexis, alutaceis; nigra, parce cinereo-squamulosa, et in basi suturæ lineola communi densius albido-squamosa notata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum. Pedes longiusculi; femoribus parum crassis, nigro-piceis: tibiis testaceis; tarsis fuscis. — Ghl.

10. R. Sparsesetosus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, paulo convexus, niger, sub-nitidus, parce cinereo-squamosus et setulosus; thorace confertim punctato, evidenter canaliculato, vix tuberculato; elytrorum striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, alutaceis, ad basin suturæ albido-squamosis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. Drège descriptus.

Magnitudo et statura *Rhinonci subfasciati.* Caput sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, fronte dense cinereo-squamulosa; oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum vix capite longius, validum, sub-arcuatum, punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ breviusculæ, nigræ. Thorax latitudine medii vix brevior, apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, margine apicali modice elevato; lateribus rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, supra paulo convexus, in medio dorsi evidenter canaliculatus, confertim punctatus, niger, sub-nitidus, vittis tribus obsoletis, e squamis setiformibus cinereo-albidis notatus. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, rugulosis; nigra, sub-nitida, squamulis setiformibus cinereo-albidis, parce, inæqualiter adspersa, ad basin suturæ in lineam communem albidam magis condensatis. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, nitidum, parce cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, toti, nigri; femoribus parum crassis, nitidis; tibiis rectis, scabris. — Ghl.

* 11. R. PAGANUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, convexus, fusco-piceus subtus densius, supra parce, inæqualiter cinereo-squamulosus, antennarum basi pedibusque pallescentibus; thorace confertim punctato, canaliculato, utrinque foveola impresso, margine apicali parum elevato, in medio sub-emarginato; elytris punctato-striatis, obsolete cinereo-fasciatis, apicem versus testaceis.

Patria : India orientalis, Calcutta. A Dom. SUNDEVALL detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Rhinonci subfasciati*, cui similis. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, cinereo-squamulosum, vertice obsolete carinato, fronte impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite paulo angustius, sed non longius, crassum, rectum, deflexum, punctatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ basi sub-testaceæ, extrorsum nigricantes, clava majuscula, acuminata. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius paulo angustior, apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, margine apicali parum elevato, in medio sub-emarginato, vel tuberculis duobus parvis notato, testaceo; lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra convexus, confertim punctatus, in dorso canaliculatus, paulo ante medium utrinque foveola rotunda impressus, nigro-piceus, parce cinereo-squamulosus. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, callo elevato instructis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, alutaceis; anterius fusco-picea, versus apicem dilutius testacea, fasciis obsoletis cinereo-squamulosis notata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, densius cinereo-albido-squamulosum. Pedes mediocres, pallescentes; femoribus parum crassis, muticis, in medio infuscatis. — GHL.

* 12. R. ALBICINCTUS. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, subtus dense albido-squamosus, tibiis tarsisque piceo-testaceis; thorace oblongo, profunde punctato, squamulis albidis variegato; elytris anguste punctato-striatis, margine, macula pone humerum fasciaque pone medium albido-squamosis notatis.

Campylirhynchus tibialis. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85. — *ed.* 2. p. 299. — *ed.* 3. p. 324. Teste Dom. CHEVROLAT. — An jure?

Patria : Gallia, Parisiis. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere et statura *Sitonæ lineelli*, reliquis hujus generis longior. Caput majusculum, rotundatum, confertim punctatum, nigrum, subtus et pone oculos, dense albido-squamulosum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum capite paulo longius, crassum, sub-arcuatum, punctulatum, nigrum, basi cinereo-squamulosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, flagello piceo. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice subito paulo angustior, apice late emarginatus, margine apicali vix elevato; lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim et sat profunde ruguloso-punctatus, niger, subtus dense, lateribus inæqualiter et in linea dorsali media albido-squamosus. Scutellum demersum, rotundatum, fuscum. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, striis angustis, catenato-punctatis exarata, interstitiis convexis, rugulosis; nigra, fusco-squamulosa, margine laterali, inæqualiter, puncto oblongo pone humeros, fasciaque undata pone medium albido-squamosis notata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamulis albidis dense vestitum. Pedes longiusculi, sub-tenues; femoribus nigris, muticis, dense albido-squamosis; tibiis tarsisque piceo-testaceis. — GHL.

Congenerici forte; species mihi invisæ.

13. R. SPARTII. *Kirby.*

Elongato-ovatus, niger, suturæ basi corporeque cinereo-squamosis, antennis pedibusque piceis; elytrorum interstitiis sub-coriaceis.

STEPHENS.

Rhinoncus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 41. 2.

Patria : Anglia.

14. R. GRYPUS. *Herbst.*

Ater, elytris striatis, griseo-irroratis, macula scutellari albida.

HERBST.

Curculio grypus. HERBST, *Col.* VI. p. 399. 378. T. 91. f. 9.
Cryptorhynchus id. ILLIG. *Mag.* VI. 331.

Patria : Germania.

GENUS 348. COELOGASTER. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues; funiculo 6-articulato : articulis tribus basalibus longiusculis, sub-obconicis, 1° valde crassiore, reliquis brevibus, sub-rotundatis ; clava ovalis, acuminata.

Caput convexum, supra singulum oculum callo alte elevato, instructum.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, teres, modice arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, nonnihil elevati, supra plani.

Thorax brevis, basi profunde bi-sinuatus, lateribus rotundatus, anterius angustior, intra apicem valde coarctatus, supra inæqualis : rima pectoralis inter coxas pedum anticorum explanata.

Scutellum haud distinctum.

Elytra breviter ovata, basi apiceque singulatim rotundata, abdomine breviora; humeris obtuse angulatis.

Pedes mediocres, antici basi manifeste distantes ; tibiæ apice muticæ.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, supra minus convexum, sculpturatum, squamosum, alatum : minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* pone medium rostri sitæ, thoracis medium pertingentes, tenues, fractæ, forte 11-articulatæ : articulo 1° elongato, clavato, oculum haud attingente; 2°, 3° et 4° elongatis, sub-obconicis, illo valde crassiore; 5°, 6° et 7° brevibus, sub-rotundatis, paulo coarctatis, æqualibus; clava ovalis, acuminata, forte 4-articulata, articulis arctissime connexis. — *Caput* convexum, supra oculos callo alte elevato, superciliorum instar, instructum. — *Rostrum* capite duplo longius, crassiusculum, teres, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad oculos protensa. — *Oculi* laterales, paulo demissi, majusculi, rotundati, nonnihil elevati, supra plani. — *Thorax* latitudine baseos multo brevior, basi profunde bi-sinuatus, in medio lobo parvo præditus, lateribus modice rotundato-ampliatus, anterius subito valde angustior, intra apicem coarctatus, antice supra truncatus, pone oculos nonnihil productus sed haud lobatus, supra modice convexus, inæqualis, utrinque tuberculatus; infra pone gulam profunde emarginatus, sulco pro receptione rostri paulo

exaratus, ante coxas pedum anticorum elevato-marginatus. — *Scutellum* non conspicuum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora illoque fere triplo longiora, breviter ovata, basi singulatim paulo rotundato-producta, humeris obtuso-angulatis, sub-retusis; posterius paulatim angustata, apice singulatim rotundata, abdomine breviora, supra parum convexa. — *Pygidium* nudum, apice semi-rotundatum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, omnes basi distantes; femoribus clavatis, muticis; tibiis teretibus, subrectis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κοιλογάστης, magnum ventrem habens.

TYPUS. — *Cœlogaster punctifrons*; e Pensylvania.

Observ. — Generi *Phytonobio* simillimum est hoc genus, sed oculi supra plani, haud convexi, pedes antici basi manifeste remoti, quare hoc genus a supra memorato separavi.

* 1. C. ZIMMERMANNI. *Schh.*

Breviter ovatus, parum convexus, niger, subtus dense albido-squamosus, supra variegatus, antennis, tibiis tarsisque obscure testaceis; thorace canaliculato, bi-tuberculato, lateribus et in vitta dorsali albido-squamoso; elytris punctato-striatis, lituris cinereo-squamulosis confertim variegatis, suturæ basi densius cruciformiter albido-squamosa.

Ceuthorhynchus punctifrons. SCHH. *in Litteris*, olim.

Patria : Pensylvania. A Dom. ZIMMERMANN detectus et amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et quodammodo facies *Ceuthorhynchi lituræ*, sed dimidio minor. Caput retractum, sub-globosum, confertim punctatum, nigrum, parce albido-squamulosum; oculi rotundati brunnei, sub callo alte elevato locati; rostrum capite longius, validum, modice arcuatum, crebre striatim rugulosum, saturate nigrum. Antennæ subtenues, testaceæ, clava nigricante. Thorax brevis, transversus, antice subito duplo angustior quam basi, apice leviter bi-sinuatus, lateribus rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio dorsi late canaliculatus, versus latera utrinque tuberculo sub-conico instructus, obsolete punctulatus, niger, antice, lateribus et in vitta media dense cinereo-albido-squamosus. Elytra

antice sinuata, elevato-marginata, humeris lateraliter extensis, obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, punctato-striata, interstitiis convexis, rugulosis; nigra, lituris parvis, difformibus cinereo-albido-squamosis confertim variegata; sutura, præsertim anterius, densius et albidius squamosa, adjecta non procul a basi utrinque, lineola transversa ejusmodi, crucem, formante. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa albida tectum. Pedes mediocres; femoribus clavatis nigris, albido-fasciatis, tibiis obscure; tarsis dilutius testaceis. — GYLL.

Dom. ZIMMERMANN, Auctor Entomologicus, in itinere in America boreali instituto, mihi misit nonnullas novas Curculionides, inter quas etiam hanc, cujus denominatione detectori merito intimam meam observantiam præstare volui. — SCHH.

GENUS 349. — POOPHAGUS. *Nobis.*

Rhynchænus FABR., OLIV., GYLLENH. — *Ceuthorhynchus* DEJEAN, SCHH. olim.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 7-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-turbinatis, clava ovalis, acuminata.

Rostrum longum, subtenue, teres, valde arcuatum.

Oculi laterales, sub-rotundati, paulo convexi.

Thorax basi bi-sinuatus, lateribus parum rotundato-ampliatus, antice angustior, late coarctatus, apice sub-truncatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, apice singulatim rotundata, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, parum convexum, squamosum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* pone medium rostri sitæ, thoracis medium vix superantes, subtenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° recto, clavato; 2°, 3° et 4° longiusculis, sub-obconicis, gradatim paulo brevioribus; 1° paulo crassiore; 5-8 brevibus, sub-turbinatis, apice sub-turbinatis, successive paulo latioribus; clava ovalis, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine thoracis cum capite, subtenue, lineare, teres, valde arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad oculum protensa. — *Oculi* laterales, sub-rotundati, paulo convexi. — *Thorax* latitudine baseos nonnihil longior, basi leviter bi-sinuatus, lateri-

bus parum ampliato-rotundatus, anterius angustior, intra apicem late coarctatus, apice supra paulo reflexus, sub-truncatus, pone oculos exigue lobatus, supra parum convexus, infra pone gulam profunde excisus; rima pectoralis valde obsoleta. — *Scutellum* minutissimum, oblongum, sub-triangulare. — *Elytra* thoracis basi vix dimidio latiora et illo vix triplo longiora, humeris obtuse angulatis, callo alte elevato instructis; pone humeros apicem versus sub-linearia, parum rotundato-ampliata, apice singulatim rotundata, pygidium haud obtegentia, supra dorso sub-depressa. — *Pygidium* nudum, supra sub-planum, apice rotundatum. — *Pedes* elongati, longitudine sub-æquales, validiusculi; femoribus omnibus basi distantibus, in medio nonnihil crassioribus; tibiis teretibus, rectis, apice muticis; tarsis minus latis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, subtus vix spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ποοφάγος herbis vescens.

Typus. — *Poophagus sisymbrii.*

Patria : Europa borealis et intermedia.

Observ. — *Ceuthorhyncho* generi similitudo intercedit, sed corpus magis elongatum et minus convexum.

* 1. P. Sisymbrii. *Fabricius.*

Oblongus, sub-depressus, niger, undique dense cretaceo-squamosus; thorace pone apicem late transversim impresso, in medio canaliculato, fusco bi-lineato; elytris subtiliter punctato-striatis, plaga communi transversa in medio dorsi, liturisque quatuor fuscis simul notatis; callo humerali rostroque nudis, atris. — Ghl.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 452. 68.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 154. 119. T. 29. f. 433.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 90. 23.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 409. 66. — *Mant.* I. p. 101. 50. — *Spec. Ins.* I. p. 168. 38. — *Gen. Ins. Mant.* p. 224. 26-27.

Herbst, *Col.* VI. p. 159. 116. T. 70. f. 12.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 484. 61.

Payk. *Fn. Suec.* III. p. 247. 66. — *Ent. Germ.* p. 303. 26.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 124. 31.

Marsh. *Ent. Brit.* p. 253. 46.

VILLERS, *Ent.* I. p. 187. 47. et IV. p. 268. 47.

WALCKEN. *Fn. Par.* I. p. 245. 27.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1750. 143.

Nedyus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 27. 1. T. 20. f. 2. — *Syst. Catal.* p. 153. 1544.

Ceuthorhynchus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 323.

SCHH. *Curculio Disp. Meth.* p. 298.

2. P. OLIVACEUS. *Schh.*

Oblongus, sub-depressus, niger, subtus dense cinereo-, supra parcius, æqualiter olivaceo-squamosus: thorace pone apicem late transversim impresso, in medio canaliculato; elytris evidentius punctato-striatis, interstitiis convexis, rugulosis.

Patria: Gallia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

Statura exacte *Poophagi sisymbrii*, sed paulo major, supra non variegatus. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, parce olivaceo-squamulosum; oculi rotundati, brunnei, modice convexi; rostrum longitudine dimidii corporis, tenue, valde arcuatum, nigrum, nitidum. Antennæ tenues, nigræ. Thorax latitudine baseos brevior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, pone apicem late transversim impressus, margine apicali modice elevato, subreflexo; lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio dorsi canaliculatus, confertim punctatus, niger, parce olivaceo-squamulosus. Elytra antice subtruncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis, elevato-callosis; lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, evidenter striata, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, rugulosis; nigra, parce, æqualiter olivaceo-squamulosa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Pedes longiusculi, nigri, parce cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, muticis. — GHL.

* 3. P. NASTURTII. *Spence.*

Oblongus, sub-depressus, viridi-æneus, subtus dense, supra parcius cinereo-squamosus, rostri apice, antennis tarsisque rufescentibus; thorace pone apicem transversim late impresso, in dorso canalicu-

lato; elytris punctato-striatis, viridi-micantibus; femoribus subtus dente parvo armatis. — GHL.

Ceuthorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 233. 360.
Id. seniculus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 323.

VAR. β. Tibiis etiam rufescentibus, squamositate elytrorum flavo-virescente.

Observ. — *Poophago sisymbrii* et *olivaceo* simillimus, colore tamen et femoribus dentatis abunde distinctus.

Patria : Gallia, Anglia, Scotia; var. β e Gallia, ex Musæo Dom. FALDERMANN designata.

GENUS 350. TAPINOTUS. *Nobis* (1).

Tapinotus DEJEAN. — *Attelabus* FABR.—*Ceuthorhynchus* GERM.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato; articulis tribus basalibus elongatis, sub-obconicis, 1° paulo crassiore, 4-6 brevibus, sub-rotundatis, æqualibus, omnibus sub-coarctatis; clava ovali, acuminata.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, modice arcuatum.

Oculi laterales, sub-rotundati, parum convexi.

Thorax sub-conicus, lateribus parum rotundatus, anterius paulo angustior, sub-coarctatus, margine antico truncato, nonnihil reflexo; pone oculos lobatus; rima pectoralis obsoleta, ante pedum anticorum basin desinens.

Scutellum minutissimum, triangulare, vix conspicuum.

Elytra oblongo-subquadrata, humeris obtuse angulatis: apice ipso singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora; dorso antico deplanata.

Pedes longiusculi, validiusculi, sub-æquales, antici basi distantes; femora parum clavata; tibiæ teretes, rectæ.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 292. 170.

* 1. T. SELLATUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis tectus, antennis, tibiis tarsisque testaceis: thorace vittis duabus, elytrisque fascia media abbreviata, nigris. — GHL.

Attelabus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 523. 39.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* IV. *App.* p. 454. 23-24.
HERBST, *Col.* VI. p. 217. 180. T. 75. f. 6.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 296. 13.
Rhynchænus id. SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 87. 108.
Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 221. 34.
Tapinotus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 298. *ed.* 3. p. 322.
Falciger id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.
STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 142.
Rhynchænus lysimachiæ. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 215. 206. T. 23. f. 328.
Tapinotus ephippiger. SCHH. *Curc. Disp. Meth.* p. 293.

* VAR. β. Thorace unicolore cinereo.

* VAR. γ. Fascia media elytrorum antrorsum dilatata, et pone illam alia macularis, obsoleta. — GHL.

Patria: Germania, Finlandia, Sibiria, Caucasus; Suecia prope Holmiam, in Lysimachia thyrsiflora a Dom. Nyblæo lecta.

GENUS 351. RHYTIDOSOMUS. *Nobis.*

Rutidosoma STEPHENS (1). — *Ceuthorhynchus* DEJEAN, GERMAR. — *Rhynchænus* GYLLENHAL.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues; funiculo, 6-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, subobconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis, nonnihil coarctatis; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longum, validum, teres, valde arcuatum.

Oculi sub-laterales, sub-rotundati, parum convexi.

---

(1) Stephens, Ill. Entom. IV. p. [illegible]. [illegible]88.

Thorax breviusculus, anterius angustatus, intra apicem parum coarctatus.

Scutellum vix ullum.

Elytra breviter ovata, humeris obtuse angulatis; apice singulatim sub-rotundata, abdomine paulo breviora, supra modice convexa.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, convexum, sculpturatum, inæquale, parce squamulosum, alatum, minimæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium sub-pertingentes, in medio rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 11-articulatæ: articulo 1° oculum sub-attingente, apice clavato, 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, 4-7 sub-rotundatis, parum distantibus, parce pilosis, gradatim paulo crassioribus, ultimo clavæ sub-adnexo; clava oblongo-ovata, sub-acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine fere capitis cum thorace, validum, teres, lineare, valde arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad oculum protensa. — *Oculi* majusculi, sub-laterales, paulo demissi, sub-rotundati, parum convexi. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, intra apicem parum coarctatus, apice sub-truncatus, pone oculos perparum lobatus, infra pone gulam profunde emarginatus, non canaliculatus, supra modice convexus. — *Scutellum* vix observandum. — *Elytra* antice thorace plus quam dimidio latiora, humeris obtuse angulatis; breviter ovata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, pygidium haud obtegentia, supra modice convexa. — *Pedes* longiusculi, validi, antice basi distantes; femoribus paulo clavatis, subtus dente parvo armatis; tibiis paulo comprimatis, basi arcuatis, apice muticis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ῥυτίς ruga, σῶμα corpus.

Typus. — *Rhytidosomus globulus.* Ex Europa boreali et intermedia.

Observ. — In plurimis cum *Ceuthorhynchidibus* convenit hoc genus, sed numerus articulorum funiculi antennarum distinctionem postulat.

* 1. R. GLOBULUS. *Herbst.*

Niger, sub-opacus, linea suturali pectorisque lateribus albido-squamosis; elytris globosis, profunde sulcatis punctatisque, interstitiis angustis, crenatis. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 235. 138.
Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 398. 376. T. 91. f. 7.
Rutidosoma globula. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 45. 1.

Patria: Suecia, Germania, Gallia.

GENUS 352. — MECYSMODERES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues; funiculo 6-articulato: articulis tribus basalibus longiusculis, sub-obconicis, tribus ultimis brevibus, sub-rotundatis, gradatim crassitudine paulo crescentibus; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, filiforme, arcuatum.

Oculi magni, sub-rotundati, modice convexi.

Thorax basi bi-sinuatus lobo medio valde elongato, triangulari, apice acuto; anterius valde angustior, apice sub-truncatus.

Scutellum haud detegendum.

Elytra breviter ovata, basi singulatim rotundata, thoracis basi non latiora, dein obliqua, valde ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, abdomine breviora, supra minus convexa.

Descriptio. — *Corpus* breviter ovatum, parum convexum, sculpturatum, parce squamulosum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, in medio rostri insertæ, subtenues, fractæ, 11-articulatæ: articulo 1° oculum vix attingente, 2°, 3° et 4° longiusculis, sub-obconicis, illo paulo longiore et crassiore, 5°-7° brevibus, sub-rotundatis, exterioribus successive crassioribus; clava libera, ovalis, sub-acuminata, 4-articulata, articulis arcte connexis. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, subtenue, lineare, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad oculum protensa. — *Oculi* magni, laterales, in fronte paulo approximati, sub-rotundati, modice convexi. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio valde elongato, apice acuto, lateribus modice rotundato-ampliatus.

anterius valde angustior, intra apicem parum coarctatus, apice sub-truncatus, pone oculos haud lobatus, supra parum convexus; infra pone gulam sat profunde emarginatus, non canaliculatus. — *Scutellum* haud observandum. — *Elytra* breviter ovata, thorace duplo longiora, basi singulatim rotundata; thoracis basi non latiora et ejus emarginaturas implentia, humeris antrorsum sub-prominulis; lateribus pone humeros valde ampliato-rotundata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine breviora, supra minus convexa. — *Pygidium* nudum, sub-quadratum, supra paulo convexum. — *Pedes* mediocres, validi, antici basi distantes; femoribus in medio incrassatis, subtus dente acuto armatis; tibiis teretibus, basi paulo arcuatis, apice sub-truncatis, unco minuto instructis; tarsis subtus nonnihil spongiosis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A μηκυσμὸς productus, δέρη collum.

Typus. — *Mecysmoderes euglyptus.* Ex insula Java.

Observ. — *Ceuthorhyncho* generi facie subsimile, sed notæ, in diagnosi indicatæ, facile distinguunt.

* 1. M. Euglyptus. *Dalman.*

Breviter ovatus, niger, opacus, rostro pedibusque ferrugineis; thorace punctatissimo, antice, lateribus et in vitta dorsali flavo-cinereo-squamoso; elytris amplis, punctato-sulcatis, basi, sutura antice, corporeque subtus flavo-cinereo-squamosis.

Rhynchænus id. Dom. Dalman *in Litteris.*

Patria : Insula Java. A Dom. Mellerborg detectus et communicatus. Mus. Schh.

Parvus, *Ceuthorhyncho didymo* æqualis, sed in elytris latior. Caput parvum, rotundatum, nigrum, cinereo-squamosum; oculi majusculi semi-globosi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, subtenue, modice arcuatum, punctatum, ferrugineum, apice ipso nigrum. Antennæ longiusculæ, subtenues, ferrugineæ, clava nigra. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, margine elevato; pone apicem late et profunde transversim impressus, lateribus pone medium ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio

longius producto, triangulari, acuminato; supra parum convexus, inæqualis, confertim punctatus, in medio canaliculatus, niger, opacus, antice, lateribus et in vitta media, posterius attenuata, dense flavo-cinereo-squamosus. Scutellum minutum, angustum, nigrum. Elytra ampla, antice singulatim rotundata, thoracis basi arcte applicata, ibique illi non latiora, sed pone basin oblique valde ampliata, humeris antrorsum sub-prominulis: lateribus pone humeros valde ampliato-rotundata, dein posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra minus convexa, profunde sulcata, et in sulcis punctis majusculis, sub-remotis impressa, interstitiis angustis, convexis; nigra, opaca; sutura a basi fere ad medium et margine baseos inæqualiter, sub-radiatim flavo-cinereo-squamosis. Pygidium rotundatum, punctatum, nigrum, parce squamulosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense cinereo-albido-squamosum. Pedes validi, obscure ferruginei, dense flavo-cinereo-squamulosi; femoribus modice crassis, subtus in medio dente parvo, acuto armatis; tarsis dilatatis, subtus albido-spongiosis. — GHL.

LIBRI

IN SYNONYMIA INSECTORUM CITATI,

ET

ABBREVIATIONUM EXPLICATIO.

(CONTINUATIO.)

Boisduv. Voy. de l'Astrol. — Voyage de découvertes de *l'Astrolabe*, exécuté par ordre du Roi, pendant les années 1826-1827-1828-1829, sous le commandement de M. J. Dumont-d'Urville. — Faune Entomologique de l'Océan Pacifique, avec l'illustration des insectes nouveaux recueillis pendant le voyage. Par le docteur Boisduval. — Première partie. — Paris, 1832. — 8°.

Chevr. Col. du Mex. — Coléoptères du Mexique, par A. Chevrolat. — Strasbourg, 1834. — In-8°.

Dejean, Cat. Col. ed. 2. — Catalogue des Coléoptères de la Collection de M. le Comte Dejean. — Paris, 1833-1835. — 8°.

Erichs., Beitræge. — Beitræge zur Zoologie, gesammelt auf einer Reise um die Erde, von Dr F. J. F. Meyen. Sechste Abhandl. Insekten. Bearbeitet von Herrn W. Erichson und Herrn Burmeister, Mit 5 Kupfertafeln. (Acta Acad. Cæs. Leop. Carol. nat. Curc. Vol. XVI. Suppl.)

Fald. Coleopt. — Coleopterorum ab illustrissimo Bungio in China boreali, Mongolia et montibus altaicis collectorum, nec non ab illustrissimo Turczaninoffio et Jtschukino e Provincia Irkutzk missorum illustrationes. Auctore Fr. Faldermann. — Accedunt tabulæ V. — Petropoli 1835. — 4°.

Guérin, Iconogr. — Iconographie du Règne Animal de M. le Baron Cuvier, ou représentation, d'après nature, de l'une des espèces les plus remarquables, et souvent non encore figurée, de chaque genre d'animaux, par M. F. E. Guérin. — Paris, 1832. — 8°.

Klug, Ins. v. Madag.—Bericht uber eine auf Madagascar veranstaltete Sammlung von Insecten aus der Ordnung Coleoptera. Von Dr Fr. Klug. (Eine in der Konigl. Akademie der Wissenschaften am 29 Mærz 1832 gelesene Abhandlung.) mit Funf illuminirten Tafeln. — Berlin. 1833. — 4°.

Lamarck, Anim. sans Vert. — Histoire naturelle des Animaux sans vertèbres *ed.* 2.—Par M. de Lamarck. T. IV.—Paris, 1817. — 8°.

Latr. l. Crust. l. Ar. et l. Ins. — Les Crustacées, les Arachnides et les Insectes distribués en familles naturelles, ouvrage formant les tomes 4 et 5 de celui de M. le Baron Cuvier sur le Règne Animal (2e édition). — Par M. Latreille. Tome. IIe.— Paris, 1829.— 8°.

Sahlb. Ins. Fenn. — Dissertatio Entomologica Insecta Fennica enumerans. — Auct. Carolo Reginaldo Sahlberg. — Aboæ, Helsingforsiæ 1817. — 8°.

Trans. of the Ent. Soc. of Lond. — The Transactions of the Entomological Society of London. — London 1834. — 8°.

SYNONYMIA INSECTORUM.

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM.

TOMUS QUARTUS. — PARS SECUNDA.

OUVRAGES DE M. SCHOENHERR

ET AUTRES AUTEURS

QUI SE TROUVENT A LA LIBRAIRIE ENCYCLOPÉDIQUE DE RORET,

rue Hautefeuille, 10 *bis*, à Paris.

Volume Ier. **SYNONYMIA INSECTORUM**, oder : Versuch einer synonimie aller bisher bekannten insecten ; nach fabricii systema Eleutheratorum geordnet, von C. J. Schoenherr. *Lethrus* — *scolytes*. Stockholm. 1806, 1 vol. 8°.

Vol. II. — *Spercheus* — *Cryptocephalus*. Stockholm 1808. 1 vol.

Vol. III. — *Hispa* — *Molorchus*. Upsal. 1817. 1 vol.

Vol. III *bis*. — *Appendix*. Descriptiones novarum specierum insectorum. Scaris. 1817. Un petit volume.

NOTA. *Les trois volumes et l'Appendix se vendent, ensemble, 30 francs, chez Roret. Il y a quelques volumes séparés.*

Vol. IV. — *Curculionidum dispositio methodica*, cum generum characteribus, descriptionibus atque observationibus variis seu prodromus ad synonymiæ insectorum partem IV. Lipsiæ. 1826 1 vol. 7 fr.

Vol. V à XII. — GENERA ET SPECIES CURCULIONIDUM, cum synonymia hujus familia 4 tomes en 8 gros volumes 8°. Paris. Roret. 1833-38. 72 fr.

L'auteur tiendra au courant de la science cet important ouvrage en publiant un supplément.

INSECTA SUECICA, descripta a *L. Gyllenhal*. Scaris. 1808-13. 3 vol. 33 fr.
Le quatrième volume, imprimé à Leipsig, 15 fr., chez Roret.

SUITES A BUFFON, belle édition in-8. Paris. Roret, contenant l'histoire naturelle des *Poissons*, par M. Desmarest ; des *Cétacés*, par M. F. Cuvier, des *Reptiles*, par M. Duméril ; des *Mollusques*, par M. de Blainville ; des *Crustacés*, par M. Milne Edwards ; des *Arachnides*, par M. Walckenaer ; des *Insectes*, par MM. Boisduval, comte Dejean, Lacordaire, Macquart, de Saint-Fargeau et Serville ; des *Vers et Zoophytes*, par M. Lesson ; des *Annelides*, par M. Audouin ; de la *Botanique*, par MM. de Candolle, Spach et de Brébisson ; de la *Géologie*, par M. Huot ; de la *Minéralogie*, par M. Brongniart.

En janvier, 1838, 23 volumes sont en vente avec 31 livraisons de planches ; tous les ouvrages se vendent, séparés, 5 fr. 50 c. chaque volume, quand l'on souscrit à toute la collection qui se composera de 55 volumes ; et 6 fr. 50 chaque volume, quand l'on souscrit à des ouvrages séparés Chaque livraison de planches est de 3 fr. en noir, et de 6 fr. en couleur.

PARISIIS. — EX TYPIS JULII DIDOT, NATU MAJORIS,
Aggere d'Enfer, n° 4.

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM,

CUM

SYNONYMIA HUJUS FAMILIÆ;

A

C. J. SCHOENHERR.

SPECIES NOVÆ AUT HACTENUS MINUS COGNITÆ,

DESCRIPTIONIBUS

A Dom. LEONARDO GYLLENHAL, C. H. BOHEMAN
ET ENTOMOLOGIS ALIIS

ILLUSTRATÆ.

TOMUS QUARTUS. — PARS SECUNDA.

PARISIIS,

Apud ROREET, via hautefeuille, n° 10 bis.

LIPSIÆ,

Apud Fred. FLEISCHER.

1838.



FAMILIA

CURCULIONIDES.

ORDO SECUNDUS.

GONATOCERI.

Legio II. MECORHYNCHI. (*Rhynchænides* Fabr.)

Rostrum cylindricum vel filiforme, plus minusve elongatum raro thorace brevius. Antennæ ante vel prope medium rostri, nec juxta sinum oris insertæ.

Sectio i. — *Antennæ articulis* 11, 12; *clava 4-articulata.*

Divisio II. APOSTASIMERIDES.

Pedes antici basi distantes, inter quos pectus aut planum, aut plus minusve distincte canaliculatum.

Subdivisio iii. CRYPTORHYNCHIDES. — *Pectus inter pedes anticos in plerisque distincte canaliculatum.*

Cohors 2. — *Thorax infra pro receptione rostri aut minus distincte, aut vix canaliculatus; canalicula in pectore in plerisque haud continuata, sed nunquam distincte terminata.*

(CONTINUATIO.)

Genus 353. ZYGOPS. *Nobis.*

Zygops Schh., Latr. (1), Boisduv., Dejean. — *Eccoptus* Dejean, Latr. olim., Sturm (2). — *Poecilma* Germ. (3). — *Rhynchænus* Fabr., Oliv.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, ante medium rostri insertæ; scapo breviusculo, oculos haud attingente; funiculo

(1) Schh. Curculio Disp. Meth. p. 300 175. — Latr. les Crust. les Arach. et les Ins. II. p. 8.

(2) Latr. Règne Anim. p. 395.

(3) Germ. Ins. Spec. I. p. 252. — Id. Mag. IV. p. 297.

7-articulato : articulo 1° breviusculo, obconico, 2° et 3° longis, sub-cylindricis, illo longissimo, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava oblonga, ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, basi paulo crassius, carinatum, versus apicem nonnihil complanatum læve, modice arcuatum.

Caput exsertum, thorace altius, hemisphæricum.

Oculi ovati, modice convexi, supra sub-contigui, totam capitis partem anticam occupantes.

Thorax longiusculus sub-conicus, basi aut profunde aut leviter bi-sinuatus, intra apicem linea transversa impressus.

Elytra thoracis basi vix latiora, oblongo-quadrata, apice sub-truncata, abdomine breviora, supra paulo convexa.

Abdomen æquale, in medio deplanatum; pygidium nudum, sub-deflexum.

Pedes elongati; femora postica reliquis longiora, ultra elytrorum apicem protensa, subtus acute dentata.

Observ. — Corpus oblongum, sub-cylindricum, pube holosericea dense tectum, alatum; aut majusculo aut minoris magnitudinis. Insecta forte salientia.

Patria. — Brasilia, Mexico, Cayenna.

1. Z. LIGATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, pube brunnea minus dense obsitus, rostro tenuiori; thorace ante scutellum ruguloso, utrinque obsolete silaceo-lineato, postice leviter bi-sinuato : elytris lineis variis confluentibus silaceis decoratis, subtiliter punctato-striatis, sutura elevata granulata.

Patria : Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo *Zygopis Germari*, minus depressus. Caput orbiculatum, nigrum, vertice linea angustissima frontali margineque infra-oculari silaceo-pubescentibus; subtus maculaque parva, triangulari in vertice denudatis; oculi ovati, nigro-brunnei, valde approximati, maximam capitis partem occupant; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, minus validum, valde arcuatum, vix punctatum, piceum, apice deplanatum, basi quadri-sulcatum, interstitiis carinulas tres formantibus, media longiore, in frontem nonnihil adscendente. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva, fusca.

Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus paulo productis, intra apicem striga arcuata, transversa, profunde incisa constrictus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, angulis lateralibus vix prominulis, supra modice convexus, subtilissime punctulatus, in ipsa basi ante scutellum rugulosus, niger, parce brunneo-pubescens, utrinque linea obliqua silacea decoratus. Scutellum breve, latum, cordiforme, nigrum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi non latiora, basi leviter sinuata, lobo interiore haud producto; mox pone basin ampliata, a medio apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata vel subtruncata, thorace plus duplo longiora, subtiliter punctato-striata, interstitiis sub-planis, subtilissime coriaceis; sutura elevata, undique granulis seriatis obsita, margine apicali etiam granulata; nigra, pube fusco-brunnea minus dense obsita, lineis variis transversis et obliquis, sæpe connexis, silaceo-pubescentibus decorata. Pygidium apertum, oblongum, punctulatum, nigrum. Corpus subtus subtilissime crebre punctulatum, nigrum, squamulis silaceis parce adspersum. Pedes validi, confertim punctulati, nigri, pube silacea adspersi; femoribus subtus acute dentatis; tibiis teretibus, rectis.

BHN.

* 2. Z. GERMARI. *Schh.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, niger, pube holosericeo-atra et testacea variegatus; thorace postice transversim arcuatim sulcato, ibique profunde bi-simuato; elytris tenuiter striatis, basi tuberculatis, apice singulatim obtuse rotundatis.

Poecilma hostia.? GERM. *Ins. Spec.* I. p. 256. 368.

Habitat in Brasilia. Dom. FEYREISS. Mus. SCHH.

Statura et similitudo *Zygopis strigis*, et, quoad colores, adhuc magis illi valde affinis *Zygopis (Pœcilma) Wiedii* Germarii, sed duplo major et in pluribus distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, pube densa squamæ-formi croceo-testacea ad latera et in linea angusta inter-oculari tectum, macula triangulari in medio verticis nuda, nigra, lævi; rostrum thorace fere longius, valde arcuatum, tenuiter punctatum, nigrum, nitidum, glabrum, apicem versus deplanatum, basi quadri-sulcatum, quorum interstitia carinulas tres formant, media longiore, in frontem nonnihil adscendente; oculi ovati, brunnei, maximam capitis partem occupant, linea angusta

frontali tantum distincti. Antennæ vix thoracis basin attingunt, sub-tenues, ferrugineæ, clava parva fusca. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus prominulis; intra apicem striga fere recta, transversa, profunde incisa constrictus, unde pars illa antica collare mentitur, ut in affinibus; lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus valde productis, acuminatis; intra basin fovea lata, profunda, bi-arcuata, transversa, antice posticeque carina elevata ejusdem formæ circumcincta; supra inæqualis, in medio leviter canaliculatus, versus latera utrinque impressus, vix vel subtilissime punctulatus, niger, pube subtili, densa holosericeo-atra tectus; in singulo latere plaga difformis, antice tri-ramosa, e pube croceo-testacea, albido-mixta, et in canalicula dorsali linea, antice latior, albido pubescens. Scutellum breve, latum, elevatum, cordiforme, nigrum, punctatum, pube holosericeo-atra tectum. Elytra antice thoracis basi non latiora, et illo vix triplo longiora, antice sinuata, lobo interiore valde producto, apice singulatim obtuse rotundata, cum acumine parvo in apice suturæ; supra obsoletissime striata, interstitiis subtilissime punctulatis, posterius planis, sed duobus in singulo elytro antice valde elevatis, tuberculis plurimis adspersis; nigra, pube subtili holosericeo-atra tecta et maculis plurimis inæqualibus e pube crocea adspersa; sutura a medio ad apicem rugulis sub-transversis, elevatis, scabra. Corpus subtus nigrum, confertissime punctatum, parce cinereo-pubescens, maculis nonnullis croceis in lateribus pectoris et ventris. Pedes validi, nigri, punctati, parce cinereo-pubescentes; femoribus omnibus subtus acute dentatis, anticis apice, posticis supra ferrugineo-pubescentibus; tibiæ breves, latæ, compressæ; tarsi dense pubescentes, subtus fulvo-spongiosis. — GYLL.

3. Z. SANCTUS. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, niger, pube holosericeo-atra et silacea variegatus, thorace postice profunde bi-sinuato, linea dorsali alteraque utrinque medio ramulo brevi introrsum et alio inferius antrorsum valde flexo, silaceis, decorato, elytris subtiliter punctato-striatis, striis guttulis crebris silaceis obsitis; corpore subtus cinereo-pubescens, atro-holosericeo maculato.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 476. 182.

Patria : America meridionalis. Dom. SMIDT. Mus. Reg. Dan. —

Cayenna. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice missus.

Zygope Germari minor præsertim angustior. Caput orbiculatum, nigrum, pube densa silacea ad latera et in linea angusta, interoculari tectum, macula magna triangulari in medio verticis nuda, nigra, lævi; rostrum thorace nonnihil longius, validum, valde arcuatum, subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum, apicem versus deplanatum, basi quadri-sulcatum, in sulcis silaceo-pubescens, interstitia carinula tres formant, media longiore in fronte nonnihil adscendente; oculi majusculi, ovati, nigro-brunnei, linea angusta frontali distincti. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva, fusca. Thorax latitudine baseos brevior, antice angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, obtuse rotundatis; intra apicem striga fere recta, transversa, minus profunde incisa, constrictus, unde pars illa antica collare mentitur, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus retrorsum productis, acuminatis; in medio leviter canaliculatus, versus latera obsolete impressus, vix vel subtilissime punctulatus, niger, pube subtili, densa, holosericeo-atra tectus; in singulo latere linea medio introrsum ramulum brevem et inferius alium antrorsum valde arcuatum emittente, in canalicula dorsali linea antice latiori, postice abbreviata, silaceo-pubescentibus, decoratus. Scutellum breve, latum, elevatum, cordiforme, nigrum, crebre punctulatum, pube holosericeo-atra tectum. Elytra antice thoracis basi non latiora et illo plus duplo longiora, antice sinuata, lobo interiore valde producto; a medio apicem versus nonnihil angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, supra subtiliter punctato-striata, interstitiis anterius granulatis; nigra, pube subtili holosericeo-atra tecta, striis guttulis parvis, crebris, basi ad suturam cinereis reliquis silaceo-pubescentibus ornata. Corpus subtus nigrum, pube cinereo-silacea tectum, macula magna utrinque pectorali, quatuor abdominis, duabus in medio oblongis, una utrinque laterali, atro-holosericeis decoratum. Pedes validi, nigri, punctati, cinereo-pubescentes; femoribus subtus acute dentatis; tibiis brevibus, latis, compressis; tarsis ferrugineis. — Bhn.

* 4. Z. STRIX. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, obscure ferrugineus, pube tenuissima atra parcius obsitus; thorace basi profunde bi-sinuato, postice ruguloso, medio tenue carinato, lineis variis albido-pubescentibus notato; elytris subtiliter punctato-striatis, guttulis silaceis nonnullis albidis mixtis variegatus, sutura posterius granulata; corpore subtus niveo-pubescente, atro-holosericeo maculato.

Zygops id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.
Eccoptus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 86.
Rhynchænus id.? FABR. *Syst. El.* II. p. 474. 177.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 186. 166. T. 25. f. 295.
Curculio id.? FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 433. 164.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 506. 163.
HERBST, *Col.* VI. p. 468. 478.

Patria: Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. DUPONT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et similitudo *Zygopis sancti*, thorace postice ruguloso, tenue carinato, lineis aliter locatis, elytris guttulis nonnullis niveis decoratis, sutura posterius granulata, ab illo distinctus. Caput orbiculatum, obscure ferrugineum, pube densa silacea ad latera et in linea angusta inter-oculari tectum, macula triangulari, in medio verticis, nuda, lævi; oculi ovati, nigro-brunnei, maximam capitis partem occupant; rostrum thorace longius, arcuatum, subtiliter punctulatum, ferrugineum, nitidum, glabrum, apice deplanatum, basi quadri-sulcatum, interstitiis carinulas tres formantibus, media longiore in frontem nonnihil adscendente; sulcis parce silaceo-squamosis. Antennæ subtenues, ferrugineæ clava parva, fusca. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus paulo productis; intra apicem striga arcuata, transversa, minus profunde incisa constrictus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus retrorsum productis, sub-acuminatis; supra modice convexus, versus latera obsolete impressus, subtilissime coriaceus, basi rugulosus, medio carinula tenuissima, postice abbreviata instructus, obscure ferrugineus, pube holosericeo-atra, dorso parcius obsitus, linea media et alia utrinque laterali valde arcuata, apicem versus retrorsum flexa, non procul a basi ramulum introrsum et

in medio alterum inferius emittente silaceo-pubescentibus ornatus. Scutellum breve, latum, cordiforme, elevatum, ferrugineum, crebre punctulatum. Elytra antice thoracis basi non latiora, basi valde sinuata, lobo interiore modice producto; a medio apicem versus nonnihil angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra sub-depressa, tenuiter striata et in striis subtiliter punctata, interstitiis anterius subtiliter rugulosis; sutura a medio ad apicem granulis transversis, seriatis obsita; tota obscure ferruginea, pube holosericeo-atra, dorso antico parcius ad latera densius obsita, guttulis crebris læte cervinis, duobus vel tribus lateribus niveis mixtis variegata. Pygidium apertum, orbiculatum, brunneo-squamosum. Corpus subtus nigrum, subtiliter punctulatum, albido-pubescens, macula utrinque pectorali et quatuor abdominis atro-holosericeis decoratum. Pedes validi, punctati, cinereo-pubescentes; femoribus nigro-piceis vel obscure ferrugineis, subtus acute dentatis; tibiis tarsisque dilutius ferrugineis.

Bhn.

Observ. — E descriptionibus Cel. Dom. Fabricii et Olivierii ut et e figura ab illo dato suspicatur *Rhynchænus strix* illorum eadem species ac *Zygops sanctus* efficere; cum autem Dom. Com. Dejean mihi communicavit hanc ut *Rhynchænum strigem* verum et consulare ei licet specimen in Musæo Dom. Olivier. asservatum a Dom. Fabricius descriptum, nullum dubium de indentitate mihi restat.

* 5. Z. Ochatinus. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, pube holosericeo-atra obsitus; thorace elytrisque lineis variis albido-et fulvo-pubescentibus notatis, thorace latiore, postice non insculpto; elytris pone scutellum tuberculo validiori instructis; antennis rostro tibiisque rufo-testaceis.

Patria : Brasilia. A Dom. Com. Mannerheim et Germar benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Zygopis Buffonis*, thorace latiori, postice transversim non insculpto, elytris tuberculo suturali pone scutellum magis elevato, ab illo fere unice distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, macula parva frontali margineque infra-oculari niveo-pubescentibus, lateribus et subtus læte brunneo-squamosum; oculi magni, ovati, brunnei, valde approximati, maximam capitis partem occupant; rostrum thorace nonnihil lon-

gius, arcuatum, subtiliter punctulatum, ferrugineum, apice deplanatum, basi crassius, ibique quadri-sulcatum, in sulcis parce cinereo-pubescens, interstitiis carinulas tres formantibus, media longiore, in frontem nonnihil adscendente. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriore. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus modice productis, obtuse rotundatis; intra apicem striga arcuata, transversa, profunde incisa constrictus, lateribus ante medium modice ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus retrorsum valde productis, sub-acuminatis; supra inæqualis, versus latera et in medio dorsi posterioris impressus, intra basin fossula transversa non insculptus, undique subtilissime punctulatus, nigro-piceus, pube holosericeo-atra variegatus, maculis nonnullis parvis, utrinque ad basin, niveo-pubescentibus decoratus. Scutellum breve, latum, cordiforme, nigrum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi haud latiora, sed mox pone basin ampliata, basi valde sinuata, thorace plus duplo longiora, apice singulatim obtusissime rotundata, supra paulo convexa, inæqualia, tenuiter striata et in striis anterius inæqualiter punctata, interstitio quarto a sutura antérius elevato, rugoso-tuberculato; sutura mox pone scutellum, gibbo magno, valde elevato instructa, posterius tuberculata; tota nigra, pube holosericeo-atra vestita, punctisque variis niveo-pubescentibus immixtis aliis fulvo-brunneis variegata. Pygidium apertum, orbiculatum, punctatum, cinereo- vel brunneo-pubescens. Corpus subtus nigrum, punctulatum, ventre antice utrinque macula nivea, posterius plaga ferrugineo-tincta notato. Pedes validi, punctati; femoribus nigris, acute dentatis; tibiis compressis tarsisque rufo-testaceis. — Bhn.

* 6. Z. Buffo. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, pube holosericeo-atra tectus; thorace elytrisque lineis variis albido-pubescentibus notatis, thorace postice transversim insculpto, antennis, rostro tibiisque ferrugineis.

Eccoptus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 86.
Zygops id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.

Habitat in Brasilia. Dom. Freyreiss. Mus. Schh.

Statura omnino præcedentium, et *Zygopi strigi* magnitudine æqualis. Caput orbiculatum nigrum, vertice, linea angustissima

frontali margineque infra-oculari niveo-pubescentibus; lateribus et subtus pube ferruginea vestitum; rostrum thorace fere longius, arcuatum, punctatum, ferrugineum, apice deplanatum, basi quadri-sulcatum, interstitiis carinulas tres formantibus, media longiore, in frontem nonnihil adscendente; oculi ovati, brunnei, valde approximati, maximam capitis partem occupant. Antennæ thoracis basin vix attingunt, subtenues, piceæ, ferrugineæ, clava parva fusca. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus productis, intra apicem striga arcuata, transversa, profunde incisa constrictus; lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus valde productis, sub-acuminatis; intra basin fossula transversa, arcuata, lata et profunda, utrinque abbreviata, posterius acute marginata, impressus; supra inæqualis, versus latera et in medio dorsi posterioris impressus, undique subtilissime punctulatus, piceus, pube holosericeo-atra tectus, lineisque variis angustis, arcuatis, niveo-pubescentibus ornatus. Scutellum breve, latum, cordiforme, nigrum, punctulatum, albo-pubescens. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin ampliata, basi valde sinuata, thorace triplo longiora, apice singulatim obtusissime rotundata, supra parum convexa, inæqualia, tenuiter striata et in striis anterius inæqualiter punctata, interstitio quarto a sutura anterius elevato, rugoso-tuberculato; nigra, pube holosericeo-atra vestita, lineis punctisque variis niveo-pubescentibus, immixtis aliis minoribus obscure ferrugineis, variegata; sutura anterius valde elevata, posterius tuberculata. Pygidium apertum, orbiculatum, punctatum, obscure ferrugineum. Corpus subtus nigrum, punctulatum, anterius albido-pubescens, ventre antice utrinque macula nivea, posterius plaga ferrugineo-tincta notato. Pedes validi, punctati, albido-pubescentes; femoribus nigris, subtus acute spinosis, tibiis compressis tarsisque ferrugineis. — Ghl.

* 7. Z. Disjunctus. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pube holosericeo-atra tectus; thorace læte brunneo-squamoso, plaga dorsali atra, antice ramosa punctisque utrinque duobus niveis decorato, postice transversim leviter insculpto; elytris lineis variis niveo-pubescentibus punctisque brunneis variegatis; antennis, rostro pedibus anticis tibiisque ferrugineis.

Patria: Minas Geraes Brasiliæ. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim missus. Mus. Schh.

Habitus et summa similitudo *Zygopis Buffonis*, sed duplo fere minor, aliter coloratus, thorace postice tenue insculpto, sutura basi vix elevata, etc., ab illo distinctus. Caput orbiculatum, nigro-piceum, linea angustissima frontali margineque infra-oculari silaceo-squamosis, lateribus et subtus pube ferruginea vestitum; oculi magni, ovati, brunnei, valde approximati; rostrum longitudine thoracis cum capite, arcuatum, subtiliter punctatum, ferrugineum, apice deplanatum, basi crassius, ibique quadri-sulcatum, parce silaceo-pubescens, interstitiis carinulas tres formantibus, media longiore, in frontem nonnihil adscendente. Antennæ subtenues, ferrugineæ. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus modice productis, obtusis; intra apicem striga arcuata, transversa, profunde incisa constrictus, lateribus ante medium vix ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, angulis lateralibus retrorsum valde productis, sub-acuminatis; intra basin fossula transversa, arcuata, angusta et parum profunda, utrinque abbreviata, acute marginata impressus, supra modice convexus, subtilissime punctulatus, læte brunneo-squamosus, dorso plaga magna longitudinali, antice utrinque dilatata, atro-holosericea punctisque duobus lateralibus, uno in ipsa basi altero pone medium niveo-squamosis decoratus. Scutellum breve, latum, cordiforme, ferrugineum, punctulatum. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin nonnihil ampliata, basi leviter sinuata, thorace plus duplo longiora, apice singulatim obtusissime rotundata, supra parum convexa, tenuiter striata et in striis subtiliter remote punctata, interstitiis planis; nigra, pube holosericeo-atra vestita, punctis niveis aliis minoribus brunneis variegata, sutura anterius paulo elevata, posterius tuberculata. Pygidium apertum, orbiculatum, punctatum, dense læte brunneo-pubescens. Corpus subtus nigrum, punctulatum, parce albido-squamosum, posterius utrinque plaga ferrugineo-tincta notato. Pedes validi, punctati, parce albido-pubescentes; femoribus anticis obscure ferrugineis, reliquis nigro-piceis, omnibus subtus acute spinosis; tibiis compressis tarsisque dilute ferrugineis. — BHN.

* 8. Z. WIEDII. *Germar.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, niger, pube atro-holosericea et brunnea variegatus; thorace utrinque plaga longitudinali læte brunnea albo-maculata decorato, obsolete carinato, postice mediocriter bisinuato; elytris tenuiter punctato-striatis, sutura granulata, abdomine utrinque plaga fulva ornato. — BHN.

Poecilma id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 259. 391.

VAR. β. Rostro tibiis tarsisque ferrugineis.

Observ. — Nimis affinis *Zygopis strigis*, colore testaceo macularum thoracis, elytrorum et ventris, lobo interiore basi elytrorum paulo producto, ab illo bene distinctus.

9. Z. CINCTIPES. *Germar.*

Oblongo-ovatus, minus depressus, niger, læte brunneo-pubescens orbitis oculorum thoracisque lineis tribus albis; thorace postice leviter bi-sinuato, elytris tenuiter punctato-striatis, maculis sparsis atro-holosericeis et cinereis variegatis, sutura obsolete granulata; femoribus cinereo annulatis. — BHN.

Poecilma id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 257. 389.

Patria : Brasilia.

10. Z. MEXICANUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, læte brunneo-pubescens, orbitis oculorum lateribus thoracis et subtus albido-squamosis; thorace postice mediocriter bi-sinuato, dorso plaga anchoræ-formi nigro-fusca decorato; elytris tenuiter punctato-striatis, maculis sparsis atro-holosericeis et cinereis variegatis, sutura posterius obsolete granulata, pectore subtus maculisque quatuor abdominis denudatis.

VAR. β. Dimidio minor, elytris guttulis nonnullis niveis etiam adspersis.

Patria : Vera Crux, Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Zygopis cinctipedis*, supra magis depressus, thorace lateribus albido-squamoso, dorso plaga

anchoræ-formi, nigro-fusca decorato, sutura posterius tantum granulata, ab illo distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, pube densa squamæ-formi ad latera et in linea angusta, inter-oculari tectum, macula triangulari in medio verticis nuda, nigra, lævi; oculi ovati, nigro-brunnei, maximam capitis partem occupant, in fronte approximati; rostrum thorace nonnihil longius, valde arcuatum, minus validum, basi quadri-sulcatum, quorum interstitia carinulas tres formant, media longiore in frontem nonnihil adscendente, apicem versus deplanatum; totum subtilissime punctulatum, nigro-piceum, nitidum, glabrum, in ipsa basi albido-pubescens. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriore. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, anterius angustior, apice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus modice productis; intra apicem striga transversa, arcuata, profunde insculpta constrictus, lateribus obliquus versus basin ampliatus, postice mediocriter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, lateribus albido-dorso cervino-squamosus, plaga magna anchoræ-formi, nigro-fusca, antice abbreviata, decoratus. Scutellum breve, elevatum, apice rotundatum, ferrugineum, crebre punctulatum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis; a medio apicem versus perparum angustata, apice ipso singulatim obtusissime rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis; sutura a medio ad apicem granulis obsoletis obsita; nigra, squamulis densis læte brunneis tecta, maculis atro-holosericeis et cinereis variegata. Pygidium apertum, orbiculatum, punctatum, brunneo-squamosum. Corpus subtus nigrum, subtiliter confertim punctulatum, albido-pubescens, pectore subtus, abdomine maculis parvis quatuor denudatis. Pedes longiusculi, validi, punctati, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus acute dentatis, posticis extus medio atro-holosericeis. — BHN.

* 11. Z. HISTRIO. *Dejean.*

Oblongus, nigro-piceus, supra dense fusco-squamosus, rostro, antennis pedibusque ferrugineis; thorace angustiore, postice leviter bisinuato; elytris tenuiter punctato-striatis, singulo macula magna rotundata nigra, antice posticeque puncto albo, notata, sutura posterius muricata, pygidio carinato.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 299. *ed.* 3. p. 324.

Eccoptus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 86.

VAR. β. Supra cinereo-fuscoque variegatus, thoracis lateribus lineis plurimis obliquis, albidis decoratus.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Cayenna Dom Com. DEJEAN et Dom. DUPONT. Mus. SCHH.

Statura fere *Zygopis vinuli*, sed dimidio minor. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum, in fronte anguste, ad latera late flavescenti-squamulosa, vertice macula parva, triangulari, nuda notato; oculi ovati, nigro-brunnei, maximam capitis partem occupant, in fronte valde approximati; rostrum thorace nonnihil longius, valde arcuatum, basi tri-carinatum, extrorsum cylindricum, subtilissime punctulatum; totum rufo-ferrugineum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, subtenues, ferrugineæ, clava fusca. Thorax latitudine vix brevior, anterius paulo angustior, apice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus productis, intra apicem striga transversa, arcuata, profunde insculpta constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra minus convexus, confertim punctulatus, niger, dense fusco-squamosus, in medio linea angusta, abbreviata et versus latera utrinque aliis obliquis cinereo-squamulosis, at obsoletis. Scutellum elevatum, apice rotundatum, ferrugineum, dense fusco-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi arcte applicata et illo paulo latiora, humeris sub-elevatis; thorace plus duplo longiora, apice singulatim obtusissime rotundata, supra parum convexa, intra basin transversim impressa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis; picea, squamulis densis fusco-brunneis, parum cinereo-variegatis vestita; in singuli elytri medio, versus marginem lateralem, macula magna orbiculata nigra, antice et postice puncto albo notata. Pygidium oblongo-ovatum, carinatum, dense ferrugineo-squamosum. Corpus subtus nigrum, squamulis cinereo-albidis, in lateribus ventris maculatim condensatis, variegatum. Pedes longiusculi, validi, dilutius rufo-ferruginei; femoribus albo-fasciatis, omnibus acute dentatis. — BHN.

* 12. SUBMACULATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, supra læte brunneo-subtus silaceo-pubescens; thorace angustiori, postice leviter bi-sinuato, utrinque vitta obliqua silacea decorato; elytris guttulis remotis, albidis adspersis, tenuiter punctato-striatis, sutura undique granulata, pygidio oblongo-ovato, non carinato.

Patria : Cayenna. A Dom. CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Zygopis histrionis*, aliter tamen coloratus. Caput orbiculatum, ferrugineum, orbita oculorum in fronte anguste ad latera late silaceo-squamulosa; oculi majusculi, nigro-brunnei, maximam capitis partem occupant, in fronte valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, minus validum, valde arcuatum; teres, apicem versus nonnihil deplanatum, vix punctulatum, basi quadri-sulcatum, interstitiis sulcis carinatis, ibique silaceo-squamosum, piceum, glabrum, nitidum. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriore. Thorax latitudine vix brevior, anterius paulo angustior, apice late sinuato-emarginatus, lobis ocularibus paulo productis; intra apicem striga transversa, arcuata, profunde insculpta, constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, tenue marginatus, supra modice convexus, vix vel subtilissime punctulatus, postice rugulosus, niger, læte brunneo-squamosus, utrinque vitta obliqua, silacea decoratus. Scutellum elevatum, latum, apice rotundatum, ferrugineum, punctulatum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris vix elevatis; a medio apicem versus angustata, apice ipso singulatim obtusissime rotundata, thorace plus duplo longiora, supra paulo convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis; sutura nonnihil elevata, granulis parvis, seriatis, undique obsita; nigra, dense læte brunneo-squamosa, guttulis 6 vel 7 remotis, albidis adspersa. Pygidium oblongo-ovatum, obscure ferrugineum, punctulatum, squamulis nonnullis silaceis ad basin obsitum. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, squamulis silaceis lateribus densius, medio parce, vestitum. Pedes longiusculi, validi, punctati, nigri, parce cinereo-pubescentes; femoribus atris albo-fasciatis, omnibus acute dentatis; tarsis dilute ferrugineis. — BHN.

* 13. Pistor. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, supra pube fusca adspersus subtus dense albido-squamosus, antennis ferrugineis, rostro basi tenue carinato; thorace antice constricto, lateribus recto, basi leviter bi-sinuato; elytris evidenter punctato-striatis; femoribus albido-pubescentibus, apice nigris.

Habitat in provincia Minas Geraes Brasiliæ. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim amicissime donatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Zygopis histrionis.* Caput orbiculatum, nigrum, supra parce lateribus et subtus dense albido-squamosum; oculi ovati, nigri, valde approximati, maximam capitis partem occupant; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, inflexum, nigro-piceum, punctulatum, apice deplanatum, basi crassius, ibique medio tenue carinatum, parce albido-squamosum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriori. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus modice productis, intra apicem striga arcuata, transversa constrictus, pone stricturam subito ampliatus, lateribus dein rectis; postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, inæqualis, subtilissime crebre punctulatus, dorso parce fusco-lateribus dense albido-pubescentibus. Scutellum breve, latum, apice truncatum, punctulatum, parce albo-pubescens. Elytra antice thoracis basi non latiora, sed mox pone basin ampliata, basi sub truncata vel leviter sinuata, thorace plus duplo longiora, apice singulatim obtusissime rotundata, supra parum convexa, evidenter etsi tenuiter striata, in striis sub-remote punctata, interstitiis planis, lævibus; nigra, pube fusco-atra vestita, lineis punctisque parvis, remotis, niveo-pubescentibus parce adspersa; sutura vix elevata, subtiliter tuberculata. Pygidium apertum, orbiculatum, punctatum, nigrum, parce fusco-pubescens. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense albido-pubescens, ventre posterius utrinque fusco bimaculato. Pedes validi, punctati, albido-pubescentes; femoribus apice nigris, subtus acute spinosis; tibiis modice compressis, tarsis fuscis. — Bhn.

* 14. Z. VINULUS. *Schh.*

Sub-lineari-elongatus, niger, antennis ferrugineis; thorace vittis quinque ochraceo-squamosis ornato; elytris punctato-striatis, lituris numerosis ochraceo-et argenteo-squamosis variegatis; pygidio carinato.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, CHEVROLAT et SCHH. descriptus.

Longitudo *Zygopis strigis*, sed magnitudine variat, etiam dimidio imo triplo minor, angustior, magis linearis. Caput globosum, nigrum, orbita oculorum dense ochraceo-squamosa, in fronte valde angusta, ad latera latiore, plaga verticis triangulari, nuda; oculi maximi, ovati, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, inflexum, arcuatum, nigrum, basi crassum, breviter carinatum et bi-sulcatum, punctatum, ochraceo-squamosum, extrorsum attenuatum, læve, nudum, nitidum. Antennæ longæ, tenues, ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine brevior, basi apiceque late emarginatus, intra apicem striga transversa, abbreviata impressus; lateribus antice oblique ampliatis, dein rectis; supra posterius modice convexus, confertim punctulatus, niger, vittis quinque ochraceo-squamosis ornatus, quarum dorsalis angusta, recta, laterales in medio sinuatæ, marginales interruptæ; interstitia præterea squamulis sub-argenteis parce adspersa. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi ibi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, obsolete punctato-striata, holosericeo-atra, opaca, antice juxta suturam stria brevi, et in disco, præsertim posterius, maculis parvis argenteo-squamosis ornata, liturisque numerosis ochraceo-squamosis variegata. Pygidium semi-ellipticum, punctatum, nigrum, in medio distincte carinatum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum disperse sub-argenteo-squamulosum, pectore utrinque plaga obliqua dense sub-argenteo-squamosa notato. Pedes longiusculi, punctati, nigri, femoribus parum crassis, anterioribus subtus unidentatis; primi paris apice linea ochraceo-squamosa notatis; posticis longioribus, subtus bidentatis; basi argenteo-squamosis. — GHL.

* 15. Z. TEMPORARIUS. *Fabricius.*

Sub-lineari-elongatus, niger, thorace albido tri-lineato; elytris dorso læte brunneo-squamosis, lateribus argenteo-punctatis, tenuiter punctato-striatis, sutura tota tuberculata, pygidio canaliculato; corpore subtus argenteo-squamoso, atro-maculato.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 478. 188.

Zygops discoidalis. SCHH. *in Litteris* olim.

Id. lineato-collis. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 324. Secundum Dom. CHEVROLAT.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura *Zygopis histrionis*, sed fere dimidio minor et abunde distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum in fronte angustissime ad latera late flavo-albido vel argenteo-squamosa, relicta macula magna, triangulari, nuda, nigra, lævi, sub-elevata, in medio verticis; rostrum longitudine thoracis cum capite, valde arcuatum, punctulatum, nigrum, basi sulcis quatuor brevibus exaratum, unde exstant carinulæ tres, elevatæ, breves; oculi ovati brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin vix attingunt, tenues, ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine vix brevior, anterius paulo angustior, apice late et sat profunde emarginatus, lobis ocularibus modice productis, intra apicem striga transversa, arcuata, profunde insculpta constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter emarginatus, non sinuatus, supra modice convexus, confertissime granulato-punctatus, niger, linea dorsali recta, lateribus late et basi anguste cinereo-albido-squamosis, utrinque vitta cuneiformi denudata, evidenter punctata, decoratus. Scutellum rotundatum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, pone humeros nonnihil ampliata, thorace plus duplo longiora, apice sub-truncata, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, sutura tota, interstitiis plerisque versus basin et interioribus postice, tuberculis parvis muricatis; nigra squamulis albidis in basi et maculatim versus latera adspersa disco communi densius sub-ferrugineo-squamoso. Pygidium sub-cordatum, convexum, nigrum, punctatum, in medio canaliculatum. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, parcius cinereo-vel argenteo-squamulosum, macula magna utrinque pectorali et duabus lateralibus parvis, abdominis, denu-

datis, atris. Pedes longiusculi, nigri, punctati, cinereo-squamulosi, femoribus omnibus subtus dentibus 2 vel 3 armatis, exterioribus parvis. — BHN.

* 16. Z. SCENICUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, piceus, obscurus; thorace antice ferrugineo-postice albido-squamoso, medio plaga transversa, sinuata, obscure ferruginea; elytris subtiliter striatis, cinereo-variegatis, apice truncatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura et similitudo *Zygopis temporarii*, sed plus duplo minor. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum flavescenti-squamosa, vertice plaga magna triangulari, ad basin utrinque ramulum exserente, nuda, obscure ferruginea, lævi; rostrum longitudine thoracis cum capite, valde arcuatum, punctatum, nigrum, basi breviter tri-carinatum, sulcis squamosis; oculi ovati, nigro-brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin vix attingunt, tenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine vix brevior, anterius paulo angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus paulo productis, intra apicem striga angulata sat profunde impressa constrictus, lateribus paulo pone apicem et iterum pone medium ampliatus, basi leviter emarginatus, supra modice convexus, confertim subtiliter ruguloso-punctatus, obscure ferrugineus, antice late ferrugineo-basi anguste cinereo-squamosus, relicta in medio plaga transversa nuda, antice sinuata. Scutellum sub-cordatum, nigrum, albido-squamosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis, pone humeros nonnihil ampliata, apice truncata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, subtiliter striata, striis vix punctatis, interstitiis planis, subtilissime granulatis; obscure ferruginea, lateribus obscurioribus, basi transversim inæqualiter albido-squamosa, et in disco sparsim cinereo-albido variegata; sutura fere tota subtiliter granulato-muricata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, cinereo-albido-squamosum, versus latera densius, sub-maculatim. Pedes longiusculi picei, punctulati, cinereo-squamulosi, femoribus subtus dente anteriore majore, acuto et uno alterove parvo exterius adjecto, armatis. — GHL.

17. Planulus. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, supra squamulis brunneis-subtus silaceis tectus; thorace brevi, postice obsolete bi-sinuato, utrinque vitta laterali atro-holosericea punctisque tribus albidis ornato; elytris punctis numerosis, sparsis, albidis, adspersis, tenuiter punctato-striatis, sutura granulata.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 477. 188.

Patria : America meridionalis. Dom. Smidt. Mus. Reg. Dan.

Affinis certe *Zygopis sub-maculati*, illo vix longior, sed dimidio latior; thorace breviori, aliter colorato, elytris punctis numerosis albidis adspersis, etc., ab illo distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, pube densa squamæ-formi ad latera et in linea angusta inter-oculari tectum, macula triangulari in medio verticis, nuda nigra, lævi; oculi ovati, nigro-brunnei, maximam capitis partem occupant, linea angusta frontali tantum distincti; rostrum longitudine thoracis cum capite valde arcuatum, sub-læve, nigro-piceum, nitidum, glabrum, apicem versus deplanatum, basi quadri-sulcatum, ibique silaceo-squamosum, interstitiis carinulas tres formantibus, media in frontem nonnihil adscendente. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva obscuriore. Thorax latitudine postica multo brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; intra apicem striga, transversa, arcuata, profunde incisa constrictus, lateribus ante medium nonnihil ampliatus, basi obsolete bi-sinuatus, angulis lateribus retrorsum paulo productis; supra modice convexus, subtilissime punctulatus, niger pube umbrina tectus, vitta utrinque laterali atro-holosericea punctisque duobus in margine superno, uno medio, altero apicem proprius tertioque in lobo oculari, albido-squamosis, decoratus. Scutellum breve, apice rotundatum, sub-elevatum, crebre punctulatum, brunneo-squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; posterius perparum angustata, apice ipso singulatim obtusissime rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, sutura undique, anterius tamen evidenter granulata; nigra, pube umbrina dense tecta, maculis nonnullis obsoletis fuscis punctisque numerosis, sparsis, albidis variegata. Pygidium oblongo-ovatum, nigrum, punctula-

tum, fusco-squamosum. Corpus subtus nigrum, subtilissime punctulatum, silaceo-squamosum, ventre basi utrinque plaga fusca decorato. Pedes validi, nigri, punctati, parce silaceo-squamulosi; femoribus anterioribus acute uni-posticis bi-dentatis, extus fusco-maculatis. — BHN.

* 18. Z. HINNULUS. *Schh.*

Ovatus, niger, opacus, squamulis cinereo-albidis parcius adspersus; rostro basi tenue uni-carinato: thorace brevi, transverso; elytris tenuiter striatis, apice sub-truncatis, femoribus bi-dentatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Latitudo *Zygopis scenici*, sed brevior, ovatus. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum flavescenti-squamosa, triangulo verticis interdum nudo, nigro, punctato; rostrum longitudine thoracis, valde arcuatum, nigrum, basi leviter uni-carinatum et ruguloso-punctatum; oculi ovati, nigro-brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin fere attingunt, subtenues, obscure ferrugineæ, clava fusca. Thorax latitudine multo brevior, transversus, antice late emarginatus, et intra apicem striga arcuata, impressa constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim granulato-punctatus, niger, squamulis albidis, interdum ochraceo-tinctis, inæqualiter parce adspersus. Scutellum majusculum, rotundatum, confertim punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Elytra antice thoracis basi paulo latiora, lateribus ampliata, apice sub-truncata, thorace plus duplo longiora, supra magis quam in prioribus convexa, evidenter striata, striis anterius obsolete punctatis, interstitiis confertim granulato-punctatis; obscure nigra, squamulis cinereis interdum ochraceo-tinctis, inæqualiter variegata. Pygidium breviter sub-conicum, nigrum, punctulatum, squamulosum. Corpus subtus confertim granulato-punctatum, nigrum, cinereo-squamosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, confertim punctati, cinereo-squamosi, femoribus angulatis, subtus obtuse bi-dentatis, dente anteriore majore; tarsis ferrugineis — GHL.

19. Z. TRIDENTATUS. *Chevrolat.*

Ovatus, ferrugineus, opacus, squamulis cinereo-albidis supra variegatus, subtus æqualiter vestitus, antennis, pedibus rostrique apice obscure testaceis; thorace transverso; elytris subtiliter punctato-striatis; femoribus anterioribus bi-posticis tri-dentatis.

Patria : Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Zygopi hinnulo similis et affinis, sed paulo minor, femora aliter dentata et color alius. Caput sub-globosum, ferrugineum, orbita oculorum dense pallido-squamulosa, plaga triangulari verticis nuda; oculi maximi, ovati, nigri, modice prominuli, in fronte valde approximati; rostrum capite cum thorace paulo longius, validum, basi crassius, punctulatum, uni-carinatum et squamulosum, nigrum, extrorsum nudum, nitidum, testaceum, apice deplanatum. Antennæ ferrugineæ, clava fusca. Thorax latitudine brevior, antice late sed parum profunde emarginatus, intra apicem striga profunda, fere recta impressus, lateribus parum ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, angulis lateralibus retrorsum prominulis; supra parum convexus, obsolete punctatus, ferrugineus, squamulis albidis parce adspersus, aliisque pallidis in lineis tribus obsoletis, magis condensatis, notatus. Scutellum breve, latum, apice truncatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, fere truncata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis latis, planis, alutaceis; ferruginea, squamulis cinereo-albidis, sub-fasciatim condensatis variegata. Pygidium sub-triangulare, obsolete punctatum, albido-squamosum. Corpus subtus punctulatum, obscure ferrugineum, squamositate densa, albida, nitida tectum. Pedes breviusculi, validi, cinereo-squamulosi; femoribus piceo-testaceis, anterioribus bi-dentatis, posticis dentibus tribus, gradatim minoribus instructis; tibiis tarsisque dilutius testaceis. — GHL.

* 20. Z. SOBRIUS. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus squamulis albidis omnino tectus, supra squamulis cinereis et sub-ferrugineis variegatus; thorace breviore; elytris. sub-depressis, striatis, apice truncatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus, SCHH.

Parvus, *Zygopi hinnulo* plus duplo minor. Caput orbiculatum, nigrum, antice et lateribus dense niveo-squamosum, postice et inter oculos squamulis flavescentibus tectum, triangulo verticis nudo, nigro; rostrum longitudine thoracis, arcuatum ferrugineum, punctulatum, anterius nudum, basi dense niveo-squamosum, carinula brevi, simplici; oculi ovati, nigro-brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin non attingunt, tenues, pallidius testaceæ, clava nigricante. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus prominulis, intra apicem striga arcuata, impressa constrictus, lateribus parum ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, squamositate densa cinerea, versus basin ferrugineo-tincta, vestitus, nigredine in disco anteriore inæqualiter translucente. Scutellum rotundatum, dense ferrugineo-squamosum. Elytra antice thorace latiora et illo plus duplo longiora, lateribus vix ampliata, apice truncata, angulo exteriore rotundato, supra sub-depressa, tenuiter striata, striis vix punctatis, interstitiis planis, rugulosis; nigra, squamulis cinereis, ad basin flavescenti-tinctis, inæqualiter variegata. Pygidium sub-orbiculatum, dense flavescenti-squamosum. Corpus subtus squamositate densa nivea tectum. Pedes breviusculi, punctati, piceo-ferruginei, dense albo-squamosi, femoribus subtus dente obtuso armatis.

GHL.

Ad hoc genus verisimile referendi sunt (species mihi invisæ).

21. Z. BOISDUVALII. *Dupont.*

Ovatus, aterrimus, nitidus, lævis, rostro longo, gracili, arcuato: thorace linea antica obliqua basique tenuissimo albidis; elytris lineis tribus transversis, albidis. — BOISD.

BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 439.

Patria : Nova Guinea.

22. Z. JASPIDEUS. *Germar.*

Oblongus, supra brunneo-subtus griseo-squamosus, orbitis oculorum annuloque laterali duplicato thoracis albidis, coleopteris oblongo-quadratis, griseo-fuscoque variis : femoribus albo-fasciatis. GERM.

Poecilma jaspideum. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 258. 390.

Patria : Brasilia.

23. Z. FURFURACEUS. *Germar.*

Punctatus, ater, thorace fulvo-squamoso, vittis duabus atris, coleopteris sub-quadratis, profunde punctato-striatis, griseo-fulvoque irroratis. — GERM.

Poecilma furfuraceum. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 260. 392.

Patria : Brasilia.

GENUS 354. COPTURUS. *Nobis.*

Coptorus DEJEAN. — *Zygops,* subgenus *Coptorus* SCHH. (1). — *Zygops* SAY. — *Poecilma* GERM. — *Cryptorhynchus* SAY. — *Rhynchænus* FABR.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, ante medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato : articulo 1° longiusculo, obconico, 2° sæpissime valde elongato, sub-cylindrico, 3° et 4° elongatis sub-obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava oblonga, sub-ob-ovata, acuminata, articulo 1° longiore.

Rostrum longiusculum, validiusculum, basi paulo crassius, carinatum, versus apicem paulo complanatum, læve, modice arcuatum.

Oculi ovati, maximi, intus fere coeuntes.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, intra apicem coarctatus, apice ipso late emarginatus.

Elytra thoracis basi paulo latiora, latitudine sæpius vix longiora, versus apicem sensim paulo attenuata, pygidium obtegentia, supra depressa.

Abdomen basi sub-inflatum, postice retusum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 302.

Pedes longiusculi; femora postica reliquis sæpius multo longiora.

Descriptio. — *Corpus* aut breviusculum aut sub-elongatum, rhombicum, supra sæpius depressum, squamosum, alatum; mediæ, minusculæ, aut minimæ magnitudinis. — *Antennæ* capitis thoracisque longitudinem adæquantes, mox ante medium rostri insertæ, subtenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo clavato, oculos haud attingente; funiculo 7-articulato: articulo 1° longiusculo, obconico, 2° sæpissime longissimo, 3° et 4° dimidio brevioribus, sub-obconicis, 5-8 brevibus, aut rotundatis aut turbinatis, gradatim parum latioribus, ultimo clavæ haud adpresso; clava 4-articulata, sub-ob-ovata, acuminata, articulo 1° cæteris longiore. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, ante medium paulo crassius, carinatum, exinde versus apicem aliquantulum tenue, nonnihil complanatum, glabrum, læve, modice arcuatum, inflexum; scrobe ante medium incipiente, in basin rostri exeunte. — *Caput* exsertum, thorace altius, hæmisphericum, parvum. — *Oculi* maximi, ovati, modice convexi, totam capitis anticam superficiem occupantes. — *Thorax* latitudine baseos sæpius brevior, raro longior, basi modice bi-sinuatus, in plerisque medio lobatus, lateribus obliquis, a basi apicem versus sensim angustatus, intra apicem coarctatus, apice supra late sed non profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, supra nonnihil convexus; canalis inferus ad pedes anticos protensus, in pectore sub-continuatus, lateribus distincte marginatus, paulo profundius. — *Scutellum* parvum, plus minusve distinctum, sub-rotundatum. — *Elytra* antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, humeris antrorsum prominulis; lateribus pone humeros ampliata, dein attenuata, apice singulatim obtuse sub-rotundata, in paucis mucronata, pygidium obtegentia, thorace aut sesqui-aut duplo longiora, supra depressa. — *Abdomen* basi valde convexum, sub-inflatum, apice retusum. — *Pedes* longiusculi, angusti, antici nonnihil, postici valde distantes, forte saltatorii; femoribus vix clavatis, sæpissime acute dentatis, posticis in plerisque valde elongatis et abdomen superantibus; tibiis breviusculis, compressis, apice unco valido, deflexo armatis; tarsis elongatis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κόπτω scindo, amputo, οὐρὰ anus.

TYPUS. — *Copturus papaveratus.*

Patria: Brasilia, Cayenna, Mexico, Columbia.

Observ.—Huc pertinentes species structura sunt singulares, antice angustata, abdomine retuso, femoribus angustatis, sæpissime longioribus, vix clavatis.

Stirps i. *Femora dentata.* (Species 1-24.)

Manipulus I. *Elytra apice mucronata.* Species 1-3.)

1. C. Subulipennis. *Sch.*

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamositate nivea et flavescente undique variegatus, antennis ferrugineis; thorace oblongo, supra bi-foveolato, niveo bi-lineato: elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis exterioribus costatis; apice singulatim acuminato-productis.

Patria: America meridionalis. Ex Musæo Reg. Acad. Scient. Holm. descriptus.

Copturo lamella longior, sed non latior. Caput sub-globosum, nigrum, orbita oculorum posterius flavescenti-, antice niveo-squamosa, triangulo verticis nudo; oculi magni, ovati, nigro-brunnei, in fronte valde approximati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace arcuatum; basi crassius, carinatum, punctatum et dense niveo-squamosum, extrorsum nudum, nitidum, totum nigro-piceum. Antennæ tenues, rufo-ferrugineæ. Thorax latitudine longior, anterius paulo angustior, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus pone impressionem sub-rectis; basi bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio leviter carinatus, pone medium utrinque fovea magna impressus, sat profunde punctatus, niger, squamis lanceolatis flavis sat dense adspersus et utrinque vitta undata niveo-squamosa ornatus. Scutellum ovatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, lateribus anterius ampliata, versus apicem subito angustata, apice singulatim in spinam conicam producta, thorace duplo longiora, supra in dorso plana, distincte, sub-remote punctato-striata, interstitiis exterioribus, 4 , 6° et 8° elevatioribus, sub-costatis; nigra, squamis flavescentibus inæqualiter adspersa, immixtis lituris niveo-squamosis, et sutura a basi ultra medium late niveo-squamosa. Corpus subtus obsolete punctatum, nigrum, anterius dense, æqualiter, posterius lineatim niveo-squamosum, interstitiis parce flavo-squamosis. Pedes nigri, dense niveo et

flavescenti-squamosi, postici longiores, femoribus parum crassis, subtus dente mediocri armatis. — GYLL.

2, C. DEPLANUS. *Fabricius.*

Ellipticus, niger, squamulis silaceis variegatus: thorace transversim rugoso, silaceo quinque-lineato: elytris sub-depressis, sat profunde punctato-striatis, interstitiis exterioribus elevatioribus, sutura fasciisque obliquis silaceo-squamosis decoratis, apice ipso singulatim acuminatis.

Rhynchænus id. FABR *Syst. El.* II. p. 476. 183.

Patria: America meridionalis. Dom. SMIDT. Ex Musæo Reg. Dan. ad describendum amice communicatus.

Copturo lamella angustior et longior. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum in fronte et ad latera anguste silaceo-squamosa; oculi majusculi, ovati, brunnei, in fronte approximati; rostrum thorace nonnihil longius, minus tenue, arcuatum, basi crassius, carinatum, crebre punctulatum et dense silaceo-squamosum, extrorsum nudum, nitidum, obsolete punctulatum, totum piceum. Antennæ basin rostri proprius insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava parva, acuta, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil brevior, anterius paulo angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, obtusis; intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam sub-rectis vel posterius perparum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, dorso profundius transversim rugosus, lateribus sub-remote punctatus, niger, sub-nitidus, lineis quinque e squamulis lanceolatis silaceis, una dorsali recta, utrinque duabus lateralibus, apicem versus nonnihil introrsum arcuatis, decoratus. Scutellum parvum, rotundatum, dense silaceo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, lateribus anterius ampliata, dein versus apicem sensim angustata, apice conjunctim emarginata, utrinque singulatim sub-acuminata, thorace duplo longiora, supra in dorso plana, sat profunde punctato-striata, interstitiis exterioribus 4, 6 et 8 elevatioribus, omnibus subtiliter coriaceis; picea, disco antico dilutiora, sutura, ipsa basi, fasciisque duabus obliquis margineque silaceo-squamosis; callus humeralis et posticus modice elevati; margo posticus elytrorum concinne serratus. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, squamulis læte sulphureis tectum,

relictis maculis utrinque duabus in pectore, duabus lateralibus abdominis et plaga oblonga media in segmentis ventralibus, nudis, nigro-piceis. Pedes elongati, nigri, læte sulphureo-squamosi; femoribus parum crassis, subtus dente mediocri, acuto armatis.

Bhn.

* 3. C. Papaveratus. *Germar.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, supra parce subtus dense croceo-squamosus; thorace confertim punctato, dorso antico carinato, antice lineaque brevi ante scutellum dense croceo-squamoso; elytris punctato-striatis, asperis, prope suturam pone medium lineola obliqua, dense squamosa ornatis, apice singulatim tuberculo reflexo instructis.

Poecilma papaverata. Germar. *Ins. Spec.* I. p. 261. 393.

Patria: Brasilia. A Dom. Freyreiss amice communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Copturi lamellæ.* Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum croceo-squamosa, triangulo verticis nudo, nigro, lævi; oculi maximi, ovati, nigri, approximati; rostrum thorace nonnihil longius, sub-tenue, arcuatum, extrorsum glabrum, læve, nitidum, nigrum, versus basin punctatum, croceo-squamosum, leviter carinatum, carinula in frontem adscendente. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; intra apicem utrinque late impressus, lateribus versus basin nonnihil ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, crebre sed parum profunde punctatus, dorso antico tenue carinato, carinula postice latiore, canaliculata; niger, subtus, lateribus antice, linea brevi ante scutellum et alia utrinque laterali, e squamis magnis, croceis tectus, disco parcim squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra ampla, antice sinuata, thoracis basi latiora illique arcte applicata, humeris rotundatis; intra basin interne impressa, margine baseos elevato; a medio apicem versus angustata, apice ipso singulatim sub-acuminata, mucrone brevi, conico, reflexo instructa, thorace dimidio longiora, supra depressa, punctato-striata, interstitiis sub-convexis, transversim crebre rugulosis, nigra, squamis fulvis et silaceis temere sparsis irrorata, pone medium ad suturam lineola abbreviata, retrorsum obliqua, densius

squamosa decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense, segmentis tamen tribus ultimis abdominis parce, croceo-squamosum. Pedes elongati, nigri, punctati, albido-squamosi, postici longiores: femoribus vix clavatis, subtus dente medioeri armatis, posticis apice intus spinosis. — BHN.

Manipulus II. *Elytra apice mutica.* (Species 4-25.)

* 4. C. SATYRUS. *Schh.*

Ovatus niger, thorace profunde rugoso-punctato, utrinque linea arcuata albido-squamosa cincto: elytris depressis, profunde punctato-striatis, plaga magna dorsali communi ferrugineo-squamosa.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Statura et affinitas *Copturi lamellæ*, Fabricii, sed fere duplo major et in pluribus distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum anguste albo-squamosa, vertice nudo, nigro; rostrum longitudine thoracis, arcuatum, nigrum, basi albo-squamosum, ibique leviter carinatum, carinula in frontem adscendente; oculi maximi, convexi, breviter ovati, nigro-brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin attingunt, tenues, obscure ferrugineæ, extrorsum nigricantes. Thorax latitudine baseos brevior, anterius multo angustior, apice leviter emarginatus et intra apicem transversim profunde constrictus, non vero insculptus; lateribus obliquus, vix ampliatus, basi angulatus, lobo medio longius producto; supra modice convexus, confertim et profunde rugoso-punctatus, niger, utrinque linea arcuata, basi dilatata, albido-squamosa cinctus et in medio baseos linea brevi ejusmodi notatus. Scutellum parvum, rotundatum, elevatum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, intra basin interne impressa, margine baseos alte elevato; lateribus pone humeros obliquos ampliata, dein attenuata, apice singulatim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra depressa, profunde punctato-striata, præsertim externe; nigra, plaga magna dorsali communi ferrugineo-squamosa et utrinque macula oblonga albidiore notata; callus humeralis et posticus valde elevati; margo posticus elytrorum concinne serratus. Corpus subtus nigrum, punctatum, squamulis rotundatis albis dense tectum, relicta in ventre utrinque macula magna, ovata, in segmento secundo et plaga oblonga media in segmentis poste-

-rioribus, nudis, nigris. Pedes elongati, nigri, ruguloso-punctati, albido-squamosi, femoribus omnibus subtus dente valido armatis.

Ghl.

* 5. C. Lamella. *Fabricius.*

Ovatus, ferrugineus, squamulis silaceis parce adspersus, pedibus piceis; thorace dorso transversim rugoso, lateribus remote punctato, utrinque linea albida cincto; elytris depressis, profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, carinatis, maculis quatuor albis, duabus communibus, duabus lateralibus.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 477. 187.
Coptorus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 324.

Patria: America meridionalis. Dom. Doct. Lund. America borealis. Ex Musæo Princ. Christian etiam benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Balanini nuci*, sed magis depressus. Caput orbiculatum, nigro-piceum, subtiliter crebre punctulatum, orbita oculorum anguste albo-squamosa, plaga verticali vix punctata; oculi majusculi, convexi, ovati, dilute brunnei, in fronte valde approximati; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, arcuatum, piceum, nitidum, basi albo-squamosum, ibique evidenter carinatum, carinula in frontem adscendente. Antennæ basin rostri proprius insertæ, subtenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriore. Thorax latitudine postica brevior, apice leviter emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice profunde bi-sinuatus, lobo medio longius producto; supra modice convexus, dorso transversim rugosus, ibique carinula obsoleta, abbreviata, instructus, lateribus remote punctatus, ferrugineus, squamulis silaceis in linea media recta, parce et utrinque in alia obliqua dense condensatis, ornatus; marginibus canaliculæ pectoralis, argenteo-squamosis. Scutellum parvum, rotundatum, elevatum, ferrugineum. Elytra antice sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris antrorsum nonnihil prominulis, sub-elevatis; intra basin interne impressa, lateribus pone humeros ampliata, pone medium apicem versus angustata, apice conjunctim obtusissime rotundata, vel sub-truncata, thorace duplo longiora, supra depressa, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, elevatis,

lævibus; ferruginea, parce silaceo-squamosa, maculis duabus communibus una mox pone scutellum rotunda, altera intra apicem parva tertiaque in medio singuli elytri, margine laterali proprius, etiam rotunda, dense silaceo-squamosis, ornata. Corpus subtus obscure ferrugineum, sub-remote punctulatum, squamulis albidis adspersum, utrinque maculis pectoralibus lateribusque abdominis argenteo-squamosis. Pedes elongati, picei, albido-squamosi; femoribus omnibus subtus dente acuto armatis. — BHN.

6. C. AVICULARIS. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, squamulis silaceis adspersus: thorace longo, sat crebre punctato, medio obsolete carinato, utrinque linea obliqua silaceo-squamosa cincto: elytris depressis, profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, posterius rugulosis; guttulis nonnullis silaceis adspersis, apice conjunctim rotundatis.

Patria: Vera Crux in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Magnitudo et fere statura *Copturi deplani*, ab illo notis indicatis abunde distinctus. Caput sub-globosum, nigrum, orbita oculorum anguste albo-squamosa, vertice nudo, nigro, remote punctato; oculi maximi, convexi, læte brunnei, in fronte valde approximati; rostrum longitudine fere thoracis, sub-tenue, modice arcuatum, basi crassius, carinatum, punctulatum, parce albido-squamosum, extrorsum nudum, nitidum; totum piceum. Antennæ basin rostri proprius insertæ, sub-tenues, ferrugineæ, extrorsum nigricantes. Thorax latitudine baseos longior, anterius paulo angustior, apice sub-truncatus, intra apicem vix constrictus, lateribus versus basin sensim perparum ampliatus, basi angulatus, lobo medio modice producto; supra convexus, sat crebre punctulatus, medio carinula obsoleta, antice posticeque valde abbreviata, notatus; niger, squamulis lanceolatis silaceis parce, utrinque in linea angusta, basi dilatata condensatis, et in medio baseos linea brevi ejusmodi notatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, latitudine baseos thoracis et illi arcte applicata, humeris rotundatis, paulo elevatis; lateribus pone basin ad medium nonnihil ampliata, dein apicem versus paulo angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra depressa, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, sub-ele-

vatis, posterius rugulosis; nigra, squamulis lanceolatis silaceis adspersa, in maculis nonnullis condensatis, nempe: pone scutellum macula parva didyma, duabus suturalibus, una in medio altera ad apicem tribusque vel quatuor in disco. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum, squamis silaceis in pectore et plaga utrinque obliqua abdominis condensatis adspersum. Pedes elongati, nigri, tenuiter albo-squamulosi; femoribus parum crassis, omnibus subtus dente acuto armatis — BHN.

* 7. C. ARMATUS. *Schh.*

Breviter ellipticus, niger, inæqualiter cinereo-et albido-squamosus, antennis tarsisque pallidis; thorace pulvinato, confertim punctato, lateribus antice ochraceo, ad basin albo-squamoso; elytris punctato-sub-sulcatis, posterius cinereo-squamosis, basi sub-nudis.

Patria: Brasilia. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Copturi lamellæ*, sed duplo minor, *Copturo costato* æqualis. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, subtus et in fronte niveo-, postice ochraceo-squamulosum; oculi magni, oblongi, pallide brunnei, in fronte approximati; rostrum longitudine dimidii corporis, sub-tenue, modice arcuatum, basi supra punctulatum, breviter carinatum, parce albo-squamulosum, extrorsum læve, nitidum, totum, nigrum. Antennæ tenues, pallide testaceæ, clava paulo obscuriore. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice late emarginatus, intra apicem anguste constrictus, lateribus obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, supra valde convexus, pulvinatus, confertissime punctatus, in medio obsolete carinatus, saturate niger, lateribus squamositate densa, anterius ochracea, versus basin albido-argentea vestitus, lineaque brevi albo-squamosa in medio baseos notatus, plaga reliqua dorsali nuda, sub-nitida. Scutellum parvum, tuberculi-forme, nigrum. Elytra ampla, antice valde sinuata, humeris antrorsum prominulis, callo alte elevato instructis; lateribus anterius ampliata, versus apicem subito attenuata, apice conjunctim acute rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso fere plana, sat late sulcata, sulcis in fundo punctatis; nigra, in dorso dense cinereo-squamulosa, relicta fascia baseos lateribusque magis nudis. Corpus subtus confertissime punctatum,

nigrum, lineis fasciisque sub-argenteo-squamosis ornatum. Pedes longi, tenues, nigri, parce argenteo-squamulosi, femoribus linearibus, subtus dente parvo apiceque spina acuta armatis, tibiis angustis, rectis, tarsis elongatis, pallide testaceis. — GYLL.

8. C. PIPA. *Fabricius.*

Ovatus, niger, squamulis cervinis variegatus; thorace angusto, rugoso-punctato, argute carinato, intra apicem late constricto; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, costatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 478. 189.

Patria: America meridionalis. Dom. SMIDT. Ex Musæo Reg. Dan. ad describendum communicatus.

Balanino villoso dimidio major. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum anguste cervino-squamosa, vertice plaga triangulari, ad basin utrinque ramulum exserente, nuda, nigra, lævi; oculi maximi, ovati, brunnei, approximati; rostrum longitudine thoracis cum capite, sub-tenue, valde arcuatum, basi crassius, punctulatum, cervino-squamosum, leviter carinatum, carinula in frontem adscendente, extrorsum subtilissime punctulatum, apicem versus deplanatum, nigrum, glabrum, nitidum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava parva, acuta. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, apice emarginatus, lobis ocularibus, modice prominulis, obtusis, intra apicem late et sat profunde impressus, margine apicis elevato, lateribus rectis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim rugoso-punctatus, carinula longitudinali, medio argute elevata instructus, niger, squamulis læte cervinis, hinc inde magis condensatis variegatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, cervino-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi dimidio latiora, sed pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; posterius nonnihil angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, sub-remote mediocriter punctato-striata, interstitiis alternis elevatis, anguste costatis; nigra, squamulis læte cervinis maculatim condensatis variegata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, squamulis griseis undique sat dense obsitum. Pedes elongati, nigri, griseo-squamosi; femoribus parum crassis, subtus dente mediocri armatis. — BHN.

* 9. C. Costatus. *Schh.*

Ovatus, ferrugineus, thorace brevi, crebre rugoso-punctato, albido-tri-vittato; elytris squamositate albida et cinerea variegatis, pone medium macula magna, rotunda, communi, nivea decoratis, punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis costatis; femoribus anticis dentatis, posterioribus sub-muticis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Faldermann amice communicatus. Mus. Schh.

Minor, *Ciono scrophulariæ* sub-æqualis. Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum anguste albo-squamosa, vertice plaga triangulari, ad basin utrinque ramulum exserente, nuda, punctulata, picea: rostrum longitudine thoracis cum capite, extrorsum glabrum, læve, nitidum, ferrugineum, versus basin punctatum, albo-squamosum, leviter carinatum, carinula in frontem adscendente; oculi maximi, ovati, brunnei, approximati. Antennæ vix thoracis basin attingunt, tenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine brevior, anterius parum angustior, apice late et profunde emarginatus, lobis ocularibus valde productis, intra apicem transversim impressus vel constrictus; lateribus vix ampliatus, basi profunde sinuatus, lobo medio longiore, apice emarginato; supra parum convexus, confertim rugoso-punctatus, nigro-piceus, lateribus late et vitta dorsali, medio latiore, albo-squamosis. Scutellum rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora illique arcte applicata, sinuata, lateribus pone humeros ampliata, dein angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis alternis elevatis, anguste costatis; tota ferruginea, squamulis sat densis, albis, cinereis et nigris mixtis variegata; pone scutellum plaga indeterminata albida; tum macula communis, lobata nigra et pone illam macula ovata, nivea etiam communis; versus latera utrinque maculæ duæ oblongæ albæ, minores, interjecta macula nigra. Corpus subtus squamis rotundatis albidis omnino tectum. Pedes longiusculi, piceo-ferruginei, albido-squamosi; femoribus posticis apice tibiisque ejusdem paris basi ferrugineis; femora antica subtus dente acuto armata, posteriora sub-mutica. — Bhn.

* 10. C. AFFABER. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis cervinis sat dense vestitus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace confertim punctato, medio carinula antice posticeque abbreviata notato; elytris remote punctato-striatis, interstitiis carinatis, squamulis cervinis in maculis parvis condensatis, dense variegatis.

Patria : Brasilia interiori. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole missus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Tropideris dorsalis.* Caput orbiculatum, nigrum, vertice, linea angustissima frontali et subtus sat dense cervino-squamosis; oculi magni, oblongi, in fronte siti, inferne acuminati, valde approximati, dilute brunnei; rostrum thorace fere longius, arcuatum, basi crassius, evidenter punctulatum, parce squamosum, apice deplanatum, denudatum, subtiliter punctulatum; totum nigro-piceum. Antennæ thoracis basin vix attingunt, subtenues, piceo-ferrugineæ, clava parva, fusca. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, anterius angustior, apice late emarginatus lobis ocularibus paulo productis, intra apicem constrictus et transversim impressus, lateribus parum rotundato-ampliatus, postice sat profunde bi-sinuatus, supra convexus, confertim parum profunde punctatus, in medio dorsi carinula antice posticeque abbreviata instructus; totus niger, punctis squamositate cervina repletis. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, cervino-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris vix prominulis, obtuse rotundatis; a medio apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtusissime rotundata, supra modice convexa, parum profunde punctato-striata, punctis striarum remotis, singulo squama cervina obsito, interstitiis omnibus elevatis, carinatis; tota nigra, squamulis cervinis in maculis parvis condensatis dense variegata. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, squamulis cervinis sat dense obsitum. Pedes longiusculi, validi, punctati, cervino-squamosi; femoribus subtus dente parvo, acuto armatis; tibiis compressis; tarsis obscure ferrugineis. — BHN.

11. C. ULULA. *Fabricius.*

Ovatus, sub-depressus, piceus, squamulis læte cervinis tectus; thorace obsolete granulato, vitta utrinque dorsali denudata decorato, intra apicem constricto; elytris sulcatis, sulcis subtiliter punctatis, interstitiis omnibus carinatis: fascia lata media transversa, utrinque attenuata nigro-fusca ornatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 478. 190.

Patria: America meridionalis. Dom. SMIDT. Ex Musæo Reg. Dan. ad describendum communicatus.

Magnitudo *Balanini cerasorum.* Caput orbiculatum, nigrum, orbita oculorum anguste læte cervino-squamosa, triangulo verticis nudo; oculi maximi, ovati, læte brunnei, approximati; rostrum longitudine thoracis cum capite sub-tenue, teres, valde arcuatum, basi crassius, punctulatum, extrorsum læve, nonnihil deplanatum, piceum, glabrum, nitidum, apicem versus dilutius. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava parva, acuta, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, apice profunde emarginatus, lobis ocularibus productis, obtuse rotundatis; intra apicem leviter constrictus, lateribus parum ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio modice producto, apice emarginato; supra paulo convexus, obsolete granulatus, nigro-piceus, dorso tenuissime carinatus, lateribus late et in linea media, basi latiore, læte cervino-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, punctulatum, obscure ferrugineum, parce cervino-squamosum. Elytra thorace dimidio latiora et illi arcte adæquata, antice sinuata, humeris rotundatis, callo modice elevato; a medio apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, sulcata, sulcis in fundo subtiliter punctatis, interstitiis omnibus carinatis; obscure ferruginea, squamulis parvis, læte cervinis tecta, fascia media lata transversa, communi, utrinque attenuata, nigro-fusca decorata. Corpus subtus obscure ferrugineum, obsolete punctulatum, dense silaceo-squamosum. Pedes elongati, picei, dense silaceo-squamosi; femoribus parum clavatis, omnibus subtus dente parvo, armatis. — BHN.

12.

* 12. C. CARINATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis læte cervinis supra parce subtus densius adspersus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace antice constricto, supra minus crebre punctato, dorso carinula antice posticeque abbreviata, argute elevata instructo; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, carinatis.

Patria: Brasilia interiori. Dom BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Baridii nitentis. Copturo affabro* sub-similis, sed dimidio fere minor, parcius squamosus, thorace argute carinato, interstitiis elytrorum alternis tantum carinatis. Caput globosum, nigrum, vertice, linea angustissima frontali margineque infra-oculari squamulis læte cervinis obsitis; oculi sat magni, ovati, in fronte siti, modice prominuli, dilute brunnei; rostrum thorace fere longius, minus crassum, arcuatum, basi nonnihil crassius, evidenter punctulatum, squamulis cervinis adspersum, dein apicem versus denudatum, sub-læve, nigro-piceum, apice dilutiore, deplanatum. Antennæ tenues, rufo-testaceæ, clava parva, fusca. Thorax latitudine postica brevior, anterius angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix productis, intra apicem constrictus et transversim impressus, pone stricturam ampliatus, dein lateribus rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra convexus, sat crebre punctatus, in medio dorsi carinula argute elevata, antice posticeque abbreviata, notatus; totus niger, squamulis læte cervinis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, basi leviter sinuata, humeris elevatis, rotundatis; a medio apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtusissime rotundata, thorace duplo longiora, supra paulo convexa, regulariter mediocriter punctato-striata, interstitiis alternis argute elevatis, carinatis, carinulis antice posticeque evanescentibus; nigra, opaca, squamulis læte cervinis adspersa. Corpus subtus nigrum, crebre punctulatum, squamulis læte cervinis densius obsitum. Pedes validi, punctati, nigri, cervino-squamosi; femoribus subtus dente parvo, sub-obtuso armatis; tibiis sub-compressis; tarsis ferrugineis. — BHN.

* 13. C. RORULENTUS. *Schh.*

Ovatus, niger, opacus, squamulis cinereis supra parce subtus dense obsitus, rostro breviori; thorace crebre parum profunde punctato, medio argute carinato, intra apicem profunde constricto; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitium 1° et 2° in dorso antico elevatis, atro-setulosis; macula parva pone medium, communi, albida.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Balanini villosi.* Caput orbiculatum, nigrum, opacum, orbita oculorum cinereo-squamosa; vertice denudato, obsolete carinato, læve; oculi maximi, ovati, convexi, brunnei, in fronte minus approximati; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, arcuatum, basi crassius, punctulatum, cinereo-squamulosum, leviter carinatum, carinula in frontem adscendente, extrorsum læve, glabrum, nitidum, totum nigrum. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava parva, acuta, cinereo-pubescente. Thorax latitudine nonnihil brevior, anterius nonnihil angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, obtuse rotundatis; intra apicem profunde transversim impressus et coarctatus, margine apicali non elevato, lateribus versus basin paulo ampliatus, postice profunde bi-sinuatus, lobo medio magno, modice producto, obtuse rotundato; supra convexus, sat crebre parum profunde punctatus, carinula longitudinali, medio argute elevata, instructus, niger, opacus, squamulis cinereis in medio dorsi et in utroque latere magis condensatis adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi dimidio fere latiora, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; a medio apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, mediocriter punctato-striata, punctis squama parva albida, in fundo obsitis; interstitiis sub-convexis, primo et secundo in dorso antico tuberculo carinæ-formi, atro-setuloso, instructis; nigra, opaca, squamulis cinereis variegata, pone medium macula parva, communis e squamulis albidis decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, dense griseo-squamosum. Pedes elongati, nigri, punctati, griseo-squamosi; femoribus posterioribus macula denudata decoratis, omnibus subtus dente parvo, acuto armatis.

BHN.

* 14. C. SANNIO. *Schh.*

Ovatus, obscure ferrugineus; thorace brevi, punctato, lateribus late ferrugineo-squamoso; elytris tenuius punctato-striatis, guttulis nonnullis albo-squamosis adspersis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Copturo papaverato magnitudine fere æqualis et statura similis, sed dimidio minor. Caput orbiculatum, obscure ferrugineum, orbita oculorum anguste flavescenti squamosa, carinula baseos rostri in frontem adscendente; rostrum longitudine thoracis, arcuatum, dilutius ferrugineum, nitidum, basi leviter carinatum, flavescenti-squamosum; oculi maximi, ovati, nigro-brunnei, approximati. Antennæ thoracis basin fere attingunt, tenues, dilute ferrugineæ, clava parva fusca. Thorax latitudine brevior, anterius angustior, apice emarginatus et intra apicem, sat profunde constrictus, lateribus obliquis, sub-rectis; basi sinuatus, lobo medio longius producto, apice emarginato; supra parum convexus, confertim subtiliter granulato-punctatus, saturate ferrugineus, fere brunneus, lateribus late et dense ferrugineo-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, dense squamosum. Elytra antice thoracis basi latiora illique arte applicata, sinuata, pone humeros ampliata, dein angustata, fere triangularia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra perparum convexa, minus profunde punctato-striata, punctis remotiusculis, interstitiis latis, planis, punctulatis; obscure ferruginea, regione scutelli cinereo-squamosa, in singulo elytro guttulæ quatuor albo-squamosæ; prima in disco, ante medium; altera ei opposita versus marginem; tertia paulo pone medium juxta suturam, reliquis major, et quinta illi opposita prope marginem; margo inflexus etiam albido-squamosus. Corpus subtus ferrugineum, confertim punctulatum, squamulis albidis tectum. Pedes mediocres ferruginei, dense albido-squamosi, femoribus omnibus subtus dente simplici, acuto, armatis. — GHL.

* 15. C. ROSEISIGNATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, ater; thorace confertim subtiliter punctulato, miniato-squamoso, plaga magna dorsali, transversa, ovata, maculaque basali infra-laterali, atris decorato; elytris tenue punctato-striatis, in medio fascia transversa, communi, sutura dein posterius maculaque intra apicem miniato-squamosis; corpore subtus albo-squamoso; femoribus bi-dentatis.

Patria : Brasilia interiori. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Grypidii equiseti*, nonnihil tamen brevior. Caput orbiculatum, atrum, obsolete punctulatum, linea angustissima frontali margineque infra-oculari læte miniato-squamosis; oculi ovati, inferne accuminati, brunnei, valde approximati, maximam capitis partem occupant; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, subtenue, teres, arcuatum, basi nonnihil crassius, ibique evidenter punctulatum, obsolete carinatum, parce læte miniato-squamosum, dein apicem versus denudatum, nitidum, læve, obscure ferrugineum. Antennæ sub-tenues, nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix prominulis; intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, lateribus pone stricturam versus basin nonnihil ampliatus, postice sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, subtiliter confertim punctulatus, dense miniato-squamosus, plaga magna dorsali, ovata, transversa, maculaque utrinque infra laterali in basi, sub-denudatis, parce atro-squamosis, ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, atrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, sed mox pone basin ampliata, basi leviter sinuata, humeris sub-elevatis, rotundatis, a medio apicem versus nonnihil angustata, apice ipso conjunctim obtusissime rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, tenuiter punctato-striata, interstitiis planis, subtiiiter coriaceis; tota atra, squamulis concoloribus vestita, in medio fascia transversa, recta, communi, pone illam sutura usque ad apicem et intra apicem macula difformi, miniato-squamosis, decorata. Corpus subtus nigrum, obsolete punctulatum, squamulis pili-formibus sordide albidis vestitum, pectore utrinque miniato bi-maculato. Pedes validi, punctati, nigri, parce albido-squamosi; femoribus omnibus subtus bi-dentatis. — BHN.

* 16. C. BESCKEI. *Mannerheim.*

Sub-ovatus, niger, thorace convexo, crebre evidenter rugoso-punctato, medio carinula valde abbreviata, lævi, notato, dense miniato-squamoso, plaga magna, oblonga, transversa, dorsali maculaque infra-laterali denudatis decorato: elytris profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, sub-carinatis, fascia lata obliqua, maculaque apicali communi, miniato-squamosis, decoratis; corpore subtus albo-squamoso; femoribus uni-dentatis.

Patria: Brasilia interiori. Dom. BESCKE. A. Dom. Com. MANNERHEIM missus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Copturi roseisignati*, dimidio tamen minor, thorace carinula abbreviata instructo, evidenter punctato, elytris profunde punctato-striatis, interstitiis sub-carinatis, aliter coloratis, etc., ab illo bene distinctus. Caput orbiculatum, nigrum, linea angustissima frontali albido-vertice margineque infra-oculari læte miniato-squamosis; oculi magni, ovati, nigri, valde approximati, maximam capitis partem occupant; rostrum thorace vix longius, arcuatum, minus tenue, teres, basi nonnihil crassius, apice deplanatum, piceum, confertim subtiliter punctulatum, basi dense lateribus parcius albido-squamosum. Antennæ tenues, rufo-testaceæ, clava parva, fusca. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice sub-truncatus, intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, pone stricturam versus basin ampliatus, postice bi-sinuatus, supra convexus, confertim evidenter rugoso-punctatus, linea media longitudinali antice posticeque valde abbreviata, elevata, lævi, notatus; totus niger, dense miniato-squamosus, plaga oblonga, dorsali, transversa, maculaque utrinque infra-laterali, in ipsa basi, denudatis, decoratus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora, sed mox pone basin ampliata, humeris vix elevatis, rotundatis; basi leviter sinuata, tenue reflexo-marginata, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtusissime rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, sulcata, sulcis sat profunde crebre punctatis; interstitiis angustis, convexis, sub-carinatis; atra, fascia lata, a scutello posterius oblique ad marginem ducta maculaque apicali, suturali, sub-triangulari cum margine laterali antice anguste miniato squamosis. Corpus subtus nigrum, confertim subtiliter punctulatum, squamulis niveis dense tectum,

ventre antice utrinque macula magna, posterius plaga media sub-triangulari, denudatis, decorato. Pedes mediocres, nigri, punctati, squamulis albidis adspersi; femoribus parum clavatis, subtus in medio dente parvo, acuto instructis; tibiis sub-compressis.

Bhn.

In memoriam Dom. C. H. Bescke, Hamburgensis, insectorum mercatoris jamdudum cogniti, entomologi periti, qui peregrinationem in Brasiliam instituit ibique magnam copiam insectorum maximi pretii diligentissime collegit et multas species novas detexit, quas mecum benevole communicavit, grato animo nomen ejus, etiam per hoc insectum pulcherrimum, conservare volui.

Comes C. G. Mannerheim.

17. C. Rubricollis. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, sub-depressus, maculatim albo-squamosus, antennis ferrugineis; thorace brevi, confertim granulato, antice fascia interrupta rufo-squamosa notato; elytris sub-remote punctato-striatis, sutura interrupte albo-squamosa.

Zygops id.? Guérin, *Iconogr. du Règne anim.* V. T. 39. f. 4, et 4, etc.

Patria : Cayenna. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Copturo sannioni similis, sed dimidio minor, aliter coloratus. Caput globosum, nigrum, orbita oculorum albo-squamosa, triangulo verticis nudo; oculi maximi, ovati, brunnei, convexi, postice connati; rostrum capite cum thorace fere longius, arcuatum, nigrum, basi crassius, carinatum, punctulatum et lateribus albo-squamosum, extrorsum nudum, nitidum, apice piceum. Antennæ tenues, ferrugineæ. Thorax latitudine brevior, apice emarginatus, intra apicem late et sat profunde impressus, margine apicis elevato; lateribus rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, confertim subtiliter alutaceus, niger, opacus, linea dorsali angusta et in angulo postico utrinque plaga cuneata albo-squamosis notatus; præterea intra apicem fascia, medio interrupta, dense rufo-squamosa ornatus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, albo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra fere plana, sub-remote punctato-striata, interstitiis sub-convexis, alutaceis; nigra, opaca,

parce albido-squamulosa, et signaturis variis, dense albo-squamosis notata: pone scutellum nempe plaga communis, transversa; in medio dorsi alia, minor et pone illam linea suturalis, apicem attingens; præterea in medio marginis lateralis punctum, aliud in disco, pone medium lituraque transversa intra apicem. Corpus subtus convexum, confertim punctatum, nigrum, sat dense albo-squamosum. Pedes nigri, parce albido-squamulosi, postici longiores; femora parum crassa, omnia subtus dente acuto armata. — GHL.

18. C. LUDIOSUS. *Chevrolat.*

Breviter ellipticus, niger, sub-depressus, squamulis albidis variegatus, thorace brevi, confertim punctato, lateribus et linea media dense silaceo-squamoso; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis confertim rugulosis, plagiatim silaceo et albido-squamosis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Copturo rubricolli vix longior, sed latior, aliter coloratus. Caput globosum, nigrum, orbita oculorum in fronte anguste ad latera late albido-squamosa, vertice plaga magna, triangulari, ad basin utrinque ramulum exserente, nuda, nigra, lævi; oculi ovati, obscure brunnei, maximam capitis partem occupant, in fronte approximati; rostrum thorace nonnihil longius, minus, tenue, teres, arcuatum, basi crassius, ibique crebre punctulatum, leviter carinatum et parce albo-squamosum, extrorsum glabrum, nitidum, sub-læve, apice nonnihil deplanatum; totum nigro-piceum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine brevior, apice emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis; intra apicem late et sat profunde impressus, lateribus rectis; basi bisinuatus, lobo medio modice producto; supra paulo convexus, confertim parum profunde punctatus, niger, opacus, linea dorsali lateribusque dense læte silaceo-squamosis, dorso squamulis concoloribus parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, opacum, punctulatum. Elytra antice sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, sed pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; a medio apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra fere plana, mediocriter punctato-striata, interstitiis sub-convexis, confertim rugulosis vel alutaceis: nigra, opaca, dorso densius late-

ribus parce læte silaceo-squamosa, signaturis dense albo-squamosis notata, nempe: pone scutellum macula elongata, communis, in medio dorsi altera itidem elongata et intra apicem linea parva suturalis, præterea in medio marginis lateralis punctum densius silaceo-squamosum. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, albo-squamosum, pectore ventreque basi utrinque parce squamosis. Pedes elongati, nigri, confertim punctati, parce albido-squamulosi; femora parum crassa, omnia subtus dente acuto armata.

Bhn.

* 19. C. Perturbatus. *Schh.*

Ovatus, ferrugineus; thorace punctato, albido-trilineato; elytris profunde punctato-striatis, basi, sutura fasciaque media abbreviata albido-squamosis.

Habitat in ins. Jamaica. Dom. Wessfelt. Mus. Schh.

Parvus, *Anthribo vario* vix major. Caput orbiculatum ferrugineum, orbita oculorum anguste albido-squamosa, carinula baseos rostri in frontem adscendente; rostrum longitudine thoracis, arcuatum, ferrugineum, apice staphylæum, nitidum, læve, basi punctatum, carinatum, albido-squamosum; oculi maximi, ovati, glauci, approximati. Antennæ vix rostro cum capite longiores, basi ferrugineæ, extrorsum nigricantes. Thorax latitudine paulo brevior, apice emarginatus et intra apicem leviter constrictus, lateribus parum ampliatus, basi sinuatus, lobo medio longiore, apice emarginato; supra parum convexus, confertim et sat profunde punctatus, saturate ferrugineus; lateribus late et in linea media, basi latiore, albido-squamosus. Scutellum parvum, rotundatum, punctatum, obscure ferrugineum. Elytra thorace latiora et illi arcte adæquata, lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, profunde punctato-striata, punctis majusculis, remotis, interstitiis angustis, rugulosis; obscure ferruginea, basi interiore inæqualiter, sutura fere tota et fascia media maculari abbreviata albido-squamosis; tuberculum humerale et callus posticus elevata. Corpus subtus obscure ferrugineum, confertim ruguloso-punctatum, squamulis albidis adspersum. Pedes breviusculi, validi, dilutius ferruginei, punctati, albido-squamosi, femoribus omnibus subtus dente mediocri armatis. — Ghl.

20. C. GUTTULA-ALBA. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis læte cervinis parce variegatus; thorace brevi, crebre mediocriter punctato, dorso lineis tribus obsoletis, interruptis cervinis, vitta utrinque laterali ochracea, decorato: elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis confertim alutaceis: macula parva sub-quadrata suturali, mox pone medium, nivea, ornatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN, ad describendum benevole communicatus.

Affinis certe *Copturi rorulenti*, sed dimidio minor, magis ovatus, thorace latiori, non carinato, utrinque ochraceo-vittato, etc., ab illo mox distinctus. Caput globosum, nigrum, confertim punctulatum, inter et infra oculos parce albido-squamosum; oculi magni, convexi, ovati, brunnei, in fronte valde approximati; rostrum longitudine thoracis, validiusculum, arcuatum, basi crassius, confertim punctulatum, carinatum, carinula in frontem adscendente, extrorsum nonnihil deplanatum, obsoletissime punctulatum, nitidum, totum nigro-piceum, glabrum. Antennæ subtenues, dilute ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius nonnihil angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis; intra apicem leviter constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, postice bi-sinuatus, lobo medio modice producto, obtuse rotundato, supra parum convexus, mediocriter crebre punctatus, niger, parum nitidus, dorso lineis tribus angustis interruptis læte cervino-vittaque sat lata, recta utrinque laterali, dense ochraceo-squamosis decoratus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, callo humerali elevato; lateribus mox pone basin ampliata, dein apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtusissime rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, anguste striata et in striis mediocriter punctata, interstitiis sub-planis, confertim alutaceis; nigra, sub-opaca, squamulis angustis læte cervinis sub-maculatim condensatis, variegata; mox pone medium macula parva, communi, sub-quadrata, niveo-squamosa decorata. Corpus subtus nigrum, crebre punctatum, squamulis parvis, albidis parce adspersum. Pedes mediocres, nigri, punctati, squamositate albida parce adspersi; femoribus parum crassis, subtus dente parvo, acuto armatis; tarsis ferrugineis. — BOH.

* 21. C. Vestitus. *Dejean.*

Ovatus, niger, squamulis piliformibus læte brunneis dense adspersus; thorace brevi, confertim profunde punctato, intra apicem constricto; elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis confertim alutaceis, macula parva rotunda, suturali, in medio, albido-squamosa decoratis; femoribus posterioribus medio fusco maculatis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.

Patria: Carthagena. A Dom. Com. Dejean benevole communicatus. Mus. Schh.

Parvus *Ceuthorhyncho marginato* magnitudine æqualis. Caput subglobosum, nigrum, obsolete punctulatum, griseo-squamosum; oculi maximi, ovati, nigro-brunnei, in fronte approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, sub tenue, arcuatum, basi paulo crassius, punctulatum, leviter carinatum, griseo-squamosum, apicem versus sub-læve, glabrum, nitidum; totum nigro-piceum, extrorsum dilutiore. Antennæ sub-tenues, ferrugineæ, clava nigricante. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, obtusis; intra apicem late sed parum profunde constrictus, lateribus paulo ampliatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, crebre profunde punctatus, niger, squamulis piliformibus læte umbrinis undique, interdum nonnullis albidis ad latera mixtis, adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, punctulatum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, callo humerali elevato; pone basin versus medium ampliata, dein posterius sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra fere plana, tenuiter striata et in striis parum profunde punctata, interstitiis sub-planis, confertim alutaceis; nigra, squamulis piliformibus læte brunneis sat dense obsita, in medio macula parva, rotunda, communi, albido-squamosa, decorata. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigrum, squamulis fusco-brunneis adspersum. Pedes mediocres, nigri, griseo-squamosi; femoribus parum crassis, omnibus subtus dente acuto armatis, posterioribus extus in medio macula nigro-fusca decoratis. — Bhn.

* 22. C. LEBASII. *Dejean.*

Ovatus, niger, opacus, squamulis cinereis parce adspersus; thorace brevi, confertim subtiliter punctato, dorso tenue carinato, intra apicem obsolete constricto, elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis confertim subtilius alutaceis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.

Patria : Carthagena. A Dom. Com. DEJEAN amice communicatus. Mus, SCHH.

Statura et similitudo *Copturi vestiti*, sed duplo minor, parcius squamosus et aliter coloratus; thorace subtilius punctato, leviter carinato, ab illo mox distinctus. Caput globosum, nigrum, obsolete punctulatum, parce cinereo-squamosum; oculi maximi, ovati, brunnei, in fronte valde approximati; rostrum thorace nonnihil longius, subtenue, modice arcuatum, basi nonnihil crassius, ibique crebre punctulatum, leviter carinatum, carinula in fronte adscendente; nigro-piceum, opacum, parce squamosum, a medio apicem versus dilutiore, ferrugineum, nitidum, læve. Antennæ subtenues, ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius nonnihil angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus haud prominulis, intra apicem vix vel obsoletissime constrictus, lateribus in medio paulo ampliatus, postice bi-sinuatus, supra parum convexus, mediocriter crebre punctatus, dorso carinula modice elevata, antice humiliore, instructus, niger, opacus, squamulis cinereis parce adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, callo humerali elevato; pone basin ampliata, dein apicem versus angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra fere plana, tenuiter striata et in striis parum profunde punctata, interstitiis sub-planis, confertim subtilius alutaceis; nigra, opaca, squamulis raris cinereis adspersa. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, squamulis cinereis adspersum. Pedes mediocres, nigro-picei, punctati, parce cinereo-squamulosi; femoribus parum crassis, subtus dente parvo, acuto armatis. — BHN.

* 23. C. Infimus. *Dejean.*

Ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis parce adspersus, antennis tibiis tarsisque ferrugineis: thorace brevi, confertim mediocriter punctato, non carinato, lateribus densius squamoso; elytris tenuiter punctato-striatis, interstitiis confertim alutaceis, macula parva media, communi, rotunda, punctoque laterali infra medium albo-squamosis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.

Patria: Carthagena. A Dom. Dejean benevole communicatus. Mus. Schh.

Præcedentibus affinis, sed adhuc minor. *Ceuthorhyncho ruguloso* magnitudine æqualis. Caput globosum, nigrum, crebre punctulatum, orbita oculorum in fronte anguste ad latera late albido-squamosa; oculi maximi, ovati, prominuli, nigro-brunnei, in fronte valde approximati, rostrum thorace nonnihil longius, validiusculum, arcuatum, basi crassius punctulatum, leviter carinatum, albo-squamosum, dein extrorsum glabrum, nitidum, sub-læve, totum obscure ferrugineum. Antennæ subtenues, dilutius ferrugineæ, clava parva, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos brevior, antice vix angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, intra apicem obsolete constrictus, lateribus paulo ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, crebre sat profunde punctatus, non carinatus, niger, squamulis piliformibus cinereis dorso parce, lateribus densius obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi latiora, callo humerali elevato; pone medium apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in dorso parum convexa, anguste striata et in striis parum profunde punctata, interstitiis sub-planis, confertim alutaceis; nigra, sub-opaca, squamulis cinereis parce ad basin et margine apicali densius adspersa; macula parva rotunda, in medio, communi, punctoque laterali infra medium albo-squamosis, decorata. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis cinereo-albidis sat dense obsitum. Pedes mediores, punctati, parce cinereo-squamulosi; femoribus nigris, subtus dente parvo, acuto armatis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — Bhn.

24. C. TROGLODYTES. *Schh.*

Breviter ellipticus, niger, squamulis rotundis cinereo-albidis subtus dense supra parce adspersus: thorace latitudine breviore, confertim rugoso-punctato, ante scutellum macula dense albo-squamosa ornato: elytris mediocriter punctato-striatis: femoribus anticis obsolete posterioribus evidenter dentatis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Præcedentibus affinis, sed angustior, femoribus anticis obsolete dentatis, thorace rugoso-punctato, striis elytrorum evidenter punctatis, ab illis distinctus. Longitudo *Ceuthorhynchi cyanipennis*, nonnihil tamen angustior. Caput globosum, nigrum, obsolete punctulatum, orbita oculorum anguste cinereo-albido-squamosa; oculi magni, ovati, convexi, nigro-brunnei; rostrum thorace nonnihil longius, validum, arcuatum, basi crassius, ibique punctulatum, albido-squamosum, extrorsum glabrum, nitidum, sub-læve, totum nigro-piceum, apice dilutiore, ferrugineum. Antennæ subtenues, ferrugineæ. Thorax latitudine baseos brevior, antice vix angustior, apice late emarginatus, lobis ocularibus productis, obtuse rotundatis; intra apicem obsolete constrictus, lateribus in medio nonnihil ampliatus, basi bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim rugoso-punctatus, niger, squamulis rotundatis, cinereo-albidis dorso parcius lateribus et subtus densius adspersus, in ipsa basi ante scutellum in macula sub-rotunda, condensatis. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, dense albo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, callo humerali vix elevato; lateribus pone humeros non ampliata, a medio apicem versus angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra paulo convexa, mediocriter punctato-striata, punctis striarum evidentioribus, squama cinerea obsitis, interstitiis sub-convexis, subtiliter alutaceis, nigra, opaca, squamulis cinereo-albidis sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, albido-squamosum. Pedes mediocres, nigri, albido-squamulosi; femoribus parum crassis, anticis obsolete posterioribus evidenter acute dentatis; tarsis ferrugineis. — BHN.

STIRPS. 2. *Femora mutica* (1). Species 25 et 26.

* 25. C. OPERCULATUS. *Say.*

Ellipticus, niger, sub-depressus, squamis rotundatis cinereo-albidis subtus dense vestitus, supra parcius adspersus, antennis ferrugineis; thorace latitudine longiore, rugoloso, basi obsolete bi-sinuato; elytris anguste punctato-striatis: rostro validiusculo, basi carinato; femoribus muticis.

Zygops id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 21. 2.

Cryptorhynchus id. SAY, *Journ. Acad. nat. Sc. Philad.* III. p. 308.

Patria: America septentrionalis, Mississipi. Ex Musæo Dom. SAY descriptus.

Trachyphloeo scabriculo dimidio major. Caput globosum, nigrum, undique dense cinereo-albido-squamosum, fronte inter oculos foveola impressa, oculi mediocres, ovati, brunnei, in fronte minus approximati, quam in plerisque hujus generis; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, validiusculum, arcuatum, basi crassius, punctulatum, carinatum et squamulosum, extrorsum nudum, totum nigrum. Antennæ saturate ferrugineæ. Thorax latitudine paulo longior, apice vix angustior, ibique late emarginatus, lateribus in medio nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, rugoso-punctatus, niger, squamis majusculis, rotundatis, cinereo-albidis, sat dense vestitus, in basi maculis tribus densius et albidius squamosis, notatus. Scutellum tuberculiforme, concolor, squamosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi vix latiora, callo humerali elevato; pone basin versus medium ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra fere plana, anguste striata et in striis obsolete punctata, interstitiis sub-planis, alutaceis; nigra, squamulis majusculis rotundatis cinereis et albidis sub-maculatim condensatis variegata. Corpus subtus convexum, punctatum, nigrum, squamis similibus ut supra dense tectum. Pedes mediocres, nigri, squamositate densa albida tecti, femoribus parum crassis, muticis. — GYL.

1) Hujus manipuli species, speciebus generis *Zygops* quoad habitum quidem similes sunt, sed constructio funiculi antennarum, ut et forma pygidii et rimæ pectoralis propius cum aliis hujus generis concordant.

* 26. C. QUERCUS. *Say.*

Ellipticus, sub-depressus, niger, subtus squamis cretaceis tectis, antennis testaceis; thorace confertim granulato, antice angustiore, vittis tribus brevibus albo-squamosis notato; elytris punctato-striatis, sutura liturisque numerosis albo-squamulosis ornatis; rostro angustiori, sub-cylindrico; femoribus muticis.

Zygops id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 20. 1.

Patria : America septentrionalis, Mississipi. Ex Musæo Dom. SAY descriptus.

Copturo operculato similis et affinis, sed adhuc multo minor, aliter vestitus, rostrum angustius, thorax antice angustior, etc. — Caput sub-globosum, nigrum, undique dense albo-squamulosum, fronte inter oculos canalicula angusta impressa; oculi ovati, nigro-brunnei, in fronte minus approximati, quam in congeneribus plerisque; rostrum longitudine capitis cum thorace, subtenue, arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum, basi paulo crassius et albo-squamulosum. Antennæ mediocres testaceæ. Thorax latitudine parum longior, anterius angustior, apice emarginatus, lateribus modice ampliatus, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, confertim granulatus, niger, antice vittis tribus brevibus et præterea lituris sparsis albo-squamosis notatus. Scutellum tuberculiforme, albo-squamulosum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, callo humerali elevato; pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso fere plana, ante apicem transversim impressa, obsoletius punctato-striata, nigra, basi, sutura, apice maculisque numerosis disci albo-squamosis ornata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa alba tectum. Pedes mediocres, nigri, dense albido-squamulosi, femoribus sub-linearibus, muticis; tibiis tarsisque ferrugineis. — GHL.

Congenericus forte, mihi invisus.

27. C. OCULATUS. *Say.*

Zygops id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 21. 3.
Cryptorhynchus id. SAY, *Journ. Acad. nat. Sc. Philad.* III.

GENUS 355. PIAZURUS. *Nobis.*

Zygops, subgenus *Piazorus* SCHH. (1) — *Piazorus* DEJEAN. — *Poecilma* et *Cryptorhynchus* GERMAR. — *Rhynchænus* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, ante medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulo 2° et 3° valde elongatis, aut æqualibus, aut 2° longiore, reliquis brevibus, sub-rotundatis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum longum, validum, basi crassius, carinatum, versus apicem nonnihil complanatum; modice arcuatum.

Oculi maximi, breviter ovati, intus aut coadunati aut paulo distantes.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, lateribus sub-rectis, intra apicem in plerisque haud coarctatus, apice supra late sed leviter emarginatus.

Elytra antice thorace multo latiora et illo plus duplo longiora, humeris angulatis; apicem versus attenuata.

Abdomen basi sub-inflatum, apice non retusum; pygidium plus minusve conspicuum.

Pedes longiusculi, validi; femora clavata, subtus valide dentata, præsertim postica, quæ abdomen vix superant.

Descriptio. — *Corpus* sub-ovatum, supra aut depressum aut modice convexum, sculpturatum, squamosum, alatum; aut majusculæ aut mediocris magnitudinis. Insecta forte salientia. — Antennæ, ante medium rostri insertæ, longitudine capitis rostrique, tenues, fractæ, 12-articulatæ; scapo valde clavato, oculos haud attingente; funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, obconico, apice crassiusculo, 2° et 3° valde elongatis, aut æqualibus aut 2° dimidio vel duplo longiore, subclavatis fere linearibus, 4-8 brevibus, rotundatis, ultimo paulo crassiore, clavæ haud adpresso; clava ovalis, acuminata, 4-articulata, articulis duobus primis æqualibus. — *Rostrum*, longitudine capitis una cum thorace, validum, teres, basi crassius, carinatum, arcuatum, inflexum; scrobe versus apicem sensim latiore, in basin rostri exeunte. — *Caput* exsertum, cum thorace fere horisontale, convexum, parvum. — *Oculi* maximi, breviter ovati, modice convexi, in fronte aut coadunati aut nonnihil distantes. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, lateribus obliquis,

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 303. B

sub-rectis, antice fere basi dimidio angustior, basi plus minusve profunde bi-sinuatus, apice in medio late sed leviter emarginatus, intra apicem in plerisque obsolete, in paucis distinctius, coarctatus, supra paulo convexus; canalis inferus in pectore protensus, lateribus argute marginatus. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi fere dimidio latiora et illo plus duplo longiora, antice tri-sinuata, thoracis basi arcte applicata, humeris in plerisque obtuse, in aliis acute angulatis; lateribus inflexa, postice attenuata, sub-triangulari, apice aut conjunctim emarginata aut rotundata, supra depressa aut modice convexa, anum sub-tegentia. — *Abdomen* valde convexum, basi sub-inflatum, apice non retusum. — *Pygidium* in plerisque distinctum, sub-perpendiculare, apice rotundatum. — *Pedes* longiusculi, validi; femoribus omnibus clavatis, posticis longioribus, apicem abdominis vix excedentibus, subtus dente sat valido armatis; tibiis paulo curvatis; sub-compressis, apice unco valido instructis; tarsis longiusculis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo valido, clavato, bi-unguiculato.

A πιάζω premo, οὐρὰ anus.

TYPUS. — *Piazurus phlesus.*

Patria: Brasilia, Cayenna, Mexico, Columbia.

Observ. — Generi *Copturo* proximum, a quo tamen facile dignoscitur, elytrorum forma sæpius magis triangulari, abdomine apice haud retuso, pygidio aperto, femoribus valde clavatis, præsertim posticis, subtus dente valido, acute armatis.

STIRPS I. *Articuli funiculi antennarum 2° et 3° longi, æquales. Oculi coadunati. Corpus supra depressum.* (Species 1-11.)

1. P. PHLESUS. *Fabricius.*

Ellipticus, niger, supra pube holosericeo-atra variegatus, lateribus thoracis et corpore subtus albo-squamosis; thorace sub-læve, postice granulato; elytris supra planis, minus regulariter punctato-striatis, basi gibbo magno, obtuso instructis, interstitio septimo anterius elevato; plaga magna dorsali, communi, dense atro-holosericea punctisque sparsis albidis decoratis, apice singulatim emarginatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 476. 184.

VAR. β. Lateribus et apice thoracis corporeque subtus cervino-squamosis.

Patria : America meridionalis. Dom. SMIDT. Mus. Reg. Dan. Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT missus.

Magnitudo *Choli annulati.* Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum vertice parce subtus dense niveo-squamosum; oculi maximi, rotundati, convexi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum capite cum thorace nonnihil longius, validum, arcuatum, inflexum, basi crassius, ibique crebre punctatum, utrinque longitudinaliter sub-impressum; breviter carinatum, niveo-squamosum, dein extrorsum subtiliter minus crebre punctulatum, nitidum, totum nigro-piceum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriore. Thorax sub-triangularis, latitudine baseos multo brevior antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam obliquis, versus basin ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio truncato; supra paulo convexus, sub-lævis, postice tamen crebre granulatus; niger, supra pube holosericeo-atra punctisque sparsis albido-squamosis variegatus, lateribus et subtus squamulis niveis sat dense vestitus. Scutellum triangulare, nigrum, sordide albo-squamosum. Elytra antice interne singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin ampliata, callo humerali, oblongo, alte elevato; pone humeros apicem versus angustata, sub-triangularia, apice sub-truncata, singulatim emarginata, utrinque obsolete dentata, dente exteriore validiore, thorace vix triplo longiora, supra in dorso plana, sub-remote minus regulariter punctato-striata, interstitiis sub-planis, septimum anterius tamen elevatum; nigra pube atro-holosericea parce adspersa, in medio dorsi plaga magna, communi, oblonga, antice dentata, dense atro-pubescente, maculis punctisque sparsis albidis cincta; margine laterali antice anguste, in medio latius albido-squamoso; in basi interstitii tertii a sutura, seu in lobo producto baseos, tuberculum validum, obtusum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigro-piceum, nitidum, squamulis albidis sat dense vestitum, in medio longitudinaliter magis denudatum. Pedes validi, nigri, confertim punctulati, squamositate albida dense vestiti, postici longiores, femoribus omnibus sub-clavatis, subtus dente valido armatis; tarsis ferrugineis. — BHN.

* 2. P. BISPINOSUS. *Ghl.*

Ellipticus, niger, squamositate flavescente inæqualiter vestitus, immixtis punctis liturisque albidis; rostro longo castaneo, antennarum flagello tarsisque ferrugineis; thorace longiore, sub-conico, leviter carinato; elytris apice externo singulatim acuminatis, dorso quadri-tuberculatis, humeris rectangulatis.

Patria: Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER detectus et communicatus. Mus. SCHH..

Piazuro compacto statura similis, sed dimidio major; *P. bidentato* æqualis et elytris apice acuminatis similis, sed ab illo thorace longiore, basi leviter tantum sinuato, elytrorumque humeris fere rectangulatis, manifeste distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, orbita oculorum dense flavo-squamosa, triangulo verticis fere nudo; oculi maximi, rotundati, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine dimidii corporis, validum, arcuatum, inflexum, basi supra punctulatum, breviter carinatum, flavescenti-squamosum, extrorsum læve, nitidum, totum rufo-castaneum. Antennæ tenues, flagello ferrugineo, scapo et clava nigro-piceis. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice fere dimidio angustior quam basi, sub-conicus; apice emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam obliquis, parum ampliatis; basi leviter tantum bi-sinuatus, supra convexus, obsolete punctulatus, in medio carinula angusta, utrinque abbreviata instructus, niger, lineis sub-quinis dorsalibus, minus regularibus, lateribusque flavescenti-squamosis ornatus, interjectis punctis nonnullis albo-squamosis. Scutellum, triangulare, dense flavo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulatis, callo alte elevato instructis; posterius attenuata, sub-triangularia, apice truncata, angulo exteriore singuli elytri longius producto, conico; thorace duplo tantum longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, nigra, squamositate flavescente, cinereo-mixta, inæqualiter vestita guttulisque albo-squamosis adspersa; in basi interstitii tertii a sutura tuberculum mediocre, sub-conicum, nigrum, et paulo pone medium disci in eodem interstitio aliud oblongum, magis humile, antice macula albo-squamosa auctum. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, lateribus plagiatim

flavescenti et brunneo-squamosum, in medio longitudinaliter squamulis albidis parce adspersum. Pedes validi, nigri, fasciatim pallido-squamulosi, postici reliquis longiores, femoribus omnibus clavatis, subtus dente valido armatis, tarsis dilatatis ferrugineis.

GHL.

3. P. BIDENTATUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamositate nivea flavo-aurea et brunnea maculatim variegatus, antennarum flagello tarsisque ferrugineis; thorace brevi, antice manifeste constricto, basi profunde bi-sinuato, in medio leviter carinato; elytris sub-remote punctato-striatis, apice externo singulatim acuminatis, juxta scutellum utrinque tuberculo magno, alte elevato instructis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Reg. Acad. Scient. Holm. descriptus.

Piazuro compacto dimidio major, præsertim latior. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, orbita oculorum dense niveo-squamulosa, triangulo verticis parce squamoso; oculi maximi, rotundati, nigri, convexi, in fronte valde approximati; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, arcuatum, inflexum, basi supra punctatum, rugulosum, breviter carinatum, parce squamosum, extrorsum læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ tenues, flagello ferrugineo, scapo et clava nigris. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo fere angustior quam basi, apice late emarginatus, intra apicem transversim late impressus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam obliquis, fere rectis : basi profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, obsolete punctulatus, antice in medio leviter carinatus, niger, squamositate flavescente, certo situ aureo-micante, cinereo-mixta, liturisque pluribus brunneis variegata, vestitus, lateribus subtus niveo-squamosis, plaga obscuriore notatis. Scutellum triangulare, nigrum, limbo albo-squamoso cinctum. Elytra antice interne singulatim rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin oblique ampliata, callo humerali alte elevato; lateribus inflexis ulterius ampliata, posterius attenuata, sub-triangularia, apice truncata, angulo exteriore singuli elytri producto, conico; thorace triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, nigra, squamositate pallescente et cinerea vestita immixtis lituris variis brunneis, guttulisque numerosis albidis, præsertim posterius juxta suturam et marginem; in basi interstii tertii a sutura, seu in

lobo producto singuli elytri tuberculum valde magnum, rotundatum, alte elevatum, supra nudum, nigrum, et paulo pone medium disci in eodem intestitio aliud, magis humile, oblongum, etiam supra nigrum, antice guttula albo-squamosa auctum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, lateribus maculis dense niveo-squamosis, fusco-lituratis, notatum, medio longitudinaliter nudum, nitidum. Pedes validi, nigri, fasciatim cinereo-squamulosi, postici reliquis longiores, femoribus omnibus clavatis, subtus dente valido armatis, tarsis dilatatis ferrugineis, subtus flavo-aureo-spongiosis.

GHL.

* 4. P. OPEROSUS. *Dejean.*

Ellipticus, niger, supra inæqualiter flavescenti-subtus silaceo-squamulosus, antennarum flagello tarsisque ferrugineis, rostro basi tri-carinato; thorace brevi, antice manifeste constricto, basi profunde bi-sinuato: elytris apice truncatis, dorso 4-tuberculatis, singulo in medio disci macula et intra apicem guttula albo-squamosis, notato.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.
Piazorus stigma. SCHH. *in Litteris,* olim.

Patria : Brasilia. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus Mus. SCHH.

Piazuro bidentato magnitudine æqualis et simillimus, etiam quoad formam thoracis, elytris apice truncatis tamen distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, orbitis oculorum dense, triangulo verticis parcius flavescenti-squamosis; oculi maximi, rotundati, convexi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine dimidii corporis, validum, arcuatum, inflexum, basi supra punctatum breviter tri-carinatum, carinula media in fronte adscendente, dense pallido-squamosum, extrorsum læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ tenues, flagello ferrugineo, scapo et clava nigro-piceis. Thorax transversus, latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam obliquis, fere rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio truncato; supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, lineis lituris que flavescenti-squamosis, ad lucem aureo-micantibus ornatus, plagisque brunneis variegatus. Scutellum triangulare, nigrum, dense flavescenti-squa-

mosum. Elytra antice interne singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin subito oblique ampliata, callo humerali oblongo, alte elevato; posterius attenuata, sub-triangularia, apice truncata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, nigra, squamositate flavescenti-aurea vestita, liturisque brunneis variegata; in basi interstitii tertii a sutura, seu in lobo producto baseos, tuberculum validum, apice nudum, nigrum, et pone medium in eodem interstitio alterum oblongum, magis humile, parum elevatum, etiam nigrum, cui antice adjecta est macula distincta albo-squamosa, externe intra apicem etiam guttula alba conspicitur. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, lateribus maculatim silaceo-squamulosum, in medio longitudinaliter fere nudum. Pedes validi, nigri, squamositate pallida fasciatim vestiti, postici longiores; femoribus omnibus sub-clavatis, subtus dente valido armatis, tarsis ferrugineis, articulo tertio bilobo. — Bhn.

* 5. P. Propinquus. *Dejean.*

Ellipticus, niger, supra inæqualiter flavescenti et atro-subtus cinereo-albido-squamosus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro basi unicarinato; thorace brevi, antice manifeste constricto, basi profunde bisinuato; elytris apice truncatis, evidenter punctato-striatis, dorso 4-tuberculatis, singulo intra apicem guttula albo-squamosa notato.

Piazorus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 323.

Patria: Cayenna. A Dom. Com. Dejean benevole communicatus Mus. Schh.

Habitus et summa similitudo *Piazuri operosi*, nonnihil tamen brevior, rostro tantum uni-carinato, macula disci elytrorum deficiente, ut et colore paginæ inferiori ab illo unice distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, orbita oculorum dense triangulo verticis parce albo-squamosis; oculi maximi, rotundati, convexi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum omnino ut apud *Piazurum operosum* descriptum, basi tamen uni-carinatum, albido-squamosum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava obscuriori, fusca. Thorax transversus, latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam obliquis, fere rectis, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio

truncato; supra modice convexus, confertim punctulatus, niger, flavescenti-squamosus, lineis liturisque atris variegatus. Scutellum triangulare, nigrum, flavescenti-squamosum. Elytrorum forma ut in *Piazuro operoso*, nonnihil tamen breviora, magis triangularia videtur, evidenter punctato-striata, nigra, squamositate flavescenti-aurea vestita liturisque sparsis atris variegata; in basi interstitii tertii a sutura seu in lobo producto baseos, tuberculum validum, apice nudum, nigrum, et pone medium in eodem interstitio alterum oblongum, parum elevatum, etiam nigrum, externe intra apicem in interstitio quinto guttula alba conspicitur. Corpus subtus crebre obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, squamulis albidis sat dense vestitum, abdomine quadrifariàm nigro maculato. Pedes validi, nigri squamositate albida sat dense vestiti; femoribus extus in medio magis denudatis, omnibus sub-clavatis, dente valido armatis; tarsis obscure ferrugineis. — BHN.

* 6. P. COMPACTUS. *Dejean.*

Ellipticus, niger, supra squamositate fusco-cinerea, unicolori, subtus pallescente dense tectus, antennis tarsisque obscure testaceis; thorace subtilissime punctulato, leviter carinato; elytris sub-remote punctato-striatis, callo humerali tuberculisque quatuor dorsalibus elevatis, apice conjunctim emarginatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 323.
Cryptorhynchus id. DEJEAN; *Cat. Col. ed.* 1. 85.

Patria: Cayenna, Brasilia. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. FREYREISS communicatus. Mus. SCHH. et GHL.

Balanino nucum dimidio major. *Piazuro cerasti* æqualis et similis, punctura thoracis tamen abunde distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, orbita oculorum dense albo-squamosa, triangulo verticis parce cinereo-squamuloso; oculi maximi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace inflexum, validum, arcuatum, nigrum, extrorsum læve, nitidum, versus basin punctulatum, leviter carinatum, cinereo-squamulosum. Antennæ tenues ferrugineæ, scapo et clava obscurioribus. Thorax latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice late emarginatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus obliquis, sub-rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio sub-truncato; supra convexus, subtilissime punctulatus,

in medio leviter carinatus, niger, squamositate fusco-cinerea unicolori dense tectus. Scutellum triangulare, nigrum, squamulosum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris rotundatis, callo alte elevato instructis; lateribus inflexis anterius ampliata, postice attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim sub-emarginata, angulo exteriore nonnihil producto; thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, sat profunde, sub-remote punctato-striata, interstitiis dorsalibus planis, lateralibus e callo humerali exeuntibus convexis, elevatis; in interstitio tertio a sutura tubercula duo oblonga, obtusa, nigro-squamosa, primum majus, in basi, alterum in medio disci; nigra, squamositate fusco-cinerea unicolori vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, antice et lateribus squamositate albida et pallescente tectum, in medio longitudinaliter nudum. Pedes validi, nigri, inæqualiter cinereo-squamulosi, postici reliquis paulo longiores; femora omnia clavata, valide dentata; tarsi tenues ferruginei.

Ghl.

* 7. P. Incommodus. *Dejean.*

Ellipticus, niger, supra inæqualiter flavescenti-subtus silaceo-squamosus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro basi obsolete tri-carinato; thorace brevi, antice manifeste constricto, basi profunde bi-sinuato; elytris apice truncatis, dorso non tuberculatis, singulo pone medium disci et intra apicem guttula albo-squamosa notato; interstitio tertio anterius modice elevato.

Piazorus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.

Patria : ....

Statura et summa similitudo *Piazuri operosi*, nonnihil tamen minor, ab illo elytris non tuberculatis fere unice distinctus. Caput, oculi, rostrum et antennæ ut apud *Piazurum operosum* descripta. Thoracis structura, punctura et colore etiam ut in jam dicto. Scutellum triangulare, nigrum, dense flavescenti-squamosum. Elytra antice interne singulatim valde rotundato-producta, thoracis basi arcte applicata, pone basin subito oblique ampliata, callo humerali oblongo, alte elevato; posterius attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim truncata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, nigra, squamositate flavescenti-aurea vestita, liturisque atris variegata; interstitio tertio a sutura anterius nonnihil elevato, basi non tuberculato; pone medium

guttula parva et apicem propius in interstitio quinto altera, itidem parva, albo-squamosa, conspicitur. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigro-piceum, nitidum, lateribus silaceo-squamulosum, in medio longitudinaliter fere nudum. Pedes validi, nigri, squamositate silacea fasciatim vestiti, postici longiores; femoribus omnibus sub-clavatis, subtus dente valido armatis; tarsis ferrugineis.

BHN.

* 8. P. MACULIPES. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, squamositate cinereo-ochracea undique variegatus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace subtilissime punctulato, leviter carinato, lineatim ochraceo-et brunneo-variegato; elytris sub-remote punctato-striatis, punctis albo-squamosis adspersis, dorso quadri-tuberculatis, apice emarginatis; femoribus distincte nigro fasciatis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT sub hoc nomine amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Piazuri compacti*, indumento aliter colorato et tuberculo discoidali elytrorum majore, fere unice distinctus. Caput, oculi, rostrum, omnino ut apud *Piazurum compactum* descripta, modo orbita oculorum aliter colorata, nempe flavescenti-vel ochraceo-, non albo-squamosa. Antennæ ut in illo. Thoracis structura, punctura et carinula dorsalis etiam ut in jam dicto, sed indumentum squamosum flavescenti et cinereo mixtum, lineis pluribus brunneis variegatum. Scutellum triangulare, dense pallido-squamosum. Elytrorum forma et striæ punctatæ ut in priori omnino, sed tubercula quatuor dorsalia majora, præsertim discoidale, quod in priori; oblongum, angustum, in hoc latius, ovatum, et indumentum elytrorum pallido-et cinereo-variegatum, interjectis punctis numerosis niveo-squamulosis, præsertim posterius, juxta marginem et suturam. Corpus subtus punctulatum, nigrum, antice et lateribus dense pallido-squamulosum, in medio longitudinaliter nudum. Pedes ut in priori, sed femora, præsertim postica, fascia distinctius determinata, nigra nuda notata. GHL.

9. P. SAGINATUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, squamositate cervina undique variegatus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace basi leviter bi-sinuato, subtilissime punctulato, carinato, lineatim cervino et brunneo-variegato; elytris sub-remote punctato-striatis, dorso atro quadri-tuberculatis, apice conjunctim truncatis: femoribus distincte nigro fasciatis.

VAR. β. Elytris, rostro pedibusque rufo-castaneis; forte nuper exclusus.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Summa similitudo *Piazuri maculipedis*, nonnihil tamen brevior videtur, colore alio, elytris apice conjunctim truncatis, ab illo fere unice distinctus. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, orbita oculorum dense silaceo-squamosa, triangulo verticis parce cinereo-squamuloso; oculi maximi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, inflexum, validum, arcuatum, nigro-piceum, extrorsum obsolete remote punctulatum, nitidum, versus basin crassius, crebre punctulatum, leviter carinatum, silaceo-squamosum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava obscuriori. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice late emarginatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus obliquis, sub-rectis; basi leviter bi-sinuatus, lobo medio parum producto, sub-truncato; supra convexus, subtilissime punctulatus, in medio leviter carinatus, niger, squamositate cervina et brunnea, in lineis condensatis variegatus. Scutellum rotundatum, nigrum, cinereo-squamulosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris rotundatis, callo alte elevato instructis; lateribus inflexa, anterius ampliata, postice attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim truncata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, sat profunde sub-remote punctato-striata, interstitiis sub-planis, lateralibus paulo convexis; in interstitio tertio a sutura tubercula duo oblonga, obtusa, nigro-squamosa, primum in basi alterum in medio latius, ovatum; nigra, squamulis brunneis, cervinis et atris variegata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, lateribus maculatim ochraceo-squamulosum, in medio longitudi-

naliter fere nudum. Pedes ut in prioribus, sed femora præsertim postica, fascia distinctius determinata, nigra, nuda, notata.

BHN.

* 10. P. BISTRIATUS. *Schh.*

Ovatus, niger, fusco-squamosus; thorace leviter carinato, utrinque linea abbreviata albida notato: elytris inæqualiter punctato-striatis, nigro-cinereoque variegatis, certo situ viridi-aureo-micantibus, apice singulatim acuminatis.

Piazorus concretus.? DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.

Habitat in Brasilia. Mus. Dom. Com. MANNERHEIM.

Magnitudo et statura *Piazuri compacti.* Caput orbiculatum nigrum, orbita oculorum dense flavescenti-squamosa, triangulo verticis obscuriore, parce squamoso; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, arcuatum, punctulatum, nigrum, antrorsum glabrum, nitidum, versus basin pallido-squamosum, leviter carinatum, carinula in frontem adscendente; oculi maximi, sub-hæmisphærici, nigro-brunnei, in fronte valde approximati. Antennæ thoracis basin vix attingunt, tenues, ferrugineæ, clava nigro-fusca. Thorax latitudine baseos vix brevior, anterius multo angustior, apice leviter tri-sinuatus, lateribus obliquis, sub-rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio obtuso, brevi, lateralibus elongatis, deflexis; supra inæqualis, punctulatus, in medio carinatus, niger, squamulis nigrofuscis et cinerascentibus variegatus; intra basin lateralem utrinque lineola brevis, sub-obliqua, pallido-squamosa et versus medium guttulæ nonnullæ minutæ ejusdem coloris. Scutellum sub-ovatum, depressum, nigrum, punctulatum. Elytra antice thorace multo latiora, humeris valde elevatis, basi sinuata, thoraci arcte applicata, et illo plus duplo longiora, apicem versus attenuata, apice ipso singulatim sub-acuminata, vel tuberculo sub-reflexo aucta; supra parum convexa, minus profunde striata, striis versus basin, juxta suturam et ad apicem subtilius et crebrius, in disco et externe remotius et profundius punctatis; nigra, squamulis obscure cinereis, certo situ viridi-aureo-micantibus, variegata et guttulis nonnullis parvis albidioribus ornata, quarum una in tuberculo humerali, altera oblongior externe versus apicem et tertia minuta in disco intra apicem. Corpus subtus nigrum, punctulatum, squamulis cinereo-albidis inæqualiter adspersum. Pedes validi, nigri,

punctati, femoribus clavatis, valide dentatis, cinereo fasciatis, tibiis compressis, tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

11. P. CALCARATUS. *Chevrolat.*

Breviter ellipticus, obscure ferrugineus, supra squamulis læte cervinis vestitus, thorace brevi, obsolete punctulato, brunneo variegato et remote albo-punctato; elytris dorso planis, sub-remote punctato-striatis, gibbo basali instructis, interstitiis 5° *et* 7° *anterius elevatis; plaga magna communi, antice brunneo-posterius atro-holosericea ornatis, apice conjunctim emarginatis.*

Patria : Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Magnitudo fere *Balanini venosi.* Præcedentibus brevior et magis depressus. Caput sub-globosum, punctulatum, piceum, orbita oculorum dense albo-squamosa, triangulo verticis parce cinereo-squamuloso; oculi maximi, nigri, rotundati, in fronte valde approximati; rostrum capite cum thorace fere longius, inflexum, validum, arcuatum, ferrugineum, extrorsum læve, nitidum, basi nonnihil crassius, punctulatum, leviter carinatum, albido-squamosum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix prominulis, intra apicem vix vel leviter constrictus, lateribus obliquis, versus basin sensim ampliatis; postice profunde bi-sinuatus, lobo medio producto, apice truncato; supra parum convexus, obsolete punctulatus, piceus, squamositate læte cervina vestitus, lineis brunneis punctisque sparsis albidis variegatus. Scutellum rotundatum, dense silaceo-squamosum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis; lateribus inflexa, anterius ampliata, postice attenuata, sub-triangularia, apice conjunctim sub-emarginata, angulo exteriore nonnihil producto; thorace plus duplo longiora, supra in dorso plana, parum profunde sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, 5° anterius et 7° e callo humerali ultra medium convexis, elevatis; in interstitio tertio a sutura in ipsa basi tuberculo elevato, oblongo; ferruginea, squamositate læte cervina vestita, punctisque sparsis dilutioribus variegata, in dorso plaga magna, communi, a basi non procul ab apice continuata, antice

brunneo-postice atro-holosericea, apice attenuata, decorata. Corpus subtus punctulatum, obscure ferrugineum, squamositate pallescente tectum, in medio longitudinaliter fere nudum. Pedes obscure ferruginei pallido-squamulosi; femora omnia clavata, valide dentata; tarsi tenues, dilutius ferruginei. — BHN.

STIRPS. 2. *Articuli funiculi antennarum 3us dimidio breviores.* Species 12-14.

Manipulus I. *Oculi fronte coalitumti.* Species 12 et 13.

Centuria 1. *Corpus supra sub-depressum.* Species 12 et 13.

*12. P. PLEURONECTES *Fabricius.*

Ellipticus, niger, brunneo-squamosus, antennis, rostro, tibiis tarsisque ferrugineis: thorace leviter carinato, nigro-lineato, elytris remote punctato-striatis, basi obsoletius 4-tuberculatis, parce nigro-variegatis, singulo in medio macula parva, laterali albo-squamosa ornato, apice singulatim acuminatis.

Rhynchaenus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 447. 185.

Patria : America meridionalis. A Dom. Doct. TOENOUR LUND communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Piazuri compacti*, aliter coloratus, et apex elytrorum singulatim magis acuminato. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, orbita oculorum dense laete brunneo-squamosa, triangulo verticis parce squamoso: oculi maximi, rotundati, nigri, in fronte valde approximati: rostrum longitudine capitis cum thorace, inflexum, validum, arcuatum, ferrugineum, extrorsum laeve, nitidum, versus basin punctulatum, leviter carinatum, parce cinereo-squamulosum. Antennae tenues, ferrugineae, clava parva, obscuriore. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice late sed parum profunde emarginatus, intra apicem vix constrictus, lateribus obliquis, sub-rectis, basi minus profunde bi-sinuatus, lobo medio subtruncato, supra convexus, subtilissime punctulatus, in medio leviter carinatus, niger, squamositate laete brunnea vestitus, lineis irregularibus nigris variegatus. Scutellum rotundatum, dense laete brunneo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris rotundatis, callo alte elevato instructis: lateribus

inflexis; anterius ampliata, postice attenuata, sub-triangularia, apice singulatim acuminata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, sat profunde sub-remote punctato-striata, interstitiis omnibus planis; interstitio tertio a sutura, in ipsa basi tuberculo oblongo, obsoleto instructo; nigra, squamositate densa læte brunnea tecta, lituris nonnullis transversis atris variegata, in medio inter strias a sutura 7 et 8, punctum niveo-squamosum conspicitur. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, lateribus squamositate cervina tectum, in medio longitudinaliter nudum. Pedes validi, parce cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, valide dentatis anterioribus basi ferrugineis; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — BHN.

13. P. MELANOSTICTUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, supra squamositate brunnea, unicolori subtus cervina tectus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace subtilissime punctulato, postice leviter bi-sinuato; elytris sub-remote punctato-striatis, basi leviter sinuatis, singulo pone medium non procul a sutura macula elongata, atro-pubescente utrinque puncto niveo adfixa, ornato, apice obtuse rotundatis.

Patria : Cayenna. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amicissime communicatus.

Magnitudo et statura *Piazuri pleuronectis*, colore alio, ut et elytris apice conjunctim rotundatis, ab illo bene distinctus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, orbita oculorum dense albo-squamosa, triangulo verticis parce cinereo-squamuloso; oculi maximi, rotundati, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, inflexum, validum, arcuatum, obscure ferrugineum, extrorsum sub-læve, nitidum, versus basin nonnihil crassius, punctulatum, carinatum, parce albido-squamulosum. Antennæ tenues, ferrugineæ, scapo et clava obscurioribus. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice late sed parum profunde emarginatus, intra apicem obsolete constrictus; lateribus obliquis, sub-rectis, postice leviter bi-sinuatus, lobo medio parum producto, sub-truncato; supra convexus, subtilissime punctulatus, niger, squamositate brunnea dorso dilutiori dense tectus. Scutellum apice rotundatum, punctulatum, piceum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi

fere dimidio latiora, pone basin subito valde ampliata, in callum lateraliter extensum, rotundatum, sed parum elevatum; posterius sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis; nigra, squamositate brunnea dense vestita; inter strias a sutura 2 et 3 pone medium, macula elongata, atro-pubescente, antice posticeque puncto parvo, niveo adfixa, decorata. Corpus subtus obsolete punctulatum, piceum, antice et lateribus squamositate cervina tectum, in medio longitudinaliter nudum. Pedes validi, nigro-picei, parce cinereo-squamulosi, postici reliquis paulo longiores; femora omnia clavata, valide dentata; tarsi tenues, ferruginei. — BHN.

Centuria 2. Corpus supra convexum. (Species 14 et 15.)

* 14. P. OBESUS. *Schh.*

Ovatus, niger, squamulis cinereis et ochraceis fasciculatim variegatus; thorace conico, antice carinato; elytris amplis, convexis, punctato-striatis, atro-fasciculatis, apice rotundatis; femoribus anterioribus sub-muticis.

Habitat in Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Piazuro compacto duplo major, multo magis convexus, elytra apice rotundata, et femora tantum postica dente valido armata. Caput parvum, orbiculatum, remote punctatum, cinereo-squamosum; oculi maximi, ovati, convexi, nigro-brunnei, in fronte fere connexi, capitis partem anticam fere totam occupant; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum, basi carinatum et squamulosum. Antennæ breves, sub-tenues, ferrugineæ, pilosæ. Thorax parvus, sub-conicus, latitudine baseos vix brevior, antice dimidio angustior, apice vix vel leviter emarginatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi bisinuatus, angulis rotundatis, lobo medio leviter emarginato; supra modice convexus, carina dorsali, ante medium altiore instructus, obsolete, remote punctatus, niger, squamulis piliformibus ferrugineis sub-fasciculatim adspersus; versus latera utrinque vitta obliqua, inæqualis, atra et intra illam litura cinereo-albido-squamulosa. Scutellum ovatum, nigrum, punctatum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, basi sinuata, humeris valde

elevatis, sub-angulatis; lateribus non ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra valde convexa, præsertim in medio; punctato-sub-sulcata, punctis majusculis, sub-remotis, setula cinerea umbilicatis, interstitiis sub-convexis, remote sub-seriatim granulatis; nigra, squamulis piliformibus ferrugineis et cinereo-albidis fasciculatim variegata, interjectis in dorso fasciculis majoribus, elevatioribus, atris. Corpus subtus nigrum, vix punctatum, parce ferrugineo-et cinereo-squamulosum; segmento primo abdominis medio area antice rotundata, utrinque canalicula profunda et undique margine elevato cincta, instructo. Pedes elongati, validi, nigri, ferrugineo-et cinereo sub-faciatim squamulosi, femoribus sub-clavatis, anterioribus sub-muticis, posticis dente maximo, compresso, triangulari armatis, tibiis brevibus, arcuatis, tarsis dilatatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

*15. P. DEFECTOR. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, squamulis cinereis et ochraceis variegatus, antennis ferrugineis; thorace antice tuberculo conico instructo; elytris obsolete sulcatis, sulcis punctis profundis, remotis impressis, interstitiis convexis, tuberculatis; apice singulatim rotundatis; femoribus anterioribus muticis, tibiis posticis bi-unguiculatis.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura *Piazuri obesi*, cui etiam in multis similis, sed paulo minor, elytra apice singulatim rotundata, profundius punctata, ut et tibiis posticis bi-unguiculatis, ab illo distinctus. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, squamulis piliformibus ochraceis parce vestitum; oculi maximi, ovati, nigri, in fronte exacte contigui; rostrum capite cum thorace paulo longius; basi crassum, punctulatum, distincte carinatum, extrorsum læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ ferrugineæ, clava cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, intra apicem late transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus obliquis, rectis; basi bi-sinuatus, lobo scutellari etiam emarginato; supra convexus, obsolete punctatus, in medio antico tuberculo magno, conico instructus, niger, squamositate piliformi cinereo-albida et ochracea mixtis, sat dense vestitus. Scutellum ovatum, nigrum, squamulo-

sum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice singulatim acute rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, fornicata, obsolete sulcata et in sulcis punctis magnis, profundis, impressa, puncto singulo seta depressa albida instructo; interstitiis angustis, convexis, inæqualiter tuberculatis; nigra, squamositate cinerea et ochracea mixtis variegata, apicem versus densius ochraceo-squamosa. Corpus subtus vix punctatum, nigrum, squamulis lanceolatis cinereis parce adspersum; segmento basali abdominis omnino ut in *Piazuro obeso* constructo. Pedes nigri, cinereo et ochraceo-squamulosi, anteriores breviores, femoribus parum crassis, muticis; postici multo majores, femoribus crassis, clavatis, subtus dente magno, triangulari, compresso, acuto, armatis; tibiis posticis nonnihil arcuatis, extus et intus unguiculatis. — BHN.

Manipulus II. *Oculi paulo distantes. Corpus supra plus minusve convexum.* (Species 16-24.)

* 16. P. OCHREOCEPHALUS. *Schh.*

Sub-ellipticus, convexus, niger, squamositate ochraceo-flava albidaque inæqualiter vestitus; thorace confertim punctulato, vittis duabus latis ochraceo-flavis ornato; elytris profunde sulcatis, sulcis sub-remote punctatis; callo humerali sub-angulato, lateraliter extenso.

Patria: America meridionalis. A Dom. FALDERMANN et MÉNÉTRIÉS benevole communicatus. Mus. SCHH.

Inter majores generis, magnitudo *Molytis monachi*, valde convexus. Caput globosum, punctatum, nigrum, squamositate ochraceo-flava undique dense tectum; oculi sub-rotundati, nigri, parum convexi, in fronte minus approximati, quam in plerisque congenericis; rostrum thorace paulo brevius, validum, modice arcuatum, supra leviter carinatum, punctatum, nigrum, totum dense flavo-ochraceo-squamosum. Antennæ albo-squamulosæ, funiculo piceo, scapo et clava nigris. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice fere duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, lateribus obliquis, fere rectis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, æqualis, confertim obsoletius punctatus, niger, vittis duabus latis, obliquis, dense flavo-ochraceo-squamosis ornatus. Scutellum majusculum, rotundatum, punctulatum, nigrum, sub-elevatum. Elytra

antice sinuata, pone basin subito valde ampliata in callum lateraliter extensum, rotundatum, sed parum elevatum; posterius sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, profunde sulcata et in sulcis punctis parvis, sub-remotis, squama albida pupillatis impressa, interstitiis valde convexis, sub-lævibus; nigra, in sulcis albo-squamosa et versus apicem plaga ochraceo-squamosa notata. Pygidium breve, rotundatum, dense ochraceo-squamosum. Corpus subtus punctulatum, nigrum, pallido-squamosum. Pedes validi, nigri, dense pallido-squamosi, femoribus clavatis, posticis longioribus, dente lato, robusto armatis, anterioribus obsolete dentatis.

Ghl.

* 17. P. Rosenschoeldi. *Schh.*

Sub-ellipticus, niger, supra squamositate atro-holosericea et læte ochracea variegatus, rostro valido, basi obsolete tri-carinato; thorace confertim punctulato, antice tenue carinato, vitta utrinque obliqua, antice coeunte, ochracea, decorato; elytris sub-remote punctato-striatis, fascia transversa pone medium ochraceo ornatis: femoribus anterioribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia interiori. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim amice donatus. Mus. Schh.

Inter maximos hujus generis. *Molyti monacho* magnitudine æqualis. Caput globosum, punctatum, nigrum, orbita oculorum dense, triangulo verticis parce, læte ochraceo-squamosis; oculi sub-rotundati, parum convexi, obscure brunnei, in fronte minus approximati, quam in plerisque hujus generis; rostrum longitudine thoracis, validum, arcuatum, inflexum, apice deplanatum, basi crebre evidenter punctulatum, obsolete tri-carinatum, ibique parce læte ochraceo-squamulosum; totum nigrum, opacum. Antennæ piceæ, parce albo-squamulosæ. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice fere duplo angustior quam basi, apice sub-truncatus vel leviter emarginatus, intra apicem vix constrictus, lateribus obliquis, fere rectis; postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, confertim ruguloso-punctatus, dorso antico tenue carinatus, niger, brunneo-squamosus, vittis duabus obliquis, prope apicem coeuntibus, læte ochraceo-squamosis, plaga triangulari, fere denudata includentibus, decoratus. Scutellum rotundatum, nigrum, squamositate atro-holosericea tectum. Elytra antice leviter sinuata,

pone basin subito valde ampliata, in callum lateraliter extensum, rotundatum, sed parum elevatum; posterius sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis parum convexis, anterius et postice plagiatim atro-squamosa et obsolete ochraceo variegata, pone medium fascia lata, transversa, communi, dense læte ochraceo-squamosa, decorata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, opacum, pectore lateribusque abdominis ad basin læte ochraceo-squamosis. Pedes validi, nigri, dense pallido-squamosi; femoribus clavatis, posticicis longioribus, dente lato, robusto, armatis, anterioribus obsoletius obtuse dentatis.

BHN.

Dom. *Eberhard Munck af Rosenschoeld*, Philosoph. Doct. ad Acad. Lundensis. Entomologus oculatissimus. Descriptionibus species novas hoc opere ornare placuit, quare animaculum hocce, indicium gratiæ et amicitiæ nostræ nominare voluimus.

SCHH. et BHN.

18. P. SUCCIVUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, supra squamositate atra fasciculatim obsitus, rostro basi striolato-rugoso, medio carinato; thorace antice profunde constricto, lævi, medio tenue carinato; elytris basi leviter sinuatis, remote punctato-striatis, dorso antico sub-impressis, 4-tuberculatis, apice singulatim acuminatis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Piazuro operoso, magnitudine æqualis, aliter coloratus, thorace angustiore, elytris basi leviter sinuatis, apice singulatim acuminatis; dorso evidenter impressis, antice obsoletius tuberculatis, ab illo mox distinctus. Caput globosum, punctulatum, nigrum, parce orbita oculorum densius albido-squamosum; oculi maximi, rotundati, convexi, nigri, in fronte valde approximati; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, inflexum, basi supra striolato-rugosum, medio leviter carinatum, parce albido-squamosum, extrorsum sub-læve, parum nitidum, totum nigrum. Antennæ tenues, flagello ferrugineo, scapo et clava nigro-piceis. Thorax latitudine baseos nonnihil brevior, antice duplo angustior quam basi, apice fere truncatus, intra apicem anguste profunde

constrictus et transversim impressus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam obliquis, fere rectis: basi bi-sinuatus, lobo medio parum producto; supra modice convexus, obsoletissime confertim punctulatus, medio tenue carinatus, squamositate brunnea et cinerea mixtis, parce obsitus. Scutellum rotundatum, nigrum, brunneo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, pone basin subito ampliata, callo humerali oblongo, alte elevato; posterius attenuata, apice conjunctim sub-truncata, singulo utrinque acuminata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, dorso antico impressa, sub-remote evidenter punctoto-striata, nigra, squamositate atro-holosericea plagiatim condensata parce obsita; singulo in medio versus latera, puncto obsoleto, albido, decorato; in interstitio tertio tuberculis duobus parum elevatis, quarum uno in ipsa basi et altero in medio. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, squamulis cinereo-albidis parce adspersum; abdomine utrinque in medio albido-maculato. Pedes validi, nigri, parce cinereo-squamulosi; femoribus omnibus sub-clavatis, subtus dente valido armatis; tarsis angustis, ferrugineis.

Bhn.

* 19. P. Contumeliosus. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamositate brunnea tectus, lituisque atris variegatus; thorace conico, confertim punctulato, antice tenue carinato; elytris sub-remote punctato-striatis, remote atro-fasciculatis, in medio non procul a sutura puncto ochraceo decoratis, apice singulatim rotundatis; callo humerali lateraliter angulatim valde extenso.

Patria: Brasilia interiori. Dom. Bescke. A Dom. Com. Mannerheim amice missus. Mus. Schh.

Magnitudo *Piazuri operosi*, sed magis convexus. Caput orbiculatum, punctatum nigrum, minus dense ochraceo-squamosum; oculi maximi, sub-rotundati, nigri, in fronte minus approximati; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, validum, arcuatum, inflexum, nigro-piceum, basi crassius, evidenter crebre punctulatum, obsolete carinatum, extrorsum subtiliter sub-remote punctulatum, magis nitidum, apice deplanatum. Antennæ tenues, ferrugineæ, scapo et clava obscurioribus. Thorax latitudine baseos vix brevior, sub-conicus, antice dimidio angustior quam basi, apice late sed parum profunde emarginatus, fere sub-truncatus, intra apicem non constrictus, lateribus obliquis, rectis; basi leviter bi-sinuatus.

lobo medio parum producto; supra convexus, subtiliter crebre punctulatus dorso longitudinaliter tenue carinatus, squamositate brunnea vestitus, utrinque vitta obliqua, antice coeuntibus, e squamulis pallidioribus ornatus. Scutellum rotundatum, nigrum, brunneo-squamosum. Elytra antice leviter sinuata, pone basin subito valde ampliata, callo humerali lateraliter angulatim valde extenso; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, thorace triplo fere longiora, supra convexa, sub-remote punctato striata, interstitiis parum convexis; nigra, squamositate brunnea sat dense vestita, plaga transversa, in ipsa basi, circa scutellum liturisque sparsis atris variegata, in medio inter strias 2 et 3 a sutura, punctum parvum, læte ochraceum conspicitur. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, parce brunneo-squamulosum. Pedes validi, nigri, parce brunneo-squamosi; femoribus clavatis, posticis longioribus, dente lato, robusto, armatis, anterioribus obtuse dentatis. — BHN.

* 20. P. VARIUS. *Dejean.*

Ellipticus, niger, squamulis brunneis, griseo-albidis et flavescenti-aureis variegatus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace leviter carinato; elytris sub-remote punctato-striatis, apice conjunctim obtuse rotundatis; callo humerali lateraliter angulatim extenso.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325. Teste Dom. CHEVROLAT.

Poecilma stipitosum. ? GERM. *Ins. Spec.* I. p. 255. 386.

Patria: Brasilia. A Dom. CHEVROLAT et FREYREISS communicatus. Mus. SCHH.

Statura fere *Piazuri contumeliosi*, sed dimidio minor; magnitudo *Balanini nuci.* Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamulis griseo-albidis supra parce, circa oculos sat dense obsitum; oculi sat magni, sub-rotundati, nigri, in fronte minus approximati; rostrum thorace nonnihil longius, inflexum, validum, arcuatum, nigrum, extrorsum obsolete remote punctulatum, nitidum, versus basin confertim punctatum, leviter carinatum vix cinereo-squamosum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava parva, obscuriore. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice sub-truncatus, vix emarginatus, intra apicem non constrictus, lateribus obliquis, sub-rectis, basi bi-sinuatus, lobo medio modice producto, sub-trun-

cato; supra convexus, subtiliter punctulatus, in medio leviter carinatus; niger, squamositate griseo-albida, flavescenti-aurea et brunnea variegatus. Scutellum rotundatum, squamositate griseo-albida tectum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris lateraliter angulatim extensis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis fere planis; nigra, squamositate griseo-albida, flavescenti-aurea et brunnea variegata, litturis sparsis atris adspersa punctaque nonnulla in medio versus latera albida conspiciuntur. Corpus subtus obsolete crebre punctulatum, nigrum, opacum, antice griseo-squamosum, postice fere denudatum; abdomine tamen utrinque ad basin griseo-maculato. Pedes validi, nigri, inæqualiter griseo-squamulosi; postici reliquis paulo longiores; femora omnia clavata, valide dentata; tarsi tenues, ferruginei.—BHN.

* 21. P. CERASTES. *Fabricius.*

Ovatus, niger, dense fusco-squamosus; thorace antice profunde constricto, remote punctato, tuberculo medio sub-bifido; elytris remote punctato-striatis, dorso tuberculis quatuor, elevatis, oblongis, compressis apice conjunctim rotundatis; femoribus anterioribus obtuse dentatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 469. 152.

Patria: America meridionalis. A Dom. TOENDER LUND. communicatus. Mus. SCHH.

Grypidio equiseti dimidio major. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, supra fusco-brunneo-intra et infra oculos cinereo-albido-squamosum; oculi sat magni, rotundati, nigri, in fronte minus approximati; rostrum longitudine thoracis cum capite, subtenue, arcuatum, ferrugineum, basi crassius, carinatum, albido-squamulosum, extrorsum læve nitidum. Antennæ basin rostri propius insertæ, tenues, ferrugineæ. Thorax latitudine baseos parum brevior, anterius angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus paulo prominulis, intra apicem profunde et late constrictus, transversim impressus, margine apicali elevato; pone stricturam rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio vix producto; supra convexus, remote sat profunde vage punctatus, in medio dorsi tuberculo parvo, sub-

bifido instructus; niger, supra squamositate fusco-brunnea dense tectus. Scutellum sub-triangulare, dense silaceo-squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris fere rectangulis, callo elevato instructis; pone basin ultra medium paulo dein apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis lateralibus sub-convexis, inter strias 2 et 3 a sutura tubercula duo elevata, oblonga, compressa, primum minus in basi, alterum in medio disci; nigra, squamositate fusco-brunnea dense vestita. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, læte cervino-squamosum. Pedes validi, nigri, squamositate cinerea et brunnea tecti et variegati; femoribus clavatis, posticis longioribus, dente lato, robusto, armatis, anterioribus obtuse obsoletius dentatis. — BHN.

* 22. P. MITIS. *Germar.*

Sub-ovatus, niger, thorace griseo-elytrisque brunneo-squamosis; thorace conico confertim punctulato, leviter carinato; elytris atro-undulatis, sub-remote punctato-striatis, interstitiis alternis magis elevatis, convexis, apice conjunctim rotundatis.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 280. 418.

Patria: Brasilia. A Dom. FALDERMANN et MÉNÉTRIÉS amice communicatus. Mus. SCHH.

Ciono scrophulariæ duplo major. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamositate fusco-grisea sat dense adspersum; oculi mediocres, rotundati, modice convexi, nigri, in fronte minus approximati; rostrum thorace parum longius, validum, inflexum, modice arcuatum, nigro-piceum, apice dilutiore, basi crassius, confertim punctatum, medio carinatum, fusco-squamosum, extrorsum denudatum, nitidum, subtiliter sub-remote punctulatum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava obscuriore. Thorax latitudine postica brevior, antice duplo angustior quam basi, sub-conicus, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus vix prominulis; intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, rectis; basi bi-sinuatus, supra convexus, confertim punctulatus, medio carinula tenui, parum elevata, anterius evidenter, instructus; niger, squamositate fusco-grisea sat dense vestitus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, griseo-squamosum.

Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, callo modice elevato; pone humeros apicem versus sensim angustata apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, subtiliter striata, striis sub-remote punctatis; interstitiis convexis, alternis elevatioribus, tuberculis, compressis, remotis, dentatis; nigra, fusco-brunneo-squamosa, fasciis transversis, linearibus, undulatis, irregularibus, holosericeo-atris, ornata. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, brunneo-squamosum. Pedes validi, nigri, squamositate grisea fasciatim vestiti; femoribus clavatis, posticis dente lato, robusto, armatis, anterioribus minus valide dentatis. — Bhn.

* 23. P. Misumenus. *Schh.*

Ovatus, niger, supra fusco-subtus griseo-squamosus, antennis ferrugineis; thorace transverso, obsolete punctulato, antice leviter carinato; elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus; antice plaga transversa cinereo-albido-squamosa, decoratis, apice conjunctim rotundatis.

Patria: Minas Geraës Brasiliæ. A Dom. Com. Mannerheim amice communicatus. Mus. Schh.

Statura et summa similitudo *Piazuri mitis*, dimidio fere minor, aliter coloratus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamulis cinereo-pallidis adspersum; oculi mediocres, rotundati, modice convexi, in fronte minus approximati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, inflexum, modice arcuatum, confertim punctulatum, basi crassius, ibique vix carinatum, parce fusco-squamosum, apicem versus denudatum, apice ipso deplanatum, ferrugineum, magis nitidum. Antennæ tenues, rufo-testaceæ, clava obscuriore. Thorax transversus, longitudine brevior, antice dimidio angustior quam basi, sub-conicus, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, lateribus obliquis, fere rectis; basi leviter bi-sinuatus vel sub-truncatus, supra convexus, niger, vix visibiliter punctulatus, anterius obsolete et tenue carinatus; niger, squamositate fusco-cinerea parce adspersus. Scutellum rotundatum, cinereo-albido-squamosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris lateraliter angulatim nonnihil extensis; pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace fere

triplo longiora, supra convexa, tenuiter striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis convexis, alternis elevatioribus; nigra, squamositate fusco-grisea tecta; antice plaga magna, transversa, cinereo-albido-squamosa, litura in ipsa basi ad scutellum fasciisque nonnullis linearibus, undatis, irregularibus, in dorso postico, atro-holosericeis, decorata. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate grisea sat dense obsitum. Pedes validi, nigri, similiter squamulosi; femoribus clavatis, omnibus subtus dente sat valido armatis. — BHN.

* 24. P. UMBRINUS. *Schh.*

Sub-ovatus, convexus, niger, squamositate unicolori læte brunnea vestitus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace subtiliter confertim punctulato, antice vix constricto; elytris convexis, profunde sulcatis, sulcis sub-remote punctatis, apice conjunctim rotundatis; femoribus anterioribus obtuse dentatis.

Patria: Brasilia interiori. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

E minoribus hujus generis. *Piazuro misumeno* vix brevior, sed dimidio angustior. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamulis læte brunneis undique sat dense obsitum; oculi mediocres, rotundati, modice prominuli, nigri, in fronte minus approximati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, inflexum, arcuatum, piceum, basi crassius, punctulatum, vix carinatum, dense læte brunneo-squamosum, extrorsum sub-læve, nitidum, denudatum, apice deplanatum, dilutiore. Antennæ subtenues, testaceæ, clava obscuriore, griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, anterius angustior, sub-conicus, apice sub-truncatus, intra apicem vix vel obsoletissime coarctatus, lateribus obliquis, versus basin sensim ampliatis; basi leviter bi-sinuatus, lobo medio vix producto, supra convexus, confertim subtiliter punctulatus, squamositate unicolori, dilute brunnea sat dense vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum, punctulatum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi vix dimidio latiora, humeris perparum elevatis, sub-angulatis; lateribus inflexa, a basi ultra medium vix dein posterius citius angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, sat profunde sulcata, et in sulcis punctis parvis, sub-remotis im-

pressa, interstitiis convexis; nigra, maculatim apicem versus densius læte brunneo-squamosa. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, opacum, anterius densius, posterius parce brunneo-squamosum. Pedes validi, nigri, squamositate fusco-brunnea tecti; femoribus clavatis, posterioribus longioribus, dente lato, robusto, armatis, anterioribus obsolete dentatis. — BHN.

STIRPS 3. *Articuli funiculi antennarum 2° 3° duplo longior.* (Species 25-26.)

* 25. P OSTRACION. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, supra brunneo-subtus cinereo-squamosus, antennis, rostro tarsisque ferrugineis; thorace remote granulato, antice profunde constricto, tuberculo medio carinato; elytris sub-remote punctato-striatis, tuberculatis et spinosis, apice singulatim mucronatis, humeris lateraliter angulatim valde extensis, acutis.

Poecilma id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 261. 394.
Zygops (*Piazorus*) *polyodon.* SCHH. olim. *in Litteris.*

Patria : Brasilia. A Dom. FALDERMANN et FREYREISS benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cryptorhyncho lapathi dimidio longior, sed multo latior. Caput sub-globosum, remote rugoso-granulatum, nigrum, squamositate cinereo-albida sat dense obsitum; oculi magni, rotundati, nigri, in fronte approximati; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, arcuatum, inflexum, obscure ferrugineum, basi crassius confertim punctulatum, leviter carinatum, parce cinereo-albido-squamosum, extrorsum sub-læve, nitidum, apicem versus nonnihil ampliatum, deplanatum. Antennæ subtenues, ferrugineæ, parce pilosæ. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice late sed parum profunde emarginatus, intra apicem profunde transversim constrictus et transversim impressus, pone stricturam rotundato-ampliatus, dein lateribus fere rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio parum producto, sub-emarginato; supra convexus, remote vage granulatus, medio tuberculo elevato, supra carinato, instructus; niger, dorso brunneo-lateribus apiceque et subtus cinereo-albido-squamosus. Scutellum rotundatum, squamositate cinereo-albida tectum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris lateraliter angulatim valde extensis, apice

mucronatis; pone humeros ultra medium vix dein apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim truncata, singulatim utrinque mucronata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso parum convexa, postice declivia, sub-remote parum profunde punctato-striata, spinis parvis, reclinatis, setiferis, sparsis, armata, inter strias 2 et 3 a sutura tubercula duo, oblonga, valde elevata, compressa, muricata, primum in basi alterum in medio disci, majus, magis elevatum; nigra, a basi ultra medium dense brunneo-dein apicem versus griseo-squamosa, intra apicem interdum brunneo-variegata. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, opacum, squamositate cinerea sat dense obsitum. Pedes validi, nigri, cinereo-albido-squamulosi; femoribus clavatis, posticis longioribus, dente lato, robusto, armatis, anterioribus obtuse dentatis; tarsis ferrugineis, subtus fulvo-spongiosis. — BOH.

26. P. CONDYLIATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, niger, supra squamositate fusca subtus ochracea vestitus, antennis tarsisque ferrugineis; thorace sub-remote punctato, antice obsolete constricto; elytris sub-remote punctato-striatis, dorso alte quadri-tuberculatis, apice rotundatis, interstitiis sub-elevatis, granulatis; femoribus distincte nigro-fasciatis.

Pinarus id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole communicatus.

Statura omnino *Piazuri ostracionis*, sed duplo minor, thorace antice non tuberculato, elytris minime spinosis, apice rotundatis, humeris lateraliter non extensis, etc., ab illo abunde distinctus. Caput sub-globosum, ruguloso-punctatum, nigrum, parce læte ochraceo-squamosum; oculi magni, rotundati, modice convexi, nigri, in fronte satis approximati; rostrum validum, arcuatum, inflexum, piceum, basi crassius, confertim punctulatum, medio leviter carinatum, parce ochraceo-squamosum, extrorsum denudatum, nitidum, læve, apice deplanatum. Antennæ tenues, dilute ferrugineæ, clava parva obscuriore. Thorax latitudine baseos brevior, anterius angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem, vix constrictus, lateribus pone apicem rotundato-ampliatis, dein versus basin rectis; postice leviter bi-sinuatus, supra convexus, sub remote sed parum profunde

punctatus, niger, læte ochraceo-squamosus, dorso obsolete brunneo-variegatus. Scutellum rotundatum, nigrum, ochraceo-squamulosum. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis, vix elevatis; lateribus pone humeris ultra medium recta, dein apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso parum convexa, postice declivia, parum profunde sub-remote punctato-striata, interstitiis elevatis, granulis parvis, setulo pallido instructis, seriatim obsitis; inter strias a sutura 2 et 3 tuberculis duobus validis, obtusis, atro-squamosis, primum in basi, alterum in medio disci; nigra, squamositate fusca vestita. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, opacum, læte ochraceo-squamosum. Pedes validi, nigri, ochraceo-squamosi; femoribus clavatis præsertim posticis, fascia distinctius determinata, nigra, nuda, notatis, valide dentatis, anterioribus obtuse dentatis. BHN.

Ad hoc genus verisimile referendi; species mihi invisæ.
(Species 27-29.)

27. P. CAPRIMULGUS. *Olivier.*

Elytris atro, rufo cinereoque variegatis, basi tuberculo elevato.—OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 177. 153. T. 17. f. 209.
Piazorus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 300. *ed.* 3. p. 325.
Patria: Cayenna.

28. P. CILIATUS. *Germar.*

Griseo-fuscoque varius, ciliis oculorum albis, coleopteris oblongo-triangularibus, basi quadri-tuberculatis, apice truncatis. — GERM.

Poecilma ciliatum. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 254. 385.

Patria: Brasilia.

29. P. VERSICOLOR. *Germar.*

Ater, holosericeus, subtus brunneo-squamosus; thorace carinato: elytris punctato-striatis, carneo-variegatis, certo situ viridi-aureo-micantibus. — GERM.

Poecilma id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 255. 387.
An *Piazurus bistriatus.*? huj. Operis ante. 10.
Patria: Brasilia.

GENUS 356. TIMORUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, minus tenues, ante medium rostri insertæ; funiculo 7-articulo: articulis 1-4 obconicis, duobus basalibus longioribus, 5-7 brevibus, turbinatis; clava ovalis, acuminata.

Rostrum longum, teres, basi paulo crassius, arcuatum.

Oculi magni, oblongo-ovati, inferne acuminati, in fronte parum distantes.

Thorax breviter sub-conicus, basi bi-sinuatus, anterius paulo angustior, intra apicem leviter coarctatus.

Elytra antice thorace fere dimidio latiora, illoque fere triplo longiora, humeris obtuse angulatis, apice conjunctim rotundata, supra sub-depressa.

Abdomen basi sub-inflatum, apice paulo retusum.

Pedes mediocres, femora parum crassa, sub-linearia, subtus dentata.

Descriptio. — *Corpus* sub-ellipticum, depressum, sculpturatum, inæquale, squamosum, alatum, mediæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, ante medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculum non attingente, recto, clavato; 2° et 3° longiusculis, hoc sub-longiore; 4° et 5° paulo brevioribus, omnibus obconicis, 6-8 adhuc brevioribus, sub-rotundatis, æqualibus; clava, oblonga, ovalis, acuminata, 4-articulata, articulo 1° reliquis longiore. — *Rostrum* capite thoraceque nonnihil longius, teres, basi paulo crassius, carinatum, dein nonnihil tenue, lineare; modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, in basi rostri subtus cum opposita coeunte. — *Oculi* oblongo-ovati, inferne acuminati, in fronte parum distantes, modice convexi. — *Thorax* latitudine baseos nonnihil brevior, basi profunde bi-sinuatus, elevato-marginatus, anterius sensim nonnihil angustior, lateribus obliquis, subrectis, intra apicem late, sed parum coarctatus, apice ipso supra late sed parum profunde emarginatus, pone oculos perparum lobatus, supra paulo convexus: rima thoracis distincta, lateribus argute marginata, ante pedes anticos desinente. — *Scutellum* mediocre, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis parte postica fere dimidio latiora et latitudine sesqui-longiora, sub-ovata, basi tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, pygidium obtegentia, supra

sub-depressa. — *Abdomen* basi valde convexum, sub-inflatum, apice paulo retusum. — *Pedes* mediocres, postici nonnihil longiores; femoribus vix incrassatis, omnibus subtus unidentatis; tibiis teretibus, rectis, apice unco intus flexo armatis; tarsis longiusculis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A τιμωρὸς defensor, vindex.

TYPUS. — *Timorus suturalis.*

Patria : Brasilia.

Observ. — Generi *Pinaro* haud dissimile est, sed antennarum abdominisque structura, etiam situs oculorum præcipue valde differunt.

1. T. SUTURALIS. *Schh.*

Sub-ellipticus, depressus, niger, opacus, squamis rotundatis, sordide pallescentibus paucisque albidis supra variegatus, subtus dense vestitus; thorace conico, carinula brevi, medio deplanata, notato, elytris remote punctato-sulcatis, interstitiis costis pluribus abbreviatis instructis, sutura a basi ultra medium late pallido-squamosa, femoribus sub-acute dentatis.

Patria : Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

Longitudo *Platyrhini latirostris* sed paulo latior et depressior. Caput rotundatum, remote punctatum, sat dense albido-squamosum, fronte angusta, postice impressa et tuberculo parvo notata; oculi majusculi, sub-ovati, dilute brunnei, in fronte medio approximati; rostrum longitudine thoracis validiusculum, subteres, paulo arcuatum, subtilissime punctulatum, basi paulo crassius, leviter carinatum et squamosum, dein nudum, ante medium paulo angustatum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, tenues, rufo-piceæ, clava minuta ovali. Thorax conicus, latitudine baseos vix brevior, apice supra et infra leviter emarginatus, margine antice supra in medio anguste et perparum lobatus, antice paulo angustior, longe intra apicem late sed parum profunde transversim impressus, lateribus fere rectis, basi sat profunde bi-sinuatus, lobo medio productiore, emarginato; supra parum convexus, carinula brevi, medio altiore, deplanata et nitida instructus, valde remote punctatus, squamis majusculis rotundatis, sordide pallescentibus et albidis inæqualiter vestitus. Scutellum, rotundatum, immersum,

retractum. Elytra breviter sub-ovato-trigona, thorace plus duplo longiora, antice ejus basi plus dimidio latiora basi singulatim oblique, leviter emarginata, humeris obtuse angulatis, lateribus paulo rotundata, sensim angustata, apice, subito attenuata et conjunctim paulo rotundata supra sub-depressa, regione suturali impressa, obsolete sulcata et in sulcis punctis majusculis, rotundatis, remotis, impressa, interstitiis convexis, costis circiter novem abbreviatis prædita, 1° nimpe 3° et 7° fere in medio, 4° et 6° ante apicem, singulis costa brevissima, sub-tuberculiformi, muricata instrucis, 1° ante apicem, 4° et 6° a basi ad medium et 5° in medio obtuse costatis; squamis rotundatis, sordide griseis, inæqualiter vestita, sutura a basi ultra medium vitta lata lineari, dense pallido-squamosa notata. Corpus subtus valde convexum, sat crebre punctatum, squamis sordide pallescentibus dense vestitum. Pedes subtenues, ut corpus squamosi; femoribus sub-linearibus, dente sub-acuto armatis; tibiis subteretibus, rectis. — RLD.

GENUS 357. PINARUS. *Nobis* (1).

Pinarus DEJEAN. — *Poecilma* GERMAR.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, ante medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, obconico; 2° et 3° elongatis, sub-cylindricis, illo longissimo, 4-7 brevibus, sub-rotundatis; clava ovalis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, subteres, modice arcuatum supra obsolete carinatum, basi paulo crassius in medio nonnihil angustatum, versus apicem paulatim ampliatum, complanatum.

Oculi mediocres, sub-laterales, in fronte paulo distantes, ovati.

Thorax sub-quadratus, basi bi-sinuatus, lateribus rectis, intra apicem coarctatus, apice supra in medio, parum productus, obsolete breviter emarginatus, pone oculos lobis obsoletis; canalis inferus profundus, usque ad pedes intermedios in pectore protensus, lateribus saltem argute marginatus.

Elytra oblongo-ovata, humeris rectangulis; apice singulatim mucronata.

Abdomen æquale, basi haud inflatum; pygidium distinctum, apertum, apice rotundatum, extra apicem elytrorum non prominens.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 307. 178.

Pedes mediocres, sub-æquales; femora modice clavata, posteriora dentata; tibiæ sub-complanatæ, versus apicem pone medium introrsum curvatæ, apice unco validissimo, deflexo armatæ.

Observ. — Corpus oblongum, sub-ellipticum, modice convexum, inæquale, squamosum, alatum; majusculæ magnitudinis.

Antennæ fere ut in genere *Zygopi*, sed differt, structura corporis, oculis distantibus, minoribus, femoribus posticis abdomine brevioribus, etc.

♂♀ 1. P. SPICULUS. *Germar.*

Oblongo-ovatus, niger, dense cinereo-squamosus; thorace sub-quadrato remote granulato, margine antico bi-tuberculato; elytris obsolete striato-punctatis, inæqualiter et inordinate tuberculatis, apice mucronatis; femoribus posterioribus dentatis.

Mas : rostro breviore, crassiore, parce squamoso, apice solum denudato et magis dilatato, pygidio magis prominulo.

Femina : rostro longiore, tenuiore, toto denudato, apice parum latiore, pygidio minore.

Poecilma spiculum. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 262. 395.
Pinarus squalidus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3 p. 325.

Patria : Brasilia. Mus. SCHH.

Hylobio abietis paulo major. Caput exsertum, sub-semi-globosum, cinereo-squamosum, vertice fronteque depressis; oculi breviter ovati, modice convexi; rostrum validiusculum, paululum complanatum, piceum medio nonnihil angustatum, in ipsa basi carina in fronte continuata, instructum, maris longitudine thoracis, crassius, subtiliter punctulatum, opacum, cinereo-squamosum, apice solo nudo, magis dilatato, feminæ longius, tenuius, subtilissime punctulatum, denudatum, nitidum apice parum latiore. Antennæ non procul a basi rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, clava ovata, apice obtusa. Thorax sub-quadratus, margine antico supra perparum producto, medio emarginato et bi-tuberculato, pone oculos perpaparum lobatus, longe intra apicem leviter constrictus, lateribus rectis, basi modice bi-sinuatus, lobo medio rotundato, dorso planiusculus; totus inæqualiter, disperse granulatus, in lateribus ante medium tuberculis duobus majoribus; cinereo-squamosus, vitta

laterali obsoleta umbrina. Scutellum orbiculatum, sub-elevatum, cinereo-squamosum. Elytra sub-oblongo-quadrata, antice thorace multo latiora, quam lata dimidio longiora, basi conjunctim tri-sinuata, humeris sub-rectangulis, alte elevatis, lateribus recta, versus apicem angustata, apice ipso conjunctim profunde emarginato seu in mucronem brevem utrinque producto, dorso planiuscula; tenue obsolete striato-punctata, interstitiis disperse, inordinate tuberculatis; 2° pone medium et 3° ad basin in cristam elevatiorem oblongam, supra serratam productis; 7° intra apicem tuberculo majori insignito; cinereo-squamosa, litura utrinque obsoleta longitudinali indeterminate umbrino-squamosa. Corpus subtus subtilissime punctulatum, squamis angustis albidis parce adspersum, abdominis segmento 5°, in mare 4° parum longiore, apice late emarginato; 6° seu pygidio magis exserto, quam 5° longiore; 5° in femina quam 4° fere duplo longiore, pygidio parvo. Pedes validi, cinereo-squamosi; femoribus incrassatis, fusco tinctis, posterioribus dente sub-acuto armatis; tibiis breviusculis, compressis, intus sinuatis, ante basin fusco-annulatis.

Observ. — Variat colore squamarum in dorso dilutius cinereo, vittis distinctioribus, intus fusco-marginatis. — RLD.

GENUS 358. MECOPUS. *Dalman.*

Quamvis in plerisque speciebus hujus generis, excepto *Mecopo trilineato*, coxæ femorum anticorum sunt approximatæ, eamque ob causam jam in tom. III. pag. 555 sub divisione *Erirhinidum* hoc genus locavi, tamen ob magnam cum *Zygopi* genere affinitatem præsertim oculorum abdominisque similitudinem, ad hoc genus huc inserendum inductus fui.

1. M. AUDINETII. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, supra nigro-cinereoque, subtus albido-squamosus, nigro-maculatus, rostro longissimo, apice arcuato; thorace sub-quadrato, dorso lineis tribus obsoletis interruptis silaceis instructo, subtus spinis duabus longis apice sursum arcuatis, armato; elytris dense nigro-lanuginosis; femoribus acute uni-dentatis, tarsorum anticorum articuli primi apice et secundi margine interno longe pilosis.

Mecopus longipes. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Java. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Zygopi strige paulo majore. Descriptio maris. Corpus sub-globosum, creberrime subtiliter punctulatum, sub-glabrum; oculi maximi, brunneo limbati; antice posticeque coeuntes, medio paulo distantes; rostrum longissimum, abdominis basin attingens, femorum anticorum crassitie, filiforme, versus apicem paulo arcuatum; sub-nitidum, creberrime subtiliter granulato-punctatum, supra carinis 5 versus apicem evanescentibus; mandibulæ exsertæ, intus unidentatæ. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, illo dimidio breviores, oculos non attingentes, tenues, depresse cinereo-pilosæ. Thorax amplus, sub-quadratus, apice truncatus, quam basi fere duplo angustior, mox intra apicem valde coarctatus, tubulatus, lateribus mox pone apicem ampliatis, dein ad basin parum rotundatis, basi leviter et supra et infra bi-sinuatus, supra modice convexus, creberrime granulato-punctatus, inæqualiter nigro-squamosus, dorso lineis 3 obsoletis, medio late interruptis, silaceis, subtus dense albido-squamosus, ante pedes anticos spinis duabus porrectis, parallelis, subulatis, thoracis longitudine, caput longe excedentibus, apice sursum valde curvatis, armatus, inter spinas late sed parum profunde impressus. Scutellum ovale, immersum. Elytra sub-trigona, basi singulatim oblique rotundata et thorace non latiora, illo dimidio longiora, humeris rotundatis, lateribus parum rotundata, posterius sensim angustata, apice ipso conjunctim emarginata, pygidium non obtegentia, supra planiuscula, sutura antice impressa, tenue striata et in striis crebre punctata, interstitiis planiusculis; 2° pone medium spinis duabus anteque apicem una, pone medium quatuor, omnibus, brevibus, armatis, sutura inermi; dense nigro-squamosa, passim albo-cinereoque variegata, lanugine longa, sat densa, nigra insuper vestita. Corpus subtus longitudinaliter fere semi-circulariter convexum, dense albido-squamosum, maculis paucis nigris denudatis variegatum, abdomine medio vitta longitudinali interrupta, nigro-squamosa, segmento 1° late impresso, ultimo bi-carinato. Pedes longissimi, graciles, crebre punctati, parceque albido-squamosi, antice longiores, basi approximati, intermedii breviores; femoribus sub-linearibus, ante apicem dente acutissimo, minimo, postico tamen majore armatis, anticis abdominis apicem attingentibus; tibiis apice sub-incrassatis, medio late denudatis, anticis femorum longitudine, linearibus intus vix crenulatis, versus apicem perparum arcuatis, posterioribus fere duplo

brevioribus, medio intus paulo incrassatis; tarsis subtus brevissime spinulosis, anticorum articulo 1° apice et 2° margine interno, longe nigro-pilosis. — RLD.

Dom. J. G. AUDINET-SERVILLE, auctor plurium operum entomologicorum laudatus. Liceat igitur mihi hujus insecti denominatione, nomen ejus in memoriam gratam revocare.

♂♀ 2. M. BISPINOSUS. *Weber.*

Ellipticus, niger, subtus albo-squamosus, nigro maculatus, supra nigro-squamosus; thorace transverso, macula ante-scutellari niveolineisque tribus dorsalibus indeterminatis ochraceo-squamosis, scutello niveo; elytris nebulis pluribus ochraceo-albidoque squamosis variegatis, sutura late ochraceo-squamosa; femoribus acute unidentatis.

Mas: rostro longissimo, apice arcuato; antennis oculos non attingentibus; thorace subtus late canaliculato, spinis duabus longis, porrectis, acutis armato; abdominis segmento 1° impresso; pedibus longissimis; tarsorum anticorum articulis duobus primis intus longe pilosis.

Femina: rostro breviore, valde arcuato; antennis oculos superantibus; thorace subtus convexo, mutico; abdominis segmento 1° convexo; pedibus brevioribus; tarsis anticis non pilosis.

Hujus operis. III. p. 556. 1.

Patria: Sumatra. Dom. DALDORFF. Mus. TOENDER LUND. nunc Reg. Dan. et Mus. SCHH.

Magnitudo variat; majores *Pissodem Pini* æquant, alii dimidio minores. Caput semi-globosum, crebre subtiliter punctulatum, parce silaceo-squamosum; oculi maximi, in fronte antice posticeque coeuntes, brunnei, rostrum femorum circiter crassitie, subfiliforme, creberrime granulato-punctatum, basi sub-striolatum, utrinque sulcatum ibique parce silaceo-squamosum; maris longissimum, abdominis basin attingens, versus apicem paulo arcuatum; feminæ brevius, medium pectus attingens, totum valde arcuatum; mandibulæ intus in mare saltem unidentatæ. Antennæ tenues, parce albo-squamosæ, in mare apicem rostri propius, in femina non procul a medio insertæ. Thorax basi longitudine me-

dia fere duplo latior, apice oblique truncatus, ut supra modice emarginatus videatur, intra apicem coarctatus et breviter tubulatus, antice basi plus dimidio angustior, lateribus fere æqualiter, modice rotundato-ampliatus, basi supra et infra bi-sinuatus, lobo medio superno parvo, impresso, subtus in mare spinis duabus longis, porrectis, acutis armatus, in femina muticus, supra modice convexus, creberrime minus profunde punctatus, sub-nitidus, nigro-squamosus, basi maculis duabus nigrioribus, rotundatis, parce lanuginosis, dorso lineis tribus longitudinalibus, valde indeterminatis, media angusta, lateralibus arcuatis, in medio cum intermedia lineola conjunctis, basi in maculam dilatatis, ochraceo-squamosis, macula transversa ante-scutellari pluribusque in lateribus subtusque niveo-squamosis, ante pedes anticos subtus in mare late, sed non profunde canaliculatus, in femina convexus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, dense niveo-squamosum. Elytra ovato-trigona, basi singulatim oblique rotundata, thoracis basi non latiora, humeris obtuse rotundatis, lateribus parum rotundata sensimque angustata, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, dorso antico planiuscula, minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, 2° et 4° pone medium brevissime spinulosis, sutura posterius remote crenata; nigro-squamosa, dorso antico lanugine parcissima nigra vestita, sutura late apiceque ipso ochraceo-squamosis, nebulis pluribus concoloribus et albidis variegata. Corpus subtus dense albido-squamosum, maculis pectoris pluribus aliaque in singulis abdominis segmentis nigro-squamosis. Pedes longissimi, graciles, creberrime rugoso-punctati, parce albo-squamosi, antici basi approximati, in mare multo, in femina ceteris vix longiores; intermidii breviores; femoribus ante apicem dente minuto acutissimo, postico majori armatis, anticis basi dense ochraceo-squamosis, maris apicem, feminæ basin abdominis attingentibus, tibiis anticis sub-linearibus femorum fere longitudine, in mare subtus creberrime crenulatis, posterioribus brevioribus, in mare sub-linearibus, in femina medio intus paulo incrassatis, tarsis subtus spinulosis, anticorum articulis duobus primis in mare subtus interne longe pilosis. — Rld.

♂ 3. M. TRILINEATUS. *Guérin.*

Ellipticus, niger, supra nigro-fusco-subtus albido-squamosus et nigro maculatus, rostro longissimo, apice arcuato: thorace transverso, lineis tribus dorsalibus et signaturis variis lateralibus flavo-albidis, subtus spinis duabus longis porrectis, parum arcuatis, armato: elytris lineis pluribus sub-confluentibus et interruptis flavo-albido-squamosis; femoribus acute bi-dentatis. Mas.

GUÉRIN, *Iconog. du Règne anim.* V. T. 39. f. 8.
BOISD. v. *Voy. de l'Astrol.* I. p. 441.

Patria: Nova Guinea. A Dom. WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Descriptio maris. *Botynoderi albido* magnitudine æqualis. Caput sub-globosum, creberrime granulatum, orbitis albido-squamosis; oculi maximi brunnei, intus omnino coadunati; rostrum longissimum abdominis basin vix attingens, femorum anticorum crassitie, subteres, creberrime rugoso-punctatum, nudum, sub-nitidum, versus apicem paulo arcuatum, tenuius et sub-deplanatum. Antennæ oculos sub-attingentes, tenues, piceæ. Thorax basi longitudine media duplo latior, apice oblique truncatus, ut supra profunde emarginatus appareat, quam basi plus dimidio angustior, intra apicem coarctatus et breviter tubulatus, lateribus ultra medium modice rotundato-ampliatus, dein paulo angustatus, basi supra et infra modice bi-sinuatus, lobo medio superno parum producto rotundato, supra parum convexus, creberrime subtiliter rugoso-punctatus, lateribus remote subtiliter granulatus, subtus ante pedes anticos spinis duabus parum deflexis, parallelis, subulatis, thorace vix brevioribus, caput paulo excedentibus, sursum parum arcuatis, armatus; squamulis minimis, nigro-fuscis dense vestitus, margine postico lineis tribus dorsalibus determinatis, maculaque subtus ad marginem posticum ramulum antrorsum emittente maculamque nigram includente, flavo-albido-squamosis, præterea utrinque arcu e spinis sursum flexo lineisque duabus inter spinas niveo-squamosis. Scutellum oblongo-quadratum, dense albido-squamosum. Elytra sub-trigona, antice thoracis basi vix latiora eoque duplo longiora, basi conjunctim leviter sub-tri-sinuata, humeris rotundatis, parum elevatis, lateribus parum rotundata, ad apicem sensim angustata, ante apicem utrinque sub-impressa, apice ipso

singulatim breviter rotundata, anum obtegentia, supra parum convexa, dorso antico planiuscula, tenue punctato-striata, interstitiis planiusculis sutura interstitioque 2° pone medium paulo elevatis, sutura a medio ad apicem spinulis pluribus minutis, interstitio, 2° pone medium tribus majoribus, 4° in medio, ante et supra apicem spinula armatis; nigro-squamosa, flavo-albido-squamosa sunt sutura, interstitia 1 et 2 antice interrupte, 3, 4 et 5 a basi ad medium anteque apicem, 6 in basi et medio et 8 fere usque ad basin, ut pone medium macula postice angustata, et utrinque lineæ duæ latæ nigræ oriantur. Corpus subtus crebre punctatum, nigro-squamosum pectoris lateribus albidis, maculis 2 sub-triangularibus nigris instructis, abdominis lateribus segmentorumque margine postico niveo-squamosis. Pedes longissimi, graciles, creberrime punctati, parce albo-squamosi, antici longiores, basi paulo distantes, intermedii breviores, femoribus ante apicem dentibus duobus minutis acutissimis, exteriore minore armatis, anticis abdominis apicem non attingentibus; tibiis teretibus, apice paulo incrassatis, femorum circiter longitudine, anticis intus creberrime crenulatis, versus apicem parum arcuatis; tarsorum anticorum articulo 1° a medio ad apicem intus longe, parce ciliato. — RLD.

4. M. HOPEI. *Schh.*

Breviter ellipticus, supra nigro-subtus albo-squamosus et nigro 4-maculatus, rostro breviore, modice arcuato; thorace transverso, maculis pluribus, ante-scutellari majori, signaturis variis scutelloque albo-squamosis, subtus spinis duabus brevissimis armato; elytris albido-variegatis, femoribus acute uni-dentatis, articulo primo tarsorum anticorum subtus longe piloso. An mas?

Patria: Bengalia. A Dom. HOPE ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Balanini villosi.* Caput sub-globosum albido-squamosum; oculi maximi, glauci, intus fere omnino coadunati, postice tantum aream parvam, lanceolatam vacuam relinquentes; rostrum longitudine dimidii corporis, femorum crassitie, cylindricum, modice arcuatum, creberrime rugoso-granulatum, basi sub-striolatum parceque albido-squamosum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, oculorum partem mediam attingentes, tenues, fusco-piceæ. Thorax basi longitudine media paulo latior, apice oblique

truncatus, ut supra inspectus profunde emarginatus appareat, intra apicem utrinque et subtus coarctatus, sub-tubulatus, lateribus fere æqualiter, modice rotundato-ampliatus, basi supra et infra lævissime bi-sinuatus, subtus ante pedes anticos spinis duabus subulatis, brevissimis armatus, supra parum convexus, creberrime subtiliter rugoso-punctatus, supra parce nigro-squamosus, macula majori, medio angustata, ante-scutellari, duabus utrinque in margine postico, lateralibus majoribus oblongis, 5 in margine antico, dense albo-squamosis, squamulis concoloribus, in dorso passim in ramulos condensatis, præterea adspersus, subtus dense albo-squamosus. Scutellum apice rotundatum, dense niveo-squamosum. Elytra ovato-trigona, basi conjunctim emarginata, thoracis basi non latiora, illo vix dimidio longiora, lateribus paulo rotundata, sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, anum tegentia, supra in dorso planiuscula, crebre minus profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis, 3° pone medium spina unica, 5° quatuor, 7° pluribus, omnibus brevissimis, armatis; nigro-squamosa, lineis maculisque variæ formæ albidis crebre adspersa. Corpus subtus dense albido-squamosum, macula utrinque pectorali, aliaque in segmento 1° et 5° nigris. Pedes longissimi, graciles, crebre punctati, parce albo-setulosi, antici basi approximati posticique sub-æquales, intermedii breviores; femoribus anticis abdominis basin paulo excedentibus, anticis dente minutissimo, intermediis minuto, posticis valido, omnibus acutis, armatis, tibiis sub-teretibus, rectis, apice vix incrassatis, quam femoribus paulo brevioribus; tarsorum anticorum articulo 1° subtus longe, parum dense piloso, tarsis reliquis subtus parce spinulosis.

Obs. — Utrius sexus specimen supra descriptum sit, adhuc non omnino certum; rostri structura et brevitas, antennæ, pedes minus longi cum notis feminæ unius, adhuc solum cognitæ, magis congruunt, thoracis vero armatura, tarsorumque anticorum pilositas maribus illud admovent. — RED.

Hujus generis mihi videntur, (species mihi invisæ).

5. M. SPILEROPS. *Wiedemann.*

Fuscus flavido-squamosus, coleopteris costatis et striato-punctatis, macula transversa communi nigra, oculis contiguis. — WIEDEM.

Rhynchænus id. WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 129. 194.

Patria : Java.

6. M. VULNERATUS. *Wiedemann.*

Niger, albo-squamosus, apice thoracis, elytrorum sutura, apicis margine et ano rubigineis, oculis contiguis. — WIEDEM.

Rhynchænus id. WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 130. 195.

Patria : Bengalia.

7. M. EVOLANS. *Wiedemann.*

Niger, thorace bis quinque albo maculato; elytris rubido alboque variegatis; oculis contiguis. — WIEDEM.

Rhynchænus id. WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 130. 196.

Patria : Bengalia.

GENUS 359. CLEOGONUS. *Nobis* (1).

Cleogonus DEJEAN. — *Orobitis* GERM. — *Rhynchænus* FABR., OLIV.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues, versus apicem rostri insertæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis, apice truncatis, parum coarctatis, gradatim paulo latioribus; clava oblongo-ovata, acuminata.

Rostrum longiusculum, validum, teres, versus apicem paulo arcuatum.

Oculi demissi, et supra et infra sub-contigui, depressi, magni.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, ante scutellum lobatus, antrorsum multo angustior, apice parum productus, utrinque sinuatus, pone oculos paulo lobatus; canalis inferus inter pedum anticorum basin evanescens.

Scutellum distinctum, oblongum, apice rotundatum.

Elytra ovata, convexa, antice singulatim oblique sub-rotundata, mox pone basin oblique ampliata, dein versus apicem rotundato-angustata, apice obtuse rotundata.

Pedes longiusculi; femora perpendiculariter demissa, sub-linearia, recta, infra profunde canaliculata; tibiæ inflexæ, comprimatæ, rectæ.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 315. 183.

Corpus ovale, convexum, glabrum, alatum; mediocris magnitudinis.

Obs. — Quoad habitum cum genere *Orobiti*, tum *Ocladio* simile est, sed ab his differt antennarum insertione prope apicem rostri, capite, elytris et tibiis longe aliter constructis. — Genus *Ocladius* alis scutelloque conspicuo caret; antennæ et elytra aliter formata.

♂ ♀ 1. C. RUBETRA. *Fabricius.*

Ovalis, convexus, ater, sub-nitidus, glaber; thorace sub-conico, lateribus parum rotundato, cum capite rostroque subtilissime remote punctulatis; elytris subtiliter punctato-striatis, stria nona profunda et lata, decima punctis 8-10 impressa, interstitiis planis, subtilissime punctulatis, margine antico paulo reflexo; femoribus posticis obtuse dentatis, tibiis basi extus angulatis.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 439. 2.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 398. 17. — *Mant.* I. p. 97. 13.

HERBST, *Col.* VI. p. 141. 101. T. 69. f. 6.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1746. 116.

Orobitis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 244.

Cleogonus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 325.

Baris id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 98.

Xystus rubetra. STEVEN, *Mus. Mosq.* II. 102.

Rhynchænus gagates. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 117. 62. T. 9. f. 104.

Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 480. 39.

Patria: Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Byrrhi fasciati.* Caput parvum, rotundatum, convexum, subtiliter remote punctulatum; oculi magni, oblongo-ovati, parum convexi, in fronte valde approximati, infra caput fere connexi; rostrum thorace nonnihil longius, minus crassum, teres, modice arcuatum, subtilissime, sub-remote punctulatum, in mare paulo brevius et crassius. Antennæ pone medium rostri insertæ, subtenues, piceæ, clava ovata, acuminata. Thorax sub-conicus, latitudine baseos paulo brevior, apice supra parum rotundato-productus, lobis ocularibus parvis, intra apicem subtus utrinque linea impressus, lateribus parum rotundatus, basi profunde bi-si-

nuatus, lobo medio producto, apice leviter emarginato; supra convexus, postice subtus utrinque late impressus; totus subtilissime remote punctulatus. Scutellum oblongum, sub-elevatum læve. Elytra antice singulatim oblique sub-rotundata, tenue reflexo-marginata, thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, mox pone basin oblique ampliata, humeris parum elevatis, rotundatis, lateribus rotundata, pone humeros apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra fere æqualiter, valde convexa, subtiliter striata et in striis punctis parvis, sub-remotis impressa, stria 9ª profunde et late exarata, 10ª punctis 8-10 sat magnis et profundis impressa, interstitiis latis, planis, subtilissime, vage, remote, punctulatis. Corpus subtus, nitidum, læve; pectore punctis nonnullis profundis impresso, utrinque inter pedes posteriores in protuberantiam compressam elevato. Pedes mediocres, validi, sat rude, minus crebre punctati; femoribus compressis, apicem versus angustatis, infra canaliculatis, posticis subtus in medio dente obtuso armatis; tibiis compressis, ad basin extus angulato-ampliatis, apice intus depresse fulvo-pilosis; tarsis dilatatis, subtus ochraceo-spongiosis.

RLD.

* 2. CONICOLLIS. *Schh.*

Ovalis, convexus, ater, sub-nitidus, glaber; thorace conico, lateribus haud rotundato, cum capite rostroque subtilissime disperse punctulatis; elytris subtiliter punctato-striatis, stria nona profunda et lata, loco decimæ punctis duobus vel tribus, interstitiis planis subtilissime punctulatis, margine antico non reflexo; femoribus posticis obtuse dentatis, tibiis basi extus angulatis.

Patria : Brasilia. A Dom. MÉNÉTRIÉS amice communicatus. Mus. SCHH.

Cleogono rubetræ simillimus, et magnitudine fere duplo minore, thorace exactius conico, antice magis angustato, lateribus rectis, haud rotundatis, elytrorum stria decima haud exarata, sed loco ejus punctis 2 vel 3, et margine antice non reflexo unice distinctus. — RLD.

Forte hujus generis (species mihi invisæ).

3. RUBICOLLIS. *Boisduval.*

Breviter ovatus, nitide cyneus; thorace rubro: elytris levibus seriatim tenue punctatis. — BOISD.

BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 442.

Patria : Nova Guinea.

4. C. NUCULA. *Germar.*

Ater, nitidus, thorace profunde et vage punctato; elytris striato-punctatis, interstitiis disperse punctatis. — GERM.

Orobitis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 244. 372.

GENUS 360. OROBITIS. *Germar.*

Orobitis GERMAR, SCHH., LATR., STEPHENS (1), DEJEAN, STURM, STEVEN. — *Rhynchænus* OLIVIER, GYLLENH., SAHLBERG. — *Attelabus* FABR., PANZ. — *Curculio* LINN., HERBST, PAYKULL.

Character generis. — Antennæ mediocres, subtenues, mox ante medium rostri insertæ; funiculo 7-articulato, articulo 1° longiusculo, obconico, 2-5 brevissime obconicis, 6° et 7° sub-rotundatis; clava ovalis.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, basi paulo crassius, arcuatum, dein sub-rectum, inflexum.

Caput intra thoracem fere retractum, fronte solum conspicua, parum convexum.

Oculi demissi, in fronte approximati, sub-rotundati, depressi, majusculi.

Thorax brevissimus, transversus, anterius multo angustior, basi sub-truncatus, apice utrinque emarginatus, subtus canalis sensim explanatus, in pectus haud continuatus.

Scutellum distinctum, elevatum, punctiforme.

Elytra fere semi-globosa, antice thoracis basi latiora, angulis

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 314. 182. — Germ. Ins. Spec. I. p. 242. — Lat. Regne anim. p. 395. — Id. les Crust. les Arachn. et les Ins. II. p. 86. — Steph. Brit Ent. IV. p. 20.

humeralibus rotundatis; posterius attenuata, apice singulatim obtuse rotundata, supra valde convexa, præsertim anterius gibbosa.

Pedes longiusculi; femora perpendiculariter demissa, parum clavata, subtus canaliculata; tibiæ inflexæ, rectæ, sub-teretes, apice muticæ.

Observ. — Corpus ovale, gibbum, alatum; minimæ magnitudinis. — Forma singularis, contracta, sub-globosa; in statu trepido femora perpendiculariter demittit, tibias et tarsos remissas, seu reclinatas occultat.

Ab ὀροβίτις, globulos ervi referens.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

♂♀ 1. O. CYANEUS. *Linnæus.*

Supra niger, glaber, subtus albo-squamosus, antennis pedibusque piceis; elytris gibbis, nigro-cœrulescentibus, striis lævibus, scutello albo-squamoso. — GHL.

Curculio id. LINN. *Fn. Suec.* 581. — *Syst. nat.* I. II. p. 605. 5. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1743. 5.

VILLERS, *Ent.* LINN. I. p. 174. 2.

Orobitis id. STEPHENS, *Brit. Ent.* IV. p. 21. 1.

Attelabus globosus. FABR. *Syst. El.* II. p. 426. 54. — *Ent. Syst.* I. II. p. 391. 31.

PANZ. *Fn. Germ.* LVII. 10. — *Ent. Germ.* p. 297. 20.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 118. 65. T. 29. f. 435.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 134. 58.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 54. 50.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 144. 105. T. 69. f. 10.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 264. 86.

FABR. *Syst. Ent.* p. 132. 29.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 140. 51.

Orobitis id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 244. *Fam.* 1.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83. *ed.* 2. p. 301. *ed.* 3 p. 326.

STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 180.

STEVEN, *Mus. Mosq.* p. 100.

Curculio hypoleucus. QUENS., *Diss. Ign.* p. 16.

PAYK. *Mon. Curc.* p. 75. 72.

Curculio Craccæ. FABR. *Mant.* I. p. 101. 56. — *Spec. Ins.* I. p. 168. 42.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1743. 6.

Sphærula gigantea. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

GENUS 361. OCLADIUS. *Nobis.*

Ocladius SCHH. (1), DEJEAN. — *Rhynchænus* OLIVIER. — *Palmatodes* KLUG.

Character generis. — Antennæ mediocres, tenues, in medio rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulis 1-4 basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, aut sub-rotundatis aut apice truncatis; clava longiuscula, ovalis, acuminata.

Rostrum longiusculum, minus tenue, teres, arcuatum, basi punctato-sulcatum.

Oculi laterales, demissi, in fronte late distantes, rotundati, depressi, parvi.

Thorax aut conicus aut sub-globosus, basi truncatus, antice supra caput productus, pone oculos lobatus; canalis inferus minus determinatus, versus apicem sensim explanatus.

Scutellum obsoletum, sæpius haud observandum.

Elytra ampla, aut breviter sub-ovata, aut sub-globosa, connata, antice basi thoracis haud latiera, lateribus abdomen sub-includentia, supra valde convexa.

Pedes longiusculi, contractiles; femora recta, linearia, basi apiceque truncata, subtus canaliculata, mutica; tibiæ rectæ, inflexæ; tarsi subtus minus spongiosi, reflexi.

Observ. — Corpus sub-ovale, breve, valde convexum, fornicatum, durum, aut parce squamosum, aut nonnihil setulosum, apterum; partim mediocris, partim minusculæ magnitudinis.

Quæ primum nominantur species respectu habitus quandam habent congruentiam cum *Cleogono* genere; defectus vero scutelli et alarum, elytrorumque latera, quæ ad partem abdomen includunt, necnon antennæ longe aliter constructæ, essentiales differentias efficiunt.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 316. 184.

Patria : Promontorium Bonæ Spei, Arabia, Bucharia, India orientalis.

STIRPS 1. *Thorax sub-conicus.* (Species 1-6.)

* 1. O. SALICORNIÆ. *Olivier.*

Breviter ovatus, niger, antennis ferrugineis, rostro basi quadri-sulcato; thorace dorso punctis remotis, oblongis, parum profundis impresso, versus latera rude rugoso; elytris fascia basali et alia pone medium versus apicem ramulos duobus posterius emittente, niveo-squamosis, ornatis.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 117. 63. T. 34. f. 529. a. b.
Ocladius id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

Patria : Arabia. Ex Musæo Dom. OLIVIER a Dom. CHEVROLAT benevole communicatus; etiam e Bucharia teste D. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Maximus hujus generis. Magnitudo *Byrrhi dorsalis.* Caput parvum, rotundatum, convexum, nigrum, sub-nitidum, punctis vagis, remotis impressum; fronte foveola parva oblonga insculpta; oculi laterales, ovati, sub-depressi, glauci; rostrum longitudine thoracis, minus tenue, sub-teres, arcuatum, supra a basi ultra medium sulcis quatuor profundis, punctatis exaratum, tum apicem versus profunde, sat crebre, sub-seriatim punctatum; nigrum, sub-nitidum, apice dilutiore, obscure ferrugineum. Antennæ apicem rostri propius insertæ, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblonga, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice late et sat profunde emarginatus, lobis ocularibus modice prominulis, rotundatis, mox pone apicem leviter constrictus, tum lateribus basin versus ampliatus, postice truncatus, supra convexus, anterius nonnihil declivis, niger, parum nitidus, dorso punctis remotis, parum profundis, oblongis impressus, lateribus rude sat crebre rugoso-punctatus, punctis ibique setulo pallido obsitis. Scutellum nullum. Elytra sub-globosa, antice truncata thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, pone basin ultra medium ampliata, tum apicem versus angustata, lateribus valde inflexa, apice ipso conjunctim rotundata, supra valde convexa, postice declivia, obsolete striato-punctata, punctis valde remotis, sutura interstitiisque 3 et 6 granulis vagis, remotis, obsitis; tota nigra, sub-nitida, in ipsa basi fascia irregulari, transversa,

infra humeros latiore aliaque mox pone medium itidem transversa e squamulis elongatis, niveis, ornata, fascia postica ramulos duobus versus apicem emittente, similiter squamosis. Corpus subtus nigrum, remote punctatum, squamulis albidis parce adspersum. Pedes mediocres, parce albido-setulosi; femoribus nigris, sub-linearibus, anticis ante apicem leviter emarginatis, longitudinaliter sub-seriatim punctatis et striatis; tibiis obscure ferrugineis, rectis; tarsis elongatis, ferrugineis. — BHN.

2. O. PERTUSUS. *Schh.*

Breviter ovatus, ater, setulis pallidis adspersus, antennis rufo-testaceis; thorace sub-conico, confertim profunde rugoso-scrobiculato; elytris valde convexis, foveolis oblongis, sat profundis, seriatim impressis, interstitiis punctatis.

Habitat in Caffraria. Dom. DRÈGE. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Magnitudo *Barynoti mercurialis*, sed multo convexior. Caput breve, crassum, confertim profunde punctatum, atrum, setulis reclinatis, pallidis adspersum. Oculi parvi, sub-rotundati, sub-depressi, glauci. Rostrum capitis thoracisque longitudine, tenue, teres, lineare, arcuatum, in dorso sulcis duobus sat profundis, supra oculos arcuatim continuatis, et præterea alio utrinque laterali, minus profundo, exaratum; fundus sulcorum et apex rostri punctulata; totum atrum, setulis pallidis, adspersum. Antennæ ad medium rostri insertæ, capite rostroque longiores, tenues, rufo-testaceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax sub-conicus, anterius valde angustatus, antice supra caput productus, late sinuato-emarginatus, basi truncatus, valde convexus, medio sub-canaliculatus, crebre profunde rugoso-scrobiculatus vel foveolis elongatis, sub-seriatis, impressus; ater, sub-nitidus, setulis pallidis, reclinatis, parce adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, illique arcte applicata, humeris obliquis, lateribus inflexa, abdomen sub-includentia, thorace duplo longiora, pone humeros nonnihil ampliata, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, fere gibbosa, præsertim posterius; atra, setulis albidis, declinatis, hinc inde condensatis, adspersa, foveolis oblongis sat profundis, seriatim impressa, interstitiis sub-convexis, punctatis et transversim rugulosis. Corpus subtus nigrum, punctulatum.

Pedes longiusculi, validi, mutici, pallido-pubescentes; femoribus rectis, sub-linearibus, nigro-piceis, sulcatis et sparse punctulatis; tibiis piceis inflexis, sub-compressis, apice unco minuto armatis; tarsis elongatis, piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

3. O. COSTICOLLIS. *Schh.*

Breviter ovato-globosus, piceus, parce setosus, antennis testaceis, capite sat profunde minus crebre punctato, rostro quadri-sulcato; thorace brevi, transverso, anterius subito angustato, scrobiculis parum profundis, seriatis insculpto, interstitiis valde elevatis, carinatis, elytris punctis parum profundis, oblongis impressis, interstitiis carinatis, squamulis silaceis adspersis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Anisotomæ humeralis; Ocladio foveato*, similis, sed colore alio, thorace triangulari, minus profunde scrobiculato, evidenter carinato, elytris magis globosis, parum profunde seriatim punctatis, interstitiis carinatis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, crassum, nigro-piceum, sat profunde minus crebre, vage punctatum; oculi laterales, ovati, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, sub-tenue, teres, arcuatum, supra quadri-sulcatum, sulcis in fundo profunde crebre punctatis, nigro-piceum, sub-nitidum, apice ipso ferrugineum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad thoracis basin pertingentes, tenues, testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos duplo brevior, antice late sed parum profunde emarginatus, pone oculos obtuse lobatus, lateribus versus basin ampliatus, postice obtuse rotundatus, supra transversim convexus, scrobiculis oblongis, minus profundis, seriatim digestis, confertim insculptus, interstitiis angustis, longitudinaliter valde elevatis, carinatis, nitidis; totus piceus, apice ipso dilutiore, setulis raris, pallidis adspersus. Scutellum nullum. Elytra globosa, antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi paulo latiora, ad medium valde ampliata, tum apicem versus angustata, apice conjunctim rotundata, margine usque ad coxas pedum inflexo, abdomine arcte adpresso; thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, punctis magnis, parum profundis, oblongis, seriatis impressa, interstitiis elevatis, carinatis; nigro-picea,

sub-opaca, squamulis silaceis hinc inde in dorso condensatis adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, punctatum. Pedes longiusculi, picei, validi, parce pallido-setulosi; femoribus muticis, compressis, profunde striatis et in striis punctatis, subtus pro receptione tibiarum canaliculatis; tibiis compressis, rectis, apice truncatis, angulatis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

4. O. ASSERCULATICOLLIS. *Schh.*

Ovato-globosus, piceus, parce setosus, antennis rostrique apice ferrugineis, capite sub-remote punctato, thorace brevi, transverso, anterius subito angustato, punctis parum profundis, seriatis impresso, interstitiis valde elevatis, carinatis; elytris subtiliter remote sub-seriatim punctatis, in ipsa basi maculis duabus parvis, e squamulis albidis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE ad describendum amice missus.

Magnitudo *Anisotomæ axillaris; Ocladio costicolli* affinis, sed plus duplo minor, angustior, elytris subtiliter sub-seriatim punctulatis, non costatis, ab illo mox distinctus. Caput parvum, crassum, supra parum convexum, nigro-piceum, punctis sat profundis, sub-remotis, pulvere griseo repletis, impressum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, minus tenue, sub-teres, arcuatum, a basi ultra medium leviter quadrisulcatum et in sulcis punctatum, piceum, a medio apicem versus ferrugineum, punctulatum. Antennæ rostri medio insertæ, ultra thoracis basin pertingentes, subtenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos duplo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus obtuse rotundatis, lateribus a basi apicem versus sensim angustatus, medio vix rotundatus, postice sub-truncatus, supra transversim convexus, nigro-piceus, punctis oblongis, minus profundis, seriatim digestis, confertim insculptus, interstitiis longitudinalibus, valde elevatis, carinatis, nitidis, carinulæ 2 et 3 a medio dorsi, ante medium connexæ; punctis pulvere griseo setulisque raris pallidis adspersis. Scutellum nullum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora, et illi arcte applicata, a basi ultra medium ampliata, tum apicem versus angustata, lateribus valde inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, postice abrupte

declivia, punctis parvis, remotis, sub-seriatis impressa, tota nigro-picea, parum nitida, setulis brevibus, pallidis, adspersa, in medio basi et ad humeros macula parva e squamulis albidis insignita. Corpus subtus nigrum, punctatum. Pedes longiusculi, validi, obscure ferruginei, parce pallido-setulosi; femoribus compressis, muticis, striatis et punctatis; tibiis valde compressis, rectis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 5. O. SENILIS. *Klug.*

Breviter ovatus, piceus, setulis albidis dense adspersus, antennis rufo-testaceis, rostro quadri-sulcato, et in sulcis crenato-punctato; thorace brevi, transverso, lato, crebre profunde rugoso-scrobiculato; elytris castaneis, sub-lævibus.

Palmatodes id. Dom. KLUG *in Litteris.*

VAR. β. Niger, parce setulosus.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. Mus. GHL et SCHH.

Byrrho murino magnitudine æqualis. Caput brevissimum, crassum, supra parum convexum, rugoso-punctatum, setulis reclinatis, albidis adspersum; oculi parvi, sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, teres, tenue, lineare, arcuatum, dorso a basi ad medium quadri-sulcatum et in sulcis punctatum, dein apicem versus remote punctatum, ferrugineum, sub-nitidum, parce setulosum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-testaceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice emarginatus, supra caput parum productus, anterius valde angustatus, basi truncatus, supra convexus, piceus, crebre profunde scrobiculatus vel foveolis elongatis, sub-seriatis impressus, setulis longis, pallidis, depressis, reclinatis, adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi vix latiora, humeris sub-rotundatis; lateribus valde inflexa, thorace duplo longiora, pone humeros nonnihil ampliata, apicem versus parum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra valde convexa, sub-globosa, castanea, nitida, vix vel obsoletissime valde remote seriatim punctulata, setis brevibus, albidis, declinatis adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum. Pedes longiusculi, validi, mutici, nigro-picei, albido-pubescentes; femoribus rectis, sub-linea-

ribus, subtus pro receptione tibiarum sulcatis; tibiis rectis, subteretibus, apice unco minuto instructis; tarsis elongatis, dilutius piceis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

6. O. SUBCARINATUS. *Schh.*

Ovato-globosus, æneo-niger, sub-nitidus, parcius albido-pilosus, antennis ferrugineis, pedibus piceis, capite sat crebre ruguloso-punctato, rostro quadri-sulcato; thorace sub-triangulari, foveolato-punctato, linea media lævi notato, elytris lævibus.

Cryptorhynchus scotias. Dom. GERMAR *in Litteris*, forte.
Patria : Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE descriptus.

Statura et summa similitudo *Ocladii senilis*, nonnihil minor, thorace remotius minus profunde foveolato-punctato, linea media lævi notato, elytris lævibus ab illo distinctus. Caput parvum, rotundatum, supra parum convexum, nigro-piceum, sat crebre ruguloso-punctatum, pilis incumbentibus albidis adspersum; oculi laterales, oblongi, depressi, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, minus tenue, teres, arcuatum, inflexum, a basi ultra medium quadri-sulcatum, sulcis in fundo punctatis; nigro-piceum, apicem versus dilutiore, ferrugineum, ibique vage punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad thoracis basin fere pertingentes, graciles, rufo-testaceæ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos duplo brevior, apice utrinque sinuatus, pone oculos obtuse lobatus, anterius multo angustior, lateribus modice rotundatus, basi fere truncatus vel obtuse rotundatus, supra transversim convexus, foveolis oblongis, sat profundis, minus densis, insculptus, linea longitudinali media lævi, nigro-piceus, pilis longioribus, decumbentibus, pallidis adspersus. Scutellum nullum. Elytra globosa, antice conjunctim læviter emarginata, thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, a basi ad medium ampliata tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, lateribus valde inflexa, supra convexa, postice declivia, æneo-nigra, nitida, lævigata, pilis raris incumbentibus, vagis, cinereo-albidis adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum. Pedes longiusculi, picei, validi, pube albida sat dense adspersi; femoribus compressis, muticis, punctulatis, subtus pro receptione tibiæ sulcatis; tibiis rectis, compressis, apice truncatis, angulatis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

STIRPS 2. *Thorax sub-globosus.* (Species 7-10.)

* 7. O. BACCICOLLIS. *Klug.*

Breviter ovatus, nigro-piceus, nitidus, antennis rufo-testaceis, capite rugoso-punctato, rostro quadri-sulcato, et in sulcis crenato-punctato; thorace sub-globoso, scrobiculis sub-seriatis confertim impresso; elytris fasciculo basali e setulis depressis, albidis ornatis, tuberculis parum elevatis obsitis, vage remote punctulatis.

Palmatodes id. Dom. KLUG *in Litteris.*

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. GHL. et SCHH. Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum missus.

Ocladii senilis magnitudine æqualis, sed variat etiam dimidio minor. Caput brevissimum, crassum, supra planum, sub thorace fere occultatum, nigro-piceum, crebre profunde rugoso-punctatum; oculi parvi, sub-rotundati, sub-depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil longius, tenue, teres, lineare, arcuatum, in dorso ultra medium sulcis duobus, angustis et in latere utrinque alio obsoletiore, crenato-punctatis, exaratum, nigro-piceum, apice dilutius piceum, punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, rufo-testaceæ, pallido-pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media brevior, sub-globosus, antice late emarginatus, angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra valde convexus, nigro-piceus, scrobiculis oblongis, profundis, ad basin majoribus, in medio seriatim digestis, confertim insculptus, interstitiis longitudinalibus elevatis, carinatis. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi vix latiora et illo duplo longiora, humeris rotundatis; lateribus valde inflexa, versus apicem nonnihil angustata, apice obtuse rotundata, supra præsertim posterius valde convexa, globosa; nigro-picea, interdum in ipsa basi fasciculo parvo, e squamulis depressis, albidis, ornata, tuberculis parum elevatis, obtusis, supra poriferis, præsertim versus latera obsita, dorso remote vage punctata, lateribus punctato-striata. Corpus subtus nigro-piceum, punctulatum. Pedes longiusculi, validi, mutici, nigro-picei; femoribus rectis, sub-linearibus, sulcatis; tibiis rectis, apice truncatis, obtuse uncinatis; tarsis elongatis, dilutius piceis, subtus fulvo-spongiosis. - - BHN.

8. O. LACUNATUS. *Schh.*

Ovatus, angustior, nigro-piceus, nitidus, parce setosus, capite parum profunde crebre rugoso-punctato, rostro quadri-sulcato: thorace sub-globoso, scrobiculis sub-seriatis, minus profundis, magis remote impresso; elytris sub-comprimatis, rufo-castaneis, plaga laterali nigra decoratis, subtiliter sub-remote seriatim punctulatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE ad describendum communicatus.

Affinis certe *Ocladii baccicollis*, sed dimidio minor, angustior, aliter coloratus, capite subtiliter punctato, scrobiculis thoracis minus profundis et magis remotis, elytris multo angustioribus, sub-compressis, subtiliter seriatim punctulatis. Caput parvum, rotandatum, modice convexum, subtiliter crebre ruguloso-punctatum, nigro-piceum, sub-opacum; oculi laterales, parvi, sub-rotundati, depressi nigri; rostrum longitudine thoracis cum capite, minus tenue, inflexum, subteres, arcuatum, in dorso ultra medium, sulcis duobus angustis et in utroqu elatere alio obsoletiore, crenato-punctatis, exaratum, nigro-piceum, apicem versus vage punctatum. Antennæ piceæ. Thorax latitudine media brevior, sub-globosus, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra transversim valde convexus, scrobiculis oblongis, sat profundis, ad basin majoribus, dorso et lateribus seriatim digestis, minus crebre insculptus, interstitiis longitudinalibus, modice elevatis; totus niger, nitidus, setulis pallidis parce adspersus. Scutellum nullum. Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, a basi ad medium parum ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, lateribus valde inflexa, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, sub-comprimata; rufo-castanea, nitida, plaga transversa, magna, pone humeros, ad suturam non dilatata, nigra, decorata, punctis parvis, sub-remotis, seriatis impressa, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus nigro-piceam, punctulatum. Pedes longiusculi, validi, nigri, parce pallido-setulosi; femoribus compressis, sub-linearibus, muticis, striatis et punctatis; tibiis rectis, compressis, apice truncatis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis.

BOH.

9. O. FOVEATUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, opacus, parce setosus, capite rude rugoso-punctato, rostro quadri-sulcato et in sulcis crenato-punctato, thorace brevi, transverso, lato, antice subito angustato, scrobiculis sub-seriatis insculpto, interstitiis carinatis; elytris scrobiculis magnis, crebris impressis, in ipsa basi et in disco maculis nonnullis, parvis, albido-squamosis, decoratis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Ocladii baccicollis*, elytris crebre scrobiculatis a congeneribus facile distinctus. Caput breve, crassum, supra parum convexum, crebre profunde rugoso-punctatum, nigrum, opacum; oculi laterales, ovati; haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis cum capite, subtenue, teres, lineare, arcuatum, in dorso sulcis duobus angustis et in latere utrinque alio obsoletiore, crenato-punctatis exaratum; totum nigrum, opacum. Antennæ in medio rostri sitæ, tenues, nigræ, parce pallido-pilosæ, clava oblonga, acuminata fusco-pubescente. Thorax latitudine media multo brevior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius subito angustatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, postice truncatus, supra valde convexus, scrobiculis oblongis, profundis, sub-seriatim digestis confertim insculptus, interstitiis longitudinalibus elevatis, carinatis; totus niger, opacus, setulis fuscis parce adspersus. Scutellum vix ullum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora et illi arcte applicata, humeris rotundatis; pone basin ad medium nonnihil ampliata, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, postice declivia, globosa, scrobiculis magnis, oblongis, minus profundis, sub-seriatis crebre impressa, interstitiis rugulosis; tota nigra, opaca, in ipsa basi maculis parvis, oblongis tribus, et in disco nonnullis e squamulis albidis decorata, setulis fuscis parce adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Pedes longiusculi, validi, mutici, nigri, parce albido-setulosi; femoribus rectis, sub-linearibus, sulcatis; tibiis rectis, compressis, apice truncatis; tarsis elongatis, subtus cinereo-spongiosis. — BHN.

* 10. O. GLOMERIS. *Schh.*

Ovatus, niger, setulis fuscis parce adspersus, antennis rufo-testaceis, capite profunde punctato, rostro quadri-sulcato, et in sulcis crenato-punctato; thorace globoso, scrobiculis versus basin profundioribus, seriatis insculpto; elytris undique tuberculis obtusis, elevatis, supra poriferis, obsitis.

Habitat in India orientali. Dom. Doct JOH. LUND. Mus. SCHH.

Statura et summa affinitas *Ocladii baccicollis*, sed triplo major et elytra undique tuberculis majoribus confertim adspersa. Caput brevissimum, crassum, supra planum, nigrum, sat crebre profunde punctatum; oculi parvi, sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capitis thoracisque longitudine, tenue, teres, lineare, arcuatum, nigrum, in dorso sulcis duobus ultra medium extensis, sat profundis, et præterea alio utrinque laterali, obsoletiore, crenato-punctatis, exaratum, apice dilutius piceum, punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, capite rostroque nonnihil longiores, tenues, rufo-testaceæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax sub-globosus, latitudine media parum brevior, apice late emarginatus, supra caput parum productus, anterius paulo angustior, lateribus rotundato-ampliatus, basi-truncatus, marginatus, supra valde convexus, pulvinatus, niger, scrobiculis profundis confertim insculptus, baseos majoribus, oblongis, reliquis rotundatis, sub-seriatis; setulisque declinatis, fuscis, adspersus. Scutellum nullum. Elytra sub-globosa, antice thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis, lateribus valde inflexa, thorace duplo longiora, apicem versus parum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra præsertim posterius valde convexa, globosa, nigra, undique tuberculis elevatis, rotundatis, poriferis, confertim obsita, lateribus in medio punctato-striata, setis declinatis fuscis adspersa. Corpus subtus nigrum, punctulatum. Pedes validi, longiusculi, mutici, nigri, pallido-pubescentes; femoribus rectis, sub-linearibus, sulcatis et punctatis; tibiis compressis, sulcatis, apice truncatis, uncinatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

Genus 362. SYMPIEZOPUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, in medio rostri insertæ, minus tenues, pilosæ; funiculo 7-articulato: articulis quatuor basalibus longiusculis, reliquis brevioribus, omnibus sub-obconicis, exterioribus gradatim latioribus, ultimo clavæ adpresso; clava obovata acuminata.

Rostrum longiusculum, validum, teres, modice, arcuatum.

Oculi sub frontales, parum distantes, rotundati, depressi.

Thorax amplus, conicus, basi, sub-truncatus, apice perparum emarginatus.

Scutellum minutissimum, vix conspicuum.

Elytra thoracis basi vix latiora, antice truncata, versus apicem rotundato-angustata, apice conjunctim obtuse rotundata.

Pedes contractiles; femora modice clavata; tibiæ rectæ, inflexæ, apice unguiculatæ.

Descriptio. — *Corpus* plane ellipticum, convexum, durum, aut parce setulosum aut nonnihil squamosum forte apterum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, in medio rostri insertæ, minus tenues, rigide pilosæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculos haud attingente, clavato, 2-5 longiusculis, obconicis, 6-8 brevioribus etiam sub-obconicis, successive perparum crassioribus, ultimo clavæ adpresso; clava ob-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* vix longitudine thoracis, validum, teres ad apicem, perparum ampliatum, modice arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad basin inferiorem percurrente. — *Oculi* in fronte siti, approximati, rotundati, depressi. — *Thorax* latitudine baseos vix brevior, basi sub-truncatus, anterius sensim multo angustior, lateribus obliquis, vix rotundatis, apice late leviter emarginatus, fere truncatus, pone oculos minus distincte lobatus, supra modice convexus; canalis inferus lateribus elevato-marginatus, postice sensim explanatus. — *Scutellum* vix observandum. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, thorace fere sesqui-longiora, basi sub-truncata, lateribus paulo rotundata, apicem versus sensim attenuata, apice conjunctim obtuse rotundata, anum obtegentia supra sat convexa, posterius declivia, haud callosa. — *Pedes* mediocres, validi, postici paulo longiores; femoribus modice clavatis, subtus ultra medium profunde canaliculatis; tibiis rectis, teretibus, inflexis, apice unco valido intus flexo armatis; tarsis la-

tiusculis, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso; ultimo clavato, bi-unguiculato.

A συμπιέζω comprimo, ποῦς pes.

TYPUS. — *Sympiezopus aciculatus.*

Patria : Caffraria.

Observ. — Generi *Ocladio* proximum.

* 1. S. ACICULATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis piliformibus albidis parce adspersus, rostro confertim punctato, linea angusta media sub-elevata notato: thorace sub-conico, subtiliter transversim aciculato; elytris sat profunde striatis, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, obsoletissime coriaceis, squamulis albidis tessellatis; femoribus posticis obtuse dentatis.

Patria : Caffraria. A Dom. DRÈGE ad describendum communicatus. Mus. SCHH.

Baridio artemisiæ paulo minor. Caput rotundatum, convexum, nigrum, subtiliter sat crebre punctulatum, inter oculos sub-carinatum; oculi in fronte siti, approximati, sub-rotundati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, confertim punctulatum, linea angusta, longitudinali, sub-elevata, lævi notatum; totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ in medio rostri sitæ, minus tenues, nigræ, parce pilosæ, clava parva, ovata, atro-holosericea. Thorax sub-conicus, latitudine baseos nonnihil brevior, a basi apicem versus angustatus, apice leviter emarginatus, mox intra apicem obsolete constrictus, postice sub-truncatus vel obsoletissime bi-sinuatus, supra modice convexus, transversim oblique, subtiliter aciculatus; totus niger, sub-nitidus, squamulis piliformibus, albidis parce adspersus. Scutellum parvum rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, pone medium apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora; supra convexa, posterius declivia, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis subtilissime coriaceis; tota nigra, sub-nitida, squamulis piliformibus albidis maculatim condensatis tessellata. Corpus subtus confertim punctulatum, squa-

mulis piliformibus albidis parce adspersum. Pedes longiusculi, nigri, confertim punctulati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, anterioribus muticis, posticis obtuse dentatis; tibiis rectis, compressis; tarsis latis valde dilatatis, subtus fusco-spongiosis et pilosis, articulis tribus primis sub-æque latis. — BHN.

2. S. PAUPER. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, nitidus, squamulis piliformibus albidis parce adspersus, rostro confertim punctato; thorace sub-conico, subtiliter confertim punctulato, elytris sat profunde striatis, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, obsolete vage punctulatis; femoribus posticis obtuse dentatis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum benevole communicatus.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Sympiezopi aciculati*, magis nitidus, parcius squamosus, thorace subtiliter punctulato, elytrorum interstitiis vage punctulatis ab illo distinctus. Caput rotundatum, convexum, subtiliter sat crebre punctulatum, inter oculos sub-carinatum; totum nigrum, sub-nitidum; oculi in fronte siti; approximati, rotundati, depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, crassiusculum, teres, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum et deplanatum, confertim punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ mox ante medium rostri insertæ, minus tenues, nigræ, parce pilosæ, clava oblongo-ovata, fusco-pubescente. Thorax sub-conicus, latitudine baseos nonnihil brevior, apice leviter emarginatus, mox intra apicem obsolete constrictus, versus basin sensim ampliatus, postice vix sinuatus, sub-truncatus, supra modice convexus, punctis parvis, parum profundis, crebre impressus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora et illi arcte applicata, pone medium apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra convexa, posterius declivia, sat profunde striata, striis in fundo obsolete punctatis, interstitiis planis, subtilissime sat crebre, vage punctulatis; tota nigra, nitida, squamulis piliformibus albidis, basi circa scutellum dense, dein parce adspersa. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, squamulis albidis parce adspersum. Pedes longiusculi, nigri, crebre punctati, parce albido-setulosi; femoribus modice clavatis, anterioribus muticis, posticis dente obtuso arma-

tis; tibiis rectis, sub-compressis; tarsis parum dilatatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

* 3. S. CINCTUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, ater, sub-nitidus, squamulis albidis adspersus, capite rostroque vage punctulatis; thorace amplo, sub-triangulari, obsoletissime anterius evidenter punctulato, macula utrinque basali niveo-squamosa, ornato; elytris tenue simpliciter striatis, litura basali fasciaque transversa pone medium niveo-squamosis; femoribus muticis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Baridii picini.* Caput crassum, roundatum, subtiliter sat crebre punctulatum, inter oculos dense albido-squamosum; oculi mediocres, sub-ovati, in fronte fere positi, sub-depressi, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, minus crassum, subteres, arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, subtiliter punctulatum, nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri sitæ, ultra thoracis medium pertingentes, subtenues, nigræ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa. Thorax amplus, sub-triangularis, apice truncatus, a basi apicem versus sensim angustatus, postice iterum sub-truncatus, tenue marginatus, supra convexus, ater, sub-nitidus, subtilissime sat crebre anterius evidenter punctulatus, utrinque in ipsa basi macula triangulari e squamulis albidis ornatus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora, humeris non prominulis, rotundatis, pone humeros apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra convexa, postice declivia et sub-compressa, subtiliter simpliciter striata, striis septima et octava supra humerum arcuatim connexis, interstitiis planis, lævibus; tota atra, sub-nitida, in ipsa basi litura quasi e maculis tribus vel quatuor, tertia longiore, constituta, mox pone medium fascia transversa, dentata, e squamulis albidis ornata, apice squamulis raris albidis adspersa. Corpus subtus nigrum, pectore obsolete ventre evidenter punctulatis, punctis squamulis albidis repletis. Pedes mediocres, validi, sat crebre punctati, squamulis albidis parce adspersi; femoribus fere linearibus, muticis; tibiis sub-compressis, rectis; tarsis elongatis, subtus fusco-spongiosis. — BHN.

GENUS 363. LOBOTRACHELUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, pone medium rostri insertæ, tenues; funiculo 7-articulato: articulis basalibus longiusculis, sub-obconicis, 1° longiore et crassiore, reliquis brevibus, sub-rotundatis, sub-æqualibus; clava elongata, sub-ovata, acuminata.

Rostrum elongatum, subtenue, teres, parum arcuatum.

Oculi in fronte valde approximati, paulo demissi, sub-ovati, parum convexi.

Thorax sub-conicus, basi bi-sinuatus, ante scutellum anguste lobatus, anterius angustior, apice sub-truncatus.

Scutellum minutum, vix observandum.

Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi non latiora, pone basin nonnihil ampliata, versus apicem paulo angustata, apice singulatim rotundata.

Pedes contractiles; femora parum clavata; tibiæ rectæ, teretes, inflexæ, apice uncinatæ.

Descriptio. — *Corpus* ovale, sub-ellipticum, parum convexum, squamulosum, alatum; aut minusculæ aut minimæ magnitudinis. — *Antennæ* capitis thoracisque longitudinem vix adæquantes, pone medium rostri insertæ, tenues, parce pilosæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° valde elongato, oculos vix attingente, clavato, 2-5 longiusculis, sub-obconicis, 2° duplo longiore et paulo crassiore, 6-8 brevioribus, sub-rotundatis, sub-æqualibus, ultimo clavæ haud adpresso; clava elongata, sub-ovata, acuminata, 4-articulata. — *Rostrum* longitudine thoracis, subtenue, lineare, teres, parum arcuatum, inflexum; scrobe lineari, ad basin inferiorem percurrente. — *Oculi* in fronte siti, paulo demissi, valde approximati, sub-ovati, inferne paulo acuminati, parum convexi, majusculi. — *Thorax* sub-conicus, latitudine baseos vix brevior, basi bi-sinuatus, lobo medio angusto, longius producto, lateribus oblique sub-ampliatis, anterius dimidio angustior, longe intra apicem leviter coarctatus, apice in medio perparum productus, fere truncatus, pone oculos non lobatus, supra paulo convexus; rima pectoralis inter pedes anticos protensa, sensim evanescens. — *Scutellum* minutum, ægre observandum. — *Elytra* antice thoracis basi non latiora illoque sesqui-longiora, basi conjunctim emarginata, pone basin nonnihil latiora, lateribus parum rotundata, apicem versus sensim angustata, apice ipso singulatim obtuse rotundata, anum tegentia, su-

pra nonnihil convexa, posterius haud callosa. — *Pedes* mediocres, validiusculi, sub-æquales, contractiles; femoribus parum clavatis; tibiis rectis, teretibus, inflexis, apice unco minuto armatis; tarsis mediocribus, articulo penultimo latiore, bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A λοβὸς lobus, τράχηλος collum.

TYPUS. — *Lobotrachelus vestitus.*

Patria : Cap. Bonæ Spei, Madagascar, India orientalis.

Observ. — Generi *Sympiezopodi* proximum, sed notæ in Descriptione indicatæ hæc genera facile distingunt.

1. L. VESTITUS. *Schh.*

Ovalis niger, nitidus, creberrime punctulatus, squamulis angustis subtus dense, supra parce vestitus, rostro longiusculo, parum arcuato, antennis ferrugineis; thorace longiore, sub-conico, lobo scutellari dense albo-squamoso; elytris punctato-striatis, interstitiis lineatim albo-squamosis; femoribus dente minuto, acuto armatis.

VAR. β. Fusco-ferrugineus, rostro dilutiore.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE ad describendum amice communicatus.

Magnitudo *Sibynis viscariæ.* Caput sub-globosum, creberrime, subtiliter punctulatum, sat dense albido-squamosum; oculi majusculi, ovati, parum convexi, in fronte valde approximati; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, parum arcuatum, sub-læve, nitidum, in uno specimine forte masculino nigrum, sat dense albo-squamosum, in altero, forte feminino, ferrugineum, nudum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, clava sub-ovata, acuminata. Thorax sub-conicus, latitudine baseos paulo brevior, apice oblique sub-truncatus vel supra perparum rotundato-productus, antice basi fere duplo angustior, lateribus parum rotundatis, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio angusto, scutellum sub-incumbente; supra modice convexus, creberrime, minus profunde punctatus, nitidus, squamulis angustis, albidis, subtus, in lateribus loboque scutellari densius, supra parcius vestitus. Scutellum ægre observandum. Elytra ovato-trigona, basi singulatim oblique parum emarginata et thoracis basi non latiora, illo vix dimidio longiora, pone basin paulo ampliata, lateribus perparum rotundatis, versus

apicem sensim angustatis, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, nitida, parum profunde striata et in striis crebre punctata, interstitiis planis, subtiliter punctulatis, squamulis angustis, albidis, in lineas digestis, sat dense vestitis. Corpus subtus creberrime punctatum, nitidum, dense albido-squamosum. Pedes mediocres, validiusculi, dense albido-squamosi; femoribus parum incrassatis, subtus dente minuto, acuto armatis; tibiis teretibus, rectis, versus apicem parum incrassatis; tarsis ferrugineis.

RLD.

* 2. L. LITIGIOSUS. *Schh.*

Ovalis, niger, nitidus, crebre punctatus, squamulis piliformibus, niveis, subtus æqualiter et dense, supra parce adspersus, rostro breviore, subrecto, antennis ferrugineis; thorace sub-conico, postice albo tri-maculato; elytris punctato-striatis, interstitiis bi-seriatim albo-squamosis; femoribus dente minuto acuto armatis.

Patria : Madagascar. A Dom. SCHUPPEL communicatus. Mus. SCHH.

Lobotrachelo vestito paulo minor. Caput sub-globosum, subtiliter punctulatum, fronte niveo-squamosa; oculi majusculi, sub-ovati, sub depressi, in fronte valde approximati; rostrum thorace paulo brevius, validiusculum, teres, sub-rectum, sat dense niveo-squamosum Antennæ pone medium rostri insertæ, tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax sub-conicus, latitudine baseos paulo brevior, apice fere duplo angustior, oblique truncatus, late ribus paulo rotundatus, basi bi-sinuatus, lobo medio producto, angusto, supra modice convexus, crebre, sat profunde punctatus, squamulis niveis, angustis, subtus densis, supra sparsis vestitus, squamis in lineam ante-scutellarem, et in margine postice in maculas duas condensatis. Scutellum minutum, tuberculiforme, sub-immersum. Elytra sub-ovato-trigona, basi conjunctim emarginata; thoracisque basi non latiora, illo dimidio longiora, pone basin paulo ampliata, lateribus parum rotundata, sensim angustata, apice singulatim rotundata, supra modice convexa, regione scutellari sub-impressa, sat profunde striata et in striis crebre punctata, interstitiis punctatis, bi-seriatim maculaque ante apicem albo-squamosis. Corpus subtus dense niveo-squamosum. Pedes mediocres, fusco-picei, depresse albo-squamosi; femoribus parum clavatis,

dente minuto, acuto, armatis; tibiis sub-teretibus, rectis, apice parum incrassatis; tarsis obscure ferrugineis. — Rld.

* 3. L. Ineptus. *Schh.*

Ovatus, niger, subtus dense, æqualiter, supra lineatim niveo-squamulosus, antennis pallide testaceis; thorace postice rotundato, in medio lobum niveo-squamosum emittente; elytris punctato-striatis, lineis albo-squamosis notatis, per fascias duas denudatas bis interruptis; femoribus dente minuto, acuto armatis.

Patria: Bengalia. A Dom. Doct. Sundewall detectus et amice donatus. Mus. Schh.

Parvus, *Ceuthorhyncho florali* parum major. Caput sub-globosum, nigrum, fronte angusta, albo-squamosa; oculi magni, semi-globosi, nigro-brunnei, in fronte approximati; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, minus tenue, parum arcuatum, punctulatum, nigrum, sat dense albo-squamulosum. Antennæ tenues, pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos brevior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, lateribus oblique ampliatis; basi sub-rotundatus, lobo scutellari angusto, longius producto, dense niveo-squamuloso; supra modice convexus, punctulatus, niger, subtus et lateribus squamositate nivea dense tectus, supra squamulis albis parce adspersus. Scutellum vix observandum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice singulatim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, sat distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis, nigra, squamulis piliformibus niveis in interstitiis lineatim vestita, lineis his albis fasciis duabus undatis, denudatis, bis interruptis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate nivea dense tectum. Pedes longiusculi, subtenues, nigri, dense albo-squamulosi, femoribus parum crassis, subtus dente parvo fasciculato armatis.

Ghl.

* 4. L. PUSUS. *Schh.*

Ovalis, niger, nitidus, crebre punctulatus, subtus æqualiter, dense niveo-squamosus, rostro breviore, crassiore, parum arcuato, dense niveo-squamoso, antennis tarsisque pallide testaceis; thorace sub-conico, supra parce, sed fasciculo ante-scutellari dense niveo-squamoso, basi sub-truncato, elytris punctato-striatis, margine apicali ferrugineo, basi maculaque pone medium magna, rotundata, communi parce niveo-squamosis; femoribus dente minuto, acuto armatis.

Patria: India orientalis. Mus. SCHH.

Magnitudo *Ceuthorhynchi floralis.* Caput sub-globosum, fronte angusta, niveo-squamosa; oculi majusculi, sub-ovati, parum convexi, in fronte fere conniventes; rostrum thoracis fere longitudine validum, teres, parum arcuatum, dense niveo-squamosum, apice nudum, nitidum. Antennæ non procul ab apice rostri insertæ, tenues, pallide testacei, clava oblongo-ovata. Thorax sub-conicus, latitudine baseos paulo brevior, basi apiceque sub-truncatus, antice quam basi dimidio angustior, lateribus perparum rotundatis, supra modice convexus, crebre, sat profunde punctatus, nitidus, squamis niveis, subtus latioribus densisque, supra piliformibus et sparsis, sed ante scutellum in fasciculum condensatis vestitus. Scutellum minutum, tuberculiforme, sub-immersum. Elytra ovato-trigona, antice conjunctim sub-emarginata et thoracis basi non latiora, illo dimidio longiora, lateribus pone basin nonnihil ampliata, dein ad apicem angustata et perparum rotundata, apice ipso singulatim rotundata, supra modice convexa, ad scutellum sub-impressa, nigro-picea, margine apicali ferruginea; sat profunde punctato-striata, interstitiis planis, punctatis, basi maculaque magna, sub-rotunda, communi, pone medium, e squamulis piliformibus, parcis, niveis, in lineas digestis, formatis. Corpus subtus dense niveo-squamosum. Pedes mediocres, parce depresse albo-pilosi, postici in specimine descripto desunt; femoribus parum incrassatis, dente minuto, acuto armatis; tibiis teretibus, rectis; tarsis ferrugineis. — RLD.

(GENUS 363—364.)

Ad sub-divisionem CRYPTORHYNCHIDES referendæ sunt incerti generis species, mihi invisæ.

1. QUINQUETUBERCULATUS. *Fabricius.*

Fuscus, thorace quadri-tuberculato, elytris striatis tuberculatisque. FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 447. 47.

Patria : America meridionalis.

2. PILOSUS. *Fabricius.*

Femoribus dentatis, obscurus, thorace elytrisque fasciculato-pilosis. — FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 471. 160.
Id. deustus. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 191. 173. T. 22. f. 302.
Cryptorhynchus pilosus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 293. *ed.* 3. p. 317.
Id. fasciculatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 85.

Patria : Java.

3. ZEBRA. *Olivier.*

Cinereo-rufescens, elytris fasciis tribus obsoletis albis tribusque fuscis alternis. — OLIV.

Rhynchænus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 199. 183. T. 22. f. 306.

Patria : Java.

4. OBTENTUS. *Herbst.*

Fusco-niger, rostro depresso, thorace antice attenuato, margine elevato, elytris macula magna medio cinerea, lineis duabus elevatis abbreviatis. — HERBST.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 38. 596. T. 99. f. 2. b.

Patria : America borealis.

5. PODAGROSUS. *Germar.*

Niger, brunneo-sub-squamosus, thorace verrucoso, elytris profunde seriatim punctatis, macula transversa ante medium apiceque sulphureo-squamosis; femoribus muticis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 268. 401.

Patria : Brasilia.

6. APICATUS. *Germar.*

Fusco-squamosus, scutello albo, thorace fasciculato, elytris ocellato-striatis, tuberculis setigeris seriatis, apice brunneis; femoribus sub-dentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 269. 403.

Patria : Brasilia.

7. SPARSIPES. *Germar.*

Ovalis, convexus, fusco-squamosus, thorace carinato, quadri-tuberculato, elytris tri-costatis, postice albo-maculatis, pedibus albo-variegatis; femoribus bi-dentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 274. 409.

Patria : Brasilia.

8. ILLEX. *Germar.*

Griseo-squamosus, thorace hispido, fusco maculato, coleopteris maculis tribus, connexis, suturalibus brunneis, margine maculis atris; femoribus sub-bidentatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 277. 415.

Patria : Brasilia.

9. IMBELLIS. *Germar.*

Brevis, convexus, niger, fusco-tomentosus; thorace sub-carinato, brunneo-irrorato, coleopteris gibbis, punctato-sulcatis, brunneo-fuscoque tessellatis; femoribus denticulatis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 280. 417.

Patria : Brasilia.

10. MURICEUS. *Germar.*

Brevis, convexus, niger, griseo-squamosus; thorace tuberculato, canaliculato; elytris punctato-striatis, costis tribus elevatis, setosis; femoribus muticis. — GERM.

Cryptorhynchus id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 281. 419.

Patria : Brasilia.

11. LITHODERMUS. *Latreille.*

Griseus, tomentosus; thorace antice prominulo, sub-bi-tuberculato; elytris punctis impressis, cristulis sparsis, seriatis. — BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 428. 2.

Patria : Nova Hollandia.

12. EPHIPPIGER. *Dejean.*

Sub-elongatus, cinereus; thorace nigro sub-variegato, coleopteris punctato-striatis, plaga media-communi, quadrata nigro-fusca. — BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 429. 3.

Patria : Nova Hollandia.

13. MONACHUS. *Dejean.*

Fuscus, thorace ruguloso, albo bi-punctato, lateribus albido-pulverulento; elytris punctato-striatis, albido variegatis; subtus cinereus. — BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 430. 5.

Patria : Nova Hollandia.

14. COROSUS. *Dejean.*

Minor, gagatinus, thorace granulato; elytris punctato-striatis. BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 430. 6.

Patria : Nova Hollandia.

15. AUSTRALIS. *Dejean.*

Fuscus, sub-fasciculatus; elytris punctatis, gibboso-cristatulis; subtus griseo variegatus. — BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 431. 7.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 293. *ed.* 3. p. 317.

Patria: Nova Hollandia.

16. TETER. *Boisduval.*

Elongato-ovalis, ater; thorace punctato-rugoso; elytris rugosis obsolete costatis, punctis grossis impressis per rugas confusis. — BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 432. 9.

Patria: Nova Hollandia.

17. APICALIS. *Boisduval.*

Niger, ovatus, rostro tenui, elongato, arcuato; coleopteris seriatim punctatis, lineis duabus longitudinalibus abbreviatis fasciaque communi, sub-postica, latiori, albidis. — BOISD.

Cryptorhynchus id. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* II. p. 433. 10.

Patria: Insula Vanikoro.

Divisio III. CONOPHORIDES.

Antennæ longiusculæ, tenues; funiculus 7-articulatus; clava sub-solida indistincte bi-articulata. Rostrum inflexum. Thorax pro receptione rostri canaliculatus.

GENUS 364. CONOPHORUS. *Nobis.*

Conoderes SCHH. olim. (1). — *Eccoptus* KLUG.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, tenues; funiculo 7-articulato: articulo 1° breviusculo, 2° valde elongato, reliquis brevibus, omnibus sub-obconicis; clava indistincte bi-articulata, breviter ob-ovata vel pyriformi.

---

(1) Hujus Operis. I. p. 26.

Rostrum elongatum, sub-tenue, cylindricum, sub-rectum, inflexum.

Oculi magni, ovales, parum convexi, in fronte valde approximati.

Thorax oblongus, conicus, supra planiusculus, infra canaliculatus.

Elytra oblongo-sub-quadrata, supra plana, pone apicem cito angustata, conjunctim sub-rotundata, anum vix obtegentia.

Descriptio. — *Corpus* elliptico-ovatum, supra sub-planum, squamulosum, alatum. — *Antennæ* vix longitudine capitis cum rostro, mox ante medium rostri insertæ, tenues, fractæ, 10-articulatæ: scapo elongato, oculos tamen non attingente, tenui, versus apicem perparum incrassato; articulo basali funiculi brevissimo, sub-obconico, 2° elongato, tenui, versus apicem parum crassiore, 3-7 brevissime obconicis, gradatim sensim nonnihil brevioribus et crassioribus; clava breviter ob-ovata, vel pyriformi, indistincte bi-articulata; articulo 1° longo, corneo, ultimo parvo, sub-spongioso, retractili. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, subtenue, cylindricum, sub-rectum, perparum arcuatum, inflexum; scrobe angusta, laterali, a medio ad basin rostri ducta. — *Caput* exsertum, hemisphæricum. — *Oculi* magni, ovales, perpendiculariter positi, in fronte valde approximati, parum convexi. — *Thorax* latitudine longior, conicus, basi supra valde productus, margine leviter bi-sinuatus, apice oblique truncatus, supra planiusculus, in medio tamen longitudinaliter paulo convexus, subtus pro receptione rostri ante pedum anticorum insertionem canaliculatus, canalicula paulo profunda, concinne marginata. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* oblongo-sub-quadrata, antice thoracis basi paulo latiora, et illo sesqui-longiora, humeris obtuse sub-angulatis; antice sinuato-emarginata, in medio perparum latiora, apice conjunctim breviter rotundata, anum vix occultantia, supra planiuscula, præsertim in dorso antico. — *Pedes* mediocres, validi, anteriores basi sub-approximati, postici valde distantes; femoribus modice clavatis, subtus pone medium denticulo instructis; tibiis sub-compressis, rectis, apice unco parvo intus armatis; tarsis subtus spongiosis, articulis 1, 2 trigonis, penultimo latiore bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A κῶνος conus, φορὸς ferens.

TYPUS. — *Conophorus albidus.*

Patria: Promontorium Bonæ Spei.

Observ. — Quoad habitum generibus *Baridio* et *Sphenophoro* subsimile est hoc genus, sed ab omnibus abunde differt characteribus in diagnosi divisionis allatis.

* 1. C. ALBIDUS. *Klug.*

Elliptico-ovatus, nigro-brunneus, undique squamulis cinereo-albidis concoloribus vestitus, rostro, antennis pedibusque rufescentibus.

Eccoptus albidus. Dom. KLUG, secundum Dom. SCHUPPEL *in Litteris.*

Conoderes id. Hujus Operis. I. p. 26. Genus 292.

Habitat ad Promontorium Bonæ Spei. Dom. SCHUPPEL. Mus. GHL. et SCHH.

Baridio nitenti magnitudine æqualis, sed paulo angustior. Caput breve, semi-globosum, punctatum, nigrum, squamulis cinereo-albidis tectum; oculi magni, oblongi, perpendiculariter positi, brunnei, parum convexi, in fronte valde approximati, præsertim posterius; rostrum deflexum, longitudine thoracis, angustum, sub-filiforme, versus apicem parum crassius, fere rectum, parce punctulatum, rubrum, nitidum, glabrum, ad os infuscatum. Antennæ breves, tenues, rubræ, clava majuscula pyriformi vel ob-conica, solida, apice tamen tuberculo eminente aucta, forte articulos plures occultatos includente. Thorax latitudine baseos dimidio longior, sub-conicus, antice oblique truncatus, vix in medio nonnihil productus, basi bi-sinuatus, supra perparum convexus, nigro-brunneus, confertim punctatus, squamulis angustis, depressis, cinereo-albidis dense tectus. Scutellum vix observandum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, pone humerum nonnihil ampliata, apice conjunctim sub-rotundata, pygidii apicem non tegentia, thorace sesqui-longiora, supra fere plana, regulariter striata, striis sub-punctatis; nigro-brunnea, tota squamulis depressis cinereo-albidis tecta. Corpus subtus nigro-brunneum, punctulatum, adhuc densius albido-squamosum; ventris segmenta duo anteriora maxima, duo insequentia brevissima, ultimum iterum paulo longius, rotundatum. Pedes longiusculi, rufescentes, parcius albido-squamulosi, femoribus clavatis, subtus versus apicem dente valido, acuto armatis; tarsis dilatatis, subtus pallido-spongiosis.

GHL.

SECTIO II. *Antennæ 10 vel 9-articulatæ*

Divisio IV. CIONIDES.

Antennæ breviusculæ; funiculus 5-articulatus; clava 3 vel 4-articulata. Pedes antici basi aut approximati, aut distantes.

GENUS 365. CIONUS. *Clairville.*

Cionus CLAIRVILLE, LATREILLE, GERMAR, OLIVIER, ILLIG., CUVIER, SCHH., ZETTERSTEDT, DEJEAN, STEPHENS, STEVEN, STURM, OKEN, LAMARK, GUÉRIN (1). — *Cleopus* MEGERLE, STEPHENS. — *Rhynchænus* FABR., GHL.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, subtenues; funiculo 5-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, apice sub-truncatis, paulo coarctatis, exterioribus paulatim latioribus; clava oblongo-ovalis, acuminata, 4-articulata.

Rostrum elongatum, teres, cylindricum, paulo arcuatum, inflexum.

Oculi demissi, in fronte paulo approximati, oblongo-ovati, parum convexi.

Thorax parvus, transversus, anterius angustior, longe intra apicem coarctatus, basi apiceque sub-truncatus, supra valde convexus, subtus integer.

Elytra ampla, quadrato-ovata, basi leviter tri-sinuata, humeris obtusangulis; modice convexa, dorso antico tamen paulo deplanata, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia.

Pedes breviusculi, antici basi approximati; femora modice clavata, subtus unidentata; tibiæ rectæ, apice truncatæ, muticæ.

Observ. — Corpus quadrato-ovatum, paulo longius quam latius, fornicatum, squamosum, alatum; aut minoris aut minusculæ magnitudinis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 318. 185. — Germar, Mag. IV. p. 299, subdiv. A. — Clairv. Ent. Helv. I. p. 64. — Latr. Hist. nat. des Crust. et des Ins. III. p. 201. et XI. p. 153. — Id. Gen. Cr. et Ins. II. p. 264. — Id. Règne Anim. p. 395. — Id. les Crust. les Arachn. et les Ins. II, p. 84. — Id. Consid. génér. p. 223. 227. — Cuvier, Règne Anim. III. p. 327. — Oliv. Ent. V. 83 p. 72. et p. 106. — Stephens, Brit. Ent. IV. p. 17. — Illig. Mag. III. p. 105. et VI. p. 325. — Zetterst. Fn. Lapp. I. p. 327. — Lamarck, Animaux sans Vertèbres. IV. p. 352.

Mares hujus generis a feminis plerumque ita differunt, ut non solum, ut solitum in multis Curculionibus, in maribus rostrum sit brevius, antennæ apicem ejus propius insertæ, abdomenque basi impressum, sed etiam secundum observationem Dom. Doct. Rosenschœldi tarsorum anticorum articulus ultimus longior, unguisque externus præsertim anticorum pedum altero brevior.

Patria : Europæ plurimæ regiones; Sibiria; Africa meridionalis.

♂♀ 1. C. Scrophulariæ. *Linnæus.*

Niger, thorace, macula elytrorum humerali, pectore pedibusque flavescenti-pilosis, antennarum clava oblongo-ovali, elytris brunneis, interstitiis alternis elevatioribus, atro-alboque tessellatis, maculis duabus suturalibus atro-holosericeis, albo-adauctis. — Rld.

Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 265. var. b. — *Hist. nat. des Crust. et des Ins.* XI. p. 154. 1.

Germar, *Mag.* IV. p. 301. 1.

Lamarck, *Aimaux sans Vertèbres.* IV. p. 352. 1.

Oken, *Naturg.* III. p. 770. 1.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 381. *ed.* 3. p. 326.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 212. 121. α.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 92. 115.

Germ. *Iter in Dalm. et Rag.* p. 227. 252.

Curcul. id. De Geer, *Ins.* V. p. 208. 3. var. 1. T. 6. f. 17-20.

Payk. *Fn. Suec.* III. 207. 24. — *Mon. Curc.* p. 23. 22.

Herbst, *Col.* VI. p. 184. 147. T. 73. f. 1.

Goeze, *Eur. Fn.* VIII. p. 496. 7.

Walken., *Fn. Par.* I. p. 241.

Mull. *Zool. Dan. Prodr.* p. 89. 997.

Curculio blattariæ. Voet. *Col. ed.* Panz. IV. p. 64. 32. T. 38. f. 32.

♂♀ Var. β. Thoracis pectorisque pubescentia alba. — Ghl. l. c. var. b.

Cionus scrophulariæ. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 106. 48. T. 23. f. 314.

Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 266. var. c.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 92. 115.

Zetterst. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 327. 1.

Stephens, *Brit. Ent.* IV. p. 17. 1.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 478. 191.

Curculio id. LINN. *Fn. Suec.* p. 603. — *Syst. nat.* I. II. p. 614. 61. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1767. 61.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 434. 167. — *Mant. Ins.* I. p. 107. 120. — *Spec. Ins.* I. p. 177. 95. — *Syst. Ent.* p. 140. 68.

DE GEER, *Ins.* V. p. 209. var. 2.

OLIV. *Enc. Méth.* V. p. 311. 185.

MARSH. *Ent. Brit.* I. p. 276. 117.

LAICH. *Tyr. Ins.* I. p. 224. 18.

CEDERH. *Fn. Ingr.* 330.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 312. 76.

SCHRANK, *Enum. Ins.* p. 312. 215. — *Fn. Boica.* I. p. 503. 568.

RAZOUM. *Hist. nat.* I. p. 148. 46.

PREYSL. *in Mayers Aufs.* BOEHM. *Naturg.* III. p. 350. 1.

VILLERS, *Ent.* LINN. I. p. 197. 95.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 233. 61.

Curculio verbasci. VOET. *Col. ed.* PANZ. IV. p. 63. 30. T. 28. f. 30.

GEOFFR. *Ins.* I. p. 296. 44.

REAUM. *Ins.* III. T. 2. f. 12.

MART. *Engl. Ent.* T. 19. f. 25.

Acta Ups. 1736. p. 16. 5.

LIST. *Loqu.* p. 395. Tit. 35.

Observ. — Sexus hujus speciei non omnibus iis notis, quibus ceteræ species differunt; rostri enim unguorumque structura parum est dissimilis, et sola fere abdominis impressio distincta remanet. — RLD.

Patria : Tota Europa.

♂♀ 2. C. VERBASCI. *Fabricius.*

Niger, antennis tarsisque ferrugineis, thoracis lateribus, macula elytrorum humerali, vittaque pectoris laterali flavescenti-tomentosis, antennarum clava longiore fusiformi, elytrorum interstitiis alternis elevatioribus, atro-cinereoque tessellatis, maculis duabus suturalibus, atro-holosericeis, albo-adunctis, pedibus parce cinereo-pilosis. — RLD.

GERM. *Mag.* IV. p. 302. 2.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 107. 49. T. 23. f. 312.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 155. 3.

Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 18. 2.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 479. 193.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 591. 121-122.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 93. 116.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p, 434. 169. — *Ment.* I. p. 107. 121.

Oliv. *Enc. Méth.* V. p. 512. 186.

Herbst, *Col.* VI. p. 189. 149.

Villers, *Ent.* IV p. 289.

Walken., *Fn. Par.* I. p. 242. 15.

Panz. *Ent. Germ.* p. 313. 78.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1768. 254.

Cionus scrophulariæ. var. d. Latr. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 266.

Rhynchænus id. var. c. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 212. 121.

Curculio id. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 129. 47.

Curculio tuberculosus. Scop. *Ent. Carn.* p. 27. 80.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1772. 291.

Observ. — Summa similitudo *Cioni scrophulariæ*, sed plerumque paulo minor et in elytris brevior; sexus præterea, notis in genere allatis differunt.

Patria : Europa septentrionalis, intermedia et australis.

♂♀ 3. C. Olivieri. *Chevrolat.*

Niger, dense æqualiter flavido-virescenti-tomentosus, antennis pedibusque obscure ferrugineis, rostro longiusculo, tenuiore, elytris obscure brunneis, interstitiis alternis parum elevatioribus, medio et postice maculis determinatis nigris, duabus suturalibus orbiculatis, atro-holosericeis, simplicibus.

Cionus thapsus. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 108. 50. T. 2. f. 21. a. b. — Secundum Dom. Chevrolat.

Patria : Gallia, Germania, Tauria, Volhynia, Persia.

Ciono thapsus habitu et structura quidem valde affinis, sed semper multo major, indumento densiore, flaviore, magis æquali, rostro tenuiore, longiore, unde antennæ ab apice ejus magis remotæ, ma-

culis elytrorum minus denudatis, nonnihil tomentosis, paucioribus, magis determinatis, nigris haud brunneis, versus basin elytrorum evanescentibus distinctus. Corpus totum tomento flavido-virescente dense æqualiter tectum. Caput parvum, rotundatum, convexum, crebre punctulatum; oculi sub-ovati, sub-depressi, glauci; rostrum subtenue, cylindricum, parum arcuatum, piceum, maris thorace dimidio longius, punctatum, sat dense pubescens, feminæ thorace fere duplo longius, crebre rugoso-punctatum, subcarinatum, in ipsa basi dense pubescens, dein nudum. Antennæ tenues, ferrugineæ, clava oblongo-ovali, acuminata. Thorax subconicus, latitudine baseos dimidio brevior, antice fere duplo angustior, apice oblique truncatus, lateribus fere rectis, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, creberrime subtilissime punctulatus. Scutellum sub-triangulare, apice rotundatum. Elytra latitudine paulo longiora, antice thoracis basi plus dimidio latiora, basi conjunctim leviter tri-sinuata, humeris obtuse angulatis, paulo elevatis, lateribus parum rotundata, vix ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, obscure brunnea, dense æqualiter tomentosa, crebre sat profunde punctato-striata, interstitiis lævibus, alternis paulo elevatioribus, maculis sub-quadratis, parum denudatis, atro-squamosis, parcius tessellata, maculis in anteriore parte elytrorum fere nullis, duabus suturalibus, orbiculatis, atro-holosericeis, simplicibus. Pedes validiusculi, obscure ferruginei, ut corpus dense tomentosi; femoribus modice incrassatis, sub-annulatis, dente valido, acuto, armatis. — RLD.

♂♀ 4. C. THAPSUS. *Fabricius.*

Fusco-brunneus, inæqualiter undique cinereo-virescenti-pubescens, rostro longiusculo, validiusculo, elytrorum interstitiis alternis parum elevatis; maculis denudatis indeterminatis brunneis pallidisque tessellatis, duabus suturalibus, orbiculatis, atro-holosericeis, simplicibus. — RLD.

LATR. *Hist. nat.* XI. p. 155. 2.
OKEN, *Naturg.* III. p. 770.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* p. 301. *ed.* 3. p. 326.
Cionus thapsi. GERM. *Mag.* IV. p. 303. 4.
STEPHENS, *Brit. Ent.* p. 18. 3.
MÉNÉTRIÉS, *Catal. raisonné,* p. 224. 1005.
Rhynchænus thapsus. FABR. *Syst. El.* II. p. 479. 192.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 214. 122.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 93. 117.

Curculio thapsus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 434. 168.

HERBST, *Col.* VI. p. 137. 148. T. 73. f. 2.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 277. 118.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 312. 77.

Curculio scrophulariæ. LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 265. a.

Curculio id. var. LINN. *Fn. Suec.* 603. — *Syst. nat.* I. II. p. 614. 61.

DE GEER, *Ins.* V. p. 209. var. 3.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 208. 24. var. β. — *Mon. Curc.* p. 24. 22. var. β et γ.

ROSSI, *Fn. Etr.* I. p. 120. 310. — Ed. HELLW. I. p. 129. 310.

STURM, *Ins. Cabin.* II. T. 13.

Curculio hortulanus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 129. 48.

VILLERS, *Ent.* I. p. 202. 118. et IV. p. 275. 118.

Curculio affinis. HARRER, *Beschr.* p. 184. 299.

SCHÆFF. *Icon.* T. 232. f. 8. a. b.

Patria : Tota Europa.

♂♀ VAR. β. Elytrorum margine basali late pectorisque lateribus dense flavido-pubescentibus, maculis elytrorum suturalibus præsertim postica, flavescenti-limbatis. An species diversa ? — RLD.

Patria : Hispania. Dom. Com. DEJEAN.

Observ. — Specimen masculinum a Dom. BESSER e Podolia missum inter *Cionum thapsus* et *angulatum* quasi intermedium. Magnitudo et pictura fere ut in *Ciono thapsus*, sed color indumenti magis cinereus, maculæ suturales paulo minores, tarsi antici valde elongati, breviores tamen quam in *Ciono angulato.* Ex specimine vero unico eoque minus bene conservato, novam condere speciem, minus aptum forsan videatur. — RLD.

5. C. UNGULATUS. GERMAR.

Fusco-brunneus, thorace, macula dilatata in margine elytrorum basali, pectore pedibusque dense flavescenti-ochraceoque tomentosis; elytris parce pilosis, interstitiis striarum alternis parum elevatioribus, obsolete tessellatis, maculis duabus suturalibus orbiculatis, atro-holosericeis et flavescenti-limbatis; articulo ultimo tarsorum anticorum in mare longissimo.

GERMAR, *Mag.* IV. p. 302. 3.

Cionus ocellatus. Dom. Com. HOFFMANNSEGG *in Litteris;* Femina esse videtur.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

Cionus pictus. DAHL, secundum Dom. STURM. — Mas.

Patria : Dalmatia. Dom. Com. DEJEAN. Croatia, Lusitania, Paris. Dom. AUBÉ.

Ciono thapsus, præsertim var. β simillimus, sed magnitudine paulo minore, colore indumenti alio, elytris, etiam in illæsis, parum pubescentibus, obsolete tessellatis, maculis suturalibus pube flavescenti limbatis, rostro brunneo paulo breviore et tenuiore tarsisque anticis in mare multo longioribus differt. Caput parce flavescenti-pilosum; oculi oblongo-ovati, glauci; rostrum capite thoraceque paulo longius, subtenue, paulo arcuatum, crebre punctatum, rufo-piceum, sub-glabrum, versus apicem perparum attenuatum. Antennæ ferrugineæ. Thorax ut in *Ciono thapsus* constructus, totus tomento flavescente, in lateribus in ochraceum vergente tectus. Scutellum oblongo-triangulare, apice rotundatum, flavescenti-pilosum. Elytrorum forma ut in *Ciono thapsus;* punctato-striata, interstitiis alternis parum elevatioribus; fusco-brunnea, parce flavescenti-pilosa, indistincte tessellata, in margine basali macula majuscula, pone humeros dilatata, dense flavo-et ochraceo-tomentosa, maculis duabus suturalibus orbiculatis, atro-holosericeis, pilositate flavescenti-ochracea limbatis. Corpus subtus flavido-pilosum, pectoris lateribus flavido-ochraceoque tomentosis. Pedes pilis flavidis, in femoribus ante apicem in annulum condensatis, vestiti; femoribus valide et acute dentatis; tarsorum anticorum articulo ultimo in mare reliquis paulo longiore, in femina vero multo breviore. — RLD.

♂♀ 6. C. Hortulanus. *Marsham.*

Fusco-brunneus, undique inæqualiter cinereo-virescenti-pubescens, elytrorum interstitiis alternis parum elevatioribus, maculis brunneis et pallidis tessellatis, maculis duabus suturalibus, orbiculatis, simplicibus, atro-holosericeis, rostro maris tenuiore, attenuato, feminæ longiore ante antennarum insertionem determinate subulato.—Rld.

Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 278. 119.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 215. 183. et IV. p. 591. 123.

Cionus id. Stephens, *Brit. Ent.* IV. p. 18. 4.

Id. thapsus, var. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

Don. *Brit. Ins.* T. 205. f. 2.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia.

Observ. — Variat indumento tenuiore, unde color corporis obscurior magis translucet. — *Ciono thapsus* primo intuitu quidem simillimus, sed semper minor et rostro multo tenuiore, attenuato vel subulato optime distinctus.

♂ 7. C. Gebleri. *Schh.*

Brunneus, undique dense flavescenti-cinereo-tomentosus, rostro, antennis pedibusque testaceis; elytris obsolete tessellatis, maculis duabus suturalibus atro-holosericeis, simplicibus. — Mas.

Habitat in Sibiria. Dom. Gebler. Mus. Schh.

Ciono thapsus plerumque dimidio minor, cæterum simillimus et valde affinis, colore rostri, antennarum et pedum dilutius testaceo, præcipue distinctus. Caput parvum, rotundatum, punctulatum, brunneum, dense flavescenti-tomentosum; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, validum, parum arcuatum, punctulatum, testaceum, pallido-tomentosum. Antennæ basi testaceæ, extrosum piceæ, clava oblonga. Thoracis structura ut in *Ciono thapsus*; punctatus, brunneus, tomento pallescenti vestitus, lineis duabus dorsalibus approximatis punctisque duobus utrinque, obscurioribus, magis nudis. Scutellum oblongum, dense pallido-tomentosum. Elytrorum forma ut in affinibus; punctato-striata, sutura interstitiisque alternis paulo

elevatioribus, obsolete tessellatis; dilute brunnea, dense pallescenti-tomentosa; maculæ suturales atro-holosericeæ, simplices, omnino ut in *Ciono thapsus*. Pygidium apice rotundatum, punctatum, testaceum. Corpus subtus saturatius brunneum, confertim punctulatum, dense pallescenti-tomentosum. Pedes dilute testacei, femoribus fasciatim, tibiis tarsisque uniformiter pallescenti-tomentosis. — GHL.

8. C. CLAIRVILLEI. *Schh.*

Ovatus, nigro-piceus, undique tomento brevi, cinereo-albido dense vestitus, pedibus dilutioribus, thorace immaculato; elytris fusco-tessellatis, maculis duabus suturalibus atro-holosericeis, simplicibus ♂ ♀.

♀ VAR. β. Flavo-virescenti-tomentosus, elytris maculis paucis fuscis.

♂ VAR. γ. Cinereo-tomentosus, pedibus fusco-ferrugineis, elytris obsoletissime maculatis.

Patria: Gallia ad Paris. Dom. CHEVROLAT et AUBÉ. Var. β in Podolia; Dom. BESSER. Var. γ in Tauria; Dom. STEVEN.

Ciono thapsus dimidio minor et ultra; *Ciono olenti* propinquus, sed paulo minor, tomento multo breviore vestitus. Caput parvum rotundatum, punctulatum, nigro-piceum, dense cinereo-tomentosum; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace longius, validum, parum arcuatum, confertim punctulatum, obsolete carinatum aut nigrum, aut piceum, cinereo-tomentosum. Antennæ breviusculæ, rufo-piceæ, clava ovata. Thoracis structura ut in affinibus, punctatus, nigro-piceus, tomento brevi, denso, cinereo-albido, unicolori, æqualiter vestitus. Scutellum oblongum, dense cinereo-tomentosum. Elytrorum forma ut in affinibus, obsolete punctato-striata, nigro-picea, tomento brevi, denso, cinereo-albido vestita, sutura interstitiisque alternis parum elevatioribus, remote fusco-tessellatis, punctis tantum paucis nigricantibus, magis perspicuis notatis; maculæ suturales atro-holosericeæ ut in *Ciono thapsus* locatæ, sed minores, simplices. Pygidium breve, apice rotundatum, concolor. Corpus subtus punctatum, nigrum, dense cinereo-tomentosum. Pedes validi, fusco-ferruginei,

dense æqualiter cinereo-tomentosi; femoribus clavatis, dente valido, acuto, armatis, tibiis tarsisque sæpe dilutius ferrugineis.

BHN.

Dom. *Clairville* egregium opus, incriptum « *Entomologie Helvetique* » edidit, quod inter cætera continet nova constructa genera familiarum Carabicorum et Curculionidum.

♂♀ 9. C. SIMPLEX. *Rosenschoeld.*

Breviter ovatus, fusco-brunneus, flavescenti-tomentosus, antennis pedibusque ferrugineis; elytris obsolete denudato-maculatis, ante apicem macula suturali parva atro-holosericea, rostro maris ferrugineo, breviore sub-attenuato.

Patria: Podolia. A Dom. BESSER amice communicatus. Mus. SCHH.

Ciono Clairvillei var. β affinis et æqualis, sed elytris brevioribus, macula antica deficiente, rostro maris breviore, sub-attenuato, distinctus videtur. Corpus totum sat dense flavido-tomentosum. Caput rotundatum, convexum; oculi sub-ovati, parum convexi; rostrum parum arcuatum, in mare longitudine capitis thoracisque, ferrugineum, parce pilosum, apice paulo attenuatum, feminæ multo longius, cylindricum, crebre striolatum, obsolete carinatum, nigrum, basi flavido-pilosum. Antennæ totæ pallide testaceæ. Thorax latitudine baseos multo brevior, apice oblique truncatus, antice plus dimidio angustior, lateribus vix rotundatus, basi leviter bisinuatus; crebre punctatus, nitidus dense flavido-tomentosus. Scutellum oblongo-triangulare, apice rotundatum. Elytra latitudine paulo longiora, antice thoracis basi multo latiora, basi singulatim sub-emarginata, lateribus medio haud ampliata, apice obtuse rotundata, supra modice convexa, punctato-striata, interstitiis alternis non elevatioribus, dense flavescenti-tomentosa, maculis paucis denudatis obsoletis præsertim posterius adspersa, ante apicem macula parva communi atro-holosericea simplici notata. Corpus subtus dense flavido-tomentosum. Pedes ferruginei, parce æqualiter flavido-pilosi; femoribus clavatis dente acuto, valido armatis.

RHD.

10. C. OLENS. *Fabricius.*

Brunneus, griseo-hirtus, antennis pedibusque ferrugineis; elytris dense breviterque albo-setosis, maculis duabus suturalibus, atro-holosericeis; femoribus anticis minus valide dentatis. — RLD.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 109. 51. T. 23. f. 311.
GERM. *Mag.* IV. p. 303. 5.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 480. 196.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 169. 170-1.

♀ VAR. β. Macula elytrorum posteriore deficiente.

VAR. γ. Maculis suturalibus obsoletis. — GERM. l. c. var.

Patria : Gallia, Germania meridionalis. Var. β e Bavaria Dom. STURM.

♀ 11. C. BLATTARIÆ. *Fabricius.*

Fuscus, thorace, elytrorum basi externa pectoreque dense albo-tomentosis, thoracis basi macula fusca; elytris albo-pilosis, antice maculis pluribus duabusque suturalibus, posteriore orbiculata, atro-holosericeis, interstitiis striarum alternis plus minusve nigro-tessellatis. — RLD.

CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 66. 1. T. 3. f. 1.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 109. 52. T. 23. f. 313.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI, p. 155. 4.
STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 18. 5.
LAMARCK, *Animaux sans vertèbres.* IV. p. 353. 2.
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 479. 195.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 435. 170.
HERBST, *Col.* VI. p. 189. 150. T. 73. f. 3.
PANZ. *Ent. Germ.* p. 313. 79.
Curculio bipustulatus. MARSH. *Ent. Brit.* p. 278. 121.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 298. 45.

♂♀ VAR. β. Tomento thoracis elytrorum baseos pectorisque flavescente.

Patria : Gallia, Italia, Germania, Anglia.

♂ 12. C. PULVEROSUS. *Parreys.*

Fuscus, undique dense cinereo-pallido-tomentosus brevissimeque setulosus, rostro, antennis pedibusque testaceis; elytris maculis duabus suturalibus parvis, punctisque sparsis, fuscis, notatis; rostro longiusculo, tenui.

GUÉRIN, *Icon. Règne animal.* V. T. 38. f. 8. a.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

♀ VAR. β. Tomento flavo-virescente undique vestitus, magis determinate maculatus, corpore, rostro pedibusque saturatius testaceis. ♀

VAR. γ. Ut α, sed immaculatus, rostro piceo. ♀
Cionus impunctatus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Insula Corcyra. Dom. SCHUPPEL. Var. β Corfou. Dom. Com. MANNERHEIM. Var. γ. Dalmatia. Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Ciono olenti et *Clairvillei* valde similis et affinis, sed triplo minor, *Ciono blattariæ* fere æqualis, setulis densissimis erectis, rostro longiore et tenuiore ut et colore distinctus. Caput parvum, rotundatum, punctulatum, nigrum, dense pallido-tomentosum; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace longius, magis tenue quam in affinibus, parum arcuatum, subtiliter punctulatum, tenuiter tomentosum, totum pallide testaceum. Antennæ mediocres, pallidæ. Thorax quoad formam ut in affinibus, punctulatus, fusco-brunneus, unicolor, dense cinereo-pallido-tomentosus. Scutellum oblongo-triangulare, concolor, dense tomentosum. Elytra ampla, antice conjunctim sinuato-emarginata, pone basin oblique valde ampliata, callo humerali elevato, rotundato; apice conjunctim rotundata, thorace quintuplo longiora, supra in dorso parum convexa, obsolete striata, fusco-brunnea, dense cinereo-pallido-tomentosa; in sutura maculæ duæ communes, holosericeæ, nigræ exstant, prior paulo ante medium et altera prope apicem, et præterea puncta nonnulla fusca in disco et versus latera sparsa cernuntur. Corpus subtus punctulatum, fuscum, dense cinereo-pallido-tomentosum. Pedes validi, pallide testacei, dense tomentosi, femoribus clavatis, dente mediocri armatis. — GHL.

* 13. C. Tristis. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, squamulis cinereo-albidis parce obsitus, thorace brevi, transverso, crebre punctato, maculis denudatis variegato; elytris punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, alternis, maculis denudatis tessellatis.

Patria : Caffraria. A Dom. Drège communicatus. Mus. Schh.

Ciono olenti magnitudine æqualis. Caput parvum, retractum, sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, squamositate cinereo-albida obsitum; oculi laterales, sub-ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, supra punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos multo brevior, anterius angustior, apice sub-truncatus, intra apicem non constrictus, lateribus versus basin sensim ampliatus, postice leviter sinuatus, supra transversim convexus, confertim punctulatus, niger, cinereo-squamulosus, maculis denudatis, nigris, variegatus. Scutellum sub-rotundatum, nigrum, squamulis cinereo-albidis tectum. Elytra antice sinuata, thoracis basi latiora, humeris rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, sub-remote subtiliter punctato-striata, nigra, squamulis lanceolatis, depressis, cinereo-albidis, parce obsita, interstitiis alternis maculis remotis, denudatis, tessellatis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate cinereo albida parce vestitum. Pedes validi, nigri, cinereo-squamulosi; femoribus clavatis, dente valido, acuto, armatis.

Bhn.

5♀ 14. C. Meticulosus. *Sparrman.*

Oblongo-subquadratus, niger, dense cinereo-albido-squamulosus, fronte puncto impressa, antennis ferrugineis; thorace bi-tuberculato, elytris striato-punctatis, sub-unicoloribus.

Curculio id. Sparrman, *Acta Holm.* An. 1785. I. p. 44. 8. T. 2. f. 8.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1760. 218.

Patria : Caffraria. A Dom. Drège benigne communicatus. Mus. Schh.

Ciono meticuloso affinis, sed longior. Corpus totum squamulis minutis, elongatis, cinereo-albis æqualiter tectum. Caput retractum, sub-globosum, crebre subtiliter punctulatum; oculi sub-ovati, glauci, in fronte magis remoti; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, paulo arcuatum, teres, creberrime punctulatum, sub-nitidum, basi parce albido-squamosum. Antennæ ferrugineæ, clava ovata, acuminata, nigra. Thorax sub-conicus, latitudine postica multo brevior, antice fere duplo angustior, apice oblique truncatus, utrinque leviter constrictus, lateribus parum rotundatis, basi leviter bi-sinuatus, supra crebre punctulatus, medio utrinque tuberculo parvo obtuso armatus. Scutellum oblongum, apice rotundatum. Elytra antice thoracis basi dimidio latiora, quam lata vix duplo longiora, basi conjunctim leviter tri-sinuata, humeris obtuse angustatis, lateribus medio haud ampliata, pone medium angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, antice planiuscula, crebre subtiliter striato-punctata, dense æqualiter squamosa, hinc illinc maculis parvis brunneis adspersa. Corpus subtus crebre subtiliter punctulatum, nitidum, dense squamosum. Pedes validi, femoribus incrassatis, dente valido, acuto armatis. — Bld.

♂ 15. C. Notatus. *Rosenschoeld.*

Breviter ovatus, valde convexus et anterius declivis, niger, nitidus, undique dense cinereo-albido-squamosus; thorace brevissimo, conico, antice valde angustato, bi-tuberculato; elytris striato-punctatis, interstitiis alternis, maculis inæqualibus, atro-squamosis, seriatim adspersis.

Patria: Caffraria in Scaparia. A Dom. Ecklon et Zeyher communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Cioni Verbasci.* Corpus totum squamulis minutis, elongatis, cinereo-albidis tectum, supra atro maculatum. Caput retractum, rotundatum, crebre punctulatum; oculi oblongo-ovati, haud prominuli, glauci; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, parum arcuatum crebre punctulatum, parce squamosum, supra obsolete tri-carinatum, versus apicem paulo deplanatum. Antennæ subtenues, clava oblongo-ovali, acuminata, atro-holosericea. Thorax brevissimus, conicus, latitudine baseos plus duplo brevior, antice oblique truncatus, duplo angustior, lateribus sub-

rectis vel perparum emarginatis, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio productiore, sub-truncato, supra sub-depressus, anterius valde declivis, crebre punctatus, utrinque tuberculo minuto, sub-transverso, acuto armatus, maculis duabus disci denudatis. Scutellum ovatum. Elytra latitudine dimidio longiora, antice conjunctim emarginata, thoracis basi dimidio latiora, humeris obliquis obtuse angulatis, lateribus longe ultra medium sub-parallelis, apice attenuata, conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, sub-remote subtilissime striato-punctata, interstitiis omnibus planiusculis, creberrime punctulatis, alternis, maculis remotis, inæqualibus, quadratis et transversis, atro-squamosis, seriatim adspersis. Corpus subtus dense squamosum, pygidio aperto, rotundato. Pedes validi; femoribus modice clavatis, dente acuto, minus valido armatis.

RLD.

* 16. C. ALBIDUS. *Rosenschoeld.*

Breviter sub-ovatus, modice convexus, niger, dense undique albido-squamosus, rostro valido, evidenter tri-carinato, nudo, apice ipso deplanato; thorace conico, obsolete bi-tuberculato; elytris maculis paucis atro-squamosis, adspersis.

Patria: Africa australis. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cioni hortulani; Ciono notato* valde affinis, sed minus convexus, anterius minus declivis, et squamis densioribus, magis albidis, rostro validiore, distincte tricarinato, apice abrupte deplanato, thorace longiore, antice minus angustato, obsolete tantum tuberculato, elytris maculis tantum paucis notatis, distinctus videtur. Corpus totum squamulis minutis, elongatis, albidis tectum. Caput rotundatum, convexum; oculi oblongo-ovati, depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, parum arcuatum, crebre punctulatum, nudum, nitidum, lateribus parce squamulosum, supra carinis tribus distinctis instructum, apice subito deplanatum. Antennæ mediocres, subtenues, clava minuta, oblongo-ovali, acuminata. Thorax breviter conicus, latitudine baseos duplo brevior, antice plus dimidio angustior, apice oblique truncatus, lateribus rectis, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio productiore apice emarginato; creberrime punctulatus, ad latera utrinque tuberculo obsoleto, obtuso armatus. Scutellum breviter ovatum. Elytra oblongo-sub-quadrata, latitudine vix dimidio lon-

giora, antice conjunctim leviter tri-sinuata, thoracis basi plus dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, sub-elevatis, lateribus fere rectis, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, tenue striato-punctata, striis punctisque ob squamas occultatis, interstitiis omnibus planiusculis, maculis paucis sub-quadratis, atro-squamosis adspersa, 3 nempe in basi, 2 in disco, 2 ante apicem, et 3 in margine laterali. Pedes validi, ut corpus subtus, dense squamosi; femoribus modice incrassatis, dente valido, acuto armatis. — Rld.

♀ 17. C. Angulicollis. *Schh.*

Ovatus, modice convexus, nigro-piceus, flavescenti-albido-squamulosus, rostro longiusculo, cylindrico, antennis basi rufo-piceis, thorace latiore, evidenter bi-tuberculato; elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis alternis convexioribus, crebre fusco-tessellatis.

Patria: Cap. Bonæ Spei. A Dom. Drège amice communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo *Cioni hortulani;* statura *Cioni meticulosi*, sed thorace evidentius tuberculato, elytrorum interstitiis alternis convexioribus, fusco-tessellatis, ab hoc distinctus. Caput parvum, retractum, sub-globosum, crebre punctulatum, parce albido-squamosum; oculi sub-ovati, brunnei; sub-depressi; rostrum, capite cum thorace nonnihil longius, validum, cylindricum, paulo arcuatum, supra confertim punctulatum, basi leviter carinatum, ibique densius, dein parcius silaceo-squamosum. Antennæ mediocres, rufo-piceæ, clava parva, oblongo-ovali, acuta, atro-holosericea. Thorax conicus, latitudine postica dimidio brevior, antice multo angustior, apice oblique truncatus, lateribus sub-rectis, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio emarginato; crebre, evidenter punctulatus, versus marginem utrinque tuberculo majore, acuto armatus, supra parce, linea dorsali, lateribus et subtus dense flavescenti-albido-squamosus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra latitudine dimidio longiora, antice singulatim rotundata, thoracis basi plus dimidio latiora, humeris obtuse angulatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso paulo convexa, sub-remote subtiliter punctato-striata, interstitiis alternis modice convexis, squamulis lanceolatis, flavescenti-albidis dense vestita, interstitiis alternis fusco-

tessellatis. Corpus subtus punctulatum, squamositate densa flavescenti-albida tectum. Pedes validi, dense squamosi; femoribus clavatis, subtus dente valido, acuto armatis. — RLD.

♂ 18. C. VIRGATUS. *Schh.*

Sub-ovatus, niger, parum convexus, supra ochraceo-subtus cineraceo-squamosus; thorace acute bi-tuberculato, dorso nigro-bi-lineato; elytris subtiliter punctato-striatis, vitta lata laterali lineam punctaque nonnulla albida includente, lineis duabus internis suturaque nigro-squamosis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE amice missus Mus. SCHH.

Ciono blattariæ paulo major. Caput majusculum, sub-exsertum, rotundatum, crebre punctulatum, squamulis ochraceis tectum, fronte foveola parva impressa; oculi sub-ovati, sub-depressi; rostrum capite cum thorace paulo longius, validum, paulo arcuatum, crebre punctulatum, sat dense ochraceo-squamulosum, versus apicem parum complanatum. Antennæ mediocres, clava parva, oblongo-ovali, acuminata. Thorax conicus, latitudine baseos vix duplo brevior, antice plus dimidio angustior, apice oblique truncatus, lateribus rectis, basi leviter bi-sinuatus, lobo medio brevi, sub-emarginato; supra transversim convexus, crebre punctulatus, versus latera utrinque tuberculo valido, acuto, armatus; dense ochraceo-squamosus, dorso lineis duabus latis indeterminatis, nigro-squamosis. Scutellum quadratum, apice rotundatum, dense cinereo-squamosum. Elytra sub-oblongo-quadrata, latitudine vix dimidio longiora, antice thoracis basi plus dimidio latiora, basi conjunctim leviter tri-sinuata, humeris sub-rectangulis, paulo elevatis, lateribus sub-rectis, apice conjunctim obtuse rotundata; supra paulo convexa, subtiliter punctato-striata interstitiis omnibus planiusculis; dense ochraceo-squamosa, sutura, lineis duabus internis, punctis pallidis interruptis, vittaque lata laterali, puncta nonnulla includente, nigro-squamosis, hac per lineam albidam ochraceo-marginatam longitudinaliter inæqualiter divisa. Corpus subtus griseo-in pectore magis ochraceo-squamosum. Pedes validi, dense griseo et ochraceo-squamosi; femoribus modice clavatis, dente acuto, valido, in anticis tamen minore armatis. — RLD.

19 C. NUBILOSUS. *Rosenschoeld.*

Breviter ovatus, paulo convexus, fusco-piceus, supra cinereo-subtus pallido-squamosus, tibiis testaceis; thorace conico, utrinque tuberculato; elytris tenue punctato-striatis, singulo vitta media lineaque intra-marginali fuscis cum sutura cinereo-punctatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Ciono blattariæ magnitudine æqualis; *Ciono virgato* quoad staturam et picturam similis, sed color longe alius. Caput dense cinereo-squamosum; oculi sub-ovati; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, teres, paulo arcuatum, dense cinereo-squamosum. Antennæ subtenues, sub-testaceæ, clava oblongo-ovata acuminata. Thorax conicus, latitudine baseos duplo brevior, antice fere duplo angustior, apice truncatus, basi leviter bi-sinuatus, dense supra cinereo-subtus pallido-squamosus, dorso lineis duabus fuscis, obsoletis notatus, utrinque in medio tuberculo parvo obtuso armatus. Scutellum sub-quadratum, apice rotundatum, dense albido-squamosum. Elytra oblongo-sub-quadrata, latitudine dimidio longiora, antice conjunctim sub-tri-sinuata, thoracis basi multo latiora, humeris sub-rectangulis, obtusis, apice conjunctim obtuse rotundata, supra paulo convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, dense cinereo-squamosa, vitta discoidali lineaque intra marginem fusco-squamosis, sutura, vittæ marginibus lineaque cinereo-punctatis. Corpus subtus dense pallido-squamosum. Pedes fusci, cinereo-squamulosi, femoribus dente mediocri, acuto armatis, tibiis testaceis. — RLD.

♂ 20. C. HISTRIO. *Schh.*

Breviter ovatus, modice convexus, niger, supra ochraceo-subtus pallido-squamosus; thorace sub-conico, utrinque tuberculato; elytris tenue punctato-striatis, interstitiis alternis sub-elevatis, maculis oblongis, atro-holosericeis et albidis crebre tessellatis.

Patria : Caffraria. A Dom. DRÈGE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Ciono blattariæ magnitudine æqualis. Caput parvum, retractum,

sub-globosum, punctulatum, squamositate ochracea dense obsitum; oculi sub-ovati, parum convexi, obscure brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, paulo arcuatum, crebre punctulatum, tenue carinatum sat dense ochraceo-squamosum, apice ipso sub-deplanatum. Antennæ mediocres, clava oblongo-ovata, acuminata. Thorax sub-conicus, latitudine postica multo brevior, antice fere duplo angustior, apice oblique truncatus, lateribus sub-rectis postice leviter bi-sinuatus; supra confertim punctulatus, versus marginem utrinque tuberculo parvo, sub-acuto, armatus; ochraceo-squamosus, linea media obsoleta, plaga magna laterali, pallido-squamosis, punctis duobus in disco nigris decoratus. Scutellum breve, apice rotundatum, dense ochraceo-vel albido-squamosum. Elytra latitudine vix dimidio longiora, antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rectangulis, lateribus parum rotundata, haud ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, dense ochraceo-squamosa, interstitiis alternis elevatioribus, maculis elongatis sub-denudatis et parce atro-holosericeis, seriatis aliisque sub-quadratis, albido-squamosis, alternantibus, tessellatis, basi ad humeros macula albido-squamosa insuper decorato. Corpus subtus punctulatum, squamis pallidis dense tectum. Pedes validi, pallido-squamulosi; femoribus clavatis subtus dente valido, acuto armatis.

Rld.

* 21. C. Fraxini. De Geer.

Ovatus, parum convexus, fusco-brunneus, cinereo-squamulosus, rostro, antennis, elytris, pedibusque ferrugineis, thoracis conici, dorso elytrorumque plaga magna communi antica nigro-picea. — Rld.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 110. 54. T. 23. f. 315.

Germ. *Mag.* IV. p. 304. 7.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

Rhynchænus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 489. 244.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 217. 125.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 94. 118.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 443. 206. — *Mant.* I. p. 109. 143.

De Geer, *Ins.* V. p. 212. 4.

Herbst, *Col.* VI. p. 172. 153. T. 73. f. 5.

Payk. *Fn. Suec.* III. p. 209. 25. — *Mon. Curc.* p. 25. 23.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 149. 78.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 518. 211.

Goeze, *Eur. Fn.* VIII. p. 499. 8.

Villers, *Ent.* I. p. 201. 114. et IV. 275 et p. 290.

Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1768. 256.

Panz. *Ent. Germ.* p. 317. 103.

Cleopus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83.

Sturm, *Ins. Catal.* 1826. p. 120.

Rhynchænus fœtidus. Fabr. *Syst. El.* II. p. 480. 198.

Curculio Geeri. Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1772. 295.

* Var. β. Squamulis brunneis vestitus, elytrorum interstitiis alternis distinctius denudato-pallidoque tessellatis.

Rhynchænus fraxini var. b. Gyllenh. *Fn. Suec.* l. c.

Sahlberg, *Ins. Fenn.* l. c.

Curculio rectangulus. Herbst, *Col.* VI. p. 193. 154. T. 73. f. 6.

* Var. γ. Totus æqualiter cinereo-squamosus, rostro nigro.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia. Var. γ e Finlandia. Dom. Sahblberg.

* 22. C. Pulchellus. *Herbst.*

Ovatus, parum convexus, brunneus, parce griseo-pubescens; thorace brevissimo, lateribus rotundato; elytris posterius perparum ampliatis, interstitiis alternis sub-elevatioribus, maculis atro-alboque squamosis tessellatis, maculis tribus suturalibus, intermedia majore, atro-holosericeis. — Rld.

Germ. *Mag.* IV. p. 304. 8.

Curculio id. Herbst, *Col.* VI. p. 356. 330. T. 88. f. 1.

Cleopus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 19. 1.

Rhynchænus solani. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 216. 124. et IV. p. 591. 124.

Curculio id. Payk. *Fn. Suec.* III. *App.* p. 457. 25-26.

Cionus id. Dejean, *Cat. Col. ed* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 326.

Curculio immunis. Marsh. *Ent. Brit.* p. 278. 120.

Id. ovalis. Linn. *Fn. Suec.* 613. ? — *Syst. nat.* I. II. p. 612. 47. ? — Ed. Gmel. I. IV. p. 1764. 47. ?

VILLERS, *Ent.* I p. 194. 89.?

Patria: Europa septentrionalis et intermedia.

* 23. C. SOLANI. *Fabricius.*

Ovatus, supra parum convexus, fusco-brunneus, griseo-pubescens, thorace lateribus rotundato; elytris albo-nigroque setosis, interstitiis alternis brunneo-alboque tessellatis. — RID.

GERM. *Mag.* IV. p. 304. 9.

OLIV. *Ent.* 83. p. 110. 53. T. 23. f. 316.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 326.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 480. 199.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 435. 171.

HERBST, *Col.* VI. p. 190. 151.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 313. 80.

VOET. *Col.* — Ed. PANZ. IV. p. 52. 12. T. 36. f. 12. forte.

Cionus setiger. GERM. *Mag.* IV. p. 305. 10.

Curculio perpensus. ROSSI, *Fn. Etr. Mant.* I. p. 38. 93. — Ed. HELLW. p. 376. 93.

Curculio setosus. ROSSI, *Fn. Etr.* — Ed. HELLW. I. p. 130. 310. not.

Cleopus spinosulus. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Cionus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 301. *ed.* 3. p. 326.

Patria: Gallia, Germania, Austria, Italia.

Observ.— *Cionus setiger* GERM. a *Ciono solani* forte haud distinctus. Secundum GERM. *Mag.* l. c. *Cionus setiger* elytris brevioribus differet; specimina ab ipso auctore sub hoc nomine missa, elytra quidem habent paulo breviora itemque thoracem angustiorem, quæ vero partes in aliis speciminibus ita sensim forma mutantur, ut certi limites vix definiri possint, quare ut species distincta vix haberi debet. In *Ciono fraxini* præterea elytra quoque longitudine variant.

24. C. MOESTUS (1). *Fabricius.*

Niger, thorace tuberculato, elytrorum sutura macula atra albaque. FABR.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 479. 194.

Patria : Europa.

25. C. TRINOTATUS. *Fischer.*

Fuscus, latere foveolatus, axillis et elytrorum apice stria angulosa et recta, albo-hirsutis. — Fisch. de Waldh. Lettre à Pander. p. IV.

Patria : Rossia orientalis.

GENUS 366. GYMNETRON. *Nobis.*

Gymnætron SCHH., STEPH. (2), DEJEAN, STEVEN. — *Cionus* GERM. (3), OLIVIER. — *Miarus* SCHH. olim, STEPHENS (4). — *Rhinusa* KIRBY, STEPHENS (5). — *Cleopus* MEGERLE, STURM, STEVEN, DEJEAN olim. — *Rhynchænus* FABR., LATR., GYLLENH., ZETTERSTEDT, SAHLB. — *Curculio* LINN., HERBST.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues, funiculo 5-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, apice aut sub-truncatis, aut sub-rotundatis, nonnihil coarctatis, crassitudine sæpius perparum crescentibus ; clava majuscula, breviter ovali, 4-articulata.

Rostrum longitudine varians, teres, aut filiforme paulo arcuatum, aut versus apicem attenuatum, vix arcuatum, partim deflexum partim inflexum.

Oculi laterales, aut sub-rotundati, paulo convexi, aut sub-ovati, sub-depressi.

Thorax transversus, basi aut rotundato-productus, aut leviter sinuatus, lateribus rotundatus, anterius multo angustior, antice

(1) Forte hujus generis ; mihi invisus.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 319. 186. — Stephens ; Brit. Ent. IV. p. 13. 276

(3) Germar, Mag. Ent. IV. p. 305. subd. B. C. D.

(4) Steph. Brit. Ent. IV. p. 15. 278

(5) Stephens, l. c. p. 14. 277

elevato-marginatus, apice oblique truncatus, supra parum convexus, subtus aut integer aut canaliculatus.

Elytra aut sub-ovata aut sub-quadrata, basi conjunctim leviter emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis; supra aut paulo convexa aut sub-depressa, apice conjunctim obtuse rotundata, pygidium haud obtegentia.

Pygidium deflexum, aut trigonum aut apice rotundatum.

Pedes mediocres; femora clavata; tibiæ anteriores apice unco minutissimo instructæ, posticæ muticæ.

Observ. — Corpus aut sub-ovatum, aut oblongo-quadratum, planiusculum, squamulosum, aut setulosum vel pilosum, alatum; minoris et minimæ magnitudinis.

Qamvis in speciebus hujus generis tanta differentia sese offert, ut nonnullis rima sub thorace ad rostrum inflexum excipiendum adsit, ideoque pedes antici basi distant, alia tamen est ratio in plerisque cæteris speciebus. Nullas tamen de cætero, ut in speciebus generum *Centrini* et *Baridii*, notas sufficientes invenire potui, quibus duo diversa genera formari possent. Rostri forma diversa; ut linearis, filiformis et versus apicem attenuata, per transitum unius speciei in alteram, sæpe non satis definita invenitur, ut exinde ne Stirpes quidem, quanto minus, præunte Cel. Stephensio, genera bona construi possent. In manipulos quidem «femora dentata et mutica» species distribui, quod quidem non semper est indubium, in speciebus enim nonnullis ut *Gymnetron linariæ* dentes femorum sunt obsoletissimi, ut dubium oriatur, utro in manipulo majore jure sint locandæ.

Patria : Tota Europa, Persia, Sibiria, Africa meridionalis.

STIRPS 1. *Rostrum filiforme, sub-lineare, deflexum; elytra sub-ovata, paulo convexa; pygidium elytris vix tectum.* (Species 1-16.)

Manipulus I. *Femora denticulata.* (Species 1-3.)

♂♀ 1. G. PASCUORUM. *Gyllenhal.*

Niger, griseo-pubescens, plaga elytrorum, antennarum basi, tibiis tarsisque ferrugineis; thorace longiori, basi sinuato, rostro tenui, maris paulo breviore et crassiore. — GHL.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 124. 50. et IV. p. 574. 50.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 50 43.

Cionus id. Germ. *Mag.* IV. p. 306. 13.

Gymnetron nanus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

Cleopus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83.

♂♀ Var. β. Elytris nigris immaculatis. — Ghl. l. c. var. b.

Sahlb. *Ins. Fenn.* l. c. var. b.

Patria : Suecia, Germania, Gallia.

* 2. G. Bicolor. *Schh.*

Niger, griseo-pubescens, antennis pedibusque testaceis; thorace longiori, basi sinuato; elytris obscure ferrugineis, longius et densi griseo-setulosis.

Patria : Tauria. Ex Musæo Dom. Steven descriptus. — Idem etiam a Dom. Chevrolat missus, sub nomine *Gymnætron pascuorum*, et ut *Cleopus nanus*, Dejean, *Cat. Col.* p. 83, sed patria non indicata.

Gymnetron pascuorum quidem similis et affinis, sed dimidio, imo duplo major, elytra tota ferruginea, longius et densius setulosa, pedesque toti testacei. Caput rotundatum, parum convexum, punctulatum, nigrum, cinereo-pubescens; oculi nigro-brunnei, subdepressi; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, cylindricum, modice arcuatum, nigrum, extrorsum læve, nitidum, basi punctulatum et squamulosum. Antennæ testaceæ, clava nigricante Thorax latitudine postica brevior, anterius angustior, apice emarginatus, elevato-marginatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertim punctulatus, niger, pubescentia depressa grisea sat dense vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum, dense pubescens. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; pone humeros nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, distincte striata, sed in striis obsolete punctata, interstitiis angustis, convexis; tota ferruginea, opaca, setulis longiusculis, partim suberectis, partim decumbentibus, cinereis, sat dense vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, cinereo-pubescens. Pedes validi, toti

testacei; femoribus anticis valde crassis, subtus dente obsoleto armatis. — Ghl.

* 3. G. Melas. *Schh.*

Ellipticus, sub-depressus, niger, cinereo-pubescens, antennis brevibus concoloribus, rostro lineari, modice arcuato; thorace latiore punctulato; elytris amplis, profunde punctato-striatis; femoribus obsolete dentatis.

Patria : Gallia ad Paris. Ex Musæo Dom. Aubé ad describendum amice missus.

Statura *Gymnetron stimulosi*, nonnihil tamen major, magis depressus, thorace latiore, colore antennarum elytrorumque alio, ab illo distinctus. Caput breve, latum, supra modice convexum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-pubescens; oculi laterales, ovati, modice prominuli, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, lineare, minus tenue, modice arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ vix longitudine capitis cum rostro, crassiusculæ, nigræ, clava magna, ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax brevis, transversus, antice angustior, apice truncatus et juxta apicem striga transversa impressus, lateribus versus basin sensim ampliatus, basi sub-rotundatus, supra paulo convexus, confertim punctulatus, niger, pube depressa, cinerea, sat dense obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, cinereo-pubescens. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis, antrorsum nonnihil prominulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra minus convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-convexis; tota nigra, pilis rigidis, cinereis, sub-seriatis, adspersa. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce cinereo-pubescens. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pubescentes; femoribus modice clavatis, subtus dente obsoleto armatis; tibiis teretibus, rectis. — Bhn.

Manipulus. II. *Femora mutica.* (Species 4-16.)

* 4. G. VILLOSULUS. *Schh.*

Niger, sub-depressus, undique dense cinereo-albido-squamulosus; elytris pedibusque obscure ferrugineis; thorace lateribus rotundato, dorso parcius squamoso; elytris obsolete punctato-striatis.

Patria: Volhynia. A Dom. BESSER amice communicatus. Mus. SCHH.

VAR. β. Sutura elytrorum a basi ultra medium nigra.

Rhynchænus dorsalis. Dom. OLIVIER in Musæo teste Dom. CHEVROLAT.

Patria: Gallia, Parisiis. Mus. Dom. CHEVROLAT.

* VAR. γ. Ut var. β, et præterea femora nigra, basi tantum ferruginea.

Patria: Borussia. Berolini. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura sub-depressa *Gymnetron beccabungæ,* sed dimidio major. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, fronte plana; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, validum, subrectum, confertim punctulatum, nigrum, basi squamulosum. Antennæ breves, crassiusculæ, piceæ, clava breviter ovata, nigra. Thorax latudine multo brevior, anterius paulo angustior, apice late emarginatus, margine parum elevato, angusto; lateribus ampliatus, basi bi-sinuatus, supra perparum convexus, punctulatus, niger, subtus et lateribus densissime albido-squamulosus, in dorso parcius cinereo adspersus, unde plaga dorsalis obscurior translucet. Scutellum triangulare, nigrum, dense albido-squamulosum. Elytra antice thoracis basi non latiora; sed pone basin oblique ampliata, callo humerali sub-elevato, rotundato; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra in dorso fere plana, obsolete punctato-striata, obscure ferruginea, opaca, indumento minus denso cinereo-albido-vestita. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Pedes mediocres, ferruginei, parce cinereo-tomentosi; femoribus clavatis, muticis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

* 5. G. VERONICÆ. *Germar.*

Niger, parce griseo-pubescens, thoracis pectorisque lateribus dense albido-squamosis, antennarum basi, tibiis tarsisque rufo-testaceis; elytris distincte punctato-striatis, singulo plaga rufo-testacea; thorace postice sinuato. — RLD.

GERM. *Mag.* IV. p. 306. 12.
Rhynchænus beccabungæ. FABR. *Syst. El.* II. p. 493. 263.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 122. 49.
SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 49. 42.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 190. 6.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 447. 221.
PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 254. 74.
HERBST, *Col.* VI. p. 202. 16. (Descriptio sola.)
PANZ. *Ent. Germ.* p. 319. 114.
Curculio dorsalis. ? LINN. *Fn. Suec.* 588. — *Syst. nat.* I. II. p. 608. 17. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1746. 17. — *Acta Ups.* 1736. p. 16. 6. ?
FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 411. 78. — *Mant.* I. p. 102. 56. — *Spec. Ins.* I. p. 170. 50. — *Syst. Ent.* p. 133. 35. ?
CEDERH. *Fn. Ingr.* 326. ?
VILLERS, *Ent.* I. p. 177. 14. ?
Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 454. 83. ?

VAR. β. Niger, elytris ferrugineis, vix fusco-marginatis, pedibus rufo-piceis.
Rhynchænus beccabungæ, var. c. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 184.
SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 49. 42. var. c.

* VAR. γ. Elytris nigris immaculatis, cæterum ut α.
Rhynchænus beccabungæ, var. d. GYLLENH. l. c.
SAHLB. *Ins. Fenn.* l. c. var. d.

* VAR. δ. Elytris pedibusque totis nigris, cæterum ut α.
Rhynchænus beccabungæ, var. e. GHL. l. c.
SAHLB. *Ins. Fenn.* l. c. var. e.

Patria : Suecia, Germania, Bavaria, Volhynia.

* 6. G. Beccabungæ. *Linnæus.*

Niger, thorace vittaque pectoris laterali dense albido-squamosis, antennarum basi pedibusque ferrugineis; elytris striatis et in striis obsoletius punctatis, ferrugineis, sutura margineque nigris; thorace postice sub-truncato. — Rld.

Curculio id. Linn. *Fn. Suec.* 607. — *Syst. nat.* I. II. p. 611. 41. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1762. 41.

Villers, *Ent.* I. p. 192. 91.

Herbst, *Col.* T. 74. f. 2. a. b. (Exclusa descriptione.)

Cionus id. Germ. *Mag.* IV. p. 305. 11.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 123. 49. var. b. et IV. p. 574. 49.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 49. 42. var. b.

Gymnætron id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 13. 1.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

Patria : Suecia, Anglia, Finlandia.

Observ.—*Gymnetron viscariæ* quidem valde affinis, sed angustior, præsertim in elytris, thorax antice minus angustatus, lateribus fere æqualiter rotundatus, basi sub-truncatus, totus squamosus, vitta pectoris lateralis determinata, elytrorum striæ indistincte punctatæ, pedes toti testacei.

* 7. G. Concinnus. *Schh.*

Niger, corpore subtus parce, pectoris thoracisque lateribus dense, albido-squamosis, pedibus rufo-testaceis, tarsis piceis; elytris distincte punctato-striatis, ferrugineis, basi, sutura anterius margineque laterali nigris.

Habitat in Tauria. Dom. Steven in Volhynia Dom. Besser. Mus. Schh.

Medius quasi inter *Gymnetron beccabungæ* et *Gymnetron veronicæ;* a priori differt thorace paulo longiore, anterius magis angustato, lateribus tantum squamoso, elytrisque distincte punctato-striatis; a posteriore colore pedum, et ab utroque corpore paulo angustiore magisque convexo. Caput, oculi, rostrum, antennæ, ut in *Gymnetron beccabungæ* omnino. Thorax latitudine brevior,

anterius subito angustior, apice late emarginatus, margine sub-elevato, angusto; lateribus ampliatus, basi sinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, niger, subtus et lateribus dense, in disco parcius albido-squamosus. Scutellum rotundatum, nigrum, albido-squamosum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, sub-angulatis, lateribus pone humeros ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, evidenter striata et in striis distincte, sub-remote punctata, interstitiis planis, fere lævibus; ferruginea, basi transversim, sutura margineque laterali ultra medium nigris. Corpus subtus nigrum, confertim punctatum, pectore dense, ventre parcius albido-squamosis. Pedes mediocres, rufo-testacei, parce squamulosi; tarsis dilatatis nigro-piceis, subtus albido-spongiosis.

Ghl.

* 8. G. Ictericus. *Schh.*

Niger, sub-depressus, supra hirsutie longa pallida setisque albidis vestitus, pedibus validis, pallide testaceis; thorace obsolete punctato, dense pallido-squamuloso; elytris punctato-striatis, saturate testaceis.

Patria: Banat. Dom. Waltl. Borussia, Berolini. A Dom. Schuppel amice communicatus. Mus. Schh.

Parvus, *Gymnetron veronicæ* fere minor, magis depressus. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamulis piliformibus pallidis sat dense adspersum; oculi rotundati nigri, modice prominuli; rostrum capite duplo longius, validum, sub-arcuatum, punctulatum, nigrum, squamulosum. Antennæ, breves, validæ, ferrugineæ, clava nigra. Thorax latitudine postica paulo brevior, anterius angustior, apice sub-emarginatus, margine elevato; lateribus obliquis, nonnihil ampliatis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, obsolete punctatus, niger, squamulis angustis, depressis, pallidis, dense vestitus. Scutellum parvum, demersum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora, callo humerali parum elevato; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis convexis, alutaceis; saturate testacea, opaca, hirsutie longa, reclinata, pallida vestita. Corpus subtus punctulatum, anterius nigrum, postice dilutius piceum, pallido-pubescens. Pedes pallide testacei; femoribus validis, medio crassioribus; muticis, tarsis elongatis, parum dilatatis. — Ghl.

♂♀ 9. G. LABILIS. *Herbst.*

Niger, cinereo-pilosus, antennarum basi, tibiis tarsisque rufo-testaceis; elytris rufo-ferrugineis, basi, sutura fasciisque duabus abbreviatis nigris. — GHL.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 244. 208. T. 77. f. 12.
Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 306. 14.
Gymnætron id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.
Cleopus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83.
Rhynchænus tricolor. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 126. 51.
Rhinusa id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 15. 3.
Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 259. 65.
Cleopus obliquus. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 120.

Patria : Suecia, Gallia, Anglia, Germania, Tauria.

10. G. BIPARTITUS. *Schh.*

Ellipticus, parum convexus, niger, nitidus, parce albido-hirtus; rostro sub-recto, filiformi, glabro; thorace transverso, lateribus rotundato; elytris punctato-striatis, pallide testaceis, basi plaga communi triangulari nigra notatis; femoribus parum crassis, muticis. Fem. forte.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Statura et magnitudo *Gymnetron labilis.* Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, dense albido-hirtum, fronte plana; oculi rotundati, brunnei, parum convexi; rostrum thorace parum brevius, fere rectum, nigrum, basi dense albido-hirtum, extrorsum attenuatum, nudum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax brevis, transversus, antice paulo angustior, truncatus, anguste elevato-marginatus, lateribus et postice rotundatus, supra parum convexus, obsolete punctulatus, niger, hirsutie densa, depressa, albida, vestitus. Scutellum oblongum, nigrum, dense albido-squamulosum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, thoracis basi latiora, humeris sub-rectangulatis; lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra modice convexa, punctato-striata, pallide testacea, basi plaga magna

communi triangulari, nigra, notata, undique dense albido-hirta. Pygidium sub-triangulare, punctulatum, nigrum, albido-hirtum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, hirsutie densa albida tectum. Pedes mediocres, nigri, albo-hirti; femoribus parum crassis, muticis. — GHL.

* 11. G. ROSTELLUM. *Herbst.*

Oblongo-ovatus, convexus, niger, parce cinereo-pilosus, antennarum basi tibiisque rufis; rostro lineari, parum arcuato; thorace pulvinato, punctulato; elytris profunde punctato-striatis, sutura interstitiisque seriatim setosis; femoribus muticis. — GHL.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 108. 69. T. 66. f. 13.
Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 307. 15.

Patria : Germania, Suecia.

* 12. G. CAFFER. *Schh.*

Oblongus, sub-parallelus, parum convexus, niger, albido-setulosus, rostro breviusculo, sub-recto, extrorsum perparum attenuato; thorace lato, transverso, obsolete punctato, antice subito angustato; elytrorum striis angustis, sub-punctulatis, interstitiis seriatim setosis, femoribus clavatis, muticis.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Gymnetron labili duplo minor et statura sub-parallela insignis. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, albido-setulosum, fronte plana; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum capite parum longius, sub-rectum, extrorsum nonnihil angustius, nigrum, basi setulosum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava ovata. Thorax transversus, postice latitudine elytrorum, antice subito angustior, apice sub-truncatus, margine anguste elevato, lateribus antice obliquis, a medio ad basin fere rectis; basi leviter rotundatus, supra parum convexus, obsolete punctulatus, niger, setulis depressis albidis adspersus. Scutellum tuberculiforme, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, humeris antrorsum prominulis, lateribus, recta non ampliata, apice conjunctim rotundata, anum tegentia, thorace triplo longiora, supra in dorso parum convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis; nigra, interstitiis convexis,

seriatim albido-setosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, albido-squamulosum. Pedes breviusculi, validi, nigri, albido-squamulosi; femoribus clavatis muticis. — GHL.

* 13. G. STIMULOSUS. *Germar.*

Oblongo-ovatus, parum convexus, niger, parce cinereo-pilosus, antennis basi rufis; rostro parum arcuato, apice perparum attenuato; thorace parvo, transverso; elytris amplis, convexis, punctato-striatis, interstitiis seriatim setosis, sutura postica maculaque apicis oblonga didyma rufis; femoribus muticis. — GHL.

Cionus id GERM. *Mag.* IV. p. 307. 16.

Patria : Germania.

14. G. MELANARIUS (1). *Germar.*

Niger, antennis basi rufis, elytris punctato-striatis, seriatim setosis. — GERM.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 307. 17.

Præcedenti simillimus, duplo minor, minus hirtus, elytra apice concoloria et scutellum transversum.

Patria : Germania.

* 15. G. ROTUNDICOLLIS. *Schh.*

Niger, sub-convexus, parce cinereo-squamulosus, antennis, pedibus elytrorum lateribus late, suturaque obscure, testaceis; thorace transverso, pulvinato, lateribus æqualiter rotundato; elytris punctato-sub-sulcatis, seriatim cinereo-setosis.

* VAR. β. Elytris totis obscure testaceis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice communicatus Mus. SCHH.

Gymnetron beccabungæ paulo major, magis convexus. Caput parvum, rotundatum, supra planum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum; oculi semi-globosi, nigro-brunnei; rostrum

---

(1) Mihi invisus

longitudine fere capitis cum thorace, validum, sub-rectum, confertim punctatum, nigrum, squamulosum, apicem versus parum attenuatum. Antennæ breves, crassiusculæ, testaceæ clava nigricante. Thorax parvus, transversus, antice subito angustior, apice emarginatus, elevato-marginatus, lateribus æqualiter rotundatus, basi leviter bisinuatus, supra modice convexus, pulvinatus, confertim punctulatus, niger, squamulis minutis cinereis, metallico-nitidis, parce adspersus. Scutellum triangulare, nigrum, dense squamulosum. Elytra antice thoracis basi multo latiora, humeris elevatis, fere rectangulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, sub-sulcata et in sulcis parum profunde punctata, nigra, lateribus late ferruginea, interstitiis sub-seriatim cinereo-setulosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, densius cinereo-squamulosum. Pedes validi, cinereo-pubescentes; femoribus clavatis, muticis, obscure testaceis; tibiis tarsisque dilutioribus. — GHL.

16. G. BISIGNATUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, nitidus, parum convexus, parce cinereo-hirtus; rostro longiusculo tenui, arcuato; thorace transverso, pulvinato, profunde disperse punctato; elytris sub-remote punctato-striatis, singulo antice plaga obliqua rubra notato; femoribus parum crassis, muticis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Gymnetron labili longior, sed non latior. Caput parvum subglobosum, punctulatum, nigrum, nitidum, parce cinereo-hirtum; oculi majusculi, rotundati, nigri, modice convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, arcuatum, punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ nigræ, clava majuscula, ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine brevior, anterius paulo angustior, apice truncatus, elevato-marginatus, lateribus nonnihil ampliatus, basi sub-truncatus, angulis rotundatis, supra modice convexus, pulvinatus, sat profunde, disperse punctatus, niger, sub-nitidus, hirsutie erecta fusco-cinerea vestitus. Scutellum sub-rotundatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, lateribus non ampliata, apice singulatim rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra singulatim longitudinaliter convexa, distincte, sub-remote punctato-striata, nigra, sub-

nitida, hirsutie sub-erecta cinerea, in sutura densiore vestita; in antica parte cujusvis elytri plaga rufa, ab humero arcuatim versus suturam ducta conspicitur. Corpus subtus punctatum, nigrum, nitidum, parce cinereo-hirtum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-pilosi; femoribus parum crassis, muticis. — GHL.

STIRPS 2. *Rostrum inflexum, versus apicem sæpius attenuatum, in rima thoracis immersum; elytra planiuscula, sub-quadrata; pygidium apertum.* (Species 17-41.)

Manipulus I. *Femora dentata.* (Species 17-33.)

* 17. G. TETER. *Fabricius.*

Breviter ovatus, niger, sub-depressus, dense griseo-pilosus; rostro breviusculo, subulato, supra sulcato; thorace transverso; elytris striatis; femoribus valde incrassatis, dentatis. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 448. 50.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 208. 117. not.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 406. 54.
HERBST, *Col.* VI. p. 446. 445.
PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 258. 78. not.
Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 310. 22.
Curculio syngenesiæ.? SCOP. *Ent. Carn.* p. 27. 82.?
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 567. 35.?
LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1772. 293.?
ROSSI, *Fn. Etr.* I. p. 121. 310. — Ed. HELLW. I. p. 129. 310. *Curcul. scrophulariæ* affinis.

* VAR. β. Elytrorum disco posteriore obscure ferrugineo.

Patria : Europa meridionalis et intermedia; Sibiria.

18. G. EOUS. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, nitidus, sub-depressus, dense fusco-griseo-pilosus, rostro longitudine thoracis, lineari, extrorsum lævi, glabro; thorace transverso; elytris fusco-brunneis, striatis; femoribus valde incrassatis, obsolete dentatis, tibiis obscure ferrugineis.

Patria : Nepal in seminibus verbasci nivei. A Dom. FALDERMANN ad describendum amice communicatus.

Magnitudo et statura *Gymnetron tetri* eique affinis, sed rostri

structura femoribusque obsolete tantum dentatis distinctus. Caput parvum, rotundatum, crebre punctulatum, dense pilosum; oculi sub-ovati, depressi; rostrum longitudine thoracis, subtenue, teres, lineare, rectum, supra haud sulcatum, basi dense pilosum, dein sublæve, nitidum. Antennæ breves, validæ. Thorax fere transversim ovalis, longitudine multo latior, antice fere duplo angustior, apice truncatus, elevato-marginatus, lateribus modice, basi obtuse cum angulis rotundatus et utrinque perparum sinuatus, supra parum convexus, creberrime punctulatus, subtus dense griseo-pilosus. Scutellum breviter triangulare dense pilosum. Elytra latitudine paulo longiora, antice thorace paulo latiora, basi conjunctim emarginata, et quoque singulatim auguste sinuata, humeris antrorsum sub-prominulis, lateribus parum rotundata, apice singulatim obtuse rotundata, conjunctim fere truncata, supra parum convexa, tenue striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planiusculis, crebre alutaceis, pilis depressis et erectis fusco-griseis sat dense vestita. Corpus subtus crebre punctatum, parce pilosum. Pedes validi, nigri, parce pilosi; femoribus modice incrassatis, dente parvo armatis; tibiis obscure ferrugineis. — RLD.

19. G. COMOSUS. *Chevrolat.*

Breviter ovatus, niger, parum convexus, densissime pallido-pilosus, rostro longitudine fere thoracis, lineari, tereti, recto, punctulato, parce pubescente; thorace transverso; elytris striatis; femoribus valde incrassatis, acute, sat valide dentatis.

Patria: Anatolia, Smyrna. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Gymnetron Eoo magnitudine et statura simillimus, sed pilositas densissima pallidior, rostrum nonnihil brevius, subtiliter punctulatum, opacum, fere totum parce pubescens; thorax postice et elytra antice singulatim sinu vix prædita, femora dente acuto, sat valido armata: an vero tantummodo ejus mas? — RLD.

20. G. Polonicus *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-depressus, parce griseo-pilosus, rostro longitudine fere thoracis, recto, lineari, tereti, punctulato; thorace sub-transverso, basi et lateribus modice rotundato; elytris striatis, apice singulatim rotundatis; femoribus valde incrassatis, dente minuto, acuto armatis.

Patria: Polonia. A Dom. Faldermann ad describendum benigne missus. Mus. Schh.

Gymnetron tetri similis, sed paulo major, oblongior; et rostrum aliter constructum, thorax antice minus angustatus, lateribus minus rotundatus, elytra longiora, singulo basi sinu vix emarginata. Corpus totum sat dense griseo-pilosum. Caput sub-globosum, crebre subtiliter punctulatum; oculi sub-ovati, sub-depressi; rostrum longitudine fere thoracis, subtenue, teres, lineare, rectum, creberrime punctulatum, nitidum, parce pilosum, apice ipso læviore. Thorax latitudine media haud duplo longior, antice multo angustior, apice truncatus, elevato-marginatus, lateribus modice, basi leviter rotundatus, supra parum convexus, creberrime punctatus. Scutellum triangulare. Elytra latitudine dimidio longiora, antice thorace parum latiora, basi conjunctim perparum emarginata, humeris sub-elevatis, lateribus parum rotundata, apice singulatim rotundata, supra parum convexa, tenue striata et in striis obsoletius punctata, interstitiis planis, crebre alutaceis, postice plaga elongata, indeterminata, fusco-rufa notatis. Corpus subtus crebre punctatum. Pedes validi, femoribus valde incrassatis, dente minuto, acuto armatis. — Rld.

21. G. Nasutus. *Rosenschoeld.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-depressus, parce griseo-pilosus, rostro longitudine dimidii corporis, recto, lineari, tereti, lævi, glabro et nitido; thorace sub-transverso, lateribus et basi modice rotundato; elytris striatis, apice singulatim obtuse rotundatis; femoribus valde incrassatis, obtusissime dentatis.

Patria: Anatolia, Smyrna. A Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

Magnitudo et statura omnino *Gymnetron polonici*, differt tan-

tum rostro multo longiore, dimidii corporis longitudine, impunctato, glabro, nitido, elytris unicoloribus, femoribusque dente obsoleto, obtusissimo armatis; quæ vero notæ discrepantes sexum femineum forsan tantum indicant. — RLD.

♂ 22. G. PLAGIATUS. *Gyllenhal.*

Ovatus, sub-depressus, niger, dense cinereo-albido-tomentosus, rostro rugoso, apice impresso, parum attenuato; elytris punctato-striatis, singulo plaga postica indeterminata ferruginea; femoribus incrassatis, acute dentatis.

Habitat in Volhynia, ad Krzmienec. Dom. BESSER. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Gymnetron tetri*, sed statura paulo angustior, rostrum minus subulatum, medio non canaliculatum, et elytra postice plaga ferruginea notata, unde distinctus videtur. Caput rotundatum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-albido-tomentosum; oculi sub-ovati, nigri, modice convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, vix arcuatum, supra a basi ultra medium convexum, rugulosum, apice fovea oblonga impressum, ibique nonnihil angustatum, totum nigrum, parce tomentosum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, pilosæ. Thorax transversus, antice multo angustior, apice sub-emarginatus, mox intra apicem anguste constrictus, margine elevato; lateribus ampliatus, basi obtuse rotundatus, supra perparum convexus, confertissime punctulatus, niger, cinereo-albido-tomentosus. Scutellum sub-rotundatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Elytra antice sinuato-emarginata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin et lateribus ampliata, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace fere triplo longiora, supra parum convexa, obsoletius punctato-striata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, tomento cinereo-albido vestita; versus apicem singuli elytri plaga indeterminata, ferruginea, sub-obsoleta observatur. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, cinereo-albido-tomentosum. Pedes validi, nigri, dense tomentosi, femoribus incrassatis, omnibus subtus dente parvo; acuto armatis. — GHL.

♂♀ 23. G. PLAGIELLUS. *Schh.*

Breviter ovalis, niger, sub-depressus, undique sat dense albido-pilosus; rostro subulato, obsolete sulcato; thorace transverso; elytris striatis, apice singulatim obtuse rotundatis, intra apicem plaga obsoleta ferruginea notatis; femoribus modice crassis, dentatis.

Patria: Odessa. A Dom. LUNDSTEDT communicatus. Musæo SCHH. Idem ex Musæo Dom. STEVEN, id Tauriæ incola missus.

Gymnetron tetro nimis affinis, sed duplo minor, *Gymnetron campanulæ* æqualis, pilositate minus densa, albida vestitus, et femora paulo minus crassa, unde specie distinctus videtur. Caput parvum, rotundatum, punctatum, albido-pilosum, fronte plana; oculi ovati, brunnei, modice prominuli; rostrum thorace brevius, subulatum, basi punctatum, dense pilosum, medio læviter sulcatum, apice nudum, nitidum, totum nigrum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, albido-pubescentes, clava brevi, ovata. Thorax transversus, antice subito angustior, apice emarginatus, mox intra apicem constrictus, margine apicis angusto, elevato; lateribus et postice rotundatus, supra fere planus, confertim punctulatus, niger, pilositate sub-depressa albida vestitus. Scutellum subtriangulare, nigrum, dense albo-pilosum. Elytra antice conjunctim emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis, callo elevato; lateribus anterius nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra in dorso antico plana, regulariter striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis; nigra, pilositate sat densa albida, partim erecta, partim decumbente vestita, et in disco postico plaga obsoleta ferruginea notata. Pygidium rotundatum, dense albo-pilosum. Corpus subtus confertim punctulatum, nigrum, pilositate densa, depressa, albida tectum. Pedes validi, nigri, dense albido-pilosi et pubescentes, femoribus modice crassis, subtus dente parvo armatis; tibiis rectis; tarsis elongatis, parum dilatatis. — GHL.

Observ. Mas a femina differt, rostro breviore, magis pubescente femoribusque acutius dentatis.

♂ 24. G. FUSCESCENS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, nitidus, griseo-virescenti-pubescens, rostro brevi, subulato, evidenter canaliculato; thorace rotundato; elytris striatis, apice singulatim obtuse rotundatis; femoribus valde incrassatis, sub-acute dentatis.

Patria : Tauria. A Dom. STEVEN amice missus. Mus. SCHH.

Gymnetron plagiello valde affinis et parum minor, sed pubescentia breviore, rostro distincte sulcato, thorace angustiore, magis rotundato, distinctus. Corpus totum sat dense griseo-virescenti-pubescens. Caput rotundatum, parvum, crebre punctatum; oculi sub-ovati, sub-depressi; rostrum thorace dimidio brevius, subulatum, punctatum, parce pilosum, medio sulco abbreviato instructum. Antennæ crassiusculæ, clava ovali. Thorax latitudine paulo brevior, antice angustior, apice truncatus, elevato-marginatus, lateribus et postice rotundatus, supra parum convexus, crebre punctulatus. Scutellum apice rotundatum. Elytra latitudine vix longiora, antice conjunctim leviter emarginata, thorace paulo latiora, humeris antrorsum prominulis, lateribus paulo rotundata, apice singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, alutaceis, pilositate et decumbente et erecta parce vestita. Corpus subtus crebre punctatum, parce pilosum. Pedes validi, parce pilosi; femoribus valde incrassatis, dente minuto, acuto armatis. — RLD.

♂♀ 25. G. ANTIRRHINI. *Germar.*

Ovatus, niger, sub-depressus, sat dense griseo-pilosus, rostro longitudine fere thoracis, subulato, supra in medio obsolete sulcato, feminæ paulo longiore, apice magis denudato; thorace transverso; elytris striatis; femoribus modice incrassatis, denticulatis aut muticis. — RLD.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 312. 27.

♂♀ VAR. Adhuc densius pallescenti-cinereo-pilosus, femoribus paulo crassioribus, acutius dentatis.

Cionus flavo-calcaratus. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Patria : Austria, Gallia, Caucasus.

Observ. — Femina variat femoribus denticulatis aut muticis, mas femoribus semper dentatis gaudere evidetur.

♂♀ 26. G. NOCTIS. *Herbst.*

Ovatus, niger, sub-depressus, parce grisco-pilosus, rostro brevissimo, subulato, supra in medio obsolete sulcato; thorace latitudine vix breviore; elytris distincte punctato-striatis; femoribus modice incrassatis, obsolete dentatis aut muticis. — RLD.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 269. 240. T. 80. f. 9.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 311. 29.

Rhynchænus antirrhini. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 207. 117. et IV. p. 590. 117.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 90. 112.

Curculio id. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 257. 78.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 269. 80.

Rhinusa antirrhini. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 19. 1. forte.

Patria : Suecia, Finlandia, Germania, Anglia.

Observ. — *Gymnetron antirrhini* affinis, sed pubescentia tenuior, rostrum in utroque sexu multo brevius, fortius subulatum, thorax angustior, antice quoque magis angustatus, striæ elytrorum distincte punctatæ, unde bene distinctus.

♂♀ 27. G. COLLINUS. *Gyllenhal.*

Ovatus, niger, sub-depressus, parce depresse griseo-pubescens, rostro mediocri, cylindrico, paulo arcuato, tereti; thorace transversim ovali; elytris punctato-striatis; femoribus acute dentatis. — RLD.

Mas : rostro breviore, crassiore, apice parum denudato, femoribus omnibus acute dentatis.

Femina : rostro longiore, tenuiore, versus apicem glabro, femoribus anticis muticis.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 209. 117.

Patria : Suecia, Gallia.

♂♀ 28. G. NETUS. *Germar.*

Ovatus, sub-depressus, niger, undique dense flavido-tomentosus, rostro mediocri, subtenui, cylindrico, parum arcuato, thorace brevi, elytris striatis, striis obsolete punctatis.

Mas: rostro breviore, crassiore, basi densius, extrorsum parcius pubescente, femoribus omnibus acute dentatis.

Gymnetron pelliceus. SCHH. *in Litteris*, olim.

Femina: rostro longiore, tenuiore, extrorsum denudato, sublævi, femoribus posterioribus dente parvo armatis.

Cionus netus. GERM. *Mag.* IV. p. 312. 26. Fem.

Curculio ellipticus, var. HERBST, *Col.* VI. p. 171. 131. T. 71. f. 14. (Huc pertinet testibus Cel. D. GERMAR et SCHUPPEL.) — Cfr. *Sybines vittatus* huj. Oper. III. p. 436. 7.

Patria: Mas e Persia a Dom. FALDERMANN; Fem. e Berolino a Dom. SCHUPPEL amice communicata, in antirrhino linaria capta. Mus. SCHH.

Gymnetron noctis dimidio major. Caput parvum, sub-globosum, crebre punctulatum, flavido-pubescens, fronte faveola impressa; oculi sub-ovati, parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, subtenue, cylindricum, perparum arcuatum, maris paulo brevius et crassius, basi densius extrorsum parcius pubescens, feminæ paulo longius et tenuius, basi pubescens, extrorsum nudum, nitidum, sublæve. Antennæ validæ, breves, clava ovata, cinereo-holosericea. Thorax transversim sub-ovalis, latitudine duplo brevior, antice multo angustior, apice truncatus, elevato-marginatus, lateribus et basi rotundatus, supra parum convexus, crebre punctulatus, tomento denso, depresso, flavido vestitus. Scutellum rotundatum, tomentosum. Elytra latitudine parum longiora, antice thorace parum latiora, basi conjunctim emarginata, humeris rotundatis, lateribus perparum rotundata, apice singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, tenue striata et in striis obsolete punctata, interstitiis creberrime punctulatis, dense flavido-tomentosa. Corpus subtus sat dense flavido-tomentosum, pygidio rotundato. Pedes validi dense flavido-tomentosi; femoribus incrassatis, maris dente minuto, acuto armatis, feminæ anticis muticis, posterioribus dente minore, acuto instructis. — BLD.

29. G. Eversmanni. *Faldermann.*

Ovatus sub-depressus, niger, dense supra griseo-flavescenti-subtus cinereo-pubescens, rostro thorace longiore, tenui, filiformi, arcuato, nudo; thorace transverso; elytris striatis, striis obsolete punctatis; femoribus posticis dente minuto, acuto armatis.

Patria: Bukhara. Dom. Eversmann, Prof. in Kasan Russiæ, qui Domino Faldermann hoc ut et plura alia insecta misit. A Dom. Faldermann ad describendum amice communicatus.

Gymnetron neto magnitudine et statura similis, sed rostro longo mox distinctus. Caput sub-globosum, crebre punctulatum, parce pubescens, fronte faveola rotunda impressa; oculi sub-ovati, parum convexi; rostrum thorace multo longius, tenue, filiforme, parum arcuatum, minus crebre punctatum, basi parce pubescens, dein nudum, nitidum. Antennæ breves, validæ, clava oblongo-ovali, obtusa, cinereo-holosericea. Thorax transversus, latitudine postica duplo brevior, antice fere duplo angustior, apice truncatus, anguste marginatus, lateribus et basi modice rotundatus, postice utrinque leviter emarginatus, supra parum convexus, creberrime punctulatus, sat dense flavescenti-pubescens. Scutellum apice rotundatum, pubescens. Elytra sub-oblongo-quadrata, latitudine dimidio longiora, antice conjunctim emarginata, thorace paulo latiora, humeris parum elevatis, lateribus fere rectis, apice singulatim obtuse rotundata, supra planiuscula, parum profunde striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planiusculis, crebre punctulatis, sat dense griseo-flavido-tomentosa. Corpus subtus crebre punctatum, minus dense griseo-squamosum; pygidio brevi, apice rotundato, dense flavido-pubescente. Pedes mediocres, validi, parce griseo-pilosi; femoribus modice incrassatis, anticis muticis, posterioribus dente minuto, acuto armatis. — Rld.

♂ 30. G. Pilosus. *Besser.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, ater, opacus, longius fusco-pilosus, tarsis piceis, rostro arcuato, parum subulato; elytris punctato-striatis; femoribus omnibus dentatis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3 p. 327.

♀ VAR. β. Ferrugineus, rostro pedibusque dilutioribus, oculis antennisque nigris.

Habitat in Podolia australi, Dom. BESSER, in Magdeburg Dom. WALTL. Mus. SCHH.

Statura *Gymnetron noctis*, sed fere duplo major, atrior, longius et densius fusco-pilosus. Caput rotundatum, depressum, punctatum, atrum, fusco-pilosum; oculi ovati, convexi, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, rectum, apicem versus nonnihil attenuatum seu sub-subulatum, punctatum, atrum, pilosum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, pilosæ. Thorax transversus, antice angustior, apice sub-truncatus, margine angusto, elevato; lateribus ampliatus, basi obtusissime rotundatus, supra perparum convexus, confertim obsoletius punctulatus, ater, opacus, pilis longis, sub-erectis fuscis adspersus, linea media obsoleta albido-pubescente notatus. Scutellum triangulare, atrum, albido-pubescens. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis; lateribus non ampliata, apice singulatim, obtuse rotundata, thorace fere quadruplo longiora, supra in dorso plana, evidenter striata et in striis confertim obsoletius punctata, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; atra, opaca, pilositate longa fusca adspersa. Pygidium rotundatum, nigrum, pilosum, sub-læve. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, sub-nitidum, tenuiter cinereo-pubescens. Pedes longiusculi, validi, longe et dense pilosi, nigri; femoribus clavatis, omnibus dente acuto armatis; tarsis elongatis rufo-piceis.

Var. β colore tantum differt, secundum diagnosin; scutellum et linea dorsalis thoracis etiam in his albido-pubescentia, sed pilositas reliqua fusca: genua pedum nonnihil infuscata.

Observ. — Femina a mare differt rostro paulo longiore femoribusque anticis muticis. — GHL.

Species mihi invisæ.

31. G. AMICTUS. *Germar.*

Griseus, pilosus, rostro lævi, atro, coleopteris striatis, apice truncatis; femoribus incrassatis, sub-dentatis.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 310. 21.
Patria : Lusitania.

Observ. — *Gymnetron teter* quamvis simillimus difficillime distinguendus, tamen pilis densioribus, coleopteris paulo convexioribus, femoribus acutius dentatis et statura paululo majore differre videtur. — GERM.

32. G. VESTITUS. *Germar.*

Rostro sub-incurvo, supra planiusculo, atro, griseus dense vilosus coleopteris planiusculis, striatis; femoribus sub-clavatis dentatis.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 311. 24.

Patria : Lusitania.

Observ. — Præcedentibus simillimus ejusdemque magnitudinis, sed rostro planiusculo statim discernendus. — GERM.

33. G. ASELLUS. *Gravenhorst.*

Rostro porrecto sub-filiformi, griseus, pilosus; thorace sub-orbiculato, planiusculo, coleopteris oblongo-quadratis, striatis; femoribus incrassatis, acute dentatis. — GERM.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 311. 25.

Rhynchænus id. GRAVENHORST. *Cfr. Interpret.* 203. 28. 47.

Patria : Germania.

Manipulus II. *Femora mutica.* (Species 34-41.)

♀ 34. G. VERBASCI. *Schh.*

Breviter ovatus, niger, sub-depressus, parce griseo-pubescens, rostro thorace longiore, recto, subulato, supra in medio breviter canaliculato, basi pubescente; thorace transverso; elytris fuscis, striatis, singulo postice plaga magna indeterminata, rufa; femoribus valde incrassatis. Fem.

Patria : Tiflis in verbasco formoso. A Dom. STEVEN amice donatus. Mus. SCHH.

Gymnætron tetri statura simillimus, sed paulo major. Caput parvum rotundatum, convexum, crebre punctulatum, parce griseo-pubescens; oculi sub-ovati, depressi; rostrum thorace paulo longius, subtenue, rectum, subulatum, supra in medio canalicula

brevi insculptum, subtiliter punctulatum, griseo-pubescens, versus apicem nudum, nitidum. Antennæ breves, validæ, clava ovata. Thorax transversim sub-ovalis, latitudine multo brevior, antice duplo angustior, apice truncatus, anguste marginatus, lateribus et basi rotundatus, supra parum convexus, creberrime punctulatus, parce griseo-pubescens, scutellum breviter sub-triangulare, apice rotundatum. Elytra latitudine parum longiora, antice thorace paulo latiora, basi conjunctim late et profunde emarginata, humeris antrorsum valde prominulis, sub-elevatis, lateribus paulo rotundata, versus apicem parum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, tenue striata, striis in fundo punctatis, interstitiis crebre punctulatis; fusca, parce griseo-pubescentia, singulo postice plaga magna, indeterminata rufa instructo. Corpus subtus crebre punctatum, parce pubescens. Pygidio subtriangulari, piloso. Pedes validi, parce griseo-pubescentes; femoribus valde incrassatis, muticis. — RLD.

♀ 35. G. CYLINDRIROSTRIS. *Gyllenhal.*

Sub-ellipticus, sub-depressus, niger, cinereo-albido-tomentosus, rostro elongato, cylindrico, extrorsum lævi, nitido; elytris punctato-striatis; femoribus modice incrassatis, muticis. Fem.

Habitat in Podolia, Volhynia, Tauria, Germania. Mus. SCHH. et GHL.

Gymnetron tetro similis, sed forma angustior; majores illi æquales, alii paulo minores; *Cionum thapsicolum* Cl. Germari nuncuparem nisi thorax sub-depressus, striæ elytrorum punctatæ et magnitudo longe major, obstarent. Caput parvum, rotundatum, punctatum, nigrum, parce albido-tomentosum; oculi ovati, nigro-brunnei, parum prominuli; rostrum capite cum thorace multo longius, tenue, cylindricum, medio tenuissime et breviter canaliculatum, parum arcuatum, basi punctulatum et albido-tomentosum, extrorsum læve, glabrum, nitidum, totum nigrum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax transversus, antice multo angustior, apice vix emarginatus, intra apicem anguste constrictus, margine elevato; lateribus et postice obtusissime rotundatus, supra parum convexus, confertissime punctulatus, niger, tomento cinereo-albido vestitus. Scutellum rotundatum, nigrum, dense albido-tomentosum. Elytra antice sub-emarginata, thoracis

basi vix latiore, pone basin ampliata, humeris elevatis, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, evidenter striata et in striis obsoletius punctata, interstitiis planis, confertim alutaceis; nigra, tomento cinereo-albido vestita. Pygidium semi-ovale nigrum, punctatum, dense albido-tomentosum. Corpus subtus dense punctulatum, nigrum, albido tomentosum. Pedes longiusculi, validi, nigri, tomento longo albido adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis dilatatis, articulo unguiculari valde elongato, incurvo. — GHL.

* 36. G. TRIGONALIS. SCHH.

Breviter ovatus, sub-convexus, niger griseo-tomentosus, thorace transverso, punctatissimo, lateribus rotundato; elytris striatis, utrinque plaga magna, anterius angustata, ferruginea; femoribus crassis, muticis, rostro longo, subulato.

Habitat in Odessa. Dom. LUNDSTEDT. Mus. SCHH.

Gymnetron antirrhini Germ. dimidio major. Caput parvum, rotundatum, confertim punctatum, nigrum, parce cinereo-tomentosum; oculi brunnei, modice convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, fere rectum, nigrum, basi crassius, punctatum, medio striatum, apicem versus attenuatum, sub-læve, nitidum. Antennæ breves, rufo-piceæ, clava ovata, obscuriore, cinereo-pubescente. Thorax transversus, antice multo angustior, apice emarginatus, intra apicem auguste, sed profunde constrictus, margine elevato; lateribus ultra medium rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, angulis rotundatis; supra modice convexus, pulvinatus, confertim et concinne punctatus, niger, sub-nitidus; tomento cinereo, versus latera et postice densiore, adspersus. Scutellum transversum, punctatum, nigrum, tomentosum. Elytra ampla, antice thoracis basi multo latiora, humeris rotundatis, sub-elevatis, lateribus ampliata, apice fere truncata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, evidenter striata et in striis obsolete punctata, interstitiis planis, subtiliter, alutaceis; cinereo-tomentosa; basi et interne late, margine laterali angustius nigra, plaga, apicem totum occupante, anterius angustata, ferruginea notata. Corpus subtus nigrum, confertim punctulatum, cinereo-tomentosum. Pedes validi, nigri, cinereo-tomentosi; femoribus crassis, clavatis, muticis; tarsis piceis. — GHL.

♂♀ 37. G. Spilotus. *Germar.*

Ovatus, sub-convexus, niger, fusco-hirtus, rostro cylindrico; thorace transverso, lateribus acute rotundato: elytris profunde punctato-striatis, singulo plaga magna, oblonga, rufa notato, suturam non attingente: femoribus muticis. — Ghl.

Cionus id. Germar, *Mag.* IV. p. 307. 18.

Curculio bi-pustulatus. Rossi, *Fn. Etr. Mant.* I. p. 39. 99. T. 2. f. 1. — Ed. Hellw. p. 378. 99. forte.

Cleopus ellipticus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83.

Gymnætron ellipticus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 326.

Patria : Germania, Italia, Gallia meridionalis.

Observ. — Mas rostro breviore, crassiore, parce pubescente, femina rostro longiore, tenuiore, fere glabro distinguitur.

* 38. G. Hirsutus. *Schh.*

Oblongus, sub-depressus, niger, pilis erectis griseis parce vestitus, rostro breviusculo, sub-attenuato, supra sulcato, apice nudo, thorace sub-orbiculato; elytris obscure ferrugineis, sub-punctato-striatis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. Drège communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere statura *Gymnetron plantarum* Caput parvum, rotundatum, crebre punctulatum, parce pilosum; oculi ovati, parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, subtenue, subrectum, supra sulcatum, basi pilosum, dein paulo attenuatum, denudatum, nitidum. Antennæ breves, validæ. Thorax fere orbiculatus, latitudine parum brevior, apice multo angustior, truncatus, minus distincte elevato-marginatus, lateribus et basi fere æqualiter rotundatus, supra depressus, creberrime punctulatus, parce griseo-pilosus. Scutellum rotundatum. Elytra latitudine nonnihil longiora, antice thorace parum latiora, basi conjunctim emarginata, humeris obtusis sub-rotundatis, lateribus parum rotundata, medio haud ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra depressa, sat profunde striata et in striis obsolete punctata, interstitiis subconvexis, punctatis, obscure ferruginea pilis erectis griseis parce

vestita. Corpus subtus disperse punctatum, parce pilosum. Pedes mediocres, parce pilosi; femoribus modice clavatis, muticis.

Rld.

♂♀ 39. G. Linariæ. *Panzer.*

Ovatus, parum convexus, niger, sub-nitidus, pilis brevibus, depressis, albidis parce adspersus, rostro breviusculo, subtenui, cylindrico, valde arcuato; thorace transverso; elytris sat profunde punctato-striatis; pedibus validis, femoribus valde incrassatis, muticis.

Rld.

Cionus id. Germ. *Mag.* IV. p. 314. 30.

Rhynchænus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 208. 118.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 91. 113.

Curculio id. Panz. *Fn. Germ. ed.* 1. XXVI. 18. — *Ent. Germ.* p. 304. 27. — *Krit. Rev. d. Ins. Fn.* I. p. 125.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 131. 17.

Miarus id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 16. 4.

Rhynchænus teter. Panz. *Fn. Germ. ed.* 2. XXVI. 18.

Curculio orontii. Dom. Hellwig *in Litteris.*

Patria : Suecia, Finlandia, Germania.

Observ. — Rostrum maris brevius, crassius, sat crebre punctatum, feminæ longius, tenuius, extrorsum sub-læve.

Species mihi invisæ.

40. G. Thapsicola. *Muller.*

Thorace convexo, niger, griseo-hirtus, rostro lævi, sub-tereti, atro, coleopteris striatis; femoribus muticis. — Muller.

Cionus id. Germ. *Mag.* IV. p. 313 28.

Patria : Bavaria.

41. G. Intaminatus. *Kirby.*

Oblongus, tenuis, niger, pubescens, rostro recto, apice attenuato, femoribus muticis. — Stephens.

Rhinusa intaminata. Dom. Kirby *in Litteris.*

Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 14. 2.

Patria : Anglia.

STIRPS 3. *Rostrum filiforme, inflexum, in rima thoraci immersum, elytra planiuscula, sub-quadrata; pygidium apertum.* (Species 42-50.)

Manipulus I. *Femora dentata.* (Species 42-46.)

♂♀ 42. G. LONGIROSTRIS. *Dejean.*

Breviter ovatus, niger, dense fusco-griseo-pilosus; thorace sub-pulvinato, confertim punctato; elytris late sulcatis, sulcis obsolete punctatis; rostro dimidio corporis longiore, subrecto, extrorsum sub-attenuato; femoribus clavatis, posticis obsolete dentatis,

Gymnætron id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 32. p. 326.

Patria: Gallia meridionalis. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

Gymnetron tetro paulo major, præsertim longior. Caput parvum, sub-globosum, confertim punctulatum, nigrum, parce pilosum; oculi ovati, brunnei, parum prominuli; rostrum dimidio corporis longius, fere rectum, basi paulo crassius, punctulatum, extrorsum sensim attenuatum, læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ subtenues, nigræ, clava oblonga, pubescente. Thorax latitudine baseos paulo brevior, antice duplo angustior quam basi; apice emarginatus, mox intra apicem profunde constrictus, margine apicis angusto, elevato; lateribus modice ampliatus, basi quadri-sinuatus, lobo scutellari longius producto; supra convexus, pulvinatus, confertissime punctulatus, niger, pilositate cinerea sat dense vestitus. Scutellum ovatum, nigrum, dense pilosum. Elytra antice conjunctim sinuato-emarginata, thoracis basi paulo latiora, angulo humerali antrorsum sub prominulo; pone basin versus medium nonnihil ampliata, apice fere truncata, angulis externis rotundatis, thorace vix triplo longiora, supra parum convexa, inæqualia, antice juxta scutellum et postice intra basin impressa, callo humerali et postico elevatis; sulcis latis, in fundo obsolete punctatis exarata, interstitiis planis, alutaceis; nigra, parum nitida, pilositate densa cinerea vestita. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, dense pallidius pilosum. Pedes validi, nigri, cinereo-pubescentes, femoribus clavatis, posticis subtus versus apicem dente mediocri armatis; anterioribus fere muticis.

Observ. — Sub nomine *Gymnætron scolopax* DEJEAN, individuum communicavit Dom. CHEVROLAT, corpore paulo minore tantum distinctum. — GHL.

43. G. SUTURALIS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, subtus dense albo-squamosus, supra cinereo-pubescens; rostro longo, tenui, arcuato; thorace basi quadri-sinuato; scutello elytrorumque sutura dense albo-squamosis; femoribus posticis dente valido armatis. Mas.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Statura et affinitas *Gymnetron graminis*, sed paulo major, thorace postice quadri-sinuato, sutura elytrorum albo-squamosa et femoribus posticis validius dentatis, distinctus. Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, cinereo-pubescens; oculi rotundati, nigri, parum convexi; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, tenue, sub-arcuatum, obsolete punctulatum, nigrum, basi cinereo-squamulosum, apice nudum, nitidum. Antennæ longiusculæ, sub-tenues, nigræ, clava oblongo-ovata. Thorax latitudine baseos parum brevior; antice duplo angustior quam basi, apice truncatus, elevato-marginatus; lateribus ab apice ad medium obliquis, dein rotundatis; basi quadri-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, pubescentia fusco-cinerea dense vestitus. Scutellum oblongo-triangulare, elevatum, squamositate densa alba tectum. Elytra antice sinuata, humeris antrorsum prominulis; pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra sub-depressa, sub-remote punctato-striata, nigra, pubescentia fusco-cinerea vestita, sutura tota vitta albo-squamosa ornata. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, nigrum, cinereo-pubescens. Corpus subtus punctulatum, nigrum, squamositate densa cretacea tectum. Pedes longiusculi, validi, nigri, albo-squamosi et pubescentes, femoribus posticis dente acuto armatis. — GHL.

44. G. GRAMINIS. *Gyllenhal.*

Breviter ovalis, modice convexus, niger, pilis depressis cinereis parce vestitus, rostro elongato tenui, parum arcuato, in femina adhuc longiore; thorace basi obtuse rotundato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis seriatim pilosis: femoribus posticis obtuse dentatis. — RLD.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 210. 120.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 311. 18.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 91. 114.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 308. 19.

Miarus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 15. 3.

Gymnetron id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 326.

Cleopus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83.

Curculio campanulæ, femina. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 219. 29. — *Mus. Curc.* p. 28. 27. (Exclusis synonymis.)

Curculio ellipticus. HERBST, *Col.* VI. p. 171. 131. T. 71. f. 13. (Huc pertinere mihi videtur.)

Patria : Suecia, Finlandia, Germania, Volhynia, Sibiria.

45. G. PLEBEJUS. *Schh.*

Breviter ovatus, sub-depressus, niger, sat dense cinereo-albido-pubescens, rostro longiusculo, tenui, modice arcuato, crebre punctato; elytris profunde punctato-striatis; femoribus posterioribus acute dentatis. Mas.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE ad describendum benevole missus.

Statura et similitudo *Gymnetron graminis*, sed paulo minor. Caput retractum, sub-globosum, minus crebre punctatum, tenue albido-pubescens; oculi majusculi, sub-ovati, paulo convexi; rostrum longitudine fere thoracis, subtenue, cylindricum, modice arcuatum, sat profunde punctatum, sub-nitidum, basi albid -pilosum. Antennæ tenues, clava magna, ovata. Thorax latitudine baseos multo brevior, antice duplo angustior, apice oblique truncatus, obsolete marginatus, lateribus et postice rotundatus, basi insuper levissime bi-sinuatus, supra sub-depressus, crebre sat pro-

funde punctatus, pilis depressis, cinereo-albidis parce adspersus. Scutellum oblongum, dense pubescens. Elytra sub-quadrata, antice thoracis basi parum latiora, basi conjunctim late emarginata et insuper singulatim anguste, leviter sinuata, humeris antrorsum prominulis, lateribus modice et æqualiter, apice conjunctim obtuse rotundata, supra dorso depressa, profunde striata, et in striis crebre punctata, interstitiis angustis, pilis depressis cinereo-albidis sub-striatim digestis parce vestita. Corpus subtus crebre punctatum, nitidum, sat dense præsertim in pectoris lateribus albido-pubescens. Pedes mediocres, parce albido-pubescentes; femoribus modice clavatis, dente acuto, in anticis minuto, in posterioribus sat valido, armatis. — RLD.

Observ. — Specimen pro femina habitum a mare colore fusco-griseo differt, sed præter rostrum paulo longius, extrorsum lævius, denudatum et nitidum, quod sexum alterum tantum indicat, nulla nota inveniri potuit, quæ speciem distinctam formare potest.

* 46. G. PLANTARUM. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-depressus, parce depresse cinereo-albido-pilosus; thorace longiore, punctulato, obsolete carinato; elytris punctato-sulcatis, lateribus vix ampliatis; femoribus posterioribus sub-dentatis. — GHL.

Cionus id. GERM. *Ins. Suec.* I. p. 288. 427.

Gymnetron id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 326.

Cleopus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 83.

Patria : Gallia meridionalis, Helvetia.

Observ. — *Gymnetron campanulæ* fem. valde similis, sed paulo longior et angustior, præsertim in elytris; femoribus sub-dentatis præterea evidenter distinctus.

Manipulus II. *Femora mutica.* (Species 47-50.)

♂♀ 47. G. CAMPANULÆ. *Linnæus.*

Sub-ovatus, niger, sub-depressus, pilis brevibus cinereo-albidis adspersus, elytrorum seriatis; rostro elongato tenui; elytris punctato-sub-sulcatis; femoribus omnibus muticis; ano apice foveolato, maris bi-dentato. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 448. 52.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 150. 55. et IV. p. 576. 55.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 322. 41.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 52. 47.

Cionus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 111. T. 23. f. 324.

GERM. *Mag.* IV. p. 308. 20.

Curculio id. LINN. *Syst. nat.* I. II. p. 607. 7. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1743. 7.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 406. 55. — *Mant.* I. p. 100. 40. — *Spec. Ins.* I. p. 167. 31. — *Gen. Ins. Mant.* p. 224. 22-23.

DE GEER, *Ins.* V. p. 236. 23.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 212. 24. ♂. — *Mon. Curc.* p. 28. 27. ♂.

HERBST, *Col.* VI. p. 161. 119. T. 70. f. 15. ♀.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 131.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 482. 51.

ROSSI, *Fn. Etr.* I. p. 113. 288. — Ed. HELLW. I. p. 120. 288.

NÆZEN, *Acta Holm.* 1794. IV. p. 269. 4. T. 9. f. 3. ♂.

RAZOUM. *Hist. nat.* I. p. 147. 40.

VILLERS, *Ent.* I. p. 174. 4.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 302. 18.

GOEZE, *Eur. Fn.* VIII. p. 443. 3.

LESKE, *Iter.* p. 16. 7. T. A. f. 5. a.

MULL. LINN. *Nat. Syst.* V. I. p. 216. 7.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 90. 1013.

Miarus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 15. 1.

Gymnætron id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 326.

Curculio ellipticus, α. HERBST, *Col.* VI. p. 171. 131. T. 71. f. 13. (Secundum Mus. Herbsti et Hellwigii teste Cel. Schuppel. — An? — Potius *Gymnetron graminis,* ante n. 44.)

Curculio ajugæ. HERBST, *Col.* VI. p. 172. 132. (Teste Dom. GERMAR, sed non huc pertinet teste Dom. SCHUPPEL.)

Patria : Tota Europa.

* 48 G. TRIVIALIS. *Schh.*

Ovatus, sub-depressus, niger, undique dense albido-squamulosus; rostro subrecto; thorace punctulato, basi leviter quadri-sinuato; elytris sub-remote punctato-striatis; femoribus muticis.

Patria : Caffraria. Ex Musæo Dom. ECKLON et ZEYHER descriptus.

Magnitudo et statura *Gymnetron Campanulæ*, sed densius squamulosus; rostrum fere rectum, basi crassius, etc. *Gymnetron plebejo* quoque affinis, sed forma angustior, rostrum sub-rectum et femora mutica. Caput sub-globosum, punctulatum, nigrum, squamulis angustis, depressis albis, adspersum; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum thorace paulo brevius, deflexum, fere rectum, basi crassius, punctulatum et squamulosum, nudum, sub-nitidum, Antennæ mediocres, nigræ, albido-pubescentes. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice duplo angustior quam basi, apice truncatus, tenuiter elevato-marginatus, lateribus oblique ampliatus, basi leviter quadri-sinuatus, supra parum convexus, confertim punctulatus, niger, squamulis angustis, depressis, albis sat dense vestitus. Scutellum oblongum, elevatum, squamositate alba dense tectum. Elytra antice conjunctim sinuato-emarginata, humeris prominulis; thoracis basi vix latiora, nec lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, sub-remote punctato-striata, nigra, interstitiis planis, dense albo-squamulosis. Corpus subtus punctulatum, nigrum, dense albo-squamulosum. Pedes validi, nigri, albo-squamulosi et pilosi, femoribus clavatis muticis. — GHL.

♂♀ 49. G. SERIEPILOSUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, parce albido-setulosus; rostro longo, tenui, cylindrico, subrecto; thorace punctulato, basi rotundato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis, simplici serie albo-setulosis; femoribus sub-muticis.

Gymnætron capicola. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER detectus et communicatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Gymnetron plantarum* æqualis et similis. Caput sub-

globosum, punctulatum, nigrum, parce albido-setulosum; oculi rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, tenue, filiforme, fere rectum, deflexum, ad basin parce albido-setulosum, extrorsum nudum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ovata. Thorax latitudine postica paulo brevior, antice duplo angustior quam basi; apice truncatus, obsolete elevato-marginatus, lateribus obliquis, posterius rotundato-ampliatis; basi rotundatus, supra parum convexus, punctulatus, niger, setulis depressis albis parcius adspersus. Scutellum sub-ovatum, nigrum, dense albido-squamulosum. Elytra antice conjuntim leviter emarginata, thoracis basi vix latiora, nec lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, fere truncata, thorace triplo longiora, supra sub-plana, distincte striata, striis obsolete punctatis, interstitiis angustis, convexis; nigra, in singulo interstitio serie simplici e setulis albis instructa. Pygidium semi-orbiculare, punctatum, nigrum. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, parce albo-squamulosum. Pedes nigri, parce albo-setulosi, femoribus parum crassis, muticis, posticis obsoletissime dentatis.

Ghl.

* 50. G. Micros. *Germar.*

Oblongo-ovatus, sub-depressus, niger, parce cinereo-setulosus; thorace confertim punctulato, lateribus posterius rotundato-ampliato; scutello triangulari, acuto, dense cinereo-squamuloso; elytris obsolete punctato-striatis; femoribus muticis. — Ghl.

Cionus id. Germ. *Mag.* IV. p. 309. 21.

Patria: Germania.

Observ. — *Gymnetron plantarum* paulo minor et subsimilis, sed in elytris nonnihil brevior, striæ elytrorum tenuiores, obsolete punctatæ.

Genus 367. MECINUS. *Germar.*

Mecinus Germar, Schh., Latreille, Stephens (1), Dejean, Sturm, Ahrens. — *Rhynchænus* Gyllenh. — *Neptaphilus* Megerle. — *Macipus* Steven.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; fu-

(1) Germar, Mag. Ent. IV. p. 315. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 321. 187. — Stephens, Brit. Ent. IV. p. 11. 275. — Latr. Règne anim. p. 395.

niculo 5-articulato : articulis 1° et 2° longiusculis, ob-conicis, illo duplo longiore, 3-5 transversis, sub-rotundatis, æqualibus; clava ovalis, 4-articulata : articulis arctissime conjunctis.

Rostrum longiusculum, validiusculum, teres, arcuatum, deflexum.

Oculi laterales, paulo demissi, sub-ovati, parum convexi.

Thorax longitudine vix latior, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, summo apice paulo angustior, antice elevato-marginatus, supra modice convexus.

Elytra elongata, sub-cylindrica, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia.

Tibiæ omnes apice unco intus armatæ.

Observ. — Corpus elongatum, sub-cylindricum, sculpturatum, parce pubescens, alatum; minoris magnitudinis. Habitu haud dissimile generis *Baridii*, sed corpus magis convexum.

Patria : Tota Europa; Barbaria.

♂♀ 1. M. PYRASTER. *Herbst.*

Lineari-elongatus, niger, sub-nitidus, tenue cinereo-pubescens, rostro longiusculo, subtenui, valde arcuato, maris breviore, subtiliter punctulato, feminæ longiore, extrorsum lævi; thorace creberrime punctulato; elytris punctato-striatis, interstitiis sub-seriatim punctulatis; femoribus dente minuto acuto armatis. — RLD.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 252. 217. T. 78. f. 6.

Rhynchænus semi-cylindricus. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 180. 96. et IV. p. 585. 96.

Mecinus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 12. 1.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 294. 164.

Macipus id. STEV. *Mus. Mosqu.* p. 102.

Curculio cerasi, ♂. PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 193. 10. — *Mon. Curc.* p. 8. 7. (Secundum ejus Musæum.)

♂♀ VAR. β. Elytris apice dilutioribus.

Mecinus pyraster. GERM. *Mag.* IV. p. 317. 1.

Curculio hæmorrhoidalis. HERBST, *Col.* VI. p. 266. 235. T. 80. 96. — *Archiv.* IV. p. 78. 52.

Mecinus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 98. *ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 12. 2.

STURM. *Ins. Catal.* 1826. p. 168.

Neptaphilus id. Dom. MEGERLE *in Litteris*.

Curculio denigratus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1771. 278.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 567. 32.

Patria : Europa septentrionalis et intermedia, Tauria.

Observ. — Specimen femineum, sub-nomine *Mecinus hæmorrhoidalis* a Gallia meridionali a Dom. Com. DEJEAN missum, corpore pilosiore femoribusque sub-muticis tantum differt.

2. M. BARBARUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, niger, sub-nitidus, parce cinereo-pubescens, rostro longo, tenui, arcuato; thorace oblongo, confertim punctulato; elytris subtiliter punctato-striatis, margine laterali anguste ferrugineo: femoribus muticis. Fem.

Habitat in Barbaria, ad Algier. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. Mus. Dom. de PAYKULL.

Mecino pyrastro fere dimidio minor, angustior, *Mecino janthino* æqualis et similis. Caput majusculum, convexum, punctulatum, nigrum, parce cinereo-pubescens, fronte inter oculos impressa; oculi laterales, rotundati, brunnei, parum prominuli; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, tenue, valde arcuatum, nigrum, basi punctulatum, extrorsum sub-læve, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava magna, ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine fere longior, anterius multo angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem obsoletius constrictus, margine vix elevato: lateribus ultra medium ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, subtiliter punctulatus, niger, opacus, parce cinereo-pubescens. Scutellum rotundatum, concolor. Elytra linearia, thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, rectangulis, lateribus non ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace triplo longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis confertim obsoletius punctulatis; interstitiis planis, punctulatis: nigra, opaca, parce cinereo-pubescentia, margine laterali anguste ferrugineo. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum, opacum, densius cinereo-pubescens. Pedes mediocres nigri, pubescentes, femoribus muticis, anticis crassioribus. — GYLL.

♂ 3. M. Collaris. *Germar.*

Lineari-oblongus, niger sub-nitidus, tenue cinereo-pubescens, rostro brevi, valido, subrecto, punctato; thorace rotundato, margine postico vittaque pectoris laterali dense fulvo-squamosis; elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis planis, obsolete punctatis; femoribus sub-muticis. Mas. — Rld.

Germ. *Mag.* IV. p. 318. 3.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

Curculio cinctus. Rossi, *Fn. Etr.* I. p. 125. 318. — Ed. Hellw. I. p. 133. 318.

Patria : Austria, Saxonia.

♂♀ 4. M. Janthinus. *Germar.*

Lineari-elongatus, niger, sub-nitidus, tenuissime cinereo-pubescens, rostro longiusculo, subtenui, modice arcuato, maris breviore, crassiore, punctato, feminæ longiore, tenuiore, extrorsum lævi, thorace sub-quadrato, lateribus modice rotundato; elytris cyaneis, punctato-striatis, interstitiis seriatim punctatis; femoribus maris antice dentatis, feminæ muticis. — Rld.

Germar, *Mag.* IV. pag. 319. 5.

Ahrens, *Fn. Ins. Eur.* V. Tab. 10.

Mecinus violaceus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 98. *ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

Patria : Bavaria, Austria, Gallia.

♂♀ 5. M. Circulatus. *Marsham.*

Lineari-elongatus, fuscus, sub-opacus, griseo-pubescens, antennis, tibiis, tarsis, elytrorum margine late suturaque ferrugineis, fronte, thoracis lineis tribus elytrorumque vitta intra-marginali dense albido-pubescentibus; thorace remote punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis sub-seriatim punctatis; femoribus muticis. — Rld.

Mas : rostro thorace multo breviore, validiusculo, arcuato, punctulato, parce pubescente.

Femina : rostro longiore, tenuiore, sub-lævi, glabro.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 12. 3.

Curculio id. MARSH. *Ent. Brit.* p. 274. 110.

Mecinus fimbriatus. GERM. *Mag.* IV. p. 318. 4.

Id. limbatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 98. *ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

Id. marginatus. ? GERM. *Mag.* IV. p. 318. 2.

Lixus id. ? BECK, *Beitr. zur Baiersch. Fauna.* p. 20. 28. T. 5. f. 28.

Patria : Germania, Anglia, Gallia, Hispania.

GENUS 368. NANOPHYES (1). *Nobis.*

Nanodes SCHH. (2), DEJEAN. — *Cionus* CLAIRV., GERMAR, OLIVIER. — *Sphærula* MEGERLE, STEPHENS (3). — *Orobitis* STURM, DEJEAN olim. — *Rhynchænus* FABR., GYLLENH., ZETTERSTEDT.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues; funiculo 5-articulato : articulis 1° et 2° oblongis, sub-obconicis, illo paulo crassiore et longiore, reliquis adhuc brevioribus, sub-rotundatis, sub-æqualibus : clava majuscula, valde elongata, oblongo-ovalis, 3-articulata : articulis paulo distantibus, duobus basalibus sub-transversis, apice truncatis, ultimo reliquis simul sumptis longitudine æquali, versus apicem sensim attenuato, acuminato.

Rostrum elongatum, teres, lineare, parum arcuatum, deflexum.

Oculi in fronte paulo approximati, rotundati, parum convexi, majusculi.

Thorax sub-conicus, antrorsum sensim valde angustatus, apice truncatus, supra modice convexus.

Scutellum minutissimum, vix conspicuum.

Elytra sub-ovata, versus apicem attenuata, supra anterius valde convexa, sub-gibba, apice conjunctim rotundata, anum obtegentia.

Pedes longiusculi : tibiæ apice truncatæ, muticæ.

Observ. — Corpus ovale, utrinque attenuatum, supra valde convexum, sub-gibbum, pubescens, alatum; aut minimæ aut majusculæ magnitudinis.

---

(1) Nomen *Nanodes* antea a Dom. Vieillot usitatum, quare mutandum.

(2) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 322. 188.

(3) Stephens, Brit. Ent. IV. p. 20.

A νανοφυής, Pumilionis staturam habens.

Patria : Tota Europa; Cap. Bonæ Spei.

* 1. N. ARMATUS. *Schh.*

Ovatus, convexus, niger, cinereo-sub-pubescens, rostro striato, antennarum basi pedibusque rufo-testaceis; thorace testaceo, supra atro bi-maculato; elytris gibbosis, rufo-testaceis, atro-variegatis; femoribus clavatis, subtus apicem versus spinulosis.

Patria : Cap. Bonæ Spei. A Dom. DRÈGE communicatus. Mus. SCHH.

Statura omnino *Nanophyis lythri*, sed plus duplo major; femoribus subtus crenulatis et dentatis, a congeneribus facile distinctus. Caput parvum, angustum, supra modice convexum, sat profunde minus crebre punctatum, nigrum, nitidum, vix pubescens; oculi ovati, in fronte sub-approximati, modice prominuli, glauci; rostrum longitudine capitis cum thorace, sub-tenue, teres, parum arcuatum, supra a basi ultra medium bi-canaliculatum, nigrum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri insertæ, minus tenues, cinereo-pubescentes; articulo primo testaceo, reliquis nigris, crassitudine sensim crescentibus. Thorax fere conicus, antrorsum valde angustatus, apice truncatus, basi sub-sinuatus, supra convexus, pulvinatus, obsolete punctulatus, rufo-testaceus, sub-nitidus, tenue cinereo-pubescens, dorso utrinque macula magna, sub-ovata, atra decoratus. Scutellum minutum, vix observandum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris non prominulis, rotundatis; pone basin ante medium nonnihil ampliata, posterius attenuata, apice ipso sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra valde convexa, sub-gibbosa, sat profunde striata, et in striis punctata, interstiis sub-convexis, lævibus; rufo-testacea, sub-nitida, macula magna basali, sub-triangulari, communi, variis aliis punctisque sparsis atris variegata, pube depressa, tenui, cinerea, adspersa. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigro-piceum, tenue pubescens. Pedes elongati, validi; femoribus valde clavatis, basi apiceque testaceis, medio infuscatis, subtus versus apicem spinulis acutis tribus vel quatuor, interiore valde elongata armatis; tibiis teretibus, rectis, testaceis, apice infuscatis; tarsis elongatis, nigro-fuscis. — BHN.

* 2. N. ANNULATUS. *Chevrolat.*

Niger, nitidus, parce cinereo-pubescens, rostro striato, antennis ferrugineis, clava longa, nigricante, pedibus pallidis, tibiis tarsisque fusco annulatis; elytris sulcatis, immaculatis; femoribus posterioribus spinula armatis.

Patria: Italia. A Dom. CHEVROLAT, sub hoc nomine, amice communicatus. Mus. SCHH.

Nanophyis Lythri statura et facie simillimus, sed dimidio major, elytra immaculata, tibiæ fusco annulatæ, etc. — Caput parvum, punctulatum, nigrum, fronte verticeque carinatis; oculi majusculi, nigro-brunnei, parum convexi; rostrum longitudine capitis cum thorace, modice arcuatum, supra sub-striatum, leviter canaliculatum, totum nigrum. Antennæ longiusculæ, basi ferrugineæ, dein nigræ, clava magna, elongata, cinereo-pubescente. Thorax conicus, antice plus duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, lateribus obliquis, fere rectis, basi leviter sinuatus, supra convexus, pulvinatus, obsolete punctulatus, niger, nitidus, parce cinereo-pubescens. Scutellum minutum, vix observandum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, callo humerali elevato; apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra valde convexa, fornicata, profunde sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis convexis, sub-lævibus, alternis anterius elevatioribus; nigra, nitida, immaculata, parce cinereo-pubescentia. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigrum, thoracis pectorisque lateribus densius albido-pubescentibus. Pedes validi, pallidi, femoribus clavatis, posterioribus subtus spinula minuta armatis; tibiis sub-rectis, in medio annulo fusco cinctis; tarsis longiusculis, fusco annulatis.

GHL.

* 3. N. LYTHRI. *Fabricius.*

Niger, nitidus, griseo-sub-pubescens, antennarum basi pedibusque pallidis, rostro striato; elytris fascia abbreviata maculaque testaceis, albo-pubescentibus; pectore lateribus dense albo-squamoso. — GHL.

Rhynchænus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 457. 76.
GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 127. 52.

Zetterst. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 321. 40.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 50. 44.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 156. 5.

Cionus id. Clairv. *Ent. Helv.* I. p. 68. 2. T. 3. f. 3. 4.

Germ. *Mag.* IV. p. 314. 32.

Sphærula id. Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 20. 1.

Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 410. 73. — *Mant.* I. p. 102 61.

Payk. *Fn. Suec.* III. p. 263. 85. — *Mon. Curc.* p. 74. 71.

Herbst, *Col.* VI. p. 451. 453.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 485. 68.

Marsh. *Ent. Brit.* p. 252. 41.

Walcken. *Fn. Par.* I. 246. 31.

Panz. *Ent. Germ.* p. 305. 33.

Villers, *Ent.* IV. p. 286.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1750. 142.

Piller et Mitterp. *Iter per Poseg.* T. 11. f. 10. 11.

Scriba, *Journ.* p. 82.

Nanodes id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 325.

Orobitis id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 84.

Cionus salicariæ. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 112. 56. T. 29. f. 432.

Curculio pygmæus. Herbst, *Col.* VI. p. 142. 102. T. 69. f. 7.

Id. fasciatus. Vill. *Ent.* I. p. 191. 71. et IV. p. 271. 71.

Id. leucozonius. Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1805 539.

Id. transversus. Oliv. *Enc. méth.* V. p. 497. 117.

Id. vittatus. Fourcr. *Ent. Par.* I. p. 124. 28.

Geoffr. *Ins.* I. p. 289. 28.

* Var. β. Macula elytrorum posteriore deficiente.

* Var. γ. Elytrorum disco testaceo.

Rhynchænus lythri. var. b. Gyllenh. l. c.

Sahlb. *Ins. Fenn.* l. c.

Cionus id. var. b. Germ. *Mag.* IV. p. 315. 32.

Curculio id. var. β. Payk. *Fn. Suec.* III. p. 264. 85. — *Mon. Curc.* p. 74. 71.

Rhynchænus salicariæ. Fabr. *Syst. El.* II. p. 449. 58.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 407. 59. — *Mant.* I. p. 101. 48. — *Spec. Ins.* I. p. 167. 36.

PANZ. *Fn. Germ.* XVII. 4. — *Ent. Germ.* p. 302. 21.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 132. 33.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 483. 59.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 251. 40.

VILLERS, *Ent.* I. p. 187. 46. et IV. p. 267. 46.

CEDERH. *Fn. Ingr.* 323.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1744. 109.

* VAR. δ ut var. γ, sed thorace aut toto aut quoad partem rufo-testaceo.

* VAR. ε. Ferrugineus, abdomine concolore, capite pectoreque nigris, elytris fascia basali obscuriore.

Sphærula ulmi. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Nanodes ventralis. SCHH. *in Litteris*, olim.

* VAR. ζ. Fusco-brunneus, elytris dilutioribus, fascia antica testacea; specimen nuper exclusum.

Patria : Tota Europa; var. ε, Austria.

* 4. N. GLOBULUS. *Germar.*

Niger, nitidus, sub-pubescens, antennarum femorumque basi tibiisque rufo-testaceis, elytrorum disco indeterminate testaceo, nigro punctato; femoribus muticis. — GHL.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV, p. 315. 33. — *Fn. Ins. Eur.* XI. T. 7.

Rhynchænus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 575. 52-53.

Patria : Germania, Suecia intermedia.

* 5. N. ULMI. *Megerle.*

Pallidus, tenue et pectore parum densius pubescens, rostro, verticis maculis duabus, pectore abdomineque nigris; femoribus muticis. RED.

Sphærula id. var. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 314. 31.

VAR. β. Maculis verticis confluentibus.

Patria : Austria, Saxonia, Italia; var. β. Anatolia Dom. CHEVROLAT.

* 6. N. NITIDULUS. *Hoffmannsegg.*

Rufo-ferrugineus, pallido-pubescens, antennis pedibusque dilutioribus, capite, rostri apice, pectore abdomineque nigris; elytris punctato-striatis, plagiatim denudatis; femoribus anticis bi-posterioribus uni-spinosis.

Cionus id. Dom. Com. HOFFMANNSEGG *in Litteris.*

Patria : Lusitania. A Dom. SCHUPPEL, sub allato nomine amice communicatus. Mus. SCHH.

Nanophye Lythri duplo minor, *Nanophyi ventrali* sub-æqualis et simillimus, ventre toto nigro et femoribus aliter dentatis, fere unice distinctus. Caput parvum, punctulatum, nigrum, parce pallido-pubescens; oculi brunnei, parum convexi, rostrum longitudine capitis cum thorace, validiusculum, arcuatum, supra obsolete striatum, basi testaceum pallido-pubescens, apice nigro-piceum, nudum. Antennæ basi ferrugineæ extrorsum nigræ, clava oblonga. Thorax sub-conicus, antice plus duplo angustior quam basi; apice sub-emarginatus, lateribus obliquis, fere rectis; basi vix sinuatus, elevato-marginatus, supra modice convexus, obsolete punctulatus, rufo-ferrugineus, nitidus, parce pallido-pubescens. Scutellum parvum, tuberculiforme, concolor, dense pallido-pubescens. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi parum latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra modice convexa, punctato-sub-sulcata, ferruginea, densius pallido-tomentosa, relictis plaga communi baseos obscuriore, alia in medio singuli elytri et tertia in callo postico, magis nudis, nitidis. Thorax subtus punctulatus, testaceus, pallido-pubescens; pectus et venter punctulata, nigra, nitida, parce pubescentia. Pedes longiusculi, pallido-testacei, parce pubescentes, femoribus crassis, anticis subtus spinulis duabus acutis armatis, posteriore minore; reliquis spinula unica acuta instructis. — GHL.

* 7. N. TAMARISCI. *Dejean.*

Rostro longiore, tenui, sub-lævi thoraceque rufo-ferrugineis; elytris pallidis, litura media arcuata ferruginea, pectore fusco, pedibus pallide testaceis; femoribus bi-spinulosis.

Nanodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.
Orobitis id. STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 180.
Curculio palliatus. Dom. HELLWIG *in Litteris.*

Habitat in Gallia meridionali, Lusitania. Mus. SCHH. et GHL.

Statura et fere magnitudo *Nanophyis Lythri.* Caput parvum, punctulatum, rufo-piceum, pallido pubescens; oculi majusculi, rotundati, nigro-brunnei, in fronte approximati, modice prominuli; rostrum capite cum thorace fere longius, tenue, parum arcuatum, basi punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ pallide testaceæ, clava paulo obscuriore. Thoracis structura ut in congeneribus, punctulatus, rufo-ferrugineus, nitidus, subtus et lateribus dense, in disco parcius pallido-seu albido-tomentosus. Scutellum parvum, pallidum. Elytrorum forma, sulci et illarum punctura omnino ut apud *Nanophyem ventralem* descripta; dilute pallida, pube minus densa, paulo albidiore adspersa; in medio dorsi litura angusta, arcum communem, ad suturam tamen interruptum referens, plerumque ferruginea, interdum interne infuscata. Corpus subtus punctulatum, pallido-pubescens, pectore fusco-piceo, ventre testaceo. Pedes longiusculi, pallide testacei, femoribus sub-clavatis, subtus versus apicem spinulis duabus, interiore paulo majore, armatis. — GHL.

8. N. PALLIDUS (1). *Olivier.*

Ovatus, pallide flavus; femoribus anticis sub-dentatis. — OLIV.

Cionus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 113. 57. T. 29. f. 444.

Patria: Lusitania.

---

(1) Mihi invisus.

* 9. N. PALLIDULUS. *Gravenhorst.*

Pallide testaceus, supra parce subtus dense albido-pubescens, pectore abdomineque nigris; elytro singulo in medio striga abbreviata, longitudinali, dilute fusca; femoribus muticis. — RLD.

Cionus id. GERM. *Mag.* IV. p. 315. 34. — *Fauna Ins. Europæ.* XI. T. 8.

Rhynchænus id. GRAVENHORST, Cfr. Interpret. 203. 2849.

Nanodes bimaculatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

* VAR. β. Pectore abdomineque testaceis.

Patria : Gallia meridionalis, Lusitania.

* 10. N. POSTICUS. *Dejean.*

Pallidus, tenuiter albido-pubescens, vertice, thoracis margine antico pectoreque fuscis; elytris distincte punctato-striatis, singulo stria postica abbreviata, brunnea; femoribus anticis bi-, posterioribus unispinulosis.

Nanodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

Habitat in Gallia meridionali. Dom. Com. DEJEAN et CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Nanophyi pallidulo simillimus, sed dimidio minor, pallidior, elytra distinctius punctato-striata et stria illarum obscurior versus apicem singuli elytri locata. Caput rotundatum, vix punctulatum, testaceum, vertice plus minusve infuscato; oculi semi-globosi, nigri; rostrum vix longitudine capitis cum thorace, tenue, subrectum, fere læve, pallide testaceum, nitidum. Antennæ pallide testaceæ, pubescentes. Thorax brevis, fere transversus, anterius angustior, apice sub-emarginatus, margine parum elevato, intra marginem obsolete constrictus, lateribus obliquis, fere rectis, basi truncatus, supra modice convexus, vix punctulatus, pallidus, tenuiter albido-pubescens, margine antico anguste fusco. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, sub angulatis; lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, dis-

tincte punctato-striata, interstitiis convexis, lævibus; pallida, tenuiter albido-pubescentia, sutura margineque laterali plerumque saturatius testaceis; intra apicem singuli elytri linea brevis, aut testacea, aut saturatius brunnea observatur. Corpus subtus obsolete punctulatum, albido-pubescens, pectore infuscato, ventre pallide testaceo. Pedes longiusculi, pallidi, femoribus anticis spinulis duabus, reliquis unica, armatis; tarsis saturatioribus. — GHL.

* 11. N. SAHLBERGI. *Schh.*

Niger, cinereo-pubescens, rostro crassiusculo, striato, antennarum basi; thorace pedibusque rufo-ferrugineis; elytris pallidioribus, remote punctato-striatis, singulo plaga dorsali fusco-brunnea, femoribus muticis.

Nanodes id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.
Rhynchænus id. SAHLB. *Ins. Fenn.* II. 51. 45.

Habitat in Silva Kolwensi Finlandiæ. Dom. Ferd. SAHLBERG. Mus. SCHH. et GHL.

Parvus, *Nanophye globulo* fere brevior, sed paulo latior, magis convexus. Caput parvum, punctulatum, nigro-piceum, fronte substriata; oculi rotundati, nigri, modice prominuli; rostrum longitudine capitis cum thorace, validum, arcuatum, supra basi striatum, extrorsum læve, totum rufo-ferrugineum. Antennæ ferrugineæ, clava oblonga nigra. Thorax brevis, sub-conicus, anterius dimidio angustior, apice sub-emarginatus, margine vix elevato; lateribus obliquis, sub-rectis; basi sub-truncatus, supra modice convexus, obsolete punctulatus, rufo-ferrugineus, margine summo apicali nigricante. Scutellum oblongum, angustum, testaceum, pubescens. Elytra antice thoracis basi parum latiora, humeris elevatis, subangulatis, lateribus parum ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix triplo longiora, supra valde convexa, præsertim anterius; distincte, sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, sub-lævibus; pallidius testacea, tomento cinereo adspersa; in disco anteriore singuli elytri plaga oblonga, posterius attenuata, fusco-brunnea. Corpus subtus punctulatum, nigrum, parce cinereo-pubescens. Pedes longiusculi, subtenues, rufo-testacei, parum pubescentes, femoribus muticis. — GHL.

Dom. REGINALDUS FERDINANDUS SAHLBERG, Phil. Doct. Ama-

nuensis ad Mus. Imper Univers. Alexandri ordinarius, bonæ spei Entomologus.

12. N. HEMISPHÆRICUS (1). *Olivier.*

Ovatus, sub-hemisphæricus, pallidus, rostro, thorace basique elytrorum nigro-æneis; femoribus muticis. — OLIV.

Cionus id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 112. 58. T. 29. f. 434.

Patria : Paris.

13. N. MARMORATUS (2). *Fourcroy.*

Niger, elytris testaceis, fasciis obliquis fuscis. — FOURCR.

Curculio id. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 125. 33.
OLIV. *Enc. méth.* V. p. 496. 111.
VILL. *Ent.* I. p. 191. 73. et IV. p. 272. 73.
LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1805. 542.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 291. 33.

Patria : Gallia.

---

(1) Mihi invisus.

(2) Hujus generis mihi videtur ; mihi invisus.

SECTIO III. *Antennæ* 10, 9, 8, 7 *articulatæ*. (*Funiculus variat numero articulorum, in plerisque* 6, 7, *et in nonnullis* 4 *et* 5.)

Divisio I. RHYNCHOPHORIDES. (*Calandrides.* FABR.)

Antennæ mediocres; funiculus 6-, *in nonnullis* 5-*articulatus; clava aut bi- aut indistincte articulata, sub-solida. Rostrum aut deflexum, aut porrectum.*

SUBDIVISIO I. CRYPTOPYGI.

Antennæ versus medium rostri insertæ. Pygidium elytra tegunt.

GENUS 369. RHINA. *Olivier.*

Rhina OLIV., LATR., ILLIGER, LAMARCK, CUVIER, SCHH., KLUG, GUÉRIN, DEJEAN, STURM (1).

Character generis. — Antennæ mediocres, sub-tenues, funiculo 6-articulato: articulis aut paulo elongatis, sub-obconicis, aut brevibus sub-globosis, articulo secundo semper longiore; clava elongata, cylindrica apice compressa, sub-acuta, sub-solida, spongiosa, interna solum basi excepta.

Rostrum porrectum, rectum sub-teres, supra inæquale, apice utrinque reflexum; in uno sexu, (quem opinor esse marem) capitis thoracisque longitudine, vel ultra dense hirsutum, in altero brevius, nudum.

Oculi maximi, oblongi, parum convexi, et supra et infra sub-connati, totam anticam capitis superficiem occupantes.

Thorax sub-ovatus, modice convexus, basi leviter bi-sinuatus, apice in medio nonnihil emarginatus.

Elytra elongata, cylindrica, humeris obtuse angulatis.

Pedes, præcipue antici, valde elongati; femora sub-linearia, mutica; tibiæ sub-teretes; intus spinis paucis instructæ, apice nonnihil curvatæ, unco magno armatæ.

---

(1) Oliv. Ent. V. p. 75. [illegible] — Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. III. p. 198. et XI. p. 101. — *Id.* Gen. Crust. et Ins. II. p. 264. 282. — *Id.* Considérat. génér. p. [illegible] 230. — *Id.* Regn. anim. p. [illegible] — *Id.* les Crust., les Arach. et les Ins. II. p. 88. — Cuvier, Regn. anim. III. p. [illegible] — Lamarck, Animaux sans Vertebres. IV. p. 353. — Illig. Mag. III. p. 103 [illegible] et VI. p. [illegible] — Schh. Cur. Disp. Meth. p. [illegible]

Observ.— Corpus sæpissime maximæ magnitudinis, oblongo sub-cylindricum, durum, sculpturatum, haud squamosum, alatum

Patria : America, Africa.

STIRPS I. *Tibiæ in utroque sexu nudæ.* (Species 1-4.)

1. R. EBRIOSA. *Chevrolat.*

Elongata, nigra, rostro bifariam verrucoso : thorace sub-ovato, denticulato ; elytris profunde punctato-striatis, punctis transversis, interstitiis striis angustioribus, sub-planis, disperse punctatis, suturali latiore sub-rugoso, pectore profunde at minus confertim, femoribus subtiliter parcius punctatis, tibiis spinis 4-7 anticarum validioribus, armatis.

Mas : rostro longiore thoraceque subtus hirsutie densa ferruginea vestitis, pedibus anticis longissimis; funiculi antennarum articulis 3-6 gradatim minoribus, obconicis.

Femina : rostro breviore thoraceque subtus nudis, pedibus anticis minus elongatis ; funiculi antennarum articulis 4-6 æqualibus, globosis

Patria : Mexico. E Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Longitudo, præter rostrum 15-18 Lin. Paris. Tota nigra, immaculata. Caput parvum, subglobosum, rugoso-punctatum, glabrum, vertice in medio obsolete canaliculato; oculi, præsertim feminæ, sub-depressi, subtus omnino connati, supra carinula bilammellata tantum disjuncti ; rostrum angustum, porrectum, lineare, rude scrobiculato-punctatum, supra bifariam denticulosum, maris capite cum thorace nonnihil longius, hirsutie ferruginea, extrorsum undique, pone insertionem antennarum tantum subtus vestitum, feminæ thorace brevius, nudum. Antennæ graciles, maris in medio, feminæ paulo pone mediam rostri insertæ, scapo apice sub-clavato, maris rostri basin haud plane attingente, feminæ nonnihil superante, funiculo scapo paulo breviore, articulis maris obconicis, secundo duobus sequentibus simul sumptis, fere longiore, sub-clavato, 3-6 gradatim minoribus, feminæ secundo tertioque sub-clavatis, illo paulo longiore, ceteris globosis, clava cylindrica fusco-spongiosa, in utroque sexu funiculo breviore. Thorax sub-ovatus antice duplo angustior, sub-truncatus, vel in medio su-

pra leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus valde ampliatis, immarginatis, postice impressis, basi leviter bi-sinuatus, margine elevato, ad latera exciso; supra modice convexus, undique rude, dorso tamen maris minus confertim sub-variolosus, subtus in mare tenuiter punctulatus hirsutie ferruginea, tectus, in femina nudus vel pilis rarioribus, griseis tantum adspersus, in medio dorsi canaliculæ longitudinalis rudimentum, vix conspicuum. Scutellum sub-triangulare, fusco-holosericeum, læve. Elytra thoracis medio haud latiora, sub-linearia, antice sinuata, margine sub-reflexo, humeris parum elevatis, angulis obtusis, apice conjunctim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora; supra æqualiter convexa, profunde punctato-striata, punctis confertissimis transversis, sub-quadrangulis, interstitis striis angustioribus sub-planis, suturali latiore sub-rugoso, ceteris simpliciter disperse punctatis, undique sub-glabra vel pilis tantum tenuissimis griseis, sub-seriatim adspersa, callo postico præsertim in mare elevato. Pygidium breve obtusum, rude punctatum. Corpus subtus antice convexum, profunde at minus confertim punctatum, postice sub-depressum, subtilius punctulatum, in medio pectoris pube tenuissima, griseo-ferruginea, adspersum, ceterum glabrum. Pedes elongati, angusti, antici maris corpore longiores, feminæ breviores, femoribus omnibus simplicibus, muticis, subtiliter disperse punctatis, anticis maris fere lævibus, tibiis sub compressis, apice perparum incurvis, subtus spinis erectis, posticis scilicet 4-5 minutissimis, intermediis totidem paulo majoribus, anticis 6-7, plurimis sat validis, omnibus præterea apice unco, anticis validiore, armatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. FAHRÆUS.

*♂ 2. R. BARBIROSTRIS. *Fabricius.*

Elongata, atra, rostro bifariam denticuloso; thorace ovato, supra sub-depresso, confertim varioloso; elytris profunde punctato-striatis; punctis sub-quadratis, interstitiis plurimis latitudine striis æqualibus sub-convexis; suturali rugulose, ceteris simpliciter disperse, punctatis, pectore minus confertim, femoribus subtiliter parce punctatis, tibiis spinis 3-5 *armatis.* — FHS.

Mas : rostro longiore thoraceque subtus lana ferruginea dense vestitis : funiculi antennarum articulis 3-6 sub-æqualibus, obconicis.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 232. 229. *Curculio.* T. 4. f. 37. a. b.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 269. 1. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 102. 1.

LAMARCK, *Animaux sans vertèbres.* IV. p. 353. 1.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 98. *ed.* 2. p. 302.

GUÉRIN, *Icon. du Règne anim.* V. T. 39 *bis.* f. 2. ♂.?

Lixus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 501. 18.

ILLIG. *Mag.* V. p. 244. 18.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 418. 105. — *Mant.* I. p. 104. 82. — *Spec. Ins.* I. p. 172. 65. — *Syst. Ent.* p. 135. 45.

HERBST, *Col.* VI. p. 64. 28. T. 63. f. 5. a. b.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 492. 91.

VOET, *Col.* Ed. PANZ. IV. p. 49. 2. T. 35. f. 2.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p 1751. 150.

SEBA, *Mus.* IV. T. 95. f. 5.

Femina : rostro breviore thoraceque subtus nudis; funiculi antennarum articulis 3-6 globosis.

Rhina verrirostris ILLIG. *Mag.* V. p. 244.

Curculio validus. VOET, *Col.* Ed. PANZ. p. 50. 3. T. 35. f. 3.

Patria : Brasilia.

♂♀ 3. R. COSTALIS. *Schh.*

Atra, opaca, rostro verrucoso scrobiculatoque; thorace breviore, confertissime varioloso; elytris profunde punctato-striatis, punctis subquadratis, interstitiis angustis, sub-costatis, pectore sat confertim excavato-punctato, tibiis 2-3 spinosis.

Mas : rostro longiore, tenuiore, thoraceque subtus ferrugineo-hirsutis.

Femina : rostro breviore, crassiore, thoraceque subtus nudis.

Habitat in Brasilia. MUS. SCHH.

Longitudo corporis, rostro excepto 6-8 lin. Paris. Caput convexum, atrum, punctatum, glabrum, oculi supra parum convexi, carinula tenui modo separati, subtus depressi, omnino connati; rostrum atrum, supra bifariam verrucosum, de cetero temere scrobiculatum, maris angustius, longitudine fere capitis cum thorace, supra extrorsum, subtus undique, ferrugineo-hirsutum, feminæ

crassiusculum, thorace brevius, nudum. Antennæ in utroque sexu paulo pone medium rostri insertæ, scapo sub-clavato, maris rostri basin attingente, feminæ nonnihil superante, articulo secundo funiculi parum elongato, obconico, reliquis in utroque sexu sub-globosis, clava magna, cylindrica, fusco-spongiosa. Thorax latitudine baseos vix longior, antice nonnihil angustior, in medio leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus immarginatus, modice æqualiter rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, obsolete marginatus, supra parum convexus in dorso lateribusque confertissime variolosus, subtus parcius punctatus, totus ater, opacus, pagina subteriore maris ferrugineo-hirsuta. Scutellum triangulare, concolor, læve. Elytra linearia, latitudine medii thoracis, illoque fere triplo longiora, antice sub-sinuata, humeris obtusis; postice conjunctim sub-rotundata, supra æqualiter convexa, profunde punctato-striata, punctis confertis, sub-quadratis, interstitiis elevatis, sub-costatis, striis angustioribus, tota atra, opaca, callo postico parum protuberante. Pygidium parvum, obtusum, nigro-piceum, rude punctatum. Corpus subtus nigrum, pectore convexo, in medio longitudinaliter canaliculato, undique profunde punctato, ventre planiusculo, fere lævi. Pedes nigri, intermedii breviusculi, postici nonnihil longiores, quos iterum antici in utroque sexu parum superant, femoribus simplicibus, muticis, tibiis spinulis duabus vel tribus, posticarum plerumque obsoletis, armatis, omnibus apice uncinatis, tarsis elongatis, ferrugineo-spongiosis. FHS.

4. R. AFFABER. *Schh.*

Nigra, sub-nitida, rostro denticuloso scrobiculatoque; thorace longiore, sub-ovato, confertim varioloso; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis angustis at parum elevatis, disperse punctatis, pectore minus confertim excavato-punctato, tibiis 2-3 spinosis.

Mas: rostro longiore thoraceque subtus ferrugineo-hirsutis.

Femina: rostro breviore thoraceque subtus nudis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum benevole missus.

Longitudo, præter rostrum, 7 lin. Paris. *Rhinæ costali* nob. certe nimium affinis, thorace tamen paulo longiore, paginæ superioris superficie nitidiore, elytrorum interstitiis minus elevatis, distincta

videtur. Caput convexum, nigrum, punctatum, postice canalicula abbreviata impressa; oculi sub-depressi, subtus connati, supra non nisi carinula tenui disjuncti; rostrum scrobiculatum, supra bifariam denticulosum, nigrum, maris longitudine fere capitis cum thorace, supra extrorsum, subtus totum ferrugineo-hirsutum, feminæ vix thoracis longitudine, nudum. Antennæ nigro-piceæ, structura ut in *Rhina costali.* Thorax latitudine basaos, saltem maris, distincte longior, antice dimidio angustior, margine in medio leviter sinuato, intra apicem sub-constrictus, lateribus æqualiter ampliatus, immarginatus, basi leviter bisinuatus, margine sub-elevato, lateribus exciso; supra modice convexus; in dorso, præsertim feminæ, lateribusque confertim variolosus, subtus parcius punctatus, totus niger, sub-nitidus, subtus in mare lana tenuiore, ferruginea obsitus, in femina undique nudus. Scutellum sub-triangulare, læve, concolor. Elytra sub-linearia, latitudine medii thoracis; humeris obtusis, angulis anticis obtusis, postice conjunctim rotundata, supra convexa, profunde punctato-striata, punctis confertis, subquadratis, interstitiis angustis, parum vero elevatis, hinc illinc punctis impressis; tota nigra, sub-nitida, glabra, vel pilis tantum brevissimis sparsis, griseis, postice obsita. Pygidium brevissimum, punctatum, concolor. Corpus subtus et pedes ut in *Rhina costali* omnino, modo superficies magis nitida punctura que pectoris paulo minus conferta. Fhs.

Stirps 2. *Tibiæ maris subtus ciliatæ.* (Species 5-8.)

♁ 5. R. Scrutator. *Olivier.*

Elongata, nigra, rostro bifariam spinuloso; thorace sub-ovato, varioloso; elytris cinereo-vel argillaceo-maculatis, minus profunde punctato-striatis, interstitiis striis latioribus, sub-lævibus, pectore rude confertim, femoribus subtiliter parce, punctatis, tibiis obsoletius at crebrius spinulosis, anticis apice ferrugineo-ciliatis, rostro thoraceque subtus ferrugineo-hirsutis.

Rhina id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 233. 230. *Curc.* T. 29. f. 428.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 203.

Rhina squamulata. Dom. Com. Dejean *in Litteris,* olim.

Patria: Santo-Domingo. A Dom. Com. Mannerheim benevole donatus. Mus. Schh.

Longitudo corporis, rostro excepto, 16 lin. Paris. Caput sub-glo-

bosum, punctatum, nigrum, glabrum, vertice in medio longitudinaliter sub-canaliculato; oculi sub-depressi, subtus connati, supra carinula duplici disjuncti, rostrum capite thoraceque parum brevius, porrectum, lineare, rude scrobiculato-punctatum, supra bifariam spinulosum, extrorsum undique, pone insertionem antennarum tantum subtus ferrugineo-hirsutum. Antennæ in medio rostri insertæ, tenues, nigro-piceæ, scapo rostri basin fere attingente, sub-clavato, funiculi articulo primo brevi, obconico, secundo sub-clavato, longitudine duobus sequentibus, simul sumptis, æquali, reliquis obconicis, gradatim brevioribus, clava parum elongata, sub-cylindrica, apice compressa, fusco-spongiosa. Thorax sub-ovatus, antice plus duplo angustior, sub-truncatus vel margine supra tantum levissime sub-sinuato; intra apicem sub-constrictus, lateribus immarginatis, in medio sat ampliatis, postice impressis; basi leviter bisinuatus, margine tenui, sub-elevato, lateribus exciso; supra in dorso parcius, ad latera confertissime variolosus, subtus subtiliter punctulatus, totus niger, pagina sub-teriore ferrugineo-hirsuta, superiore sub-glabra. Scutellum sub-triangulare, fusco-holocericeum, læve. Elytra linearia, thoracis medio haud latiora, basi sub-sinuata, humeris elevatis, angulis obtusis, apice conjunctim sub-rotundata; supra æqualiter convexa, regulariter punctato-striata, punctis minus profundis, sub-rotundatis, interstitiis striis evidenter latioribus, suturali sub-simpliciter punctato, nec rugoso, ceteris sub-lævibus; tota nigra, sub-glabra, basi plaga magna sub-triangulari utrinque cinerea vel sub-argillacea, plus minusve distincta cum macula ejusmodi postica, strigatim sub-connexa. Pygidium parvum, apice obtuse rotundatum, nigrum, crebre punctatum, sub-glabrum. Corpus subtus nigrum pectore convexo, profunde, confertim punctato, parce tenuissime ferrugineo-pubescente, abdomine sub-depresso, glabriore, in medio subtilius parcius, apice lateribusque evidentius crebriusque, punctato. Pedes nigri, antici corporis fere longitudine, femoribus simplicibus, muticis, tibiis sub-compressis, apice nonnihil incurvis, subtus sat crebre, at subtiliter, posticis vix conspicue, spinulosis, omnibus apice sat valide uncinatis, anticis a medio ad apicem ferrugineo-ciliatis; tarsis elongatis, subtus fulvo-ferrugineo-spongiosis. FHS.

♂ 6. R. AFZELII. *Schh.*

Elongata, nigra, rostro supra bifariam spinuloso, thorace sub-ovato, confertim varioloso, dorso longitudinaliter canaliculato; elytris clathratis, pectore confertim profunde excavato-punctato, femorum punctura apice profundiore, tibiis subtiliter, crebrius spinulosis, anticis apice ferrugineo-ciliatis, rostro thoraceque subtus ferrugineo-hirsutis.

Patria: Sierra Leona. Dom. Prof. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Longitudo, præter rostrum, lin. 14 Paris. Caput convexum, breve, nigrum, rude punctatum, glabrum, supra in medio longitudinaliter carinatum; oculi supra conjunctim transversaliter sub-convexi, carinula sat elevata, simplici, disjuncti, subtus conniventes; rostrum capite cum thorace parum brevius, porrectum, lineare, rude scrobiculato-punctatum, supra bifariam denticulosum, extrorsum undique, pone insertionem antennarum modo subtus, ferrugineo hirsutum. Antennæ nigræ, scapo rostri basin fere attingente, sub-clavato, articulis funiculi obconicis 1° 4° 5° 6° brevibus, æqualibus, secundo illis plus duplo tertioque dimidio longiore. Thorax sub-ovatus, antice multo angustior, supra in medio sub-sinuatus, intra apicem constrictus, lateribus immarginatis, in medio sat ampliatis, postice impressis, basi sub-truncatus, tenuiter marginatus, margine laterum exciso; supra modice convexus, totus niger; in dorso lateribusque confertim variolosus, subglaber, subtus subtilissime punctulatus, lana ferruginea dense vestitus; in medio dorsi canalicula longitudinali, antice evanescente, impressus. Scutellum triangulare, fusco-holosericeum, læve. Elytra linearia, thoracis-medio non latiora, antice sub-sinuata, humeris angulis obtusis, apice conjunctim exacte rotundata; supra æqualiter convexa, profunde striato-punctata vel potius clathrata, interstitiis angustis, sub-rugulosis, vix punctatis, tota nigra, glabra, callo ante apicem utrinque obtuso, elevato. Pygidium parvum, obtusum, rude punctatum, nigro-piceum, glabrum. Corpus subtus nigrum, pectore convexo, in medio canaliculato, confertim profunde excavato-punctato, tenuissime pubescente; abdomine sub-depresso, glabro sub-lævi. Pedes elongati, antici corporis fere longitudine, nigri, femoribus simplicibus, muticis, apice fortius punctatis, anticis interne lævibus; tibiis subtus minutissime spinulosis, anticis

apice nonnihil incurvis, tenuiter flavo-ferrugineo-ciliatis, omnibus apice sat valide uncinatis, tarsis elongatis, subtus fulvo-ferrugineo-spongiosis. FHS.

Dom. AD. AFZELIUS. Med. Doct. Professor Upsaliensis. In Sierra Leona Africæ, ubi plures annos versatus est, insecta plurima magni pretii collegit, quæ amicus hic æstimatus, qui sex et octoginta annos jam attigit, post reditum in patriam mihi tradidit. — SCHH.

♂♀ 7. R. NIGRA. *Drury.*

Elongata, nigra, rostro supra bifariam spinuloso; thorace confertim varioloso, dorso canaliculato; elytris excavato-punctato-striatis, punctis confertis, transversis, interstitiis striis angustioribus disperse punctulatis; femoribus apice profunde crebre punctatis, tibiis 3-5 spinulosis.

Mas : rostro longiore thoraceque subtus lana rufo-castanea vestitis, articulis antennarum funiculi obconicis, 4-6 sub-æqualibus.

Femina : rostro breviore thoraceque subtus nudis, articulis antennarum funiculi 4-6 sub-globosis.

KLUG. *Ins.* von Madag. p. 112. 174.

Curculio niger. DRURY, *Illustr. of nat. History.* II. p. 63. T. 34. f. 2.

Id. HERBST, *Col.* VI. p. 54. 17. T. 12. f. 10.

Patria : Madagascar. Dom. SCHUPPEL et CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo, præter rostrum 8 1/2-12 1/2 lin. Paris. *Rhinæ barbirostri* auctorum, ut etiam *Rhinæ Afzelii* in multis similis, differt tamen ab illo statura breviore, elytrorum striis latioribus, punctis excavatis confertioribus, transversis, interstitiis angustioribus femoribusque confertius punctatis, ab utroque, rostro ante insertionem antennarum breviore, thorace postice profundius bi-sinuato, etc. Caput parvum, sub-rotundatum, profunde punctatum, nigrum, glabrum, vertice longitudinaliter obsolete canaliculato; oculi supra conjunctim transversaliter sub-convexi, non nisi carinula tenui, elevatiore, disjuncti, subtus depressi, omnino connati; rostrum

temere scrobiculatum, supra bifariam sub-echinatum vel spinulosum, nigrum, maris longitudine capitis cum thorace, subtus undique, supra modo extrorsum, hirsutie rufo-castanea, dense vestitum, feminæ thorace brevius, paulo robustius, nudum. Antennæ ante medium rostri insertæ, nigro-piceæ, scapo sub-clavato, maris basin rostri haud plane attingente, feminæ nonnihil superante; funiculi articulis maris ob-conicis, tribus externis sub-æqualibus, feminæ sub-globosis, secundo in utroque sexu longitudine duorum sequentium, clava modice elongata, cylindrica, fusco-spongiosa, apice compressa, acuminata. Thorax feminæ latitudine baseos vix longior, maris eamdem nonnihil superans, antice duplo angustior, margine supra in medio leviter sinuato, intra apicem anguste constrictus, lateribus immarginatis, medio sat ampliatis, postice utrinque impressis, basi sat evidenter bi-sinuatus, tenuiter marginatus, margine lateribus exciso; supra modice convexus, dorso lateribusque confertim variolosus, subtus parcius punctatus, totus niger, sub-nitidus, subtus in mare rufescenti castaneo-hirsutus, in medio dorsi canalicula longitudinali, antice evanescente, impressus. Scutellum triangulare, fusco-holosericeum, læve. Elytra sub-linearia, thoracis medio vix latiora, antice sub-sinuata, postice conjunctim rotundata, thorace saltem maris, haud triplo longiora; supra æqualiter convexa, punctato-striata, punctis profunde excavatis, creberrimis, sub-transversis, interstitiis striis multo angustioribus, parum elevatis, disperse punctulatis, suturali postice sub-coriaceo; tota nigra, nitida, callo postico sat elevato. Pygidium parvum, rotundatum, rude punctatum, nigrum, griseo-pubescens. Corpus subtus nigrum, antice convexius, profunde confertim punctatum, postice sub-depressum, subtiliter punctulatum, pectore in medio canaliculato. Pedes, præsertim antici maris, sat elongati, nigri; femoribus omnibus simplicibus, inermibus, extrorsum fortius et confertius quam in conspeciebus punctatis; tibiis spinulis 3-5, plus minusve distinctis, armatis, apice nonnihil curvatis, uncinatis, anticis maris subtus versus apicem tenuiter fusco-castaneo-ciliatis; tarsis omnibus elongatis, subtus ferrugineo-spongiosis. — Fhs.

GENUS 370. SIPALUS. *Nobis.*

Sipalus SCHH. (1), BOISDUVAL, DEJEAN. — *Acorynus*, DEJEAN, olim. — *Calandra* FABR., GERMAR.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ; funiculo 6-articulato : articulo 2° aut breviter aut oblongo-sub-obconico, reliquis brevibus, sub-moniliformibus, apice truncatis, distantibus, æqualibus; clava pyriformi, bi-articulata, articulo basali rigido, ultimo breviter ovato, spongioso.

Rostrum elongatum, validum, teretiusculum, ante antennarum insertionem crassius, arcuatum, deflexum.

Oculi supra remoti, infra caput conniventes, oblongi, depressi.

Thorax sub-ovatus, basi truncatus, pone oculos plus minusve distincte lobatus.

Elytra oblongo-ovata, convexa, humeris obtusis.

Pedes longi, sub-æquales; femora versus apicem parum incrassata, mutica; tibiæ teretes, omnes apice inflexæ, interne unco valido armatæ; tarsi longi, angustati, subtus haud spongiosi.

Observ. — Corpus convexum, oblongum, sub-ovatum, rigidum, sæpius squamulosum, alatum; aut majoris, aut mediocris magnitudinis.

Patria : America, Africa, insula Java et Nova Guinea.

* 1. S. GUINEENSIS. FABR.

Oblongo-ovatus, niger, dense griseo-pulverulentus, rostro basi trisulcato, pone medium carinato, rugoso-punctato; thorace mox intra apicem utrinque profunde constricto, lato, anterius valde rotundato-ampliato, supra fere plano, rugoso, dorso obsolete carinato; elytris profunde striato-punctatis, interstitiis remote granulatis, alternis postice tuberculatis.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst. Suppl.* p. 165. 6-7.
Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 432. 12.
Sipalus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 302. *ed.* 3. p. 327.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 324.

Patria: Guinea. A Dom. WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Maximus hujus generis. Longitudo *Sipali granulati*, sed dimidio latior. Caput mediocre, rotundatum, convexum, nigrum, remote subtiliter punctulatum, griseo-pulverulentum; vertice transversim denudato; oculi magni, oblongi, transversi, infra caput connexi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, teretiusculum, arcuatum, a basi ad medium incrassatum, dein apicem versus tenuiore, apice ipso deplanatum, in medio infra antennas utrinque tuberculo sat magno instructum, supra basi in dorso tri-sulcatum, dein apicem versus carinatum, totum sat crebre sed parum profunde rugoso-punctatum, griseo-pulverulentum, apicem versus fere denudatum, parcius punctatum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, pulvere griseo dense obsitæ, clava sat magna, pyriformi, apice rotundata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem profunde constrictus, tum oblique valde rotundato-ampliatus, pone medium versus basin sensim angustatus, postice sub-truncatus, supra fere planus, sat crebre rugosus, dorso obsolete carinatus, niger, dense griseo-pulverulentus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, griseo-pulverulentum. Elytra antice conjunctim introrsum nonnihil emarginata, thorace paulo latiora, quam lata duplo longiora, humeris elevatis, rotundatis; ultra medium linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra in dorso parum convexa, postice declivia, sat profunde striatim punctata, punctis sub-remotis, interstitiis planis, singulis serie e granulis parvis, remotis obsitis, alternis dorsi tuberculis parum elevatis interjectis; tota nigra, a basi ultra medium obscure griseo-dein apicem versus dilutius pulverulenta. Corpus subtus nigrum, griseo-pulverulentum, pectore profundius ventre subtilius punctulatis. Pedes longi, validi, nigri, pulvere griseo tecti, granulis remotis obsiti; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis subteretibus, apice inflexis, unco valido armatis; tarsis angustis, elongatis, non spongiosis. — BHN.

* 2. S. BURMEISTERI. *Boheman.*

Oblongo-ovatus, niger, griseo-fuscoque-pulverulentus, rostro basi obsoletius tri-sulcato, pone medium non carinato; thorace mox intra apicem profunde constricto, posterius magis angustato, supra fere plano, evidenter rugoso et carinato; elytris remote atro-tessellatis, minus profunde striato-punctatis, interstitiis remote granulatis, alternis postice tuberculatis.

Sipalus granulatus. BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* p. 443.

Patria: Nova Guinea. A Dom. WESTERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Sipalo guineensi certe affinis, sed dimidio minor, rostro non carinato, thorace profundius rugoso, magis argute carinato, elytrorum punctis minus profunde impressis ut et colore alio, ab illo distinctus videtur. Caput mediocre, rotundatum, supra convexum, remote subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum, griseo-pulverulentum; fronte depressa; vertice transversim denudato; oculi magni, oblongi, perpendiculares, infra caput connexi, sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, teretiusculum, modice arcuatum, a basi ad medium incrassatum, dein apicem versus tenuius, apice ipso deplanatum, in medio infra antennas utrinque tuberculo parvo, obtuso, instructum; supra basi obsoletius tri-sulcatum, tuberculis remotis, parvis, obtusis, poriferis, obsitum, griseo-pulverulentum, apicem versus non carinatum, sat crebre parum profunde punctulatum, denudatum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, pulvere griseo vestitæ; clava sat magna, pyriformi, apice rotundata, fusco-spongiosa. Thorax latitudine baseos longior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem profunde constrictus, tum valde rotundato-ampliatus, lateribus pone medium versus basin obliquis, magis quam in *Sipalo guineensi* angustatus, postice truncatus, tenue marginatus, supra fere planus, sat crebre rude rugosus, dorso carinula, magis acute elevata, antice posticeque abbreviata, instructus; niger, dense fusco-griseoque-pulverulentus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, griseo-pulverulentum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thorace paulo latiora et illo plus duplo longiora, humeris elevatis, rotundatis: ultra medium linearia, tum apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra in dorso

modice convexa, postice declivia, parum profunde striatim punctata, punctis sub-remotis, oblongis, interstitiis planis, singulis serie e granulis parvis, remotis obsitis, alternis dorsi tuberculis parum elevatis interjectis: tota nigra, fusco-griseoque-pulverulenta, maculis sparsis, oblongis, atro-holosericeis tessellata, tuberculis granulisque dilutius squamosis. Corpus subtus nigrum, griseo-pulverulentum, pectore profundius, ventre subtilius punctatis. Pedes longi, validi, nigri, griseo-pulverulenti et parce setulosi. — Bhn.

* 3. S. Granulatus. *Fabricius.*

Oblongo-ovatus, niger, pulvere fusco-umbrino tectus, rostro basi profunde canaliculato, rugoso; thorace oblongo, supra convexo, dorso remote scrobiculato, lateribus noduloso; elytris profunde striato-punctatis, interstitiis subtiliter remote granulatis, alternis postice leviter tuberculatis.

Calandra granulata. Fabr. *Syst. El.* II. p. 432. 14.
Sipalus granulatus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 327.
Acorynus morbillosus. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99.

Patria: Insula Java et Sumatra.

Species *idem* testibus Dom. Dejean, Boisduval et Chevrolat.

Calandra gigas. Fabr. *Syst. El.* II. p. 429. 1.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 80. 9. T. 12. f. 146.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 394. 1. — *Mant.* I. p. 97. 1. — *Spec. Ins.* I. p. 161. 1. — *Syst. Ent.* p. 127. 1.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 472. 1.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1740. 55.
Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 21. 13. T. 61. f. 1.
Curculio Elephas. Fabr. *Mant.* I. p. 97. 7. — *Spec. Ins.* p. 162. 7.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 474. 12.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1742. 98.

Patria: Sumatra et insula Java. A Dom. Westermann benevole communicatus. Mus. Schh.

E maximis hujus generis. Longit. 10 lin. (rostro excluso). Caput mediocre, globosum, nigrum, punctis remotis, sat profundis impressum, fusco-umbrino-pulverulentum; oculi magni, infra

caput conniventes, oblongi, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, teretiusculum, valde arcuatum, nigrum, ante antennarum insertionem incrassatum, mox infra antennas tuberculo parvo utrinque instructum, supra in dorso sat profunde canaliculatum, rugosum, pulvere fusco tectum, tum apicem versus glabrum, minus profunde rugulosum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, crassiusculæ, nigræ, pulvere fusco-brunneo tectæ, clava sat magna, pyriformi, apice rotundata, fusco-pubescente. Thorax oblongus vel latitudine baseos dimidio longior, apice late sed parum profunde emarginatus, anterius nonnihil angustatus, sub-coarctatus, lateribus fere rectis, postice truncatus, supra convexus, niger, fusco-umbrino-pulverulentus, dorso scrobiculis oblongis, remote impressus, lateribus valide nodosus. Scutellum minutum, triangulare, dilute fusco-pulverulentum. Elytra basi conjunctim nonnihil emarginata, antice thorace paulo latiora et illo vix triplo longiora, humeris prominulis, oblique sub-angulatis; lateribus inflexa, pone humeros ultra medium linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, posterius declivia, a basi ultra medium profunde, dein subtiliter, striatim punctata, interstitiis fere planis, singulis serie e granulis parvis, remotis, obsitis, postice tuberculis minutis, parum elevatis, interjectis; tota nigra, dense fusco-umbrino-pulverulenta, in dorso postico maculis nonnullis obscurioribus et pallidioribus variegata. Corpus subtus nigrum, fusco-umbrino-pulverulentum, pectore profunde rude, ventre subtiliter remote, punctatis. Pedes longi, validi, nigri, pulvere fusco-griseo tecti, granulis remotis obsiti; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis teretibus, apice inflexis, unco valido armatis; tarsis angustis, elongatis, subtus canaliculatis, haud spongiosis. — BHN.

* 4. S. MENDICUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, pulvere obscure fusco-umbrino tectus, rostro basi obsolete canaliculato, ruguloso; thorace latiore, ante medium ampliato, supra plano, rude rugoso; dorso antico sub-carinato; elytris sat profunde striato-punctatis, interstitiis alternis postice remote tuberculatis, alternis granulatis.

Habitat in Sierra Leona. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Sipalo granulato minor; ab illo thorace latiore, ante medium valde rotundato-ampliato, supra plano, rude rugoso et antice carinato,

mox distinctus. Caput mediocre, rotundatum, nigrum, remote parum profunde punctatum, pulvere denso, obscure fusco-umbrino tectum. Oculi magni, infra caput conniventes, oblongi, depressi, nigri. Rostrum vix longitudine thoracis, validum, a basi ultra medium incrassatum, tum angustius, totum nigrum, supra ad medium obsolete canaliculatum, rugulosum, apicem versus minus profunde rugoso-punctatum. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, pulvere umbrino tectæ, clava pyriformi, apice obtuse acuminata, cinerea. Thorax latitudine baseos multo longior, basi apiceque truncatus, antice subito angustatus, coarctatus, lateribus mox pone apicem valde rotundato-ampliatus, tum versus basin iterum sensim angustatus, supra fere planus, undique rude rugosus; totus niger, pulvere obscure fusco-umbrino tectus, dorso antico sub-carinato. Scutellum minutum, triangulare, nigrum. Elytra basi conjunctim nonnihil rotundato-emarginata, antice thoracis basi paulo latiora humeris prominulis, elevatis, oblique angulatis, lateribus inflexa, thorace triplo longiora, pone humeros ultra medium linearia, tum apicem versus sensim angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, nigra, pulvere obscure fusco-umbrino dense adglutinato, sat rude minus regulariter striatim-punctata, interstitiis pone medium alternis granulatis, alternis tuberculis remotis obsitis. Corpus subtus nigrum, pulvere obscure umbrino tectum, pectore rude ventre obsolete punctatis. Pedes longi, validi, nigri, remote punctati, pulvere umbrino tecti; femoribus vix incrassatis, muticis; tibiis teretibus, apice inflexis, intus unco valido armatis; tarsis angustis, elongatis, subtus canaliculatis, haud spongiosis.

BHN.

♂♀ 5. S. STRIATUS. *Dejean.*

Oblongus, niger, sub-opacus, parce griseo-pulverulentus; fronte foveolata; thorace supra plano, profunde sub-remote punctato, antice constricto, elytris dorso planis, profunde striatis, striis subtiliter punctatis, interstitiis granulatis.

Mas: dimidio minor, rostro breviore, crassiore, supra vix carinato, apicem versus angustato.

Femina: major, rostro longiore, tenuiore, supra basi carinato, a medio apicem versus angustato.

Sivalus striatus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 327.

Acorynus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* I. p. 99.

Patria : Cayenna. A Dom. Com. DEJEAN amice communicatus. Mus. SCHH.

Sipalo subulato dimidio minor, latior et supra magis depressus. Caput breve, rotundatum, supra modice convexum, sub-remote sat profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum, parce griseo-pulverulentum; inter oculos foveola sat profunda insculptum; oculi ovati, haud prominuli, nigri. Rostrum thorace multo brevius, basi crassius, maris apicem versus angustatum, supra non carinatum, feminæ a medio apicem versus angustius; supra basi carinatum in utroque parum arcuatum, sub-remote punctatum, nigrum, minus dense griseo-pulverulentum. Antennæ in medio rostri sitæ breves, validæ, nigræ, griseo-setulosæ, clava ob-ovali, apice truncata. Thorax latitudine paulo longior, apice late emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, tubulatus, lateribus mox pone apicem rotundato-ampliatus, dein versus basin angustatus, postice sub-truncatus, supra paulo convexus, fere planus, dorso remotius, lateribus magis dense, sat profunde punctatus, niger, sub-nitidus, punctis pulvere griseo repletis. Scutellum parvum, rotundatum, sub-depressum, nigrum, impunctatum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris antrorsum parum prominulis, rotundatis; lateribus non ampliata, pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, ante apicem gibbere obsoleto instructa, sat profunde striata, striis in fundo parum profunde punctatis, interstitiis sub-convexis, anterius obsoletius, remotius, apicem versus evidenter crebrius griseo-granulatis; tota nigra, sub-opaca. Corpus subtus remote parum profunde punctatum, nigrum, punctis indumento griseo repletis. Pedes elongati, validi, nigri, sat dense griseo-pulverulenti; femoribus paulo clavatis, muticis; teretibus, apice intus acute uncinatis. — BHN.

♂♀ 6. S. SUBULATUS. *Germar.*

Oblongus, niger, obscurus, parce griseo-pulverulentus, rostro basi constricto, rude punctato; thorace oblongo, profunde dorso remotius punctato; elytris cylindricis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis valde remote griseo-leprosis.

Calandra subulata. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 301. 442. 5.

Sipalus morbillosus. DEJEAN, *ed.* 2, p. 303. *ed.* 3. p. 327.

Mas : rostro crasso, modice arcuato, lineari, undique profunde punctato.

Femina : rostro a basi ad antennas crasso, rude rugoso-punctato, anterius angustiori, nitido, subtiliter punctato.

Patria : Brasilia. A Dom. GERMAR et FALDERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo 6 lin. Angustus, cylindricus. Caput breve, rotundatum, crassum, nigrum, opacum, punctis remotis, parum profundis insculptum, inter oculos foveola parva, sub-rotunda impressum; oculi laterales, ovati, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, crassiusculum, lineare, arcuatum, in ipsa basi utrinque profunde constrictum, supra sat profunde minus crebre punctatum, punctis pulvere griseo repletis; totum nigrum, opacum. Antennæ fere in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, clava ob-ovali, obtusa. Thorax oblongus, latitudine media longior, apice leviter emarginatus, mox intra apicem obsolete coarctatus, lateribus ante medium modice rotundato-ampliatus, antice posticeque angustatus, basi truncatus, tenue reflexo-marginatus, supra parum convexus, niger, punctis fusco-pulvinatis, dorso remotis, minus profundis, lateribus crebrius et profundius impressis, in singulis squama minuta, pallida, erecta. Scutellum parvum, oblongum, nigrum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris parum prominulis, rotundatis; lateribus linearia, cylindrica, apicem versus paulo angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra convexa, ante apicem gibbere obsoleto instructa, nigra, opaca, subtiliter punctato-striata, punctis striarum subremotis, interstitiis planis, vesiculis rotundis, pallidis, vage remote adspersa. Corpus subtus nigrum, opacum, pectore parce remote, ventre vix, punctatis. Pedes longi, validi, nigri, vesiculis remotis pulvereque fusco adspersi; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice inflexis et acute uncinatis; tarsis elongatis, angustis, subtus griseo-setosis.

Femina : rostri structura et punctura a masculo solum differt.

BHN.

♂♀ 7. S. SPHACELATUS. *Dejean.*

Oblongus, niger, opacus, densius griseo-pulverulentus, capite crebre punctato, rostro basi constricto, non foveolato; thorace oblongo, lateribus magis rotundato, profunde confertim-punctato; elytris cylindricis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis griseo-leprosis.

Mas : duplo minor, rostro crasso, lineari.

Femina : multo major, rostro a medio apicem versus tenuiore.

Sipalus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 327.

Patria : Carthagena. A Dom. Com. DEJEAN, benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Sipali subulati*, nonnihil tamen minor, capite crebrius punctato, rostro basi non foveolato, thorace ante medium utrinque magis rotundato, elytris evidenter etsi subtiliter punctato-striatis. Caput breve, crassum, supra convexum, sub-remote sat profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum, punctis pulvere griseo repletis; oculi laterales, ovati, subdepressi, obscure brunnei; rostrum thorace multo brevius, validiusculum, arcuatum, basi constrictum, maris lineare, profundius punctatum, inter antennas carinatum, feminæ a medio apicem versus tenuius, teres, ibique obsoletius punctatum, in utroque nigrum, griseo-pulverulentum. Antennæ nigræ. Thorax latitudine media paulo longior, apice late sed parum profunde emarginatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus valde rotundato-ampliatus, posterius angustior, basi truncatus, reflexo-marginatus, supra paulo convexus, sat crebre et rude punctatus, niger, sub-opacus, punctis pulvere griseo repletis. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, dense cinereo-squamulosum. Elytra antice conjunctim obsolete emarginata, thoracis medio fere angustiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus non ampliata, pone medium apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, ante apicem gibbere obsoleto instructa, tenue punctato-striata, punctis striarum sub-remotis, interstitiis planis, vesiculis rotundis, pallidis, remote vage adspersa, pulvereque griseo sat dense obsita. Corpus subtus remote parum profunde punctatum, nigrum, opacum, griseo-pulverulentum. Pedes elongati, validi, nigri, remote

punctati et griseo-pulverulenti; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice inflexis et acute uncinatis. — BHN.

8. S. BRACTEOLATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, piceus, sub-opacus, parce griseo-pulverulentus, capite subtiliter sub-remote punctato, rostro lineari, basi carinato; thorace oblongo, antice profunde constricto, lateribus paulo rotundato, undique sub-remote punctato, dorso obsolete carinato; elytris cylindricis, evidenter punctato-striatis, interstitiis seriatim albido-leprosis.

Patria: Vera Crux in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum missus.

Sipalo sphacelato ♂ dimidio minor, angustior, capite rostroque minus profunde punctatis, thorace medio carinato, utrinque minus rotundato, intra apicem profunde constricto, elytris evidenter punctato-striatis, crebrius albo-leprosis etc. ab illo distinctus. Caput breve, supra convexum, subtiliter sub-remote punctatum, nigrum, sub-nitidum, punctis pulvere griseo repletis; oculi ovati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, validum, lineare, arcuatum, basi utrinque leviter constrictum, supra a basi ad medium carinatum, undique sat crebre minus profunde punctatum, nigrum, parce griseo-pulverulentum. Antennæ validæ, nigræ, clava ob-ovali, obtusa, apice cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice late sed parum profunde emarginatus, lobis ocularibus parum prominulis, rotundatis; mox intra apicem profunde constrictus et transversim impressus, lateribus modice rotundatus, postice truncatus, tenue reflexo-marginatus, supra modice convexus, sub-remote punctatus, punctis pulvere griseo repletis, dorso tenue carinatus; totus nigro-piceus, sub-opacus. Scutellum parvum, oblongum, nigro-piceum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis, non elevatis; lateribus linearia, pone medium apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, evidenter striata, striis in fundo sub-remote parum profunde punctatis, interstitiis paulo convexis, vesiculis parvis, rotundis, albidis, sat crebris, seriatim obsitis; tota picea, sub-opaca. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigro-

piceum, parce griseo-pulverulentum. Pedes elongati, picei, griseo-pulverulenti; femoribus vix clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice incurvis, acute uncinatis. — BHN.

* 9. S. LEPROSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, parce griseo-pulverulentus, rostro lineari, basi obsolete bi-sulcato, apicem versus carinato; thorace angustiore, crebre parum profunde rugoso-punctato, tenue carinato; elytris cylindricis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis sat crebre griseo-leprosis.

Patria : Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *Sipali subulati*, sed fere dimidio angustior, rostro basi non constricto, thorace angustiore, crebrius rogoso-punctato etc., ab illo facile distinctus. Caput mediocre, rotundatum, convexum, nigrum, subtiliter sat crebre punctatum, parce griseo-pulverulentum, inter oculos foveola oblonga, profunda, insculptum; oculi laterales, oblongi, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validiusculum, lineare, arcuatum, nigrum, supra a basi ultra medium obsolete bi-sulcatum, granulatum, dense griseo-pulverulentum, dein apicem versus carinatum, punctulatum, denudatum, subtus ad insertionem antennarum nonnihil ampliatum. Antennæ apicem rostri proprius insertæ, crassiusculæ, nigræ, parce griseo-pulverulentæ, clava pyriformi, griseo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice late sed parum profunde emarginatus, mox intra apicem constrictus et transversim impressus, tum valde rotundato-ampliatus, versus basin iterum nonnihil angustatus, postice sub-truncatus, ibique tenue marginatus, supra modice convexus, undique sat crebre parum profunde rugosus, dorso tenue carinatus; totus niger, griseo-pulverulentus. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra antice conjunctim introrsum leviter emarginata, thorace paulo latiora et latitudine triplo longiora, cylindrica, humeris elevatis, obtuse rotundatis; lateribus versus apicem linearia, apice conjunctim rotundata, supra convexa, postice declivia, subtiliter punctato-striata, vesiculis griseis sat dense adspersa. Corpus subtus nigrum, sub-remote punctulatum, punctis pulvere griseo repletis. Pedes longi, validi, nigri, granulis

remotis obsiti; femoribus haud clavatis, muticis; tibiis teretibus, apice inflexis acute et valide uncinatis; tarsis elongatis, angustis, subtus griseo-setosis. — BHN.

* 10. S. PORRIGINOSUS. *Schh.*

Oblongus, niger, pulvere fusco-griseo tectus, rostro lineari, basi profunde foveolato, apicem versus obsolete carinato; thorace oblongo-ovato, confertim punctato, leviter carinato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis remote obsolete granulatis.

Habitat in insula Guadeloupe. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Præcedentibus multo minor. *Brachyderi incano* magnitudine æqualis. Caput parvum, globosum, nigrum, vertice lævi, fronte sat profunde remote punctata; oculi magni, infra caput conniventes, depressi, obscure brunnei. Rostrum longitudine fere thoracis, crassiusculum, modice arcuatum, lineare, basi profunde late foveolatum, a medio apicem versus leviter carinatum, nigrum, pulvere griseo dense tectum. Antennæ mox pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigræ, pulvere griseo adspersæ, clava pyriformi, apice sub-obtusa, cinerea. Thorax oblongo-ovatus, basi apiceque truncatus, antice posticeque nonnihil angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, supra nonnihil convexus, niger, pulvere griseo tectus, undique crebre punctatus, dorso longitudinaliter obsolete carinatus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, pulvere griseo tectum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis medio paulo latiora, humeris parum prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, thorace triplo fere longiora, apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis granulis obsoletis, valde remotis, obsitis; tota nigra, pulvere fusco-griseo tecta. Corpus subtus nigrum, pulvere fusco-griseo tectum, pectore rude profunde, ventre obsolete, punctatis. Pedes longi, validiusculi, nigri, pulvere griseo tecti; femoribus vix incrassatis, muticis, tibiis teretibus, apice valide uncinatis; tarsis elongatis, angustis, subtus canaliculatis, haud spongiosis.

BHN.

11. S. RUBETRA (1). *Olivier.*

Ater, elytris striatis, rostro bascos tibiisque posticis dentatis.—OLIV.

Calandra id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 85. 16. *Curculio.* T. 4. f. 34. a. b. c.

Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 476. 21.

Rhynchophorus gagates. HERBST, *Col.* VI. p. 26. 18. T. 61. f. 8.

Patria : Cayenna.

GENUS 371. ORTHOGNATHUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breves, validæ, funiculo 6-articulato; articulis duobus basalibus brevibus, sub-turbinatis, reliquis adhuc brevioribus, transversis; clava breviuscula, scyphiformi, paulo compressa, bi-articulata.

Rostrum elongatum, validum, sub-teres, versus apicem complanatum; mandibulæ exsertæ, rectæ, cuneiformes.

Oculi supra remoti, infra caput fere connexi, oblongo-sub-ovati, depressi.

Thorax amplus, breviter ovatus, basi truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, apice sub-truncatus, pone oculos perparum lobatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, convexa, anum obtegentia.

Pedes breviusculi; tarsi angustati.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ovatum, supra convexum, glabrum, nudum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, mox ante medium rostri insertæ, validæ, fractæ, 9-articulatæ : articulo 1° oculum sub-attingente, clavato, 2° et 3° brevibus, sub-turbinatis, 4-7 transversis, apice truncatis, coarctatis, æqualibus; clava breviuscula, poculiformis, paulo compressa, bi-articulata : articulo ultimo spongioso, apice parum convexo. — *Rostrum* capite duplo longius, validum, deflexum, lineare, sub-rectum, supra paulo convexum, infra planiusculum, carinatum, apice bi-lanceolatum; fovea antennali brevi; mandibulæ exsertæ, rectæ, longæ, cuneiformes, edentulæ. —

(2) Forte hujus generis, mihi invisus.

Oculi supra distantes, demissi, oblongi, sub-ovati, inferne acuminati, approximati, depressi. — *Thorax* amplus latitudine baseos sesqui-longior, basi truncatus, lateribus æqualiter valde rotundato-ampliatus, anterius vix angustior, apice sub-truncatus, lobis ocularibus exiguis, supra modice convexus, pulvinatus, infra pone gulam leviter emarginatus.—*Scutellum* mediocre, sub-rotundatum, depressum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora illoque duplo longiora, oblongo-ovata, valde convexa, humeris rotundatis; apice singulatim acute rotundata, pygidium sub-obtegentia. — *Pedes* breviusculi, longitudine sub-æquales, validi; femoribus in medio incrassatis, paulo compressis, muticis, anticis basi approximatis; tibiis rectis, anticis angulatis, apice dentibus duobus validis obtusis, divergentibus, armatis; quatuor posterioribus paulo compressis, a basi sensim crassioribus, apice oblique truncatis, muticis; tarsis angustatis, subtus haud spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ὀρθὸς rectus, γνάθος mandibula.

TYPUS : *orthognathus lividus;* e Brasilia.

* 1. O. LIVIDUS. *Schh.*

Oblongus, convexus, livido-testaceus, nitidus, glaber; thorace amplo, lateribus confertim varioloso-punctato, disco sub-lævi; elytrorum sulcis remote punctatis, interstitiis lateralibus convexis, dorsalibus latioribus planis, omnibus subtiliter, disperse punctatis.

Patria : Brasilia. A Dom. WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *Sphenophori abbreviati,* feminæ. Caput parvum, sub-globosum, disperse punctatum, testaceum, nitidum, fronte foveola profunda, rotundata impressa; oculi demissi, sub-ovati, depressi, nigri. Rostrum capite duplo longius, validum, fere rectum, supra late canaliculatum, disperse punctulatum, testaceo-lividum, mandibulis magnis, porrectis, conicis, concoloribus. Antennæ breves, crassæ, obscure lividæ. Thorax amplus, latitudine medii vix brevior, antice posticeque angustior, apice utrinque sinuatus, lobo medio sub-truncato; lateribus valde rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, pulvinatus, versus latera confertim varioloso-punctatus, in disco fere

lævis, testaceo-lividus, nitidus, glaber. Scutellum sub-ovatum, læve, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi vix latiora, sed pone basin oblique ampliata, humeris rotundatis; apice singulatim acute rotundata, thorace duplo longiora, supra convexa, late sulcata, sulcis remote, subtiliter crenato-punctatis, interstitiis lateralibus convexis, dorsalibus antice latioribus, planis; omnibus subtiliter, disperse punctatis; testaceo-livida, nitida, glabra. Corpus subtus inæqualiter, obsolete, disperse punctatum, pallidius testaceum, glabrum. Pedes breviusculi, validi, pallide testacei, femoribus medio crassioribus, lævibus, nitidis; tibiis compressis, scabris, versus apicem latioribus; tarsis elongatis, angustis, subtus non spongiosis. — GHIL.

GENUS 372. STROMBOSCERUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; funiculo 5-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, turbinatis, reliquis transversis, coarctatis, successive latioribus; clava oblonga, apice oblique truncata, bi-articulata, articulo ultimo spongioso, depresso.

Rostrum elongatum, teres, arcuatum, deflexum.

Oculi supra remoti, infra caput connexi, oblongi, depressi.

Thorax oblongus, basi leviter bi-sinuatus, lateribus pone medium paulo rotundatus, anterius angustior, supra aliquantisper convexus.

Elytra oblonga, sub-linearia, humeris obtusis, nonnihil retusis; versus apicem sensim paulo angustior, apice conjunctim rotundata.

Pedes mediocres; tibiæ apice unco valido armatæ; tarsi angustati.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, supra nonnihil convexum, sculpturatum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix attingentes, in medio rostri sitæ, validæ, fractæ, 8-articulatæ; scapo oculum vix attingente, apice valde clavato; funiculo una cum clava conum ob-versum formantes, articulis duobus basalibus sub-turbinatis, 3-5 brevibus, transversis, apice truncatis, gradatim latioribus, valde coarctatis, ultimo clavæ arcte adnexo; clava oblonga, bi-articulata: articulo 1° extus ob-ovato, intus apice oblique truncato, ultimo spongioso, retractili. — *Rostrum* thorace longius, sub-tenue, teres, valde arcuatum, deflexum; fovea an-

temnali brevi. — *Oculi* supra valde distantes, demissi, infra caput connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus posterius subrectis, dein modice rotundatus, anterius sensim augustior, longe intra apicem utrinque coarctatus, apice supra sub-truncatus, lateribus utrinque leviter emarginatus infra pone gulam vix emarginatus, supra nonnihil convexus. — *Scutellum* oblongum, apice rotundatum. — *Elytra* basi conjunctim leviter emarginata, antice thoracis basi paulo latiora illoque triplo longiora, humeris obtusis, sub-retusis; a medio ad apicem sensim angustiora, apice obtuse rotundata, anum obtegentia, supra paulo convexa. — *Pedes* mediocres, sub-æquales, validiusculi; femoribus sub-clavatis, muticis, anticis basi approximatis; tibiis sub-rectis, teretiusculis, apice truncatis, intus unco valido, acuto, horizontali, armatis; tarsis angustatis, subtus haud spongiosis, articulo ultimo clavato, bi-unguiculato.

A στρόμβος turbo, κερας cornu.

TYPUS. — *Stromboscerus Schuppeli;* e Madagascar.

Observ. — Genus hocce quoad antennarum formam generi *Eurhino* fere appropinquat.

* 1. S. SCHUPPELI. *Schh.*

Elongatus, sub-convexus, niger, fere glaber; thorace oblongo, profunde, disperse punctato; elytris remote punctato-striatis, interstitiis convexis, sub-lævibus.

* VAR. β. Pulvere cinereo inæqualiter adspersus.

Patria: Madagascar. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH. var. β, ex Musæo Regio Gallico designatus.

Statura elongata et fere facies *Cossoni linearis*, sed paulo major, latior. Caput parvum, sub-globosum, confertim subtilius punctatum, nigrum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, valde arcuatum, confertim punctatum, obsolete carinatum, nigrum, basi striga transversa a capite disjunctum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos paulo longior, anterius nonnihil angustior, apice leviter bi-sinuatus, pone apicem in utroque latere striga profunda impressus, lateribus pone strigam versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus elevato-marginatus, supra sub-con-

vexus, punctis majusculis, profundis, dispersis impressus; niger, sub-nitidus. Scutellum oblongum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-retusis; posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, evidenter striata, striis remote punctatis, interstitiis convexis, sub-lævibus; nigra, sub-nitida. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum. Pedes mediocres, nigri.

In var β, puncta, præsertim thoracis et paginæ inferioris, pulvere cinereo repleta, unde guttulas cinereas referunt; rostrum et pedes etiam cinereo-pulverulenta. GHL.

SUBDIVISIO II. GYMNOPYGI.

Antennæ versus basin rostri insertæ; funiculus semper 6-articulatus. Pygidium nudum, seu ab elytris non tectum.

GENUS 373. RHYNCHOPHORUS. HERBST.

Rhynchophorus HERBST, SCHH. (1), STEVEN. — *Calendra* ILLIGER, GERMAR (2). — *Calandra* FABR., OLIV., LATR., ILLIG. (3), DEJEAN, STURM, — *Cordyle* THUNB. (4), BILLBERG. — *Curculio* LINNÉ et plures.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ; articulis primis funiculi breviusculis, sub-turbinato-obconicis, reliquis brevioribus, aut apice truncatis, aut sub-globosis; clava mediocri, transversa, compressa, securiformi.

Rostrum elongatum, validiusculum, sub-teres, ante insertionem antennarum crassius, dein subtenue; in masculis supra versus apicem sæpissime cristatum.

Thorax sub-ovatus, basi productus, aut bi-, vel 4-sinuatus, aut obtuse rotundatus, antice angustior, pone apicem in utroque latere

(1) Herbst, Col. VI. p. 3. T. o. fig. 1-5. — Schh. Curc. Disp. Meth. p. 326. 191. Stirps 1.

(2) Illig. Mag. III. p. 103. 169. — Germar, N. Wetter. Annal. I. I. p. 128.

(3) Fabr. Syst. El. II. p. 429. 158. — Oliv. Ent. V. p. 71. 1. — Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. III. p. 198. et XI. p. 97. — *Id.* Gen. Cr. et Ins. II. p. 269. 282. — *Id.* Règne Anim. p. 395. — *Id.* les Crust., les Arachn et les Ins. II. p. 88. — *Id.* Consid. génér. p. 223. 231. — Illig. Mag. VI. p. 324.

(4) Thunberg, N. Acta Ups. VII. p. 107. — *Id.* Acta Holm. 1797. I. p. 44.

striga transversa impressus, apice truncatus, supra planiusculus.

Elytra sub-ovata, apice singulatim sub-rotundata, fere truncata.

Pedes breviusculi, longitudine sub-æquales, subtus ciliati.

Descriptio. — *Corpus* elliptico-ovatum, supra planiusculum, perparum convexum, opacum, aut glabrum, aut holosericeum, alatum; partim maximi partim majoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium haud attingentes, prope basin rostri sub tuberculo laterali insertæ, validiusculæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracis apicem attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo reflexo, 6-articulato: articulo 1° interdum etiam 2° breviusculis, turbinato-obconicis, 3-6 adhuc brevioribus aut apice truncatis, aut sub globosis, omnibus parum distantibus, ultimo nonnihil crassiore; clava mediocris, transversa, compressa, apice truncata, securiformis, bi-articulata: articulo basali corneo, ultimo spongioso, lineato, acutangulato vel cultrato. — *Rostrum* fere longitudine thoracis, validiusculum, teres, ante insertionem antennarum crassius, dein versus apicem subtenue, sub-deflexum; in masculis sub-rectum, supra sæpissime versus apicem cristatum; in feminis magis arcuatum, apice sæpius attenuatum, supra læve; fovea antennali ad basin rostri lateraliter sita, oblonga, curvata, profundissima.—*Oculi* laterales, infra caput fere connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* magnus, latitudine longior, sub-ovatus, basi productus, aut bi-, vel quadri-sinuatus, aut semi-rotundatus, sive marginatus, sive immarginatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, pone apicem in utroque latere striga transversa insculptus, unde lobus anticus sub-tubulatus videtur, collum quasi mentiens; apice ipso truncatus, supra planiusculus, subtus integer. — *Scutellum* mediocre, elongato-triangulare, apice acutum, supra depressum. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora et illo fere sesqui-longiora, basi conjunctim introrsum rotundato-emarginata, lobo humerali antrorsum producto; pone basin paulo ampliata, lateribus sub-rectis, posterius sensim paulo angustiora, apice singulatim sub-rotundata, fere truncata, supra planiuscula. — *Pygidium* sub-triangulare, paulo deflexum. — *Pedes* breviusculi, longitudine sub-æquales, validi, subtus præsertim in masculis, sæpius valde dense ciliati; femoribus modice incrassatis, compressis, muticis, omnibus basi modice distantibus; tibiis compressis, sub-rectis, apice unco fixo, valido, inflexo terminatis; tarsis gracilibus, arti-

culo 3º paulo latiore, apice sub-truncato, integro, subtus spongioso, ciliato, ultimo elongato, bi-unguiculato.

A ῥύγχος rostrum, φορὸς ferens.

TYPUS. — *Rhynchophorus palmarum.*

Patria : America, Africa, insula Java.

Observ. — Genus hocce ab affinibus præcipue distinguitur; corpore supra planiore; rostro maris sæpissime supra versus apicem cristato, apice vix vel parum reflexo; pedibus omnibus brevibus, femoribus tibiisque subtus in masculis vero densius ciliatis.

STIRPS I. *Thorax postice productus, bi-vel quadri-sinuatus.* (Species 1-7.)

♂♀ 1. R. BORASSI. *Fabricius.*

Ater, nitidus; rostro crassiusculo, mandibulis lateraliter exsertis; thorace postice producto, bi-sinuato; elytris apice conjunctim obtusissime rotundatis, singulo sulcis quinque profundis, sub-lævibus exarato; pedibus subtus atro-ciliatis, tarsis ferrugineo-spongiosis.

Mas : Ut opinor a femina tantum differt; rostro paulo breviore, magis incurvo thoracis lobo postico nonnihil breviore, et pygidio magis convexo.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 430. 5.

Patria : America meridionalis. Mus. SCHH. et GHL.

Rhynchophoro palmarum duplo major, et ultra. Caput breve, modice convexum, vix punctulatum, atrum, nitidum, fronte inter oculos foveola parva, rotundata impressa; oculi depressi, nigri; rostrum maris capite quadruplo longius, validum, teres, extrorsum arcuatum, in ipso apice supra breviter canaliculatum, et utrinque lamina obtusa, lateraliter extensa præditum, mandibulas forte efficientes; supra punctulatum, atrum, nitidum, non cristatum; rostrum feminæ tertia parte longius, æque crassum, supra fortius ruguloso-punctatum. Antennæ breves, validæ, nigræ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax amplus, sub-ellipticus, latitudine medii dimidio longior, apice sub-truncatus, longe pone apicem in utroque latere sulco transverso insculptus, unde antice quasi tubulatus; lateribus pone stricturam ampliatis, dein fere

rectis; basi valde productus, utrinque sinuatus, apice ipso rotundatus, supra fere planus, in masculo lævis, ater, nitidissimus, in femina versus latera subtiliter, obsolete punctulatus, lobo postico adhuc longius producto, utrinque profundius sinuato, cæterum æque nitidus. Scapulæ magnæ, in triangulum acutum adscendentes. Scutellum oblongo-triangulare, apice subulatum, atrum. Elytra antice conjunctim profundissime emarginata, pro receptione lobi postici thoracis, angulo humerali antrorsum producto, rotundato; pone basin nonnihil ampliata, lateribus dein fere rectis, apice sub-truncata vel obtusissime rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in disco plana, singulo introrsum sulcis quinque profundis, vix punctatis, apicem haud attingentibus exarato, quorum duo exteriores in masculo apice arcuatim confluunt, in femina etiam intermedii; interstitia lata, sub plana, vix punctulata; tota atra nitida. Pygidium magnum, triangulare, maris paulo brevius, magis convexum, in utroque disperse punctulatum, atrum et atro-setulosum. Corpus subtus subtilissime, disperse punctulatum, atrum, nitidissimum, politum, segmento anali ad margines dense atro-ciliato. Pedes breviusculi, validi, atri, nitidi, antici subtus dense, reliqui parcius atro-ciliati; tarsi graciles, articulo tertio valde dilatato, subtus ferrugineo-spongioso.—Ghl.

♀ 2. R. Politus. *Dejean.*

Angustior, ater, nitidus rostro longiore, incurvo, apice non reflexo; thorace postice producto, sub-quadri-sinuato, pedibus anterioribus subtus dense atro-ciliatis, tarsis subtus brunneo-spongiosis.

Calandra polita. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99. *ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Habitat Cayennæ. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Rhynchophoro Borassi simillimus ejusdemque longitudinis, sed angustior, rostro longiore, attenuato, apice non reflexo, thorace postice magis sinuato, etc. distinctus. Caput convexum, rotundatum, punctulatum, nigrum; oculi elongati, angusti, nigri, subdepressi; rostrum longum, extrorsum attenuatum, apice incurvum, sed non reflexum, confertim punctatum et rugulosum, nigrum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, clava apice brunneo-spongiosa. Thorax latitudine media fere dimidio longior, anterius angustior,

apice sub-tubulatus, leviter emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus sensim ampliatus, basi valde productus, utrinque leviter bi-sinuatus, lobo medio acute rotundato; supra perparum convexus, in disco lævissimus, versus margines disperse punctulatus, totus niger, nitidus. Scutellum triangulare, nigrum, apice acutissimum. Elytra antice conjunctim valde sinuato-emarginata, thoracis basi arcte applicata illoque ibi non latiora, pone basin oblique ampliata, humeris parum prominulis, posterius paulo angustiora, apice sub-truncata, thorace parum longiora, supra fere plana; in singulo elytro interne sulci quinque lati, profunde insculpti, vix in fundo punctati, apice abbreviati, interstitiis subconvexis, subtiliter disperse punctulatis; extra sulcos striæ nonnullæ obsoletiores, subtiliter confertim punctulatæ; tota nigra, nitida. Pygidium magnum, triangulare, incurvum, disperse punctatum, basi fusco-tomentosum, lateribus nigro-ciliatum. Corpus subtus nigrum, nitidum, glabrum, versus latera disperse, obsolete punctulatum. Pedes breviusculi, validi, nigri, obsolete punctulati, femoribus tibiisque anterioribus subtus barba longa et densa atra ciliatis, tarsis dilatatis, subtus brunneo-spongiosis.

GHL.

♂♀ 3. R. PALMARUM. *Linneus.*

Ater, supra opacus, subtus nitidus; thorace basi bi-sinuato, lobo medio modice producto, scutello valde elongato, femoribus tibiisque omnibus subtus nigro-ciliatis. — GHL.

Mas: rostro supra anterius crista densa atro-setosa instructo.

Femina: rostro apice attenuato, glabro.

HERBST, *Col.* VI. p. 5. 1. T. 60. f. 1. ♂.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 430. 3.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 77. 4. *Curculio.* T. 2. f. 16. a. ♀. b. ♂.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 99. 1. T. 24. f. 7. — *Id. les Crust., les Arachn. et les Ins.* II. p. 89.

CUVIER, *Règne anim.* III. p. 329.

LAMARCK, *Anim. sans vertèbres.* IV. p. 354. 1.

Dict. des Sciences nat. VI. p. 193. 1.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303.

Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 42. 1. — *Syst. nat.* I. II. p. 606. 1. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1740. 1.

Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 395. 2. — *Mant.* I. p. 97. 2. — *Spec. Ins.* I. p. 162. 2. — *Syst. Ent.* p. 128. 2.

De Geer, *Ins.* V. p. 269. T. 15. f. 26. ♂.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 472. 3.

Herbst (Borowsky), *Naturg.* VI. p. 106. 1. T. 14. f. 1. ♂.

Herbst, *Arch.* p. 68. 1.

Cuvier, *Dyr-Hist.* II. p. 174. 1.

Voet, *Col. ed.* Panz. IV. p. 58. 25. T. 37. f. 25. ♀.

Scop. *Ann.* V. *Hist. nat.* p. 89. 40.

Blumenb. *Handb. ed.* 7. p. 327. 1.

Leske, *Naturg.* I. *ed.* 2. p. 475. 1.

Cordylæ id. Thunberg. *Acta Holm.* 1797. p. 47. 1. ♀.

Gronov. *Zooph.* p. 167. 578. *Curculio.*

Sulz. *Kennz d. Ins.* T. 3. f. 20. ♀.

Merian. *Surim. Ins.* p. 48. T. 48. ?

Petiv. *Gazoph.* T. 35. f. 5.? et T. 147. f. 14. Secundum fig. Merian.

Plin. *Hist. nat.* liv. XVII. cap. 24. Larva.

Patria : America meridionalis, Brasilia, Cayenna, Surinam.

4. R. Noxius. *Chevrolat.*

Ater, supra sub-opacus, subtus nitidissimus; rostro valido, arcuato; thoracis lobo postico apice emarginato; elytris apice singulatim sinuato-rotundatis, singulo supra sulcis sex sub-lævibus exarato, extimo tenui, obsoleto; pedibus subtus atro-ciliatis.

Patria : America borealis, Bostoni. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Magnitudo et statura *Rhynchophori palmarum.* Individuum visum feminini sexus videtur, pygidio fere plano. Caput breve, parum convexum, confertim punctulatum, atrum, sub-opacum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, validum, modice arcuatum, apice nonnihil crassius et sub-angulatum, supra planum, absque mandibulis exsertis; cæterum cylindricum, punctulatum, atrum, parum nitidum. Antennæ mediocres, atræ. Thorax amplus, ellipticus, latitudine medii longior, apice sub-truncatus, longe pone apicem in utroque latere striga transversa impressus; lateribus

pone strigam oblique ampliatis, dein rectis; basi modice productus, lobo rotundato, in medio emarginato; supra fere planus, obsolete, disperse punctulatus, ater, sub-opacus. Scapulæ magnæ, in triangulum acutum ante humeros elytrorum adscendentes. Scutellum oblongo-triangulare, subulatum, atrum. Elytra antice conjunctim profunde emarginata, angulo humerali antrorsum producto, rotundato; pone basin oblique ampliata, lateribus dein fere rectis; apice extrorsum singulatim rotundata, introrsum sinuato-emarginata; thorace parum longiora, supra plana, in singulo interne sulcis quinque sat profundis, impunctatis exarata, quorum quartus et quintus apice arcuatim conjuncti; extra illos stria sexta, tenuis, obsoleta, observatur; tota atra, non nitida. Pygidium magnum, triangulare, fere planum, disperse punctatum, atrum, ad margines atro-setosum. Corpus subtus obsolete, disperse punctulatum, atrum, nitidissimum. Pedes breviusculi, validi, atri, nitidi, femoribus tibiisque subtus atro-ciliatis. — Gyl.

* 5. R. Reaumuri. *Gyllenhal.*

Ater, thorace elytrisque supra opacis, limbo corporeque nitidis; rostro tuberculato, versus apicem spina compressa instructo; thorace postice quadri sinuato; scutello elongato, ante apicem latiore; pygidio bi-fasciculato, apice punctato et canaliculato; femoribus posticis obtuse dentatis.

Calandra serrirostris. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 327.

Patria: Insula Java. A Com. Dejean, benevole donatus. Mus. Schh.

E maximis generis, *Rhynchophoro palmarum* plus duplo major; *Rhynchophoro serrirostri* valde affinis, sed duplo major, aliter coloratus; scutelli et pygidii forma nonnihil diversa, unde forte specie distinctus. Caput brevissimum, retractum, atrum; oculi elongati, parum convexi, brunnei; rostrum thorace paulo brevius, porrectum, fere rectum, basi crassius, sub-disperse punctatum, ante antennas angustius, rugosum et tuberculatum, versus apicem lamina erecta, compressa, triangulari instructum, totum atrum. Antennæ breves, atræ, clava transversim oblonga, supra pallescenti-spongiosa. Thorax latitudine medii paulo longior, apice truncatus, pone apicem in utroque latere striga transversa insculp-

ptus, lobo antico fere tubulato, sub-nitido; lateribus pone stricturam rotundato-ampliatis; basi modice productus, elevato-marginatus, utrinque bi-sinuatus, sinu exteriore profundiore; supra parum convexus, obsolete punctulatus, ater disco toto quasi furfure carbonario, opaco tecto, limbo vero omni nudo, nitido. Scapulæ acute triangulares, atræ, nitidæ. Scutellum elongatum, angustum, ante apicem nonnihil dilatatum, fere spatuliforme, ibique supra sub-impressum, atrum, sub-nitidum. Elytra antice conjunctim profunde sinuato-emarginata, angulo humerali antrorsum producto, rotundato; pone basin oblique ampliata, lateribus dein fere rectis; apice singulatim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace vix dimidio longiora, supra perparum convexa, in singulo interne striis quinque tenuibus, simplicibus, apicem non exacte attingentibus exarata, interstitiis planis, vix punctulatis, atra, disco toto singuli elytri pulvere carbonario, opaco tecto, sutura, limbo omni et plaga pone humerum nudis, nitidis. Pygidium magnum, triangulare, modice convexum, atrum, sub-nitidum, plaga magna antica fasciaque angusta carbonario-furfuraceis, opacis notatum, ante apicem fasciculis duabus magnis, atro-setosis instructum, apice ipso nudo, punctato, canaliculato. Corpus subtus atrum, nitidum, læve, lateribus segmenti analis atro-ciliatis. Pedes validi, nigri, femoribus tibiisque omnibus subtus dense brunneo-vel obscure ferrugineo-ciliatis, femoribus posticis subtus dente obtuso armatis. — GHL.

Dom. *Reaumur*, primus suo tempore observator œconomiæ et metamorphoseos insectorum.

* 6. R. SERRIROSTRIS. *Fabricius.*

Supra obscure ferrugineus, parum nitidus, obsolete nigro maculatus, subtus ater; rostro tuberculato, versus apicem lamina triangulari, compressa instructo; thorace postice quadri-sinuato; scutello elongato, angusto, lanceolato; pygidio apice fasciculato; tibiis ferrugineis; femoribus posticis subtus dente obtuso armatis.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 429. 2.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 78. 5. *Curculio.* T. 17. f. 211.

Dict. des Sciences nat. VI. p. 174. 2.

Calandra miles. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 327.

Patria : Insula Java. A Dom. DE HAAN communicatus. Mus SCHH.

Rhynchophoro palmarum paulo major; præcedenti, ut ibi dictum, valde affinis. Caput breve, fere planum, obsolete punctatum, supra obscure ferrugineum; oculi parum convexi, brunnei; rostrum thorace brevius, rectum, basi crassius, disperse punctatum, obscure ferrugineum, nitidum; ante antennas tuberculatum, et versus apicem lamina erecta, compressa, triangulari instructum, nigrum. Antennæ breviusculæ, nigræ, ut in priori constructæ. Thoracis forma exacte ut apud præcedentem descripta; supra obscure ferrugineus, sub-nitidus, vittis duabus obsoletis nigris, interdum interruptis, notatus. Scutellum elongatum, angustum, lanceolatum, ferrugineum. Elytrorum forma et striæ ut in priori; saturate ferruginea, sub-nitida, lituris nonnullis obsoletis fuscis notata. Pygidium sub-triangulare, modice convexum, nigrum, sub-nitidum, apice obtusum, setisque nigris fasciculatum. Corpus subtus atrum, nitidum, læve. Pedes validi, femoribus atris, nitidis, posticis subtus dente obtuso armatis; tibiis ferrugineis, æque ac femoribus subtus obscure ferrugineo-ciliatis. — GHL.

♂♀ 7. R. RUBIGINEUS. *Wiedeman.*

Rufo-ferrugineus, supra opacus, subtus nitidus, capite, rostro, antennis, scutello, genubus tarsisque nigris; thorace postice producto, sub-quadri-sinuato; elytris tenuiter striatis, nigro-fasciatis.

Mas : rostro mediocri, scabro, supra anterius crista brunnea instructo; thoracis basi, apice, plaga conica disci vittaque laterali utrinque nigris, elytrorum sutura, apice, fasciisque duabus flexuosis ejusdem coloris.

Calandra festiva. STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 106.

Femina : rostro longissimo, tenui, valde arcuato, lævi; thoracis basi, apice lituraque obsoleta disci nigris; elytrorum plaga humerali, sutura, apice fasciaque media flexuosa ejusdem coloris.

Calandra rubiginea. WIEDEM., *Zool. Mag.* I. III. p. 174. 25. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Calandra rubiginosa. STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 106.

Habitat in Bengalia, Java. Mus. Schh. et Ghl.

Rhynchophoro ferrugineo minori parum brevior, sed multo angustior. Caput parvum, punctatum, nigrum; oculi nigro-brunnei; rostrum maris vix longitudine thoracis, parum arcuatum, basi crassius, supra confertim rugulosum et scabrum, versus apicem crista densa, comosa, brunnea instructum, totum nigrum. Antennæ validæ, nigræ, clava apice cinerea. Thorax conicus, latitudine postica longior, anterius triplo angustior, apice emarginatus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi leviter quadrisinuatus, in medio productus, lobo acute rotundato; supra parum convexus, impunctatus, rufo-ferrugineus, opacus, margine antico, lobo medio baseos, plaga dorsali antrorsum angustata vittaque marginali utrinque atris. Scutellum elongato-triangulare, acutum, atrum. Elytra antice valde sinuata, lobo humerali producto, rotundato, elevato, pone basin ampliata, posterius angustiora, apice truncata, thorace parum longiora, supra fere plana, interius tenuiter striata, striis vix punctatis, interstitiis planis, lævibus, tertio a sutura reliquis duplo latiore; rufo-ferruginea, opaca, sutura, apice fasciisque duabus flexuosis nigris notata, anteriore obliqua, media valde inæquali. Pygidium sub-triangulare, rufo-ferrugineum, vittis tribus nigris. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, disperse punctulatum, segmentis ventralibus apice nigris. Pedes validi, disperse punctulati, rufo-ferruginei, nitidi, femorum apice, tibiarum basi tarsisque nigris; femora posteriora tibiæque omnes subtus rufo-ciliati; tarsi dilatati, subtus dense fulvo-spongiosi.

Femina differt : rostro thorace longiore, tenui, valde arcuato, subtiliter punctulato; thorace basi, apice et litura dorsali obsoleta nigris; elytris sutura, apice, plaga magna humerali fasciaque media flexuosa atris; pygidio angustiore, conico, immaculato; cætera exacte conveniunt. — Ghl.

Stirps 2. *Thorax postice obtuse rotundatus.* (Species 8-12.)

♂♀ 8. R. Phoenicis. *Fabricius.*

Nigro-piceus, supra sub-opacus, subtus nitidissimus; thorace oblongo, postice obtusissime rotundato, supra vittis duabus ferrugineis notato; scutello triangulari, acutissimo; elytris obsolete ferrugineo vittatis, margine pedibusque ferrugineo-ciliatis.

Mas : rostro breviore, recto, ruguloso, versus apicem crista

dense rufo-setosa instructo; femoribus tibiisque subtus densius rufo-ciliatis.

Femina : rostro longiore, arcuato, glabro, lævi, extrorsum attenuato; femoribus tibiisque subtus parcius rufo-ciliatis.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 430. 4.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 137. 4.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 106.

Patria : Guinea, Sierra Leona, Senegallia. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Rhynchophori palmarum.* Caput rotundatum, parum convexum, postice disperse punctatum, nigrum, fronte inter oculos foveola rotunda impressa; oculi elongati, brunnei; rostrum maris thorace brevius, validum, rectum, basi crassius, sub-disperse punctatum, ante antennas angulatum, rugulosum et tuberculatum, nigrum, versus apicem crista dense rufo-setosa instructum; rostrum feminæ longius, arcuatum, antrorsum attenuatum et compressum, læve, nigrum. Antennæ breviusculæ, nigræ. Thorax latitudine longior, antice angustior, apice sub-truncatus, longe pone apicem in utroque latere striga profunda, transversa insculptus, lobo antico sub-tubulato, apice anguste pallido; lateribus pone strigam oblique ampliatis, dein posterius rectis; basi obtusissime rotundatus, supra fere planus, sub-lævis, nigro-piceus, parum nitidus, vittis duabus ferrugineis, obsoletis notatus. Scutellum oblongo-triangulare, apice acutissimum, subulatum, piceum, læve. Elytra antice conjunctim modice emarginata, angulo humerali antrorsum prominulo, rotundato; lateribus anterius oblique ampliatis, dein sub-rectis; apice singulatim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace vix tertia parte longiora, supra plana, in singulo introrsum sulcis quinque simplicibus, apicem non attingentibus exarata; nigro-picea, parum nitida, in dorso vittis nonnullis dilutius ferrugineis notata, margine laterali breviter rufescenti-ciliato. Pygidium triangulare, modice convexum, apice acutum, nigrum, læve, lateribus ferrugineo-ciliatum. Corpus subtus obsolete punctulatum, nigro-piceum, nitidissimum. Pedes breviusculi, validi, nigri, femoribus tibiisque maris densius, feminæ parcius, rufo-ciliatis. — GHL.

♂♀ 9. R. Schach. *Fabricius.*

Niger, supra opacus, subtus nitidus, thorace convexiore, postice obtusissime rotundato, vitta lata dorsali purpurascente ornato, scutello elongato, sub-acuminato; elytris externe sub-sulcatis, margine pedibusque rufo-ciliatis, pygidio triangulari, disperse punctato.

Mas: rostro supra anterius crista densa ferrugineo-setosa instructo.

Femina: rostro longiore, attenuato, glabro.

Calandra id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 433. 17.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 80. 8. T. 16. f. 204.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Rhynchophorus palmarum, var. Herbst. *Col.* VI. T. 60. f. 2.

Habitat in India orientali. Mus. Schh.

Observ. — *Rhynchophoro ferrugineo* quidem valde affinis; distinctus tamen videtur, paulo major, maxima parte niger, thorax nonnihil convexior, vitta lata dorsali purpurascente ornatus; elytra extra sulcos sex solitos, profunde insculptos, etiam evidenter striata, interstitiis convexis, unde etiam ibi sub-sulcata videntur; corpus subtus nigrum, ventris basi plaga obsoleta rufescente notato. — Ghl.

♂♀ 10. R. Ferrugineus. *Fabricius.*

Obscure purpurascens, supra opacus, subtus nitidus; thorace postice obtusissime rotundato, scutello elongato, sub-acuminato; elytris externe vix striatis, margine pedibusque rufescenti-ciliatis, pygidio triangulari, disperse punctato. — Ghl.

Mas: rostro supra anterius crista densa ferrugineo-setosa instructo.

Femina: rostro longiore, attenuato, glabro.

Calandra ferruginea. Fabr. *Syst. El.* II. p. 433. 16.

Curculio ferrugineus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 396. 8.

Oliv. *Ent.* V. 83. T. 2. f. 16. 6. forte.

♀ Var. β. Dilutius purpurascens, thorace plus minusve nigro-maculato.

Calandra ferruginea. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 79. 7. *Curculio.* T. 2. f. 16. d.

Rhynchophorus ferrugineus. Herbst, *Col.* VI. p. 8. 2. T. 60. f. 3.

Curculio id. Oliv. *Enc. méth.* V. p. 473. 6.

Cordyle sex-maculatus. Thunberg, *Acta Holm.* 1797. I. p. 46. 4.

Curculio hemipterus. Sulz. *Gesch. d. Ins.* p. 39. T. 4. f. 5.

Herbst (Borowsky), *Naturg.* VI. p. 107. 2.

Cossus sanguarius. Rumphi *Herbar. Amboinens.* I. p. 79. T. 17. fig. g. ?

Patria : India orientalis, Java, Sumatra.

11. R. Vulneratus (1). *Voet.*

Ater, thorace vitta dorsali, rostro basi coleopterisque striis sanguineis. — Panz.

Curculio id. Voet, *Col. ed.* Panz. IV. *Proem.* et p. 59. Tit. fig. 4.

Patria : America meridionalis.

12. R. Barbirostris. *Thunberg.*

Ater, rostro sulcato, barbato, thorace tomentoso, lævi, tibiæ subtus barbatæ, barba ferruginea. — Thunb.

Cordyle id. Thunberg, *Acta Holm.* 1797. I. p. 46. 2. et p. 47. 2.

Observ. — *Rhynchophoro palmarum* duplo minor.

Patria : America meridionalis.

Genus 374. PROTOCERIUS. *Nobis.*

Rhynchophorus Herbst. — *Calandra* Fabr., Olivier. — *Cordyle* Thunberg.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, subtenues ; articulis omnibus funiculi obconicis, clava minori, transversa, compressa, securiformi.

Rostrum elongatum, sub-teres, apice utrinque reflexum, in masculis supra bifariam tuberculatum, in feminis læve.

---

(1) Mihi invisus.

Thorax sub-ovatus, basi obtuse rotundatus, anterius angustior, supra paulo convexus.

Elytra oblongo-sub-quadrata, apice singulatim rotundata, supra parum convexa.

Pedes antici, præsertim in maculis valde longi, omnes subtus nudi.

Descriptio. — *Corpus* elliptico-ovatum, supra parum convexum, opacum, holosericeum, alatum; maximæ magnitudinis. — *Antennæ* versus basin rostri insertæ, ad thoracis medium pertingentes, subtenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracem attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato: articulis omnibus obconicis, æqualibus; clava minori, brevi, apice truncata, compresa, securiformi, bi-articulata, articulo ultimo spongioso, acutangulato vel cultrato, retractili. — *Rostrum* longitudine thoracis, validum, sub-deflexum, apice emarginatum, utrinque reflexum, rotundato-lobatum; in masculis sub-rectum, supra bifariam tuberculatum, in feminis paulo arcuatum, læve; fovea antennalis ad basin rostri lateraliter posita, brevis, curvata, profundissima. — *Oculi* laterales, infra caput fere connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* magnus, latitudine longior, basi obtuse rotundatus, marginatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, utrinque intra apicem coarctatus, apice ipso oblique truncatus, supra paulo convexus. — *Scutellum* elongatum angustatum, apice lanceolatum. —*Elytra* antice thoracis basi vix latiora illoque fere sesqui-longiora, basi simul introrsum rotundato-emarginata, lobo humerali antrorsum producto, pone basin paulo ampliata, ad latera recta, apice singulatim rotundata, supra parum convexa. — *Pygidium* sub-triangulare, paulo deflexum. — *Pedes* mediocres, validi, antici præsertim in masculis, valde longiores, subtus haud ciliati; femoribus sub-clavatis, compressis, muticis, omnibus basi distantibus; tibiis compressis, anticis arcuatis, apice unco magno, valido, fixo inflexo terminatis; tarsis gracilibus, subtus spongiosis, articulo penultimo latiore, cordato, supra ad sequentis insertionem excavato, ultimo valde elongato, clavato, bi-unguiculato.

A πρωτοκήριος, primus dignitate.

TYPUS. — *Protocerius colossus;* ex insula Java.

Observ. — Quoad habitum *Rhynchophoris* simile est hoc genus, sed corpus undique convexius, funiculi antennarum articuli longiores, obconici; rostrum apice utrinque reflexum; pedes antici multo longiores et omnes subtus nudi, non ciliati.

♂♀ 1. P. COLOSSUS. *Fabricius.*

Supra nigro-piceus, opacus subtus ater, nitidus; thorace sub-pulvinato, basi elevato-marginato; scutello conico; elytris anguste simpliciter striatis, lateribus et apice pallido-fimbriatis; pygidio triangulari.

Mas : rostro sub-recto, supra bifariam tuberculato; thorace elytrisque subtiliter granulatis seu alutaceis.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II p. 431. 9.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 76. 3. *Curculio.* T. 3. f. 32. a. b.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 137. 9.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 396. 5.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 472. 2.

Cordyle id. THUNB. *Acta Holm.* 1797. I. p. 47. 5.

Femina : rostro sub-arcuato, lævi; thorace elytrisque indumento holosericeo, atro, vestitis.

Calandra heros. FABR. *Syst. El.* II. p. 431. 8.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 75. 2. *Curculio.* T. 28. f. 410.

ILLIG. *Mag.* IV. p. 137. 8.

Patria : India orientalis, Java. A Dom. DE HAAN, amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo variat; specimen nostrum masculinum *Rhynchophoro palmarum* duplo majus, femina minor. Caput breve, supra planum, nigrum, opacum; fronte inter oculos foveola rotunda impressa; oculi sub-depressi, brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, maris fere rectum, validum, angulatum, supra bifariam tuberculatum, apice utrinque lamina obtusa, lateraliter exserta præditum, atrum, nitidum. Antennæ sub-tenues, nigræ. Thorax latitudine medii paulo longior, anterius angustior, apice sub-truncatus, pone apicem in utroque latere striga transversa impressus, lateribus pone strigam oblique ampliatis, posterius sub-rectis; basi obtuse rotundatus, elevato-marginatus; supra modice convexus, pulvinatus, subtilissime granulatus, nigro-piceus, opacus. Scutellum oblongum, conicum, læve, nigrum, apice non subulatum. Elytra antice conjunctim emarginata, angulo humerali nonnihil producto, rotundato; pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, in singulo striis quinque angustis, simplicibus

apicem non attingentibus impressa, quorum extima obsoleta; cæterum lævia, nigro-picea, opaca, limbo laterali et apicis anguste pallido-fimbriato. Pygidium triangulare, parum convexum, nigrum, opacum, apice pallido-fimbriatum. Corpus subtus læve, atrum, nitidissimum. Pedes atri, nitidi, antici longiores et robustiores.

Femina differt : rostro tenuiore, sub-arcuato, supra lævi, non tuberculato; thorace elytrisque supra quasi pulvere carbonario, atro vestitis.

Obs.—Rhynchophorus colossus, Herbst. Col. VI, p. 19, 11. Tab. 60. f. 10, secundum figuram Druryanam delineatus, huc non pertinere videtur, statura enim magis angusta et thorax postice sinuatus.

GHL.

2. P. DRURYI (1). SCHH.

Curculio longipes. DRURY, *Ins.* II. p. 61. 3. T. 33. f. 3.
Rhynchophorus colossus. HERBST, *Col.* VI. p. 19. 11. T. 60. f. 10.

Patria : Insula Johanna prope Madagascar.

3. R. MOLOSSUS. *Olivier.*

Niger, elytris brunneis, striatis, rostro elongato, tuberculato.
OLIV.

Calandra id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 75. 1. *Curculio.* T. 17. f. 216.
Curculio colossus. VOET, *Col. ed.* PANZ. IV. p. 51. 9. T. 36. f. 9.
GRONOV. *Zooph.* p. 167. 577. T. 16. f. 4. *Curculio.*

Patria : India orientalis.

GENUS 375. MACROCHEIRUS. *De Haan.*

Character generis : — Antennæ longæ, tenues; articulis omnibus funiculi obconicis, 2° longissimo; clava minuta, brevi, compressa, securiforme.

Rostrum valde longum, sub-teres, paulo arcuatum, apice utrinque reflexum.

Thorax breviter sub-ovatus, basi bi-sinuatus, antice angustior, supra modice convexus.

Elytra sub-cordata, apice singulatim rotundata, supra paulo convexa.

---

(1) Forte hujus generis; mihi invisus.

Pedes antici valde elongati; tibiæ sub-rectæ, compressæ, subtus breviter sed dense ciliatæ.

Descriptio; — *Corpus* ellipticum, supra modice, subtus valde convexum, nudum, glabrum, alatum; maximæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium superantes, versus basin rostri insertæ, valde tenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracis marginem anticum paulo superante, sub-recto, apice clavato; funiculo 6-articulato : articulo 1° breviusculo, 2° valde elongato, 3-6 sensim brevioribus, omnibus obconicis; clava minuta, brevi, compressa, sub-securiformi, bi-articulata, articulo 1° corneo, basi petiolato, apice truncato, 2° spongioso, retractili, acutangulo vel cultrato. — *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, validum, basi apiceque paulo incrassatum, sub-teres, læve, paulo arcuatum, sub-deflexum, apice emarginatum, utrinque lobo rotundato, sub-reflexo præditum. — *Oculi* laterales, infra caput fere connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine postica vix brevior, basi bi-sinuatus, in medio lobatus, elevato-marginatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, antice subito angustior, longe intra apicem coarctatus, lobo antico sub-tubulato collare veluti formante, apice supra in medio late sed non profunde emarginatus, subtus pone gulam integer; supra modice convexus. — *Scutellum* elongatum, lanceolatum. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora illoque vix sesqui-longiora; basi conjunctim introrsum profunde emarginata, reflexo-marginata, lobo humerali producto, rotundato, pone basin manifeste ampliata, posterius valde angustiora, apice singulatim distincte rotundata, supra nonnihil convexa. — *Pygidium* sub-triangulare, apice acuminatum, vix deflexum. — *Pedes* validi, antici valde elongati; femoribus apice crassis, muticis; tibiis sub-rectis, paulo compressis, intus pone basin ciliis brevibus munitis, apice unco fixo valido, inflexo terminatis; tarsis gracilibus, subtus spongiosis, ciliatis, articulo penultimo latiore, sub-rotundato, ultimo valde elongato, bi-unguiculato, unguiculis longis, acutis.

A μακρὸς longus, χειρὸς pedes anteriores.

TYPUS. — *Macrocheirus prætor;* ex insula Java.

Observ. — Ex hoc genere feminam solum possideo; marem non vidi. Statura corporis et formatio plurium partium illis specierum generis *Cyrtotracheli* appropinquant, sed pagina inferior convexior, antennæ longiores et aliter constructæ.

♀ M. 1. Prætor. *Schh.*

Niger, sub-nitidus, rostro apice dilatato, emarginato, utrinque reflexo; thorace postice sinuato, elevato-marginato, supra varioloso-punctato; elytris interne simpliciter striatis; scutello elongato, impresso; femoribus muticis.

Macrocheira. Nov. *Gen. et Spec.* Dom. De Haan *in Litteris.*

Patria: Insula Java. A Dom. De Haan benevole communicatus. Mus. Schh.

Statura brevior, magis convexa *Cyrtotracheli longipedis,* sed triplo major et ultra. Caput parvum, medio convexum, disperse punctatum, nigrum; oculi perpendiculares, brunnei, valde elongati, subtus coeuntes; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, parum arcuatum, cylindricum, disperse punctatum, apice crassius, emarginatum, utrinque lobo rotundato auctum, totum nigrum. Antennæ sub-tenues, nigræ, parce pilosæ. Thorax latitudine postica vix brevior, antice duplo angustior, apice sinuato-emarginatus, longe intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, basi bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra modice convexus, confertim varioloso-punctatus, niger, sub-nitidus. Scutellum elongatum, nigrum, in medio longitudinaliter impressum. Elytra antice sinuata, reflexo-marginata, pone basin ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra inæqualia, in disco anteriore singuli elytri et ad suturam posterius magis convexa, interne anguste, simpliciter striata, undique subtilissime alutacea, nigra, sub-nitida. Pygidium, sub-conicum, disperse punctatum, nigrum. Corpus subtus convexum, subtilissime alutaceum, nigrum, nitidum. Pedes validi, nigri, antici valde elongati; tarsi dilatati, subtus fulvo-spongiosi. — Ghl.

Genus 376. CYRTOTRACHELUS. *Nobis.*

Rhynchophorus Herbst, Schh., olim. — *Calandra* Fabr., Oliv., Erichson. — *Cordyle* Thunberg.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, sub-tenues; articulis basalibus funiculi longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus,

sub-turbinatis; clava mediocri, transversa, compressa, securiformi.

Rostrum elongatum, validiusculum, sub-teres, rectum, apice dilatatum, utrinque, reflexum, in masculis supra bifariam tuberculatum, in feminis læve.

Thorax breviter ovatus, basi rotundato-productus, antice cito angustior, supra satis convexus.

Elytra sub-cordata, apice singulatim acute-rotundata.

Pedes antici in masculis longissimi, arcuati, subtus dense ciliati.

Descriptio. — *Corpus* elliptico-ovatum, supra modice convexum, nudum, glabrum, alatum; majoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium pertingentes, prope basin rostri sub tuberculo laterali insertæ, subtenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracem apice attingente, clavato; funiculo reflexo, 6-articulato: articulis duobus vel tribus basalibus sub-elongatis, fere obconicis, reliquis brevioribus, sub-turbinatis, omnibus distantibus; clava mediocri, transversa, compressa, securiformi, bi-articulata, articulo ultimo spongioso, truncato, acutangulo vel cultrato. — *Rostrum* longitudine thoracis, validiusculum, basi apiceque crassius, sub-teres, rectum, deflexum, apice emarginatum, utrinque in lobum inæqualem reflexum productum; in masculis supra bifariam tuberculatum, in feminis læve; fovea antennalis ad basin rostri lateraliter insculpta, curvata, profunda. — *Oculi* laterales, infra caput valde approximati, sub-ovati, depressi. — *Thorax* latitudine paulo longior, breviter ovatus, postice rotundato-productus, leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, antice subito angustior, longe intra apicem coarctatus, lobo antico sub-tubulato, collare mentiente, apice oblique sub-truncatus, infra pone gulam paulo emarginatus, supra modice convexus, pulvinatus. — *Scutellum* oblongo-triangulare, apice acuminatum. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora et illo fere sesqui-longiora, basi conjunctim introrsum sinuato-emarginata, lobo humerali producto, rotundato, pone basin valde ampliata, posterius sensim multo angustiora, apice singulatim acute rotundata, supra paulo convexa. — *Pygidium* sub-triangulare, nonnihil deflexum, in feminis magis acuminatum. — *Pedes* mediocres, antici in masculis longissimi; femoribus apice crassis, muticis, omnibus basi distantibus; tibiis compressis, intus crenulatis, in masculis valde elongatis, arcuatis, intus dense, in feminis parce, ciliatis, omnibus apice unco fixo, valido, inflexo terminatis;

tarsis gracilibus, articulo 3° paulo latiore, cordato subtus spongioso, ultimo valde elongato, clavato, bi-unguiculato, unguiculis longis, acutis.

A κυρτος curvus, τραχηλος collum.

TYPUS. — *Cyrtotrachelus longipes.*

Patria : China, Madagascar.

Observ.—A genere *Rhynchophoro* manifeste differt hoc genus, corpore convexiore, elytris basi latioribus, antennis longioribus et tenuioribus, rostro aliter constructo, thorace subtus pone gulam emarginato, pedibus anticis multo longioribus et illorum tibiis arcuatis.

♂♀ 1. C. LONGIPES. *Fabricius.*

Supra rufo-brunneus, subtus nigro-piceus, undique nitidus; thorace macula disci postica elytrisque callo humerali nigro-piceis, rostro porrecto, angulato, apice utrinque reflexo, pedibus rufo-brunneis, tarsis nigris. — GHL.

Mas : rostro supra bifariam tuberculato, pedibus anticis longissimis, tibiis valde arcuatis, subtus dense rufo-ciliatis.

Femina : rostro non tuberculato, pedibus anticis mediocribus, tibiis subtus parcius ciliatis.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 431. 7.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 78. 6. *Curculio.* T. 15. f. 191. ♂. T. 2. f. 16. ♀. ♀.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 395. 4.—*Mant.* I. p. 97. 4.—*Spec. Ins.* I. p. 162. 4. — *Syst. Ent. App.* p. 822.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 473. 5.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1741. 96.

Cordyle id. TUNBERG, *Acta Holm.* 1797. I. p. 48. 3. α. ♂. β. ♀.

♀ VAR. β. Thorace elytrisque rufo-ferrugineis immaculatis.

Observ. — Magnitudo variat, usque ad triplo minorem.

Patria : India orientalis, China.

♂ 2. C. Lar. *Erichson.*

Nigro-piceus, undique nitidus, glaber; thorace postice rotundato, vix sinuato; elytrorum sulcis dorsalibus profundis, simplicibus, illorumque interstitiis valde convexis.

Calandra id. Erichs. *Beytr.* p. 389. 53.

Patria : Insula Manilla. A Dom. Schuppel amice communicatus. Mus. Schh.

Individuum nostrum masculini sexus, mari *Cyrtotracheli longipedi* simillimum, et mediocribus ejus magnitudine æquale; colore tamen, thorace postice vix sinuato et elytrorum sulcis dorsalibus profundioribus distinctum. Caput breve, fere planum, obsolete, disperse punctulatum, nigrum, nitidum, fronte inter oculos foveola parva, rotunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, rectum, angulatum, supra bifariam tuberculatum, apice utrinque lobo lateraliter reflexo instructum, totum nigro-piceum, nitidum. Antennæ sub-tenues, nigro-piceæ. Thorax latudine medii paulo longior, anterius angustior, apice sub-truncatus, longe pone apicem in utroque latere striga profunda insculptus, lobo antico tubulato; lateribus pone strigam oblique ampliatis; basi obtuse rotundatus, elevato marginatus, vix sinuatus; supra modice convexus, pulvinatus, lævis, nigro-piceus, nitidus, Scutellum oblongo-triangulare, apice subulatum, nigrum, nitidum. Elytra antice conjunctim emarginata, angulo humerali producto, rotundato; pone basin oblique ampliata, dein posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra fere plana, in singulo striis sex exarata, interioribus profundis, impunctatis, extima tenui, punctata; interstitiis dorsalibus convexis, omnibus obsolete punctatis; nigro-picea, nitida, glabra, limbo laterali et apicis pallido-fimbriatis. Pygidium sub-triangulare, modice convexum, obsolete punctatum, nigro-piceum, nitidum. Corpus subtus læve, atrum, nitidissimum. Pedes validi, atri, nitidi, antici multo longiores et robustiores, tibiis omnibus subtus dense fusco-ciliatis, tarsorum articulo tertio valde dilatato, subtus flavo-spongioso. — Ghl.

GENUS 377. OMMATOLAMPES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ minus longæ, validiusculæ : articulis omnibus funiculi breviter sub-obconicis, sub-coarctatis ; clava majuscula, brevi, compressa, sub-securiformi.

Corpus elongatum, sub-conicum.

Rostrum longiusculum, subteres, sub-rectum, apice utrique reflexum.

Oculi magni, supra approximati, infra sub-connati, oblongi, modice convexi.

Thorax oblongus, anterius angustior, basi bi-sinuatus, ante scutellum rotundato-lobatus.

Elytra linearia, apice truncata, supra planiuscula.

Pedes breviusculi, sub-æquales.

Descriptio. — *Corpus* lineari-elongatum, supra planiusculum, alatum ; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium haud pertingentes, versus basin rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 9-articulatæ ; scapo thoracis marginem anticum attingente, versus apicem sensim incrassato ; funiculo 6-articulato : articulis omnibus breviter sub-obconicis, sub-æqualibus, nonnihil coarctatis ; clava majuscula, transversa, compressa, sub-securiformi, bi-articulata : articulo 1° corneo, apice truncato, ultimo spongioso, etiam truncato, acutangulo vel cultrato.—*Caput* elongatum, sub-conicum. — *Rostrum* capite plus duplo longius, validiusculum, sub-teres, basi apiceque nonnihil crassius, parum arcuatum, fere rectum, sub-deflexum, apice ipso profunde emarginatum, bidentatum, utrinque lobo rotundato, sub-reflexo instructum. — *Oculi* magni, supra valde approximati, infra caput fere connexi, oblongi, modice convexi. — *Thorax* latitudine postica paulo longior, basi bi-sinuatus, in medio valde rotundato-productus, lateribus nonnihil rotundatus, anterius angustior, apice truncatus, supra perparum convexus, fere planiusculus.— *Scutellum* elongato-triangulare, apice acutum, supra depressum. — *Elytra* linearia, thoracis basi parum latiora illoque fere duplo longiora, basi conjunctim late et profunde introrsum emarginata, lobo humerali antrorsum rotundato-producto ; pone basin paulo ampliata, lateribus sub-rectis, posterius haud angustiora, apice sub-truncata, angulis exterioribus paulo rotundatis, supra planiuscula. — *Pygidium* sub-conicum, supra deplanatum, porrectum. — *Pedes* breviusculi,

validi, longitudine sub-æquales; femoribus modice clavatis, parum compressis muticis, anticis basi paulo distantibus; tibiis sub-rectis, intus leviter bi-sinuatis, ciliatis, apice unco valido, inflexo terminatis; tarsis gracilibus, subtus spongiosis et ciliatis, articulo 3° paulo latiore, apice rotundato, integro, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

A ὀμματολαμπής oculis fulgens.

TYPUS. — *Ommatolampes hæmorrhoidalis*, e Bengalia.

Observ. — Feminam modo ex hoc genere possideo; masculum non vidi. Statura corporis elongata, angusta, sub-linearis, peculiare genus postulare videtur, et plurium partium discrepantiæ a reliquis hujus divisionis generibus hoc confirmant, ut in diagnosi indicavimus.

* 1. O. HÆMORRHOIDALIS. *Wiedeman.*

Lineari-elongatus, ater, nitidus, elytrorum apice, pygidio, ano maculisque lateralibus corporis ferrugineis; thoracis disco fusco, opaco, antice vitta abbreviata, nitida notato; elytris interne anguste striatis.

Calandra id. WIEDEM. *Zool. Mag.* I. III. p. 175. 26.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.
STURM, *Ins. Cat.* 1826. p. 106.

Patria: India orientalis, Bengalia. A Dom. WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo fere *Sphenophori senegalensis*, sed dimidio angustior. Caput majusculum, sub-quadratum, parum convexum, vix punctulatum, atrum, nitidum, fronte inter oculos fovea oblonga impressa; oculi magni, convexi, brunnei, in fronte sub-approximati; rostrum thorace brevius, parum arcuatum, capite angustius, basi crassum, apice etiam dilatatum, et lobo magno, rotundato, sub-reflexo utrinque instructum, supra punctatum, atrum, sub-nitidum. Antennæ validiusculæ, atræ. Thorax latitudine longior, anterius angustior, apice truncatus, lateribus oblique ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio magis rotundato; supra fere planus, vix punctulatus, ater, lateribus et in vitta antica abbreviata nitidus, disco reliquo opaco, holosericeo. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, punctulatum, atrum. Elytra antice conjunctim profunde

emarginata, angulo humerali antrorsum producto, rotundato; lateribus non ampliata, apice fere truncata, angulo laterali rotundato; thorace vix dimidio longiora, supra in dorso plana, et in singulo striis quinque tenuibus, sub-punctatis exarata; atra, nitida, margine laterali posterius opaco, holosericeo, et ad apicem plaga magna ferruginea, opaca notata. Pygidium magnum, semi-ellipticum, parum convexum, ferrugineum, opacum, apice pallido-ciliatum. Corpus subtus disperse punctulatum, atrum, nitidum, segmento anali, maculisque nonnullis marginalibus ferrugineis. Pedes breviusculi, validi, toti atri. — Ghl.

Genus 378. CONOCEPHALUS. *Nobis.*

Calandra Olivier, Guérin.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, sub-tenues; articulis duobus basalibus funiculi brevissime sub-obconicis, reliquis brevioribus, sub-rotundatis; clava oblonga, sub-ovata, cuneiformis.

Caput elongatum, conicum.

Rostrum longum, sub-teres, basi apiceque paulo latius, parum arcuatum, apice emarginatum; mandibulæ exsertæ, divaricatæ.

Thorax oblongus, sub-ovatus.

Elytra oblongo-sub-quadrata, apice singulatim rotundata, supra planiuscula.

Pedes mediocres, intus ciliati; articulo penultimo tarsorum orbiculato.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-ellipticum, supra planiusculum, alatum; aut majoris, aut majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium pertingentes, versus basin rostri insertæ, subtenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracis marginem anticum vix attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato: articulis duobus basalibus brevissime sub-obconicis, 3-6 subrotundatis, omnibus crassitudine æqualibus; clava oblonga, subovata, compressa, cuneiformis, bi-articulata : articulo 1° corneo, campanulati-formi, 2° spongioso, apice obtuse rotundato, cultrato. — *Caput* elongatum, conicum. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, subteres, validiusculum, basi crassius, versus apicem sensim paulo ampliatum, parum arcuatum, apice emarginatum; mandibulæ exsertæ, divaricatæ, profunde bifidæ. — *Oculi* laterales, infra caput valde approximati, elongati, perpendiculares, depressi. — *Thorax* latitudine baseos longior, postice æqualiter obtuse rotundatus, lateribus basi rectis, dein modice rotundatis, anterius angus-

tior, apice supra in medio leviter emarginatus, subtus truncatus, intra apicem in utroque latere striga transversa impressus, sub-coarctatus, supra planiusculus, perparum convexus. — *Scutellum* majusculum, oblongo-triangulare, acuminatum, depressum. — *Elytra* antice thoracis basi paulo latiora et illo fere sesqui-longiora, basi conjunctim emarginata, lobo humerali antrorsum producto-rotundato; pone basin oblique rotundato-ampliata, dein in medio laterum leviter emarginata, apice singulatim obtuse rotundata, pygidio breviora, supra planiuscula. — *Pygidium* magnum, sub-triangulare, sub-deflexum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi, basi distantes; femoribus sub-clavatis, muticis, subtus dense ciliatis; tibiis rectis, parum comprimatis, interne ciliatis, apice unco valido, incurvo terminatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo magno, orbiculato, supra ad sequentis insertionem excavato, subtus integro, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

A κῶνος conus, κεφαλὴ caput.

TYPUS. — *Conocephalus limbatus.*

Patria : India orientalis.

Observ. — Corporis forma aliquantenus ut in speciebus nonnullis generis *Sphenophori*, sed rostri constructio, mandibulæ exsertæ et pedes subtus ciliati abunde distingunt; *Rhynchophoris* etiam simile est hoc genus, sed rostri et antennarum constructio valde diversa.

1. C. GYLLENHALII. *Schh.*

Elongatus, depressus, ater, nitidus, thorace disperse punctulato : elytris in disco late et profunde sulcatis, obsolete ferrugineo bi-fasciatis; tibiis interne pallido-ciliatis.

VAR. β. Paulo minor, elytris postice et ad latera opacis, interstitiis alternis politis, nitidis; fasciis ferrugineis evidentioribus.

Patria : Cochinchina. Ex Musæo Dom. VERREAUX descriptus.

Statura *Conocephali limbati*, sed duplo major. Caput oblongum, disperse punctulatum, atrum, nitidum, fronte inter oculos foveola rotunda impressa; oculi valde elongati, modice convexi, nigri; rostrum longitudine dimidii corporis, cylindricum, modice arcuatum, disperse punctulatum, versus apicem sensim nonnihil am-

pliatum, atrum, nitidum. Antennæ breves, sub-tenues, atræ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine dimidio longior, anterius angustior, apice sinuato-emarginatus, pone apicem in utroque latere striga transversa impressus, lateribus pone strigam oblique ampliatis, posterius rectis; basi æqualiter rotundatus, elevato-marginatus, supra fere planus, subtiliter disperse punctulatus, ater, nitidissimus. Scutellum magnum, oblongo-triangulare, acuminatum, atrum, læve. Elytra antice conjunctim profunde emarginata, angulo humerali antrorsum producto; pone basin subito ampliata, posterius paulo angustiora, apice singulatim sinuato-emarginata, angulo suturali nonnihil producto, acuminato; thoracis vix tertia parte longiora, supra fere plana, in singulo interne sulcis quinque latis et profundis, vix punctatis, exarata, suturæ proximo antice abbreviato; atra, nitida, sed in singuli medio fascia ferruginea, suturam non attingens, et versus apicem altera ejusmodi, externe stria adscendente cum priori conjuncta observantur, etsi valde obsoletæ. Pygidium magnum, triangulare, sat confertim punctatum, atrum, opacum. Corpus subtus subtiliter, disperse punctulatum, atrum, nitidissimum. Pedes breviusculi, validi, atri, tibiis interne tenuiter pallido-ciliatis; tarsorum articulo tertio magno, orbiculato, subtus pallido-spongioso.

Var. β, differt, magnitudine paulo minori, elytris posterius et ad latera opacis, atris, interstitiis tamen anterius politis, nitidis; fasciæ elytrorum ferrugineæ in hac varietate evidentiores. Ambo feminini sexus esse videntur ventre antice non impresso.

Obs. Hanc speciem ad genus præsens pertinere, verosimillimum quidem mihi videtur; individua descripta jam vero, pro ulteriori investigatione, ad manus non sunt. — Ghl.

♂♀ 2. C. Limbatus. *Fabricius.*

Oblongus, niger, nitidus; thorace lævi, lateribus pallido-squamoso; elytris in disco profunde sulcatis, disperse pallido-leprosis, lateribus et apice dense pallido-squamosis. — Ghl.

Calandra limbata. Fabr. *Syst. El.* II. p. 434. 22.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 81. 10. *Curculio.* T. 3. f. 22.
Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.
Curculio limbatus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 397. 12.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 473. 7.

Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 23. 15. T. 61. f. 5.

Patria : Insula Bourbon, île de France.

♁ 3. R. Guerini. *Chevrolat.*

Elongatus, angustus, holosericeo-ater, opacus; rostro nitido; thorace obsolete punctato, plagis quatuor politis ornato: elytris punctato-striatis, basi costis nonnullis brevibus, elevatis, politis, notatis.

Calandra id. Klug. *Ins. Madagasc.* p. 112. 175.
Guérin, *Icon. du Règne anim.* V. T. 39 *bis.* f. 3.
Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Patria : Insula Madagascar. A Dom. Klug et Schuppel donatus. Mus. Schh.

Statura *Conocephali limbati*, sed triplo minor et ultra. Caput oblongum, supra impressum, disperse punctulatum, atrum, vertice plaga polita notato, fronte opaca, foveola rotunda impressa; oculi elongati, nigro-brunnei; rostrum vix longitudine thoracis, porrectum, parum arcuatum, angulatum, supra planum, disperse punctulatum, basi paulo crassius, ibique leviter canaliculatum, apice bifidum, totum nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, sub-tenues, nigræ, nitidæ. Thorax latitudine baseos longior, anterius paulo angustior, apice sub-emarginatus, pone apicem in utroque latere striga angusta impressus, lateribus pone strigam oblique ampliatis, posterius rectis; basi obtuse rotundatus, elevato-marginatus; supra fere planus, disperse punctulatus, holosericeo-ater, opacus, plagis quatuor politis, nitidis ornatus, quarum prima in medio apicis, postice bifida; secunda in medio disci, sub-quadrangularis; tertia et quarta in disco posteriore utrinque elongatæ, arcuatæ, in medio sub-interruptæ. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, atrum, lateribus nitidum. Elytra antice conjunctim emarginata, pone humerum oblique ampliata, dein in medio laterali sub-impressa, apice singulatim obtuse rotundata, thorace parum longiora, supra plana, punctato-striata, interstitiis planis obsolete punctulatis; holosericeo-atra, opaca; in singuli elytri basi costæ tres elevatæ, politæ, nitidæ observantur, quarum prima in interstitio tertio a sutura, reliquis longior; secunda in quinto, dimidio brevior; tertia in humero,

brevissima, duplicata. Pygidium magnum, sub-triangulare, punctatum, atrum, opacum, lateribus cinereo-furfuraceum. Corpus subtus disperse punctatum, atrum, lateribus opacum, disco pectoris et ventris politis, nitidis. Pedes longiusculi, atri, femoribus clavatis, cinereo-furfuraceis, utrinque vitta polita notatis; tibiis arcuatis, interne ferrugineo-ciliatis; tarsis valde dilatatis, subtus ferrugineo-spongiosis. — Ghl.

Genus 379. TRIGONOTARSUS. *Guérin.*

Character generis: — Antennæ mediocres, sub-tenues; articulis duobus basalibus funiculi ob-conicis, reliquis brevibus, sub-turbinatis; clava minuta, oblonga, oblique sub-ovata, compressa.

Rostrum elongatum, basi crassius, versus apicem magis tenue, cylindricum, rectum.

Thorax breviter ovatus, basi bi-sinuatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, versus apicem cito angustior, valde coarctatus, supra modice convexus.

Elytra oblongo-ovata, apice conjunctim rotundata, supra nonnihil convexa.

Pedes mediocres, antici paulo longiores, intus ciliati; tarsi angustati, articulis tribus basalibus oblongo-triangularibus, ultimo clavato, parce piloso.

Descriptio: — *Corpus* oblongum, supra nonnihil convexum, sculpturatum, opacum, alatum, majoris magnitudinis.—*Antennæ* thoracis medium vix attingentes, versus basin rostri insertæ, sub-tenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracis marginem anticum attingente, recto, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato: articulis 1 et 2 oblongis, obconicis, 3 et 4 brevibus, sub-turbinatis, 5 et 6 paulo latioribus, sub-quadratis, omnibus distantibus; clava minuta, oblonga, oblique sub-ovata, compressa, bi-articulata: articulo 1° corneo, apice extus flexuoso, intus oblique-truncato, 2° spongioso, apice obtuso, oblique semi-rotundato, cultrato.—*Caput* parvum, rotundatum, retractum. — *Rostrum* thorace paulo brevius, basi crassius, sub-teres, dein versus apicem tenue, cylindricum, rectum, sub-deflexum; fovea antennali prope basin rostri lateraliter sita, profunda, oblonga, curvata.—*Oculi* laterales, infra caput fere connexi, oblongi, sub-depressi.—*Thorax* amplus, latitudine baseos paulo longior, basi leviter bi-sinuatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, antice subito angustior, longe intra apicem valde coarc-

tatus, in utroque latere et infra striga transversa, profunda impressus, apice ipso et supra et infra leviter late emarginatus, supra modice convexus,—*Sternum* porrectum, bifidum. — *Scutellum* mediocre, triangulare.—*Elytra* antice thoracis basi vix latiora illoque duplo longiora, basi simultanæe sinuato-emarginata, humeris antrorsum paulo prominulis; lateribus pone basin paulo ampliata, dein versus apicem sensim attenuata, vix rotundata; apice ipso conjunctim obtuse rotundata, fere truncata, pygidium haud obtegentia; supra paulo convexa. — *Pygidium* sub-triangulare, supra paulo convexum, sub-deflexum. — *Pedes* mediocres, validi, antici paulo longiores, intus ciliati; femoribus modice clavatis, muticis, anticis basi parum distantibus; tibiis sub-teretibus, canaliculatis, rectis, apice intus arcuatis, unco fixo, valido, corneo, inflexo terminatis; tarsis elongatis, angustatis, articulis 1-3 oblongo-subtriangularibus, sub-æqualibus, subtus canaliculatis, sub-spongiosis, ultimo clavato, parce piloso, bi-unguiculato.

A τρίγωνος triangulus, ταρσός tarsus.

TYPUS. — *Trigonotarsus calandroides;* e Nova Hollandia.

Observ.—Generi *Homalonoto* primo intuitu simile est hoc genus; a. *Rhynchophoris*, corpore convexiore, antennarum constructione valde diversa et sterno porrecto abunde differt.

Tarsorum forma singularis Domino Guérin ansam nominis præbuit.

1. T. CALANDROIDES. *Guérin.*

Oblongus, ater, supra glaber; thorace confertissime rugoso-punctato; elytrorum sulcis angustis, impunctatis, interstitiis granulatis, rugoso-punctatis; fronte fovea profunda impressa.

GUÉRIN, *Icon. du Règne animal.* V. T. 39 *bis.* f. 9.
Calandra rugosa. BOISDUVAL, *Voy. de l'Astrol.* p. 445. 1.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Patria : Nova Hollandia. Ex Musæo Dom. HOPE descriptus.

Statura et facies *Homalonoti coriacei*, sed dimidio major. Caput parvum, disperse punctatum, atrum, fronte inter oculos fovea magna, oblonga, profunde impressa; oculi valde elongati, nigri. Rostrum thorace brevius, rectum, basi crassius, inæquale, extrorsum cylindricum, undique confertim rugoso-punctatum, atrum.

Antennæ atræ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax amplus, latitudine paulo longior, antice subito angustior, apice emarginatus, pone apicem constrictus, lateribus mox pone stricturam valde ampliatis, dein posterius fere rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, undique confertissime, rude rugoso-punctatus, ater, parum nitidus. Scutellum triangulare, læve atrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice sub-truncata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, anguste sulcata, sulcis fere lævibus, interstitiis latis, sub-planis, dorsalibus punctis magnis, variolæ-formibus impressis, lateralibus et apicis granulis seu tuberculis parvis absque ordine adspersis; tota atra, parum nitida. Pygidium sub-triangulare, disperse punctatum, atrum. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, atrum magis nitidum, pectore impresso, setulis umbrinis adperso. Pedes validi, punctati, atri, tibiis arcuatis, subtus umbrino-ciliatis.—Ghl.

Genus 380. POTERIOPHORUS. *Nobis.*

Character generis.— Antennæ mediocres, minus tenues; articulis duobus funiculi obconicis, reliquis brevibus, sub-turbinatis, apice truncatis; clava elongata, poculiformi.

Rostrum elongatum, validum, valde arcuatum, in mare basi crassius, versus apicem attenuatum; in femina longius, magis lineare, subtus dense barbatum.

Thorax oblongus, sub-conicus, basi obtuse rotundatus, supra parum convexus.

Elytra oblonga, sub-linearia, basi introrsum leviter emarginata, apice singulatim rotundata.

Pedes mediocres, longitudine sub-æquales; articulo penultimo tarsorum orbiculato.

Descriptio : — Corpus elongatum, sub-angustatum, supra parum convexum, alatum; majusculæ magnitudinis.—*Antennæ* ad thoracis medium vix pertingentes, in masculis prope basin, in feminis versus medium rostri, insertæ, minus tenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracem apice attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato; articulis 1, 2 ob-conicis, 3-6 sub-turbinatis, apice truncatis, gradatim latitudine parum crescentibus; clava elongata, haud compressa, bi-articulata : articulo 1° corneo, apice truncato, 2° spongioso, retractili, apice cultrato.

— *Rostrum* validum, sub-teres, valde arcuatum, deflexum; in masculo capite duplo longius, basi crassius, gibbum, versus apicem sensim attenuatum; in femina longitudine fere thoracis, magis lineare, subtus dense barbatum. — *Oculi* laterales, elongati, depressi, infra caput paulo approximati.— *Thorax* latitudine baseos fere duplo longior, basi obtuse rotundato-ampliatus, lateribus basi rectis; anterius perparum rotundatus, sensim angustior, longe intra apicem obsolete coarctatus, antice in medio leviter emarginatus, cæterum truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* oblongum, apice rotundatum. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora, eoque sesqui-longiora, basi introrsum leviter emarginata, lateribus pone basin nonnihil ampliatis, dein sub-rectis; apice singulatim obtuse rotundata, pygidium haud obtegentia, supra parum convexa. — *Pygidium* semi-ellipticum, deflexum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femoribus clavatis, muticis, anticis basi approximatis, posterioribus in feminis ciliatis; tibiis sub-rectis, intus leviter bi-sinuatis, dense ciliatis, apice unco valido, inflexo terminatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo orbiculato, subtus integro, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

A ποτηριοφορος, poculi gestator.

TYPUS. — *Poteriophorus niveus;* ex insula Java.

♂♀ 1. P. NIVEUS. *Klug.*

Elongatus, angustus, niger, indumento crustaceo niveo undique tectus; rostro apice incurvo, thorace disperse punctato, anguste carinato; elytris distincte striatis, striis lateralibus remote, dorsalibus impunctatis.

Mas: rostro brevi, quinque-sulcato, apicem versus attenuato; thorace elytrisque vitta laterali sub-nuda, nigricante, albo-guttata notatis.

Femina: interdum dimidio major, rostro longiore, quinque-carinato, subtus coma densa sericea, pallida barbato; thoracis elytrorumque vittis lateralibus obsoletis.

Calandra nivea. Dom. KLUG *in Litteris.*

Id. albida. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Patria : Insula Java. Dom. SOMMER. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Longitudo fere *Rhynchophori Senegallensis*, sed paulo angustior. Caput sub-globosum, disperse punctatum, crusta alba tectum; oculi elongati, nigro-brunnei; rostrum maris capite duplo longius, valde incurvum, basi crassum, apicem versus sensim attenuatum, supra a basi ultra medium profunde canaliculatum et anterius utrinque sulcis duobus exaratum, apice nudum, nigrum, cæterum albo incrustatum. Antennæ breviusculæ, albo incrustatæ, clava ob-conica, nuda, nigra, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos fere duplo longior, anterius angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus anterius oblique ampliatis, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra parum convexus, in medio dorsi leviter carinatus, punctis sparsis, valde remotis impressus, supra et infra crusta polita nivea tectus, relicta vitta laterali utrinque fere nuda, albo-guttata et carinula dorsali nigris. Scutellum oblongum, apice rotundatum, crusta alba tectum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, basi erosa, pone basin nonnihil ampliata, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra parum convexa, distincte striata, striis lateralibus sub-remote punctatis, dorsalibus sub-lævibus, interstitiis disperse punctulatis; crusta densa nivea tecta, relicta vitta lata intra-marginali apiceque nigris, guttulis orbiculatis albis ornatis. Pygidium sub-triangulare, elevato-marginatum, in medio carinatum, disperse punctatum, crusta nivea tectum. Corpus subtus disperse punctatum, crusta nivea tectum, relictis sub thorace et in lateribus pectoris plagis utrinque duabus magis nudis, albo-guttatis. Pedes mediocres, niveo-incrustati, femoribus disperse punctatis, tibiis striatis, tarsis valde dilatatis.

Femina interdum dimidio major; rostrum longitudine fere thoracis, basi supra canaliculatum, ante antennas carinulis quinque instructum, subtus coma densa pallida, sericeo-micante tectum; vittæ et plagæ nigricantes, tam supra, quam infra, valde obsoletæ.

GHL.

GENUS 381. EUGNORISTUS. *Nobis.*

Calandra OLIVIER.

Character generis.—Antennæ longæ, sub-tenues; articulis funiculi sub-obconicis, secundo primo duplo longiori; clava pyriformi.

Rostrum longum, basi abrupte crassius, dein tenue, cylindricum, rectum.

Thorax longiusculus, sub-ovatus.

Elytra oblonga, apice singulatim obtusissime rotundata.

Pedes longi, longitudine sub-æquales; femora parum clavata; articulo penultimo tarsorum amplo, sub-cordato, subtus spongioso.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, nonnihil convexum, sculpturatum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis basin fere attingentes, mox juxta basin rostri insertæ, sub-tenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo capite valde superante, valido, versus apicem sensim incrassato, recto; funiculo 6-articulato: articulis omnibus sub-obconicis, 2° basali duplo longiore; clava elongata, pyriformis, haud compressa, bi-articulata: articulo basali corneo, apice sub-truncato, ultimo rotundato, sub-acuminato, spongioso. *Rostrum* longitudine capitis una cum thorace, basi abrupte, breviter, valde incrassatum, elevatum ubi antennæ insertæ, dein tenue, cylindricum, rectum, deflexum. — *Oculi* valde demissi, sub capite connexi, oblongi, sub-depressi. — *Thorax* latitudine baseos paulo longior, basi obtuse rotundatus, fere truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, antice subito angustior, coarctatus, apice oblique truncatus, supra parum convexus, in dorso planiusculus. —*Scutellum* parvum, elongatum, apice acuminatum. — *Elytra* thoracis basi paulo latiora et illo fere duplo longiora, antice conjunctim leviter emarginata, mox pone basin paulo ampliata, lateribus rectis; versus apicem sensim perparum angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, supra parum convexa, dorso planiuscula. — *Pygidium* sub-triangulare, deflexum. — *Pedes* longi, longitudine sub-æquales, minus validi; femoribus modice clavatis, muticis, anticis basi paulo distantibus; tibiis sub-rectis, intus crenulatis, apice unguibus duobus terminatis; tarsis subtus spongiosis, articulo penultimo amplo, sub-cordato, ultimo clavato, bi-unguiculato, unguiculis parvis.

A εὐγνώριστος, qui facile agnosci potest.

TYPUS. — *Eugnoristus monachus.* Ex insula Madagascar.

Observ. — Facies quodammodo *Oxyrhynchi* generis, etsi statura longior.

♂♀ 1. E. MONACHUS. *Olivier.*

Oblongus, holosericeo-ater, opacus, squamositate cretacea, miniaceo-tincta, subtus dense tectus, supra variegatus; thorace amplo, plaga dorsali holosericeo-atra; elytris sub-remote punctato-striatis, singulo vitta dorsali arcuata striaque media cretaceo-squamosis ornato; femoribus supra linea ejusmodi notatis.

Calandra monacha. OLIV. *Ent.* 83. p. 90. 23. *Curculio.* T. 28. f. 411.

KLUG, *Ins. von. Madagasc.* p. 112. 176.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p, 303. *ed.* 3. p. 328.

Patria : Insula Madagascar. Ex Musæo Regio Gallico descriptus.

Quoad picturam *Oxyrhynchis* quodammodo similis, *Oxyrhyncho discordi* paulo major, longior, sed magnitudine variat. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, atrum; oculi elongati, angusti, atri; rostrum maris thorace paulo brevius, feminæ ejus longitudine, in utroque ad basin breviter et abrupte valde incrassatum, elevatum, rugoso-punctatum, dein tenue, cylindricum, rectum, læve, nitidum, totum atrum. Antennæ longiusculæ, nigræ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax amplus, latitudine medii paulo longior, anterius angustior, apice sub-truncatus, pone apicem obsolete constrictus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi fere truncatus, supra parum convexus, vix punctulatus, ater, squamositate densa cretacea, miniaceo-tincta tectus, relicta plaga magna dorsali ovata vel sub-cordiformi holosericeo-atra, opaca, et margine apicali ante stricturam elevato, punctato, atro, sub-nitido. Scutellum parvum, triangulare, acuminatum, atrum. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, posterius paulo angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in dorso plana, sub-remote punctato-striata, holosericeo-atra, opaca; vitta arcuata, cretaceo-squamosa, miniaceo-tincta, ab humero oblique versus suturam ducta, in medio suturæ cum opposita confluens,

posterius iterum oblique versus marginem flexa, et in medio disci striga transversa, abbreviata ejusmodi, singulum elytrum ornant. Pygidium triangulare, atrum, lineis duabus obliquis, cretaceo-squamosis notatum. Corpus subtus punctatum, atrum, squamositate cretacea, miniaceo-tincta, dense tectum. Pedes longiusculi, punctati et scabri, atri, squamulis cretaceis adspersi; femoribus supra linea dense cretaceo-squamosa notatis. — GHL.

GENUS 382. CERCIDOCERUS. *Guérin.*

Sphyroles DE HAAN. — *Calandra* DEJEAN, GAEDE.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ, articulis primis funiculi brevissime sub-obconicis, reliquis sub-transversis, basi apiceque truncatis; clava compressa, in masculis majuscula, malleiformis utrinque valde elongata, in feminis semi-orbiculata, apice truncata, cuneiformis.

Rostrum elongatum, basi crassius, extrorsum attenuatum, sub-teres, valde arcuatum.

Thorax oblongus, sub-ovatus, supra planus, in medio sæpissime carinatus.

Scutellum, oblongum, sub-lineare, apice rotundatum.

Elytra sub-ovata, apice singulatim rotundata, supra fere plana.

Pedes mediocres, longitudine sub-æquales; articulo penultimo tarsorum cordiforme, subtus spongioso.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-ellipticum, supra fere planum, alatum; mediæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix attingentes, ante medium rostri sitæ, validiusculæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracem apice attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato: articulo 1° interdum etiam 2° brevissime sub-obconicis, reliquis transversis, sub-quadratis, ultimo parum crassiore; clava valde compressa, bi-articulata, in masculis una cum funiculo malleiformis, utrinque valde elongata, articulo 1° corneo, angustato; 2° spongioso, apice truncato, acietato; in feminis cuneiformis, articulo 1° corneo breviusculo, semi-orbiculato, apice truncato; 2° spongioso, apice etiam truncato, acietato vel cultrato. — *Caput* parvum, rotundatum. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, basi crassius, versus apicem sensim attenuatum, sub.teres, lateribus longitudinaliter obsolete impressum. — *Oculi* laterales, infra caput fere

connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine valde longior, basi leviter bi-sinuatus, in medio paulo productus, lateribus basi rectis, ante medium modice rotundatus, anterius angustior, intra apicem coarctatus, apice ipso truncatus, supra planus in medio sæpissime carinatus. — *Scutellum* oblongum, sub-lineare, apice rotundatum, depressum. — *Elytra* antice thoracis basi paulo latiora et illo sesqui-longiora, basi introrsum oblique sub-truncata, fere obtuse rotundata, lateribus pone basin subito, dein versus apicem perparum, rotundato-ampliata, apice ipso obtuse rotundata, pygidium haud obtegentia, supra sub-plana. — *Pygidium* semi-ellipticum, paulo deflexum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femoribus modice clavatis, muticis, anticis basi parum distantibus; tibiis rectis, sub-teretibus, apice unco fixo, inflexo terminatis; articulo 3° tarsorum sub-cordiformi, subtus integro, spongioso, ciliato; 4° elongato, clavato, bi-unguiculato.

A κερκίδος radius textorius, κερας cornu.

TYPUS. — *Cercidocerus fabricator.*

Patria : Insulis Java et Borneo.

Observ. — Quoad habitum speciebus nonnullis generis *Sphenophori* simile est hoc genus, sed thorax et elytra supra planiora, et antennarum constructio, præsertim in masculis, valde diversa.

♂ 2. C. BIPUNCTATUS. *De Haan.*

Niger, subtus dense, supra inæqualiter pallido-squamosus; thorace oblongo, profunde punctato, anguste carinato; elytris rude punctato-sulcatis, macula rotundata holosericeo-atra in singulis medio notatis.

Mas : clava antennarum malleiformi, utrinque valde elongata. *Sphyroles id.* Dom. DE HAAN *in Litteris.*

Patria : Insula Java. A Dom. DE HAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Medius, *Stenophoro hemiptero* sub-æqualis. Caput parvum, disperse punctatum, nigrum, indumento pallido vestitum; oculi perpendiculares, valde elongati, brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, basi crassius, anguste canaliculatum, disperse punctatum, indumento denso pallido vestitum, extrorsum attenuatum, nudum, nigrum. Antennæ validæ, nigræ,

clava transversa, utrinque valde elongata, compressa. Thorax elongatus, antice paulo angustior, apice emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra sub-impressus, in medio carinula angusta instructus, undique confertim profunde punctatus, niger, indumento denso pallido supra et infra tectus. Scutellum oblongum, dense pallido-squamulosum, in medio puncto profundo impressum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, lateribus nonnihil ampliata, apice etiam singulatim rotundata, thorace parum longiora, supra fere plana, profunde punctato-sulcata, præsertim anterius, interstitiis convexis, sub-lævibus, nigra, opaca. antice et in sutura, squamositate pallida adspersa et in medio disci singuli elytri macula rotundata holosericeo-atra notata. Pygidium magnum, apice rotundatum, supra carinatum, profunde, punctatum, nigrum, nudum. Corpus subtus nigrum, nitidum, anterius confertim punctatum et dense pallido-squamulosum, ventre disperse punctato, parcius squamoso. Pedes validiusculi, nigri, dense albido-squamulosi; femoribus sub-clavatis, muticis. — Ghl.

♂♀ 2. C. Fabricator. *Schh.*

Niger, parum nitidus, fere glaber; thorace oblongo, profunde punctato, anguste carinato; elytris rude punctato-sulcatis, macula obsoleta, transversa, holosericeo-atra in singuli medio notatis.

Mas : clava antennarum utrinque modice elongata.

Femina : clava antennarum semi-orbiculata, truncata.

Patria : Insula Borneo. A Dom. De Haan benevole communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo, statura et summa affinitas *Cercidoceri bipunctati*, sed corpus fere omnino nudum, antennarum clava diversa et macula elytrorum obsoletior, transversa, etc. Caput parvum, vix punctulatum, nigrum, nudum; oculi ut in *Cercidocero bipunctato ;* rostri structura etiam omnino ut in illo, sed nudum, totum nigrum. Antennæ validæ, nigræ, clava in masculo utrinque modice elongata, transversa, in femina semi-orbiculata, truncata, in utroque compressa, apice cinereo-spongiosà. Thorax quoad structuram, puncturam et carinulam dorsalem exacte ut in priori, sed omnino nudus, niger, sub-nitidus. Scutellum oblongum, nigrum, tenuiter

cinereo-pruinosum. Elytrorum forma et sulci profunde punctati ut in priori, sed nuda, nigra, opaca, et macula holosericeo-atra in singuli disco obsoletior, transversim oblonga. Pygidium magnum, semi-ellipticum, convexum, profunde punctatum, carinatum, nigrum, nudum. Corpus subtus nigrum, nitidum, fere glabrum, thorace ventrisque lateribus confertim, pectore disperse punctatis, ventris medio fere lævi. Pedes validiusculi, nigri, nitidi; femoribus sub-clavatis, muticis, subtus tenuiter cinereo-ciliatis. — GHL.

♂ 3. C. FABRILIS. *Schh.*

Niger, supra opacus, fere glaber; thorace oblongo, confertim punctato, in medio linea elevata, plana instructo; elytris remote punctato-sulcatis, interstitiis fere planis; singulo macula disci obsoleta nigriore notato.

Mas : clava antennarum utrinque valde elongata.

Patria : Insula Borneo. A Dom. DE HAAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cercidocero fabricatore plus duplo minor, cæterum simillimus, distinctus tamen videtur, clava antennarum magis elongata, linea elevata thoracis latiore, supra plana, elytrorum sulcis minus profundis, remotius punctatis, et illorum interstitiis magis planis. Caput oculi et rostrum omnino ut apud *Cercidocerum fabricatorem* descripta. Antennarum clava utrinque valde elongata, fere ut in *Cercidocero bipunctato.* Thoracis structura ut in prioribus, sed linea elevata in medio dorsi latior, supra plana, et punctura minus profunda; cæterum totus niger, opacus, nudus. Scutellum oblongum, nigrum. Elytrorum forma ut in prioribus, sed sulci minus profundi, remotius punctati, et interstitia fere plana; nigra, opaca, nuda, in singuli disco macula nigriore, at obsoleta, notata. Pygidium, corpus subtus et pedes ut in præcedente. — GHL.

4. C. ERYTHROCEUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, piceus, parum nitidus, rostro, pygidio pedibusque obscure rufis; thorace disperse varioloso-punctato, anguste carinato; elytris remote punctato-striatis, cinereo-irroratis.

Calandra erythrocea. Dom CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Insula Java. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Individuum visum feminini sexus, clava antennarum semi-globosa; statura omnino et similitudo *Cercidoceri fabricatoris*, sed duplo minor, thorax sparsim punctatus, color rostri, pygidii et pedum alius. Caput breve, convexum, punctatum, piceum, sub-nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, basi crassum, rugoso-punctatum, piceum, punctis pulvere cinereo repletis; extrorsum attenuatum, arcuatum, læve, rufum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava semi-globosa, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine dimidio longior, anterius angustior, apice truncatus, pone apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra in medio late impressus, cum carinula elevata in medio impressionis; cæterum sparsim varioloso-punctatus, piceus, sub-nitidus, punctis, præsertim lateralibus, pulvere cinereo repletis. Scutellum oblongum, angustum, lanceolatum, piceum. Elytra antice singulatim rotundata, thorace latiora, humeris obtuse angulatis; posterius angustata, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix longiora, supra fere plana, parum profunde striata et in striis sub-remote punctata, picea, sub-opaca, punctis numerosis cinereis irrorata. Pygidium triangulare, punctatum, obscure rufum, opacum, bi-carinatum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes mediocres, femoribus clavatis, punctatis, obscure rufescentibus, tibiis tarsisque dilutius rufis. — GHL.

5. C. NIGROLATERALIS (1).

GUÉRIN, *Icon. du Règne anim.* V. T. 39 *bis.* f. 6. a. b.
Calandra heterocera. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.
Patria : Java.

(1) Mihi invisus.

6. C. SECURIFERUS. (1).

Calandra securifera. GAEDE, *Annales de la Soc. Ent. de Fr.* II. p. 458. T. 17. 6. f. 1.

Patria : Java.

GENUS 383. SCYPHOPHORUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ; articulo 1° funiculi parum elongato, brevissime sub-obconico, reliquis brevioribus, lenticularibus, sub-transversis, paulo distantibus, gradatim nonnihil crassioribus; clava sub-scyphiformi, apice oblique truncata, sub-concava.

Rostrum longiusculum, basi crassius, versus apicem sub-tenue, nonnihil arcuatum.

Thorax sub-ovatus, antice dimidio angustior, postice obtuse rotundatus, supra planiusculus.

Scutellum oblongo-triangulare.

Elytra oblonga, basi conjunctim emarginata, apice sub-truncata, supra paulo convexa.

Pedes validi, longitudine sub-æquales; articulo penultimo tarsorum sub-cordato, subtus glabro, haud spongioso, apice dense ciliato.

Descriptio. — *Corpus* ellipticum, nonnihil convexum, durum, sculpturatum, glabrum, nudum, alatum; aut majusculæ aut mediæ magnitudinis. — *Antennæ* ad thoracis medium haud attingentes, mox pone basin rostri insertæ, validæ, parce pilosæ, fractæ, 9-articulatæ : scapo elongato, thoracis marginem anticum pertingente, recto, versus apicem sensim incrassato : funiculo 6-articulato : articulo 1° brevissime sub-obconico, 2-6 brevioribus, transversis, apice truncatis, lenticularibus, omnibus paulo distantibus, exterioribus successive parum latioribus; clava breviuscula, nonnihil compressa, sub-scyphiformi, bi-articulata : articulo 1° corneo, apice oblique truncato, 2° spongioso, retracto, fere concavo. — *Caput* parvum, rotundatum. — *Rostrum* vix longitudine thoracis, basi crassius, extrorsum sub-tenue, cylindricum, paulo arcuatum, deflexum.— *Oculi* demissi, infra caput valde approximati, oblongi,

(1) Mihi invisus.

depressi. — *Thorax* latitudine baseos interdum longior, postice obtuse rotundatus, lateribus basi sub-rectis, antice angustior, paulo rotundatus, intra apicem coarctatus, apice ipso sub-truncatus, supra planiusculus. — *Scutellum* oblongo-triangulare. — *Elytra* thoracis basi vix latiora, antice conjunctim introrsum emarginata, pone basin nonnihil ampliata, lateribus perparum rotundato-ampliata, posterius sensim angustiora, apice sub-truncata, pygidium haud obtegentia, supra paulo convexa. — *Pygidium* breve, triangulare, deflexum. — *Pedes* longitudine sub-æquales, validi, intus parce ciliati; femoribus clavatis, paulo compressis, muticis, anticis basi paulo distantibus; tibiis sub-rectis, apice intus unguiculo magno inflexo terminatis, extus bi-dentatis; tarsis longiusculis, articulo tertio latiusculo sub-cordato, apice dense ciliato, subtus glabro, haud spongioso, ultimo elongato, clavato, bi-unguiculato.

A σκύφος scyphus, φόρος ferens.

TYPUS. — *Scyphophorus acupunctatus.*

Patria : Mexico.

Observ. — Speciebus nonnullis generis *Sphenophori* valde similes sunt hujus generis species; sed clava antennarum apice fere excavata, et tarsorum diversa constructio, distinctionem genericam indicare mihi videntur.

♂♀ 1. S. INTERSTITIALIS. *Sturm.*

Ellipticus, niger, sub-nitidus, glaber; thorace amplo, latitudine vix longiore, disperse punctulato, antice subito angustato; elytrorum sulcis angustis; parum profunde, confertim punctatis, interstitiis planis, disperse punctulatis.

Calandra id. Dom. STURM *in Litteris.*

Patria : St.-Domingo. Dom. BESCKE. Mexico. A Dom. STURM et CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro abbreviato facie et textura valde similis, interdum magnitudine æqualis, sæpe etiam dimidio major et ultra. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola rotunda impressa; oculi depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, validum, basi crassius, extrorsum attenuatum, modice arcuatum, disperse punctulatum, nigrum,

nitidum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax amplus, latitudine vix longior, antice abrupte angustior, apice sub-truncatus, pallido-fimbriatus, pone apicem constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatus, in medio latior, posterius nonnihil angustior, basi obtuse rotundatus, supra parum convexus, versus latera densius et fortius punctatus, in disco disperse subtiliter punctulatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thorace vix latiora, pone basin parum ampliata, apice conjunctim obtusissime rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, sulcis angustis, sat confertim sed parum profunde punctatis, exarata, interstitiis planis, subtiliter, disperse punctulatis; tota nigra, minus nitida. Pygidium breve, triangulare, punctatum, nigrum. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, nigri; femoribus tibiisque subtus breviter nigro-ciliatis. — Ghl.

♀ 2. S. Acupunctatus. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, sub-nitidus, glaber; thorace latitudine manifeste longiore, antrorsum sensim angustiore, supra plano, concinne, disperse punctulato; elytrorum sulcis latioribus, profunde, sub-remote punctatis, interstitiis convexis, subtiliter, disperse punctulatis.

Calandra acupunctata. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Mexico. A Dom. Chevrolat amice communicatus. Mus. Schh.

Magnitudo et facies *Sphenophori abbreviati;* variat etiam dimidio minor, a *Scyphophoro interstitiali,* cui in plurimis simillimus, præcipue differt : thorace longiore, antrorsum sensim angustiore, et elytrorum sulcis latioribus, fortius et sub-remote punctatis. Caput, oculi, rostrum et antennæ exacte ut apud *Scyphophorum interstitialem* descripta. Thorax latitudine postica manifeste longior, antice dimidio angustior, apice leviter emarginatus, pallido-fimbriatus; pone apicem constrictus, lateribus oblique versus medium ampliatis, dein sub rectis; basi obtuse rotundatus, supra in disco planus, versus latera dense et fortius punctatus, in disco disperse, concinne punctulatus, totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice conjunctim leviter emargi-

nata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace vix longiora, supra parum convexa, sulcis latis, profunde, sub-remote punctatis, exarata, interstitiis convexis, subtiliter, disperse punctulatis; tota nigra, sub-nitida. Pygidium breve, triangulare, profunde punctatum, nigrum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, nitidum, glabrum. Pedes breviusculi, validi, nigri; femoribus crassis, punctatis, nitidis, subtus breviter nigro-ciliatis; tibiis sub-rectis, scabris; tarsis longiusculis, articulo tertio sub-cordato, in margine cinereo-ciliato, subtus non spongioso. — GHL.

* 3. S. ANTHRACINUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, sub-nitidus, glaber; thorace amplo, latitudine vix longiore, disperse punctulato, antice subito angustiore; elytrorum sulcis latioribus, profunde, sub-remote punctatis, interstitiis planis, subtiliter, disperse punctulatis.

Patria : America meridionalis, Mexico. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH. Ex Musæo Dom. Com. MANNERHEIM etiam collatus, e Carracas oriundus.

Medius quasi inter *Scyphophorum interstitialem* et *acupunctatum;* forma thoracis ut in priori, textura elytrorum ut in posteriori, utroque tamen minor. Caput disperse punctatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola rotunda impressa; oculi depressi, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, validum, basi crassum, extrorsum attenuatum, modice arcuatum, disperse punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax amplus, sub-quadratus, latitudine vix longior, antice abrupte angustior, apice sub-truncatus, pone apicem leviter constrictus, lateribus subito ampliatis, dein fere rectis; basi obtuse rotundatus, supra parum convexus, versus latera densius, in disco disperse, concinne punctatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, thoracis basi non latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, sulcis latiusculis, sat profunde, sub-remote punctatis exarata, interstitiis fere planis, subtiliter, disperse punctulatis: tota nigra, minus nitida. Pygidium breve,

triangulare, punctatum, nigrum. Corpus subtus sat profunde, disperse punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, nigri, femoribus tibiisque subtus tenuiter nigro-ciliatis.—Ghl.

Genus 384. CREPIDOTUS. *Nobis.*

Calandra. Klug.

Character generis. Antennæ longiusculæ, sub-tenues: articulis omnibus funiculi sub-obconicis; clava oblonga, sub-ovata, sub-compressa.

Rostrum longum, tenue, basi paulo crassius, modice arcuatum.

Thorax oblongus, basi sub-truncatus, lateribus fere æqualiter valde rotundato-ampliatus, versus apicem cito angustior, supra in dorso planus.

Scutellum parvum, oblongum, apice rotundatum.

Elytra oblonga, versus apicem paulo angustiora, apice conjunctim rotundata, supra parum convexa.

Pedes validiusculi; articulo penultimo tarsorum amplo, sub-cordato, subtus valde spongioso.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, parum convexum, sculpturatum, parce squamulosum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium paulo superantes, ad basin rostri insertæ, subtenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracis marginem anticum superante, recto, sub-clavato; funiculo 6-articulato: articulis omnibus sub-obconicis, exterioribus successive brevioribus, vix latioribus; clava oblonga, sub-ob-ovata, nonnihil compressa, bi-articulata: articulo 1° corneo, apice emarginato, ultimo spongioso, apice rotundato-ampliato. — *Caput* parvum, convexum. — *Rostrum* longitudine thoracis cum capite, tenue, cylindricum, basi paulo crassius, modice arcuatum, deflexum. — *Oculi* laterales, paulo demissi, sub-ovati, inferne acuminati, depressi. — *Thorax* latitudine postica multo longior, basi sub-truncatus, lateribus æqualiter valde rotundato-ampliatus, antice subito angustior, sub-coarctatus, apice sub-truncatus, in medio obsoletissime emarginatus, supra in dorso planiusculus. — *Scutellum* parvum, oblongum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis basi dimidio latiora et illo plus duplo longiora, basi conjunctim leviter emarginata, lobo humerali paulo producto, rotundato, pone basin modice ampliata, lateribus rectis, versus apicem nonnihil angustiora, apice ipso conjunctim rotundata, pygidium haud obtegentia, supra parum con-

vexa, dorso planiuscula. — *Pygidium* breviusculum, sub-conicum, paulo deflexum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femoribus clavatis, muticis, anticis basi parum distantibus; tibiis rectis, teretibus, canaliculatis, apice ungulis duobus validis armatis; tarsis paulo elongatis, articulo penultimo amplo, subcordato, subtus eximie spongioso, ultimo elongato, clavato, biunguiculato.

A κρηπιδωτός soleatus.

TYPUS. — *Crepidotus Audouini*; e Madagascar.

Observ. — Quoad habitum *Dionycho* generi simile est hos genus. Antennæ longiusculæ, articulus tertius tarsorum solito magis dilatatus et maculæ squamosæ elytrorum a reliquis hujus divisionis generibus hoc manifeste distingunt.

♂ 1. C. AUDOUINI. *Schh.*

Oblongus, parum convexus, niger, opacus, in cavitatibus cinereo-pulverulentus; thorace plano, lateribus rotundato, supra confertissime varioloso-punctato; elytrorum sulcis sub-remote punctatis, interstitiis foveolis cinereo-squamosis impressis.

Patria : Insula Madagascar. Ex Musæo Regio Gallico descriptus.

Magnitudo fere et statura *Sphenophori senegalensis.* Caput subglobosum, confertim punctatum, nigrum, parum nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, tenue, cylindricum, arcuatum, læve, nigrum, nitidum. Antennæ longiusculæ, subtenues, nigræ. Thorax amplus, latitudine, medii paulo longior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-sinuatus, lateribus valde rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra fere planus, confertissime varioloso-punctatus, niger, non nitidus, punctis pulvere cinereo repletis. Scutellum parvum, oblongum, elevatum, nigrum, læve. Elytra antice truncata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris obtuse rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra fere plana, profunde, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, foveolis majusculis, squamositate cinerea repletis, seriatim impressis; tota nigra, non nitida. Pygidium breve, triangulare, nigrum, opacum. Corpus subtus profunde sparsim punctatum, nigrum, nitidum.

Pedes mediocres, validi, nigri, non nitidi, femorum punctis pulvere cinereo repletis; tibiis brevibus, rectis; tarsorum articulo tertio amplo, subtus dense brunneo-spongioso.

Observ. Insectum, a Dom. Klug, loco infra citato sub nomine *Calandra variolosa* descriptum, huic quidem valde affine videtur, vix vero idem, nam notæ aliquot ibi indicatæ, nostro non exactu conveniunt. — GHL.

2. C. VARIOLOSUS (1). *Klug.*

Nigro-piceus, capite thoraceque depresso dilatato, excavato-punctatis; elytris punctato-striatis, interstitiis planis, sparsim griseo-squamosis. — KLUG.

Calandra variolosa. KLUG, *Ins. von Madagasc.* p. 113. 177. T. 4. f. 11.

Patria : Madagascar.

GENUS 385. ACANTHARHINUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validiusculæ; articulo primo funiculi turbinato, reliquis transversis, apice truncatis, paulo coarctatis, extrorsum gradatim crassioribus; clava sub-securiformi.

Rostrum breviusculum, validum, supra versus apicem subito arcuatum, fere gibbum; subtus infra insertionem antennarum bidentatum.

Thorax oblongus, basi leviter bi-sinuatus, anterius dimidio angustior, supra paulo convexus.

Scutellum majusculum, triangulare.

Elytra oblongo-ovata, apice singulatim obtuse rotundata, supra modice convexa.

Pedes validi, longitudine sub-æquales; articulo penultimo tarsorum sub-rotundato.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, supra modice convexum, sculpturatum, glabrum, nudum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium non attingentes, versus basin rostri

---

(1) Mihi invisus.

insertæ, validiusculæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracis marginem anticum paulo superante, recto, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato: articulo 1° breviusculo, turbinato, 2-6 adhuc brevioribus, transversis, paulo coarctatis, exterioribus successive paulo crassioribus; clava mediocri, sub-securiformi, compressa, bi-articulata : articulo 1° corneo, apice rotundato, 2° spongioso, apice obtuso, retractili, haud acietato. — *Caput* parvum, rotundatum. — *Rostrum* capite plus duplo longius, validum, basi crassius, pone medium subito arcuatum, gibbum, sub-comprimatum, deflexum, subtus infra insertionem antennarum dentibus duobus, majusculis armatum. — *Oculi* demissi, oblongi, angustati, infra caput fere connexi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos dimidio longior, basi sub-rotundatus, obsoletissime bi-sinuatus, lateribus basi sub-rectis, anterius oblique angustior, longe intra apicem in utroque latere striga transversa impressus, coarctatus, apice truncatus, supra modice convexus. — *Scutellum* majusculum, triangulare. — *Elytra* oblongo-sub-ovata, antice thoracis basi paulo latiora illoque fere dimidio longiora, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, lateribus mox pone basin nonnihil ampliata, versus apicem sensim angustiora, apice ipso singulatim rotundata, abdomine breviora, supra modice convexa. — *Pygidium* apice rotundatum, elevato-marginatum, paulo deflexum. — *Pedes* mediocres, validi, longitudine sub-æquales; femoribus clavatis, muticis, anticis basi parum distantibus; tibiis rectis, teretibus, apice unco fixo, valido, inflexo terminatis, intus parce ciliatis; articulo penultimo tarsorum majusculo, sub-rotundato, subtus integro, spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A ἀκανθα spina, ῥιν rostrum.

TYPUS. — *Acantharinus Dregei,* e Cap. Bonæ Spei.

Observ. — Corpus sub-convexum, glabrum, rostrum supra gibbum, subtus spinulis duabus armatum, una cum cæteris characteribus supra allatis, huic insecto genus proprium assignare suadent individuum unicum masculinum nobis tantum cognitum.

1. A. DREGEI. *Schh.*

Oblongus, modice convexus, niger, nitidus, glaber; fronte rostroque inæqualiter canaliculatis; thorace obsolete punctulato; elytrorum sulcis profundis, crenato-punctatis, interstitiis convexis, lævibus pygidio apice rotundato.

Patria : Caput Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE descriptus.

Magnitudo *Molytis Germani.* Caput breve, parum convexum, obsolete, sparsim punctulatum, nigrum, fronte fovea lata et profunda, postice attenuata, antrorsum in rostro continuata, impressa; oculi depressi, nigri; rostrum capite plus duplo longius, crassum, versus apicem arcuatum et gibbosum, supra sparsim punctulatum et inæqualiter canaliculatum, canali nempe versus basin lato et profundo, anterius tenui, et supra os iterum dilatato insculptum; subtus versus basin spinis duabus, paribus, arcuatis armatum, totum nigrum. Antennæ validiusculæ, nigræ. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice duplo angustior quam basi, apice truncatus, longe intra apicem in utroque latere striga transversa insculptus, unde antice sub-tubulatus; lateribus pone strigam versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, obsolete, sparsim punctulatus; totus niger, nitidus. Scutellum latum, breviter triangulare, læve, nigrum, nitidum. Elytra antice conjunctim leviter sinuato-emarginata, elevato-marginata, thoracis basi vix latiora, pone basin oblique modice ampliata, posterius nonnihil angustiora, apice singulatim rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, profunde sulcata, sulcis latis, crenato-punctulatis, interstitiis convexis, lævibus; tota nigra, nitida, glabra. Pygidium semi-orbiculatum, punctatum, elevato-marginatum, nigrum, opacum. Corpus subtus inæqualiter punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Pedes validi, nigri, nitidi, tibiis interne breviter umbrino-ciliatis; tarsis dilatatis, subtus umbrino-spongiosis. — GHL.

GENUS 386. AXINOPHORUS. *Nobis.*

Lixus FABR. — *Calandra* ILLIGER.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, validæ; articulo basali funiculi brevissime obconico, reliquis transversis, coarctatis,

extrorsum gradatim latioribus; clava latiuscula, compressa, dolabriformi.

Rostrum breviusculum, validum, teres, modice arcuatum.

Thorax oblongus, sub-conicus, parum convexus.

Scutellum majusculum, sub-cordiforme.

Elytra oblonga, versus apicem sensim attenuata, apice ipso singulatim obtuse rotundata.

Pygidium breviusculum, apice sub-truncatum, elevato-marginatum.

Pedes breviusculi; articulo penultimo tarsorum majusculo, sub-cordiformi.

Descriptio.—*Corpus* oblongum, parum convexum, alatum; mediæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium sub-attingentes, prope basin rostri insertæ, validæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracis marginem anticum attingente, recto, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato: articulo 1° brevissime obconico, reliquis transversis, truncatis, successive latioribus, coarctatis, ultimo clavæ adnexo; clava latiuscula, compressa, bi-articulata: articulo 1° corneo, apice rotundato-ampliato, 2° spongioso, apice oblique rotundato, acietato. — *Rostrum* capite duplo longius, validum, teres, lineare, modice arcuatum, sub-deflexum. — *Oculi* magni, et supra et infra fere connexi, oblongi, parum convexi. — *Thorax* latitudine baseos multo longior, basi bi-sinuatus, lobo medio paulo producto, lateribus parum rotundatus, anterius sensim multo angustior, intra apicem vix coarctatus, apice ipso truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* majusculum, cordatum, basi paulo depressum. — *Elytra* antice thoracis basi paulo latiora illoque fere dimidio longiora, basi singulatim rotundata, lobo humerali antrorsum nonnihil producto; mox pone basin paulo ampliata, ad latera sub-recta, versus apicem sensim attenuata, apice ipso singulatim obtuse sub-rotundata, abdomine breviora, supra parum convexa. — *Pygidium* breviusculum, apice sub-truncatum, fere obtuse rotundatum, marginibus elevatis, supra versus apicem carinatum. — *Pedes* breviusculi, validiusculi, longitudine sub-æquales; femoribus sub-clavatis, nonnihil compressis, subtus basi parce ciliatis, muticis; tibiis sub-teretibus, sub-rectis, intus ciliatis, apice unco magno, fixo inflexo terminatis; tarsis elongatis, articulo penultimo majusculo, sub-cordiformi, subtus spongioso, unguiculari clavato, falcato, bi-unguiculato.

Ab ἀξίνη dolabra, φόρος ferens.

Typus. — *Axinophorus gages;* e Guinea.

Observ. — Quoad habitum generi *Sphenocoryni* simile est hoc genus, sed plurium partium forma longe alia, ut ex diagnosi elucet.

1. A. Gages. *Fabricius.*

Elongatus, angustus, ater, glaber; thorace sub-conico, lævi, nitidissimo; elytris punctato-striatis, opacis, striis cinereo-pulverulentis, callo humerali glabro, nitido.

Lixus id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 500. 9.
Curculio id. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 416. 97.
Calandra id. Illig. *Mag.* IV. p. 150. 9. et VI. p. 325. lin. 3.

Patria : Guinea. Ex Musæo Regio Danico descriptus.

Longitudine *Sphenophoro hemiptero,* æqualis, sed angustior. Caput breve, latum, atrum, triangulo verticis lævi, nitidissimo; oculi magni, modice convexi, nigri, maximam capitis partem occupantes; rostrum capite duplo longius, validum, modice arcuatum, supra versus basin profunde sed breviter canaliculatum, cæterum læve, atrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, validæ, atræ. Thorax latitudine postica longior, antice duplo angustior quam basi, apice truncatus, sub-tubulatus, in utroque latere striga transversa, valde obsoleta notatus, lateribus pone strigam oblique ampliatus, basi bi-sinuatus, lobo medio longius producto, acute rotundato; supra parum convexus, lævis, totus ater, nitidissimus. Scutellum breve, latum, antice profunde emarginatum, apice acuminatum, supra impressum, læve, atrum, nitidissimum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, pone basin oblique ampliata, posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, impunctatis; atra, opaca, callo humerali elevato, striisque nonnullis brevibus baseos politis, nitidis; striæ et puncta elytrorum, præsertim posterius, pulvere cinereo repleta. Pygidium breve, latum, apice obtuse rotundatum, elevato-marginatum, supra rugoso-punctatum, in medio carinatum, atrum, cinereo-pulverulentum. Corpus subtus inæqualiter punctatum, atrum, nitidum. Pedes breviusculi, validi,

atri, nitidi, femoribus subtus basi tibiisque interne breviter cinereo-ciliatis, tarsis elongatis, subtus cinereo-spongiosis.

GHL.

GENUS 387. SPHENOCORYNES. *Nobis.*

Calandra FABR., WEBER. — *Rhynchophorus* ILLIGER.

Character generis. — Antennæ mediocres, minus validæ : articulis duobus basalibus funiculi brevissime obconicis, reliquis brevibus, transversis, exterioribus sub-latioribus, parum distantibus; clava oblonga, sub-ovata, compressa, cuneiformi.

Rostrum breviusculum, validum, teres, versus apicem sensim nonnihil attenuatum, sub-rectum.

Thorax elongatus, conicus, parum convexus.

Scutellum parvum, sub-triangulare.

Elytra oblonga, versus apicem sensim paulo angustiora, apice singulatim rotundata, supra planiuscula.

Pygidium valde elongatum, conicum, sub-porrectum.

Pedes mediocres; articulo penultimo tarsorum majusculo, sub-cordiformi.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, oblongo-ellipticum, parum convexum, alatum; majusculæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix attingentes, prope basin rostri insertæ, minus validæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracis marginem anticum attingente, recto, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato : articulis 1, 2 brevissime obconicis, 3-6 brevibus, transversis, apice truncatis, extrorsum gradatim paulo latioribus, omnibus parum distantibus; clava oblonga, sub-ovata, compressa, bi-articulata : articulo 1° corneo, apice rotundato-ampliato, 2° spongioso, apice obtuse rotundato, acietato. — *Rostrum* capite duplo longius, validum, teres, versus apicem sensim nonnihil attenuatum, sub-rectum, paulo deflexum. — *Oculi* lateribus, infra caput fere connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos fere duplo longior, basi rotundatus, lateribus sub-rectis, antrorsum sensim multo angustior, intra apicem ad latera et infra parum coarctatus, apice truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* parvum, sub-triangulare. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora, introrsum conjunctim rotundato-emarginata, lateribus e basi versus medium parum rotundato-ampliata, posterius paulo angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, abdomine multo breviora, supra in dorso

planiuscula. — *Pygidium* valde elongatum, conicum, apice obtuse rotundatum, supra paulo convexum, sub-porrectum. — *Pedes* mediocres, validi, postici paulo longiores; femoribus clavatis, anticis basi paulo approximatis, subtus unco valido armatis; tibiis sub-teretibus, intus vix bi-sinuatis, sub-rectis, apice unguibus duobus, validis terminatis; tarsis elongatis, articulo penultimo majusculo, subtus spongioso, sub-cordiformi, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A σφηνός cuneus, κορύνη clava.

TYPUS. — *Sphenocorynes 4-punctatus;* ex insulis Java et Sumatra.

Observ. — Generi *Sphenophoro* quidem affine est hoc genus, sed præter formam corporis magis elongatam, etiam rostri brevitas, articuli antennarum sub-transversi, pygidium elongatum, fere porrectum, etc., characteres abunde distinguentes præbent.

♂♀ 1. S. QUADRIPUNCTATUS. *Weber.*

Elongatus, angustus, niger, furfure cinereo inæqualiter vestitus; thorace conico, sparsim punctato, confertim cinereo guttato, vitta laterali nuda utrinque notato; elytris remote punctato-striatis, dense cinereo guttatis, callo humerali maculaque laterali ante apicem nudis, nigris; pygidio elongato, conico; femoribus sub-dentatis.

Curculio id. WEBER, *Observ. Ent.* p. 93. 2.

Calandra 4-punctata. FABR. *Syst. El.* II. p. 431. 11.

Rhynchophorus cinereus. ILLIGER, WIEDEM. *Arch.* I. II. p. 115. 11. T. 1. f. 2.

Patria: Java, Sumatra. Mus. SCHH. et GHL.

Longitudo pollicaris, sed angustus. Caput oblongum, fere planum, varioloso-punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum, fronte fovea rotunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum vix capite duplo longius, validum, fere rectum, varioloso-punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos fere duplo longior, antice dimidio angustior, sub-conicus; apice truncatus, pone apicem in utroque latere et subtus striga tenui impressus; lateribus modice obliquis, rectis; basi rotundatus, supra parum convexus, sparsim varioloso-punctatus, niger, in dorso

guttulis numerosis, orbiculatis, cinereo-furfurosis adspersus, versus latera et subtus dense, æqualiter cinereo-furfurosus, relicta vitta laterali utrinque nuda, nigra, nitida. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, cinereo-furfurosum. Elytra antice conjunctim profunde emarginata, thoracis basi vix latiora, pone basin versus medium oblique ampliata, apice singulatim, obtuse rotundata, thorace parum longiora, supra fere plana, tenuiter striata et striis remote punctata, interstitiis planis, lævibus; nigra, ad latera dense cinereo-furfurosa, in dorso guttulis numerosis, orbiculatis ejusmodi adspersa, relictis macula magna pone humerum et altera paulo ante apicem lateralem, nudis, nigris. Pygidium magnum, fere conicum vel oblongo-triangulare, sat profunde punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum, relicta striga angulata baseos et stria laterali utrinque nudis, nigris. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, in medio longitudinaliter nudum, nitidum, lateribus late et dense cinereo-furfurosum. Pedes mediocres, nigri, furfure cinereo dense tecti, femoribus utrinque linea nuda, nigra notatis, subtus dente parvo armatis; tarsis dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

Observ. — Indumentum furfurosum plerumque cinereum, interdum albidum, sæpe vero plus minusve detritum, et tunc maculæ nigræ elytrorum vix observandæ, unde facies aliena evadit.—GHL.

GENUS 388. MEGAPROCTUS. *Nobis.*

Lixus FABR. — *Rhynchophorus* ILLIGER. — *Calandra* WIEDEMAN. — *Belorhynchus* (1). GUÉRIN.

Character generis. — Antennæ mediocres, sub-tenues; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, sub-obconicis, reliquis brevibus sub-rotundatis, omnibus distantibus; clava sub-ovata, compressa, cuneiformi.

Rostrum elongatum, lineare, tenue, vix arcuatum.

Thorax oblongus, sub-conicus.

Elytra elongata, oblongo-sub-quadrata, apice truncata.

Pygidium valde elongatum, porrectum, apice acatum.

---

(1) Nomen *Belorhynchus* alio generi inter *Brenthides* antea adjectum, quam ob rem coactus fui, nomen Cl. Dom. Guerini in *Megaproteum* mutare.

Pedes mediocres; articulo penultimo tarsorum oblongo, subtriangulari, subtus spongioso.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, planiusculum, alatum; aut mediæ, aut mediocris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium attingentes, prope basin rostri insertæ, sub-tenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracem apice pertingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-obconicis, 3-6 sub-rotundatis, in nonnullis paulo oblongis, omnibus crassitudine æqualibus, paulo distantibus; clava sub-ovata, compressa, bi-articulata : articulo 1°. corneo, apice sub-rotundato, 2°. spongioso, apice obtuse rotundato, acietato. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, sub-tenue, basi parum crassius, dein tenue, lineare, aut vix, aut paulo arcuatum, sub-deflexum. — *Oculi* laterales, infra caput sub-connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos fere duplo longior, basi rotundato-ampliatus, leviter bi-sinuatus, lateribus basi sub-rectis, dein paulo rotundatis; anterius multo augustior, vix coarctatus, apice truncatus, supra parum convexus, sub-planiusculus. — *Scutellum* minutum, triangulare. — *Elytra* antice thoracis basi non latiora, introrsum conjunctim rotundato-emarginata, mox pone basin paulo ampliata, lateribus rectis, linearia, apice truncata, abdomine breviora, supra planiuscula. — *Pygidium* valde elongatum, oblongo-triangulare, porrectum, apice acutum. — *Pedes* mediocres validi, postici nonnihil longiores; femoribus anticis basi parum distantibus, omnibus clavatis, compressis, subtus denticulo unico armatis; tibiis sub-rectis, paulo compressis, apice unco unico, valido, inflexo terminatis; tarsis elongatis, articulo penultimo majusculo, oblongo-sub-triangulari, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A μέγας magnus, πρωκτὸς podex.

Typus. — *Megaproctus acutus.*

Patria : Guinea, Java, Africa occidentalis.

Observ. — Forma corporis elongata, fere linearis, pygidium porrectum et acuminatum, una cum cæteris in diagnosi et descriptione memoratis differentiis, hoc genus a reliquis hujus divisionis bene distingunt.

1. M. ACUTUS. *Fabricius.*

Lineari-elongatus, angustus, nigro-piceus, inæqualiter albo-squamulosus, rostro, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis; thorace sparsim punctato, lineis quatuor albo-squamosis ornato; elytris remote punctato-striatis, basi, sutura, maculis seriatis disci, lineaque obliqua ante apicem albo-squamosis; pygidio acuminato, linea alba notato.

Lixus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 505. 39.

Belorhynchus id. GUÉRIN, *Icon. du Règne anim.* V. T. 39 bis. f. 5. a. b.

Calandra elongata. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Patria: Insula Sumatra. Ex Musæo Regio Danico descriptus.

Statura elongata, angusta *Lixi Paraplectici*, sed plus duplo minor. Caput parvum, retractum, obsolete punctatum, nigro-piceum; oculi sub-depressi, nigri; rostrum capite cum thorace fere longius, basi paulo crassius, rugoso-punctatum, piceum, extrorsum tenue, cylindricum, parum arcuatum, læve, ferrugineum, nitidum. Antennæ mediocres, obscure ferrugineæ, clava apice albido-spongiosa. Thorax latitudine postica fere duplo longior, anterius dimidio angustior, apice truncatus, lateribus anterius versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, lobo medio lato, obtuse rotundato; supra parum convexus, sparsim punctatus, nigro-piceus, opacus, margine antico dilutius ferrugineo; præterea lineis quatuor angustis albo-squamosis ornatus, dorsalibus antice approximatis. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice conjunctim sinuato-emarginata, thoracis basi vix latiora, pone basin subito nonnihil ampliata, dein linearia, apice truncata, thorace vix longiora, supra planiuscula, sub-remote punctato-striata, interstitiis angustis, sub-elevatis; nigro-picea, opaca, signaturis variis albo-squamosis decorata, in basi nempe litura transversa, sutura fere tota, maculæ numerosæ parvæ, seriatim digestæ in disco, cum punctis striarum alternantes et ante apicem linea obliqua ejusmodi, in singulo elytro. Pygidium porrectum, valde elongatum, apice acutum, supra punctatum, nigro-piceum, opacum, linea longitudinali albo-squamosa notatum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum,

lateribus plagiatim dense albo-squamosum. Pedes mediocres, validi, femoribus nigro-piceis, subtus dente parvo, acuto armatis, tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — GHL.

* 2. M. EXCLAMATIONIS. *Wiedeman.*

Elongatus, augustus, sub-depressus, rubricosus, supra opacus; rostro longo, tenui, cylindrico, antennis pedibusque dilutius rufis, nitidis; thorace disperse punctato; vitta dorsali brevi maculaque intra basin nigris notato; elytris remote punctato-sub-striatis; callo humerali elevato nitido, postico atro, opaco.

Calandra id. WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 121. 182.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Patria: Insula Java. A Dom. DE HAAN amice communicatus Mus. SCHH.

Statura elongata, angusta et fere magnitudo *Lixi paraplectici.* Caput sub-globosum, obsolete, disperse punctatum, rufum, sub-nitidum; oculi oblongi, sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum capite cum thorace longius, modice arcuatum, basi paulo crassius, extrorsum sub-tenue, cylindricum, disperse punctatum, rufum, nitidum. Antennæ rostro breviores, sub-tenues, dilute rufæ, clava ovata. Thorax oblongus, antice angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem utrinque obsolete constrictus, lateribus a basi versus medium nonnihil obliquis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus elevato-marginatus, supra parum convexus, æqualis, disperse punctatus, rubricosus, opacus, in medio dorsi vitta abbreviata et pone illam macula oblonga nigra notatus; in ipso margine laterali utrinque etiam litura obsoleta, interrupta nigricans observatur. Scutellum triangulare, concolor. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi non latiora, pone basin parum ampliata, apice truncata, thorace non longiora, supra plana, obsolete striata, striis remote punctatis; rubricosa, opaca, simul maculis quatuor nigris notata: callus nempe humeralis oblongus, elevatus, niger, nitidus, et loco calli posterioris macula major, rotundata, atra, opaca. Pygidium oblongo-triangulare, acutum, convexum, obsolete punctatum, rubricosum, opacum. Corpus subtus disperse punctatum, dilutius rufum, lateribus opacum, medio nitidum, ventre trifariam nigro maculato. Pedes mediocres, dilute rufi, nitidi,

femoribus sub-clavatis, lævibus; tibiis sub-rectis, tarsis dilatatis, subtus flavescenti-spongiosis. — GHL.

3. M. FUNEBRIS. *Illiger.*

Niger, thorace pectoreque linea laterali, coleopteorum linea suturali maculisque quatuor albis. — ILLIGER.

Rhynchophorus id. ILLIG. *Mag.* I. p. 177. 10.

GENUS 389. BELOPOEUS. *Nobis.*

Calandra GERMAR, DEJEAN, STURM.

Character generis. — Antennæ longiusculæ, sub-tenues; articulis funiculi obconicis, 2°. basali paulo longiore; clava oblonga, sub-obconica, apice obtuse rotundata vix compressa.

Rostrum longum, tenue, basi crassius.

Thorax oblongus, sub-ovatus, basi bi-sinuatus.

Scutellum majusculum, elongatum, angustatum, apice acutum.

Elytra sub-cordata, apice singulatim rotundata.

Pedes mediocres; articulo penultimo tarsorum paulo latiore, sub-cordato.

Descriptio. — *Corpus* ellipticum, supra planiusculum, holosericeum, alatum; minoris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis basin sub-attingentes, basi rostri insertæ, subtenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracem apice superante, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato; articulis 1, 2 elongatis, obconicis, hoc paulo longiore, 3-6 brevibus, etiam sub-obconicis, crassitudine æqualibus, omnibus paulo distantibus; clava oblonga, sub-obconica, parum compressa; bi-articulata: articulo 1°. elongato, versus apicem ampliato, corneo, 2°. spongioso, brevi, apice rotundato, vix acietato. — *Rostrum* tenue, lineare, basi incrassatum, paulo deflexum; in mare longitudine thoracis, nonnihil arcuatum, in femina longitudine thoracis cum capite, sub-rectum. — *Oculi* laterales, infra caput sub-approximati, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine postica paulo longior, basi bi-sinuatus, lateribus paulo rotundatus, anterius angustior, longe intra apicem coarctatus, apice sub-truncatus, supra planiusculus. — *Scutellum* majusculum, oblongo-triangulare, apice acuminatum. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora, illoque paulo lon-

giora, antice et postice singulatim rotundata, mox pone basin modice rotundato-ampliata, posterius angustiora, abdomine breviora, supra planiuscula. — *Pygidium* sub-triangulare, apice obtuse rotundatum, supra sub-convexum, paulo deflexum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validiusculi; femoribus anticis basi parum distantibus, omnibus clavatis, muticis; tibiis subteretibus, apice unco unico, valido, inflexo terminatis; tarsis elongatis, articulo penultimo paulo latiore, sub-cordato, subtus modice spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A Βελοποιὸς telorum fabricator.

Typus. — *Belopœus carmelitus;* e Brasilia.

Observ. — Non solum forma corporis nonnihil diversa, aliarumque partium plures dissimilitudines, sed præcipue antennarum structura aliena me persuaserunt, hoc genus a *Sphenophoris* distinguere, cum quibus alias multis communibus gaudet.

♂♀ 1. B. Carmelitus. *Hoffmannsegg.*

Ellipticus, ater, supra holosericeo-micans; thorace sparsim punctato, striga pone apicem interrupta, baseos marginali continua, ad angulos ramulum emittente, sub-lateribus cum priori conjuncta albo-squamulosis ornato; elytrorum disco toto ferrugineo; pleuris corporisque lateribus subtus albo-squamulosis. — Ghl.

Mas : rostro vix longitudine thoracis, sub-arcuato, posterius crassiore, obsolete striato; ventre antice impresso.

Femina : rostro thorace longiore, tenui, filiformi, lævi, fere recto; ventre convexo.

Calandra carmelita. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 296. 436.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 329.

Sturm, *Ins. Catal.* 1826. p. 106.

Patria : Brasilia.

GENUS 390. SPHENOPHORUS. *Nobis.*

Rhynchophorus HERBST, SCHH. (1), SAY. — *Calendra* CLAIRVILLE, ILLIGER, GERMAR (2). — *Calandra* FABR., OLIVIER, LATREILLE, GERMAR, DEJEAN, ILLIGER, OKEN, STURM (3). *Curculio* LINNÉ et plures.

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; articulis duobus basalibus funiculi oblongis, turbinato-obconicis, reliquis brevibus, sub-rotundatis, omnibus distantibus; clava breviter ovata, compressa, cuneiformis.

Rostrum elongatum, sub-tenue, basi crassius, modice arcuatum.

Thorax oblongus, antice angustior, valde coarctatus, basi aut bi-sinuatus, aut rotundatus.

Elytra oblonga, sub-ovata, apice in plerisque singulatim rotundata, supra sæpissime planiuscula.

Pedes mediocres, validi, longitudine sub-æquales.

Descriptio. — *Corpus* elliptico-ovatum, supra aut planiusculum, aut parum convexum, alatum; plerumque mediæ magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium pertingentes, prope basin rostri insertæ, validiusculæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo elongato, thoracem apice attingente, sub-clavato; funiculo 6-articulato: articulis 1, 2 oblongis, turbinato-obconicis, 3-6 in plerisque sub-rotundatis, in cæteris sub-turbinatis, exterioribus successive parum crassioribus, omnibus distantibus; clava breviter ovata, compressa, cuneiformis, bi-articulata: articulo 1° corneo, apice truncato, 2° spongioso, apice acietato, aut truncato, aut sub-rotundato. — *Rostrum* fere longitudine thoracis, ante insertionem antennarum crassius, dein sub-tenue, arcuatum, deflexum. — *Oculi* laterales, infra caput fere connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos longior, in plerisque bi-sinuatus, in aliis rotundato-productus, lateribus in plerumque basi sub-rectis, dein versus apicem parum rotundatis; anterius angustior, in nonnullis magis

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 327, Sturps 2.

(2) Clairv. Ent. Helv. I. p. 62. — Illig. Mag. III. p. 103. 169. — Germar, N. Wetter. Annal. I. I. p. 128.

(3) Latr. Gen. Crust. et Ins. II. p. 269. 282. — Illig. Mag. VI. p. 324. — Oken, Naturg. p. 768. 1.

æqualiter rotundatus, antice subito angustior, semper longe intra apicem profunde coarctatus, collum quasi annuliforme formans; apice sub-truncatus, supra sæpius planiusculus, in paucis parum convexus. — *Scutellum* triangulare. — *Elytra* antice thoracis basi parum latiora et illo fere sesqui-longiora, basi partim singulatim sub-rotundata, partim conjunctim introrsum rotundato-emarginata, pone basin oblique ampliata, dein posterius attenuata, apice sæpissime singulatim rotundata, in nonnullis aut conjunctim obtuse rotundata, aut sub-truncata, abdomine breviora, supra in plerisque planiuscula, in paucis nonnihil convexa. — *Pygidium* sub-triangulare, deflexum. — *Pedes* mediocres, longitudine sub-æquales, validi; femoribus clavatis, sæpissime muticis, raro subtus dente unico armatis; tibiis sub-teretibus, rectis, apice unco fixo, valido terminatis; tarsis elongatis, articulo penultimo aut majusculo, subtus spongioso, aut paulo minori, subtus haud spongioso, unguiculari elongato, clavato, bi-unguiculato.

A σφηνὸς cuneus, φόρος ferens.

TYPUS. — *Sphenophorus abbreviatus.*

Patria : Totus orbis; præsertim vero regiones calidæ.

Observ. — In numeroso hoc genere occurrunt quidem species nonnullæ, omnibus supra indicatis characteribus non exacte convenientes; dum vero notis generis maxime essentialibus correspondent, illas separare minus necesse censui. Inveniuntur etiam aliæ, quarum forma corporis paulo convexior, et tarsi diversimodo constructi, pro quibus, ad interim saltem, stirpem peculiarem assignavi.

STIRPS I. *Articulo penultimo tarsorum sæpissime majusculo, in nonnullis paulo angustiore, subtus semper spongioso.* (Species 1-55.)

* 1. S. SCHOENHERRII. *Hope.*

Oblongus, niger, fere glaber; thorace obsolete, disperse punctulato, postice profunde bi-sinuato; elytrorum sulcis in fundo stria obsolete punctata insculptis, interstitiis valde convexis, disperse punctulatis, rostro valido, arcuato.

Calandra id. Dom. HOPE *in Litteris.*

Patria : Nova Hollandia, ad Melville. A Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Statura oblonga et facies *Sphenophori senegalensis*, sed duplo major. Caput sub-globosum, disperse punctatum, nigrum, nitidum; oculi elongati, nigro-brunnei, sub-depressi; rostrum capite triplo longius, validum, valde arcuatum, basi crassius supra in ipsa basi fovea profunda cum canaliculo brevi impressum, disperse punctatum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, articulis paulo coarctatis. Thorax latitudine postica fere dimidio longior, anterius angustior, apice emarginatus, intra apicem striga profunda sinuata impressus, lateribus antice oblquis, dein rectis; basi profunde bi-sinuatus, lobo medio longius producto, rotundato; supra parum convexus, obsolete, disperse punctulatus, niger, ad latera anterius furfure cinereo adspersus. Scutellum semi-ellipticum, impressum, nigrum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, late sulcata, sulcis in fundo stria angusta, obsolete punctata impressis, interstitiis convexis, alte elevatis, nitidis, disperse punctulatis; tota nigra, basi furfure fusco-cinereo obducta. Pygidium magnum, semi-ellipticum, profunde, disperse puctatum, nigrum, cinereo-furfuraceum. Corpus subtus sat profunde, disperse punctatum, nigrum, magis nitidum. Pedes mediocres, nigri, tibiis arcuatis, interne ciliatis. — GHL.

* 2. S. CRENATUS. *Billberg.*

Oblongo-ellipticus, niger, sub-nitidus; rostro valido, arcuato, lævi; thorace supra plano, impunctato, basi sub-angulato, elevato-marginato; elytris profunde sulcatis, sulcis dorsalibus obsolete, lateralibus distincte, crenato-punctatis.

Cordyle crenata. BILLB. *Enum. Ins.* p. 41.

Patria : Brasilia. Dom. GROENDAHL. Mus. SCHH.

Longitudo fere *Rhynchophori ferruginei* minoris, sed multo angustior. Caput rotundatum, convexum, obsolete punctatum, nigrum; oculi depressi, nigri; rostrum capite plus duplo longius, validum, valde arcuatum, cylindricum, sparsim punctulatum, nigrum, basi

fovea sat profunda, utrinque attenuata impressum. Antennæ validiusculæ, nigræ. Thorax latitudine postica dimidio longior, anterius paulo angustior, apice leviter emarginatus, margine pallido-fimbriato; pone apicem sat profunde, sed anguste constrictus, lobo antico convexo, elevato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi obtuse angulatus, margine elevato; supra fere planus, in limbo obsoletissime punctulatus, cæterum lævis, niger, sub-nitidus. Scutellum oblongum, apice obtusum, supra impressum, læve, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice sub-truncata, thorace paulo longiora, supra modice convexa, late et profunde sulcata, sulcis dorsalibus obsolete, lateralibus fortius, crenato-punctatis, interstitiis convexis, lævibus; tota nigra, nitida. Pygidium breve, apice rotundatum, basi remote punctatum, dein scabrum, nigrum, cinereo-squamosum. Corpus subtus nigrum, nitidum, sparsim punctatum. Pedes breviusculi, validi, nigri, nitidi, femoribus compressis tibiisque subtus breviter fulvescenti-ciliatis, tarsis dilatatis, subtus pallido-spongiosis. — Ghl.

* 3. S. Senegalensis. *Dejean.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-opacus, thorace sub-lævi, postice profunde bi-sinuato; elytris undique anguste punctato-sulcatis, femoribus tibiisque subtus brunneo-ciliatis, rostro elongato, sub-tenui, valde arcuato.

Calandra id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303. *ed.* 3. p. 328.

Calandra caffra. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 84. 15. *Curculio.* T. 16. f. 194. forte.

Curculio caffer. Oliv. *Enc. méth.* V. p. 475. 17. forte.

Rhynchophorus caffer. Herbst, *Col.* VI. p. 28. 20. T. 61. f. 10. forte.

Habitat in Senegallia. A Dom. Com. Dejean, et Dom. Dupont benevole communicatus. Mus. Schh. et Ghl.

Medius, *Sphenophoro crenato* non brevior, sed angustior. Caput rotundatum, convexum, læve, nigrum; oculi sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum thorace paulo brevius, valde arcuatum, basi

crassum, opacum, extrorsum attenuatum, læve, nitidum, totum nigrum, basi foveola impressum. Antennæ validæ, nigræ, clava brevi, truncata, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine longior, antice subito angustior, tubulatus, apice leviter emarginatus, longe intra apicem anguste constrictus, lateribus nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio acute rotundato, supra sub-convexus, lævis, niger, opacus, furfure atro quasi obductus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, læve, apice acuminatum. Elytra antice valde sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin oblique ampliata, humeris vix elevatis, posterius parum angustiora, apice sub-truncata, thorace dimidio longiora, supra minus convexa, regulariter anguste sulcata, sulcis obsolete punctatis, intertitiis planis, lævibus; tota nigra, opaca, quasi mucore atro obducta. Pygidium triangulare, nigrum, disperse punctatum, medio carinatum, marginibus elevatis. Corpus subtus nigrum, magis nitidum, læve, versus anum tantum disperse punctulatum. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri, disperse punctulati, femoribus tibiisque arcuatis, subtus brunneo-vel fusco-ferrugineo-ciliatis, tarsis dilatatis, subtus ferrugineo-spongiosis. — GHL.

4. S. STRIATOFORATUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, niger, parum nitidus; rostro valido, arcuato, confertim punctulato; thorace supra sub-lævi, postice impresso; elytris tenuiter striatis, sed in striis punctis profundis, valde remotis, impressis; pygidio convexo, punctato.

Calandra striatoforata. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Colombia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Statura *Sphenophori hemipteri*, sed duplo major. Caput breve, parum convexum, sparsim punctulatum, nigrum, fronte foveola rotunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, valde arcuatum, sat confertim punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine postica longior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem vix constrictus, lateribus a basi versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra anterius nonnihil convexus, in medio basees impressus, vix punctulatus, niger, parum nitidus. Scutellum oblongo-

triangulare, planum, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, tenuiter striata, sed in striis punctis majusculis, profundis, plerisque oblongis, valde remotis insculpta, interstitis planis, lævibus; tota nigra, opaca. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum, apice rotundatum. Corpus subtus sparsim punctulatum, nigrum, magis nitidum. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi. — Ghl.

* 5. S. Hypocrita. *Schh.*

Ellipticus, planus, rufo-piceus; rostro breviusculo, valido, punctato; thorace oblongo, lateribus et in area dorsali punctato, vittis duabus elevatis, lævibus insignito; elytris dilutius rufo-piceis, sub-remote punctato-striatis, apice truncatis, singulo maculis duabus obsoletis nigris notato.

Patria: Insula Java. A Dom. De Haan amice communicatus. Mus. Schh.

Statura omnino *Rhynchophori ferruginei,* sed triplo minor et hujus generis. Caput sub-globosum, sparsim punctatum, nigro-piceum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea rotunda impressa; oculi depressi, brunnei; rostrum thorace fere dimidio brevius, validum, cylindricum, parum arcuatum, supra posterius profunde, sparsim punctatum, apice læve, rufo-piceum, nitidum. Antennæ breves, nigræ, clava oblonga, angusta. Thorax latitudine baseos multo longior, antice dimidio angustior quam basi; apice emarginatus, longe pone apicem obsolete constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basin obtuse rotundatus, supra inæqualis, in medio longitudinaliter impressus, antice, lateribus et in impressione dorsali sparsim punctatus, areis duabus interjacentibus latis, convexis, lævibus; totus rufus, opacus, in cavitatibus cinereo-pruinosus. Scutellum sub-orbiculatum, punctulatum, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, humeris antrorsum prominulis; pone basin ampliata, callo humerali alte elevato; posterius parum angustiora, apice truncata, thorace paulo longiora, supra plana, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; dilutius rufo-picea, opaca, in sulcis cinereo-pruinosa, maculis duabus obsoletis nigris

in singulo notata, anteriore marginali, pone callum humeralem, altera in callo postico. Pygidium triangulare, confertim punctatum, piceum, opacum. Corpus subtus ad latera disperse punctatum, opacum, in medio læve, nitidum, totum piceum. Pedes mediocres, nitidi, femoribus sub-clavatis, rufo-piceis, tibiis arcuatis, dilutius rufis, tarsis elongatis, piceis, articulo penultimo valde dilatato, subtus dense pallido-spongioso. — GHL.

* 6. S. DE HAANII. *Schh.*

Ellipticus, depressus, piceus, opacus, cinereo-pruinosus; rostro pedibusque dilutius ferrugineis; thorace vitta media lata atra notato: elytris remote punctato-sulcatis, maculis quatuor atro-holosericeis ornatis; femoribus anticis dente valido armatis.

Patria: Insula Java. A Dom. DE HAAN amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro abbreviato magnitudine æqualis. Caput parvum, retractum, rugoso-punctatum, piceum, opacum, fronte ad basin rostri transversim impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei; rostrum thorace dimidio brevius, porrectum, parum arcuatum, basi crassius, extrorsum attenuatum, cylindricum, undique confertim rugoso-punctatum, rufo-ferrugineum, opacum. Antennæ breviusculæ, nigræ, clava angusta, ovata. Thorax latitudine baseos multo longior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, longe intra apicem obsolete constrictus; lateribus pone stricturam, versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra fere planus, disperse varioloso-punctatus, piceus, opacus, cinereo-pruinosus; in medio dorsi vitta, anterius acuminata, posterius latior, saturate atra, utrinque linea elevata, sublævi ferruginea inclusa, conspicitur. Scutellum triangulare, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, humeris antrorsum sub-prominulis, pone basin ampliata, callo humerali oblongo, elevato; apice sub-truncata, thorace vix longiora, supra plana, remote punctato-sulcata, picea, opaca, indumento farinoso cinereo adspersa, singulo maculis duabus holosericeo-atris notato, anteriore lunata, pone callum humeralem, posteriore transversim ovata, prope callum posticum. Pygidium semi-ellipticum, rugoso-punctatum, piceum, opacum. Corpus subtus disperse punctatum, nigro-piceum, opacum, ventre plagis duabus lævibus, nitidis notato.

Pedes validi, ferruginei; femoribus sub-clavatis, punctatis, anticis subtus dente valido armatis; tibiis ejusdem paris etiam interne dente obtuso munitis. — GHL.

* 7. S. MACULATUS. *Schh.*

Oblongus, angustus, depressus, rufo-piceus, opacus, rostro longo, arcuato, pedibusque dilutius ferrugineis; thorace vitta media inæquali nigra; elytris punctato-sub-sulcatis, singulo maculis tribus nigris notato.

Patria: Insula Java A Dom. DE HAAN amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et fere magnitudo *Sphenophori hemipteri.* Caput sub-globosum, punctatum, rufo-piceum, sub-nitidum; oculi oblongi, brunnei; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, valde arcuatum, basi paulo crassius, supra tenuiter canaliculatum, punctatum et cinereo-squamulosum, extrorsum sub-compressum, fere læve, ferrugineum, nitidum. Antennæ validæ, piceæ, clava compressa, obtusa. Thorax, latitudine baseos multo longior, anterius dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, longe intra apicem constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam, oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, disperse punctatus, punctis annulo cinereo cinctis; rufo-piceus, opacus, vitta dorsali nigra, in medio dilatata et ad basin utrinque alia brevi, ejusdem coloris notatus. Scutellum oblongum, angustum, piceum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace parum longiora, supra fere plana, obsoletius punctato-striata, rufo-picea, opaca, in cavitatibus cinereo-pruinosa; in medio disci singuli elytri macula major, rotundata, nigra, alia minor in callo humerali et demum in callo postico tertia ovata, ejusdem coloris. Pygidium oblongo-triangulare, sub-carinatum, elevato-marginatum, punctatum, piceum, opacum. Corpus subtus sub-disperse punctatum, nigro-piceum, lateribus opacum, medio nitidum. Pedes breviusculi, femoribus rufo-piceis, opacis, cinereo-pruinosis; tibiis striatis, dilutius ferrugineis, sub-nitidis; tarsis elongatis piceis, articulo penultimo valde dilatato, subtus pallido-spongioso. — GHL.

* 8. S. CARINICOLLIS. *Schh.*

Ellipticus, sub-depressus, rufo-piceus, parum nitidus, cinereo-pruinosus; rostro longo, arcuato tibiisque dilutius ferrugineis; thorace profunde punctato, in medio carinula brevi nigra instructo; elytris obsolete punctato-striatis, simul maculis octo nigris notatis.

Patria : Insula Java. A Dom. DE HAAN amice communicatus. Mus. SCHH.

E minoribus, *Sitona gressorio* æqualis. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, basi crassius, ibique supra canaliculatum, rugulosum et cinereo-pruinosum, extrorsum tenue, sub-cylindricum, læve, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ mediocres, piceæ, cinereo-pruinosæ. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, pone apicem obsolete constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique ampliatis dein rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, sat profunde sparsim punctatus; in medio dorsi carinula, utrinque abbreviata, nigricante instructus, rufo-piceus, sub-opacus, in punctis cinereo-pruinosus, et ad latera infuscatus. Scutellum oblongum, angustum, concolor. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; apice fere truncata, thorace paulo longiora, supra sub-plana, anguste striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis planis, lævibus; rufo-picea, sub-opaca, guttulis cinereis, tam in punctis striarum, quam in interstitiis adspersa; preterea in singulo elytro maculæ quatuor nigræ : prima in callo humerali, secunda in medio disci, majore, tertia illi opposita versus marginem lateralem, parva, oblonga, quarta demum in callo postico, magna, transversa, elevata. Pygidium semi-ellipticum, in medio convexum, rugoso-punctatum, piceum. Corpus subtus rufo-piceum, anterius sparsim punctatum, sub-opacum, pruinosum, ventre sub-lævi, nitido. Pedes longiusculi, sub-tenues; femoribus sub-clavatis, piceis, cinereo-irroratis; tibiis striatis, scabris, dilutius ferrugineis; tarsis longis, articulo tertio dilatato.

GHL.

Observ. — Hæc species et *Sphenophorus maculatus*, quoad habitum, feminis generis *Cercidoceri* quidem similes; antennarum con-

structio tamen nonnihil diversa, quare in hoc genere, ad interim saltem locavi, donec masculi illarum detegendi.— SCHH.

* 9. S. SPINOLÆ. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, capite pedibusque nitidis; rostro arcuato, basi canaliculato; thorace oblongo, disco lævi; elytris concinne punctato-striatis, fasciis duabus angustis, arcuatis, ferrugineis ornatis.

Calandra bifasciata. Dom. STURM, *in Litteris.*

Patria : Mexico. A Dom. STURM amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et magnitudine *Sphenophoro senegalensi* sub-æqualis. Caput parvum, sub-globosum, concinne, sub-disperse punctatum, nigrum, nitidum; oculi perpendiculares, valde elongati, nigro-brunnei; rostrum thorace paulo brevius, validum, valde arcuatum, confertim punctulatum, basi supra canaliculatum, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine longior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, longe intra apicem constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein fere rectis, basi profunde bi-sinuatus, supra fere planus, antice, lateribus et subtus subtiliter punctulatus, disco dorsali omnino lævi; totus niger, opacus. Scutellum mediocre, triangulare, læve, nigrum, opacum. Elytra antice singulatim rotundato-producta, pone basin oblique nonnihil ampliata, apice etiam singulatim obtusissime rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, tenuiter, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; nigra, opaca, fasciis duabus angustis, sub-arcuatis, obscure ferrugineis ornatis, quarum prior paulo ante, altera paulo pone medium; ipse margo apicis etiam ferrugineo-fimbriatus. Pygidium semi-ellipticum, convexum, sat profunde punctatum, nigrum, opacum. Corpus subtus sub-disperse punctatum, nigrum, parum, nitidum. Pedes validi, punctati, nigri, nitidi; tarsis dilatatis, brunneo-spongiosis. — GHL.

Illustrissimus Dom. MAXIMILIANUS SPINOLA (Genovæ) rerum naturalium investigator præclarus, plurium operum de scientia rerum naturæ editorum meritissimus auctor. Nomen ejus huic insecto imponendo, huic viro intimam meam venerationem ostendere optassem. SCHH.

* 10. S. FAHRÆI. *Schh.*

Ellipticus, niger, parum nitidus, thorace pectoreque obscure ferrugineis; rostro valde arcuato, basi canaliculato; elytris tenuiter striatis, sed in striis foveolis profundis, valde remotis insculptis, fasciisque duabus macularibus flavo-rufescentibus ornatis.

Patria: Mexico, inter Oaxaca et Acapulco. A Dom. Com. MANNERHEIM amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro senegalensi paulo latior, sed non longior; *Sphenophoro Spinolæ* quodammodo similis, sed textura elytrorum et color abunde distingunt. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, parum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea profunda insculpta; oculi parum convexi, nigri; rostrum longitudine fere capitis cum thorace, validum, valde arcuatum, supra obsolete punctulatum, a basi ad medium anguste canaliculatum, totum nigrum, non nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine postica paulo longior, antice duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem in utroque latere striga angusta, transversa insculptus, sub-tubulatus; lateribus pone strigam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, vix punctulatus, obscure ferrugineus, opacus, lobo antico nigro. Scutellum breve, triangulare, nigrum, apice obtusum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, tenuiter striata, sed in striis foveolis seu punctis magnis, profundis, valde remotis insculpta, interstitiis planis, lævibus; nigra, opaca, fasciis duabus, utrinque abbreviatis et in medio interruptis, e maculis oblongis inæqualibus, flavo-rufescentibus compositis, priore paulo pone basin, posteriore pone medium. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum. Corpus subtus ad latera et apicem sparsim, punctatum, nigrum, non nitidum, pectore utrinque plaga magna, obscure ferruginea notato. Pedes longiusculi, validi, nigri, subnitidi; femoribus tibiisque subtus breviter cinereo-ciliatis. — GHL.

Dom. OL. IM. FAHRÆUS, Entomologus meritus, qui nunc labore indefesso socius in hoc opere edendo iniit, quare sub-denominatione hujus insecti, nomen quoque amici, quem intimo animo æstimo conservare optaverim. SCHH.

11. S. BIFASCIATUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, ater, opacus; thorace sparsim punctato, basi bi-sinuato, elevato-marginato; elytris sub-remote punctato-striatis, in disco strigis duabus macularibus, undulatis, obscure rufis ornatis.

Calandra bifasciata. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoro hemiptero fere dimidio minor, angustior. Caput retractum, sparsim punctatum, atrum; oculi depressi nigri; rostrum thorace paulo brevius, validum, basi crassius, ibique anguste canaliculatum, opacum supra sparsim punctatum, extrorsum valde arcuatum, compressum totum atrum, anterius nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine postica longior, antice fere dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pallido-fimbriatus; pone apicem in utroque latere striga obsoleta impressus; lateribus pone strigam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra fere planus, sparsim punctatus, ater, opacus in punctis pulvere cinereo irroratus. Scutellum oblongo-triangulare, atrum, opacum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, impunctatis; atra, opaca, fasciis duabus macularibus undulatis, obscure rufis ornata, priore paulo ante, altera paulo pone medium. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, atrum, pulvere cinereo adspersum. Corpus subtus sat profunde sparsim punctatum, atrum, sub-nitidum. Pedes mediocres, validi, atri, femoribus clavatis, punctatis, cinereo-irroratis; tibiis arcuatis, interne subtiliter cinereo-ciliatis.

GHL.

12. S. VALIDIROSTRIS. *Chevrolat.*

Ellipticus, ater, opacus; thorace sub-disperse punctato, in medio dorsi longitudinaliter impresso: elytris anguste striatis et in striis remote punctatis, in disco obsolete rufo-pustulatis; rostro valido, valde arcuato, longitudine thoracis.

Calandra id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo et statura *Sphenophori hemipteri; Sphenophoro bifasciato* in multis similis, sed plus duplo major, thoracis dorsum longitudinaliter profunde impressum, signaturæ rufescentes elytrorum valde obsoletæ. Caput sub-globosum, sat confertim punctatum, atrum, postice nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine capitis cum thorace, valde arcuatum, a basi fere ad medium crassum, confertim punctatum, tenuiter canaliculatum, opacum, versus apicem magis tenue, sub-compressum, nitidum, totum atrum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pallido-fimbriatus, pone apicem in utroque latere striga transversa impressus, lateribus pone strigam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra in medio dorsi impressione longitudinali, sat profunda, antrorsum angustiore instructus, sub-disperse punctatus, punctis pulvere cinereo repletis; ater, opacus, ambitu impressionis sub-nitido. Scutellum oblongo-triangulare, atrum, opacum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius paulo angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis sub-obsolete, remote punctatis, interstitiis planis; atra, opaca, guttulis minutis cinereis irrorata, et in disco, paulo ante et pone medium pustulis nonnullis rufescentibus, transversim positis, at valde obsoletis notata. Pygidium sub-triangulare, punctatum, nigrum, furfure cinereo dense tectum. Corpus subtus sparsim punctatum, atrum, sub-nitidum. Pedes mediocres, validi, atri, femoribus punctatis et cinereo guttatis; subtus una cum tibiis breviter cinereo-ciliatis; tarsis dilatatis, subtus pallido-spongiosis. — GYL.

.* 13. S. SIERRAKOWSKYI. *Schh.*

Ellipticus, purpurascenti-ferrugineus, supra opacus, subtus rufo-piceus, nitidus; antennis, vittis quinque thoracis abbreviatis, scutello, maculis sex elytrorum, genubus tarsisque nigris, rostro valido, rubro, nitido.

Patria : Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Similis *Sphenophoro hemiptero*, sed quadruplo major. Caput subglobosum, obsolete punctulatum, rufo-ferrugineum, sub-nitidum; oculi elongati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, parum arcuatum, basi paulo crassius, ibique supra sat profunde canaliculatum; extrorsum cylindricum, disperse punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ, nitidæ, clava orbiculata, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, longe intra apicem profunde constrictus, margine apicis elevato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi profunde bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra parum convexus, antice et in medio baseos punctatus, cæterum lævis, purpurascenti-ferrugineus, opacus; in medio dorsi vitta nigra, anterius latior, posterius attenuata, neque basin nec apicem attingens; posterius utrinque alia parva, brevis, obliqua, et antice in margine laterali utrinque iterum alia, brevis, ovata, ejusdem coloris. Scutellum triangulare, atro-holosericeum, opacum. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi paulo latiora, pone basin nonnihil ampliata, apice fere truncata, thorace paulo longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, impunctatis, purpurascenti-ferruginea, opaca, singulo maculis tribus ovatis nigris notato, prima pone callum humeralem, secunda fere in medio disci, tertia in callo postico. Pygidiuu semi-ovatum, punctatum, piceum. Thorax subtus confertim punctatus, piceus; pectus et venter dilutius rufescentia, medio sub-lævia, nitida lateribus punctata. Pedes validi, nitidi, femoribus saturate ferrugineis, basi apiceque nigris; tibiis dilutius rufis; tarsis elongatis, nigris, articulo tertio dilatato, unguiculari piceo. — GHL.

Dom. COM. JOSEPHUS SIERRAKOWSKY, anté decennia fere quinque scriba legationis Regius Poloniæ in suecia. — In memoriam revo-

cans juventuti communes entomologiæ investigationes, obstringor, huic viro, si adhuc vivit, hujus insecti denominatione, sempiternam meam æstimationem ostendere. — SCHH.

♂ 14. S. DECORATUS. *Schh.*

Ellipticus, sub-depressus, pallide rufus, nitidus, sub-glaber; rostro validiusculo, evidenter disperse punctato; thoracis lateribus vittisque tribus nigris, lateralibus, abbreviatis, posticis; scutello breviusculo, concavo; elytris sub-remote punctato-striatis, nigro-variegatis; femoribus distincte nigro fasciatis.

Patria : Insula Guadeloupe. Dom. FORSSTROEM. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero magnitudine, statura et facie valde similis : colore dilutiore, magis nitido, scutello breviore, elytris profundius striatis et femoribus distincte nigro fasciatis tamen distinctus; differentiam a *Sphenophoro ambiguo*, cui etiam valde affinis apud hunc indicavimus. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, rufum, nitidum; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace vix brevius validiusculum, evidenter punctatum, valde arcuatum, totum rufum, nitidum. Antennæ validiusculæ, piceæ. Thorax latitudine baseos longior, antice fere duplo angustior quam basi, apice sub-truncatus, longe pone apicem constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, versus latera et basin obsolete, sparsim punctatus, læte ruber, sub-nitidus, vitta media lata, integra, nigra, et alia postica dimidiata utrinque ejusdem coloris notatus; margines laterales etiam supra et infra late nigri. Scutellum breviter triangulare, rufum, impressum seu concavum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi vix latiora, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra sub-plana, distincte, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; rufa, sub-nitida, basi, sutura, margine laterali posterius, callo humerali plagisque variis disci nigris notata. Pygidium semi-ellipticum, punctatum, rufum, opacum, pallido-setosum, apice densius fasciculatum. Corpus subtus sparsim punctatum, rufo et nigro variegatum, nitidum. Pedes longiusculi, rubri, femoribus in medio fascia lata, inæquali genubusque nigris; tibiis arcuatis, interne rufo-ciliatis, tarsis elongatis, articulo tertio valde dilatato, bilobo, subtus cinereo-spongioso. — GHL.

15. S. Ambiguus. *Chevrolat.*

Ellipticus, sub-depressus, pallide rufus, nitidus, glaber; thorace in medio baseos profunde impresso, lateribus vittisque tribus nigris notato, lateralibus utrinque abbreviatis; scutello oblongo, apice rotundato; elytris fortiter, remote punctato-striatis, nigro marginatis et maculatis; femoribus immaculatis.

Calandra ambigua. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Cayenna. Ex Musæo Dom Chevrolat descriptus.

Sphenophoro decorato simillimus, distinctus tamen videtur, rostro obsoletius punctato, thorace postice in medio profunde impresso, scutello apice rotundato, elytris fortius punctato-striatis et femoribus rufis, immaculatis. Caput et oculi ut apud *Sphenophorum decoratum* descripta ; rostri forma etiam eadem, sed obsolete tantum punctulatum. Antennæ validiusculæ, piceæ. Thorax quoad formam ut in supra dicto, sed in medio postico dorsali late et profunde impressus, vittæque nigræ laterales angustiores, utrinque abbreviatæ. Scutellum oblongum, apice rotundatum, rufum. Elytrorum forma etiam ut in priori, sed striæ paulo profundius, remote punctatæ, illarum color magis nitidus, et signaturæ nigræ, etsi pari modo constructæ, tamen minus dilatatæ, nec confluentes. Pygidium ut in priori. Corpus subtus sparsim punctatum, maxima parte rufum, nitidum, lituris minoribus nigris variegatum. Pedes ut in priori, sed femora tota rufa, immaculata. — Ghl.

♂♀ 16. S. Hemipterus *Linné.*

Ellipticus, purpurascens, supra sub-opacus; thoracis marginibus vittisque tribus nigris, lateralibus abbreviatis, posticis; elytris sub-remote punctato-striatis, sutura, marginibus liturisque disci nigris: corpore obsolete punctato, nigro-variegato; pedibus rufis, genubus tarsisque nigris.

Curculio id. Linn. *Mus. Lud. Ulr.* p. 44. 3. — *Syst. nat.* I. II. p. 606. 3. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1742. 3.

Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 396. 9. — *Mant.* I. p. 97. 8. — *Spec. Ins.* I. p. 163. 8. — *Syst. Ent.* p. 128. 5.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 475. 14.

Calandra hemiptera. Fabr. *Syst. El.* II. p. 433. 18.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 86. 18. *Curculio.* T, 1. f. 4. et T. 16. f. 4. b.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 328.
Rhynchophorus id. HERBST, *Col.* VI. p. 9. 3. T. 60. f. 4.
Curculio rufo-fasciatus. DE GEER, *Ins.* V. p. 271. T. 15. f. 25.
Id. variegatus. VOET, *Col. ed.* PANZ. IV. p. 57. 24. T. 37. f. 24. forte.

♀ VAR. β. Femoribus etiam in medio plus minusve infuscatis.
Calandra inscripta. LHERMINIER Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Cayenna, Brasilia, Indiæ occidentalis insulæ. Mus. SCHH. et GHL.

Magnitudo fere *Sphenophori abbreviati*; a plerisque similiter coloratis et signatis, colore paginæ superioris opaco, sericeo-micante et rostro tenuiore dignoscitur. Caput breve, convexum, obsolete punctatum, purpurascens, fronte inter oculos foveola oblonga, in basi rostri continuata impressa; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, basi crassius, obsolete sparsim punctulatum, tenuiter canaliculatum, opacum, extrorsum tenue, valde arcuatum, læve, nitidum, totum purpurascens. Antennæ mediocres, piceæ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos longior, anterius angustior; apice late emarginatus, pone apicem anguste constrictus, sub-tubulatus, margine apicis pallido-fimbriato; lateribus pone stricturam versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete sparsim punctatus, purpurascens, opacus, vittis tribus dorsalibus nigris notatus, media latiore, integra, lateralibus angustioribus, a basi ad medium productis; margines laterales etiam plus minusve nigri. Scutellum oblongo-triangulare, sub-acuminatum, purpurascens, opacum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, dein posterius attenuata, apice etiam singulatim rotundata, thorace parum longiora, supra fere plana, remote punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; purpurascentia, opaca, sutura tota, marginibus lateralibus posterius, apice liturisque discoidalibus, ab humeris oblique descendentibus nigris notata. Pygidium magnum, triangulare, punctatum, lateribus elevato-marginatum, posterius leviter carinatum et pallido-setosum, purpurascens, obscurum. Corpus subtus punctis paucis, obsoletis impressum, purpurascens, plagis nonnullis nigris in medio variegatum. Pedes validi, rubri, nitidi, genubus tarsisque nigricantibus.—GHL.

5 17. S. SACCHARI. *Guilding.*

Ellipticus, rufo-piceus, sub-opacus, thorace in medio baseos impresso, lateribus vittisque tribus nigris notato; scutello elongato, apice obtuso; elytris sub-remote punctato-striatis, nigro-variegatis; rostro corporeque subtus evidenter punctatis; femoribus maxima parte nigris.

Calandra id. GUILDING, LINN. *Soc. Trans. Philos. Journ.* Sec. Dom. HOPE.

Patria : Insulæ St.-Vincent et Guadeloupe. A Dom. HOPE et CHEVROLAT amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero magnitudine æqualis et valde affinis; differre tamen videtur, rostro corporeque evidentius punctatis, scutello longiore, apice obtuso, femoribusque maxima parte nigris. Caput sub-globosum, punctatum, piceum, opacum, fronte et basi rostri foveola oblonga impressis; oculi depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, valde arcuatum, basi crassius extrorsum compressum, sat evidenter punctatum, rufo-piceum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, piceæ. Thorax latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem sat profunde constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis, basi bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio baseos impressus, versus latera et apicem sparsim, in impressione basali densius punctatus, obscure rufus, opacus, vitta dorsali recta, integra laterali utrinque brevi, postica, marginibusque lateralibus nigris. Scutellum elongato-triangulare, rufo-piceum, apice obtusum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra fere plana, sub-remote punctato-striata, rufo-ferruginea, opaca, limbo toto liturisque disci nigris variegata. Pygidium breve, triangulare, punctatum piceum, opacum, apice cinereo-setosum. Corpus subtus sub-disperse punctatum, rufo-piceum, magis nitidum. Pedes mediocres, femoribus clavatis, nigris, basi tantum rufescentibus; tibiis arcuatis, rufis, interne tenuiter ciliatis; tarsis fuscescentibus.— GHL.

♀ 18. S. DISPAR. *Schh.*

Ellipticus, niger, thorace supra elytrisque purpurascenti-ferrugineis; illius marginibus vittisque tribus nigris, lateralibus abbreviatis basalibus; elytrorum sutura, margine, plaga humerali fasciaque media suturæ connexa nigris: pectoris lateribus obsolete punctatis.

Curculio purpurascens. VOET, *Col. ed.* PANZ. IV. p. 52. 11. T. 36. f. 11.?

♀ VAR. β. Thorace nigro, vittis duabus angustis, arcuatis, purpurascentibus notato; elytris nigris, plagis nonnullis, e lineolis abbreviatis purpurascentibus compositis, ornatis.

♂♀ VAR. γ. Thorace elytrisque nigris, lineolis obsoletis purpurascentibus variegatis.

Patria: Brasilia. Dom. FREYREISS, KREUGER, etc. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero magnitudine æqualis et valde similis; distinctus tamen, colore rostri, corporis et pedum nigro, elytrorum humeris magis ampliatis et illarum signaturis diversis; pectoris latera etiam obsoletius punctata. Caput breve convexum, punctatum, nigrum; oculi depressi, nigri; rostrum feminæ longitudine fere thoracis, sub-tenue; maris paulo brevius et crassius, in utroque valde arcuatum, cylindricum, læve, nigrum. Antennæ nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, pone apicem sat profunde constrictus, lobo antico tubulato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio postico leviter impressus, obsoletissime sparsim punctatus, subtus et lateribus niger, supra purpurascenti-ferrugineus, opacus, vitta media, anterius utrinque ampliata, postice attenuata, aliaque postice utrinque, basi lata, antrorsum attenuata, conica, abbreviata, nigris notatus. Scutellum triangulare, nigrum, opacum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique valde ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, evidenter striata, striis obsolete punctatis; in disco plagiatim purpurascenti-ferruginea, opaca; basi, sutura, apice, margine laterali, plaga magna hume-

rali fasciaque media abbreviata, suturæ connexa, holosericeo-atris. Pygidium sub-triangulare, apice obtusum, obsolete punctatum, utrinque carinatum, nigrum, pallido-pubescens. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore ventrisque basi impressis in masculis, et in medio evidenter sparsim punctatis; in feminis fere planis, sub-lævibus vel subtilissime punctulatis; latera pectoris in utroque sexu obsolete tantum punctata. Pedes breviusculi, validi, nigri, femoribus tibiisque tenuiter ferrugineo-ciliatis, tarsis dilatatis, subtus ferrugineo-spongiosis.

In var. β. Thorax etiam supra niger, utrinque vitta angusta, arcuata purpurascente ornatus; elytra etiam maxima parte nigra, plagis duabus vel tribus purpurascentibus in singulo notata, e lineolis abbreviatis compositis.

In var. γ, color niger etiam supra prævalet, et lineolæ abbreviatæ purpurascentes in thorace et elytris pauciores, obsoletæ.

GHL.

* 19. S. RIMORATUS. SCHH.

Ellipticus, nigro-piceus, nitidus, thorace elytrisque supra obscure rufis, opacis : illo vittis tribus difformibus, his plagis variis nigris notatis; rostro longo, tenui, rufo, basi brevissime tumido, punctato, piceo.

Patria : Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Sphenophori hemipteri; Sphen. dispari* simillimus, rostri structura diversa et vittarum thoracis aliena forma tamen distinctus videtur. Caput sub-globosum, obsolete, disperse punctatum, nigro-piceum, nitidum; oculi magni, valde elongati, nigro-brunnei; rostrum longitudine capitis cum thorace, arcuatum, tenue, sub-cylindricum, disperse punctulatum, rufum, nitidum, basi breviter, abrupte incrassatum, tumidum, punctatum et canaliculatum, piceum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ, nitidæ, clava ovata, compressa, apice late cinereo-spongiosa. Thorax latitudine basi os longior, antice fere dimidio angustior quam basi; apice emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, margine apicis elevato; lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bisinuatus, supra fere planus, antice et lateribus disperse punctatus, punctis cinereo-irroratis; obscure rufus, opacus, marginibus late-

rum vittisque tribus dorsalibus nigris notatus, quarum media in disco latior, posterius attenuata; laterales difformes, antice cum nigredine laterum confluentes. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, plaga ovata holosericeo-atra notatum. Elytra antice subsinuata, elevato-marginata; pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra fere plana, anguste sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis latis, planis, lævibus; obscure rufa, opaca, margine, sutura fasciisque duabus latis, difformibus, nigris notatis. Pygidium sub-triangulare, elevato-marginatum, punctatum, apice carinatum, nigrum, opacum, cinereo-pilosum. Corpus subtus antice et lateribus disperse punctatum, pectoris ventrisque disco lævibus; nigro-piceum, nitidum. Pedes mediocres, nigropicei, nitidi. — GHL.

* 20. S. ANCEPS. *Schh.*

Ellipticus, rufo-piceus, opacus, undique nigro-variegatus; thorace latiore, antice subito ampliato, nigro-marginato et tri-vittato, lateralibus abbreviatis, basalibus; elytris rufo-et nigro-variegatis, remote punctato-striatis, interstitiis obsolete punctatis; pectore vix punctato.

Patria : America septentrionalis. Ex Musæo Regio Gallico descriptus.

Sphenophoris hemiptero et *dispari* magnitudine æqualis et simillimus, thorace paulo breviore et latiore, anterius subito ampliato, et pectore vix punctato, tamen distinctus videtur. Caput sub-globosum, sparsim punctulatum, piceum, nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassius, obsolete punctatum, fere ad medium canaliculatum, antrorsum magis tenue, valde arcuatum, sub-læve, nitidum, totum rufo-piceum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, pone apicem constrictus, lobo antico tubulato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, in medio postico leviter impressus, in limbo et impressione obsolete sparsim punctatus, obscure rufus, opacus, marginibus et vittis tribus nigris notatus, media integra, lateralibus brevibus, basalibus. Scutellum oblongo-triangulare, sub-acuminatum, piceum.

Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique modice ampliata, posterius paulo angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra sub-plana, distincte striata, striis sub-remote punctatis, interstitiis convexis, obsolete punctatis; picea, opaca, plagis rufis in disco variegata, et furfure cinereo, præsertim in striis adspersa. Pygidium triangulare, obsolete punctatum, carinatum et elevato-marginatum, piceum, dense cinereo-furfurosum. Corpus subtus inæqualiter, obsolete punctatum, piceo et rufo-variegatum, cinereo-furfurosum, opacum, pectoris lateribus et ventris medio antico lævibus, sub-nitidis. Pedes breviusculi, validi, obscure rufescentes. — GHL.

* 21. S. OBSOLETUS. *Dejean.*

Ellipticus, obscure ferrugineus, sub-opacus; thorace vittis tribus nigris, obsoletis, lateralibus posticis, abbreviatis, basi in medio profundius impresso, punctato; elytris sub-remote punctato-striatis, sutura, liturisque disci nigris, obsoletis notatis; corpore subtus distincte punctato.

Calandra obsoleta. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 328. Teste Dom. DUPONT.

Habitat Cayennæ et in Brasilia. Mus. SCHH. et GHL.

Magnitudo, statura et affinitas *Sphenophori hemipteri*, sed corpus subtus distincte punctatum, color obscurior, brunneo-ferrugineus, thorax postice in medio profundius impressus, evidentius punctatus, etc. Medius quasi inter *Sphenophoros hemipterum* et *disparem*. Caput breve, convexum, obsoletius punctatum, piceum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, valde arcuatum, punctulatum, piceo-ferrugineum, nitidum. Antennæ piceæ, clava apice compressa, truncata, cinereo-spongiosa. Thorax latitudine longior, anterius sensim angustior, apice sub-tubulatus, longe intra apicem constrictus, lateribus in medio nonnihil ampliatus, basi bisinuatus, supra inæqualis, in medio longitudinaliter impressus, postice profundius, ibique evidenter punctatus; obscure ferrugineus seu brunneus, opacus, vittis tribus nigris, obsoletis notatus, media posterius abbreviata, lateralibus posticis, abbreviatis, conicis, in plaga magis elevata locatis. Scutellum oblongo-triangulare, piceum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice sin-

gulatim rotundata, thorace dimidio longiora, supra in dorso plana, evidenter, sub-remote punctato-striata, interstitiis convexis, lævibus; saturate ferruginea seu brunnea, sub-opaca, sutura, apice, liturisque nonnullis disci nigris notata, at obsoletis. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, piceo-ferrugineum, testaceo-ciliatum. Corpus subtus ferrugineo et brunneo mixtum, distincte punctatum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, piceo-ferruginei, subtus testaceo-ciliati, tarsis elongatis, testaceo-setosis.

Ghl.

22. S. Variegatus (1). *Fabricius.*

Rufo-nigroque varius, rostro apice nigro. — Fabr.

Calandra variegata. Fabr. *Syst. El.* II. p. 434. 20.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 87. 19. *Curculio.* T. 13. f. 158.
Curculio variegatus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 397. 10. — *Mant.* I. p. 97. 9. — *Spec. Ins.* I. p. 163. 9.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 475. 15.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1742. 99.
Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 22. 14. T. 61. f. 4.
Curculio varius. Fabr. *Gen. Ins. Mant.* p. 223. 6. 7.

Patria : Caput Bonæ Spei.

♂ 23. S. Sericeus. *Latreille.*

Ellipticus, purpuracenti-ferrugineus, supra opacus, thoracis lateribus vittisque tribus nigris lateralibus, abbreviatis, posticis; elytris atro-holocericeis, fascia lata, inæquali baseos purpurascente; corpore nigro-variegato, pedibus rufis, genubus tarsisque nigris.

Calandra sericea. Latreille, Humb. et Bonp. *Voy.* V. p. n. 41. T. 22. f. 4.
Germ. *Mag.* I. II. p, 122. 41.
Hoffmannsegg, Wiedem. *Zool. Mag.* I. II. p. 72.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 84. 14. *Curculio.* T. 28. f. 409. ?

♀ Var. β. Vittis lateralibus nigris thoracis deficientibus.

(1) Mihi invisus.

♀ Var. γ. Puncto uno alterove purpurascente in parte elytrorum nigra.

Habitat in America meridionali, Mexico, Peru, Cuba, St.-Domingo. Mus. Schh.

Sphenophoro hemiptero simillimus et valde affinis, ejusdemque magnitudinis; differre tamen videtur, elytris antice paulo latioribus, aliter coloratis, etc.. Caput breve, convexum, obsolete punctatum, purpurascenti-ferrugineum; oculi depressi, nigri; rostrum feminæ longitudine fere thoracis, tenue, læve; maris paulo brevius et crassius, punctulatum, in utroque valde arcuatum, rufum, nitidum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, clava truncata, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos longior, anterius sensim dimidio angustior, apice sub-tubulatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus obliquis, parum ampliatis, basi bi-sinuatus, supra sub-planus, impunctatus, purpureo-rufus, opacus, margine laterali et apicis, vitta media postice abbreviata aliaque brevi, conica, ad basin utrinque, nigris. Scutellum oblongo-triangulare, purpureum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, thoracis basi parum latiora, sed pone basin oblique ampliata, dein posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso plana, sub-remote punctato-striata, basi ad tertiam circiter partem transversim purpureo-rufa, margine postico fascia in-æquali, undato; dein holosericeo-atra, opaca, margine apicis anguste purpureo. Pygidium triangulare, punctatum, sub-tri-carinatum, fusco-ferrugineum. Corpus subtus purpurascenti-rufum, nitidum, plagis variis nigris pictum, ut in *Rh. hemiptero*. Pedes medioeres purpureo-rufi, nitidi, subtus tenuiter rufo-ciliati; genubus tarsisque nigro-piceis.

Varietates β et γ, tantum secundum diagnoses allatas differunt.

Ghl.

24. S. Carbonarius (1). *Chevrolat.*

Atro-velutinus. Elytris prope basin rubro delibili vix signatis.—Chevr.

Rhynchophorus id. Chevrol. *Coléoptères du Mexique.* I.

Observ. — Forsitan var. *Caland. sericea*, Oliv. — Chevr.

Patria : Mexico.

(1) Mihi invisus.

* 25. S. TREDECIMPUNCTATUS. *Illiger.*

Ellipticus, ater, thorace elytrisque supra sericeo-rubris: rostro valde arcuato, basi supra profunde sulcato; thorace evidenter sparsim punctato, maculis quinque liberis nigris notato; elytris distincte punctato-striatis, singulo maculis quatuor nigris instructo, ultima reliquis plerumque majore.

Rhynchophorus id. HERBST, *Col.* VI. p. 10. 4. T. 60. f. 5.

Curculio id. ILLIGER, in SCHNEID. *Mag.* V. p. 613. 18.

Calandra cribraria. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 88. 20. T. 28. f. 412. a.

Dict. des Sciences nat. VI. p. 194. 3.

FABR. *Syst. El.* II. p. 434. 19. ?

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Curculio cribrarius. FABR. *Supp.* p. 165. 9-10. ?

Id. 14-*punctatus.* VOET, *Col. ed.* PANZ. IV. p. 54. 18. T. 37. f. 18. ?

Id. leptocerus. VOET, *Col. ed.* PANZ. IV. p. 57. 23. T. 37. f. 23. ?

Patria : America borealis et meridionalis.

Observ. — Synonymon Cl. Fabricii minus certum, nam punctum sextum nigrum in medio baseos thoracis, ab illo memoratum, in individuis a nobis lustratis, omnino deest, nec in descriptionibus Cl. Illigeri et Herbstii indicatum invenitur; punctum scutellare, commune elytrorum, etiam valde obsoletum. — GHL.

26. S. PULCHELLUS. *Chevrolat.*

Ellipticus, ater, thorace elytrisque supra sericeo-rufis; rostro valde arcuato, basi supra profunde sulcato; thorace obsolete sparsim punctato, maculis quinque atris notato, posticis basi adnexis; elytris obsolete punctato-striatis, simul maculis sex plagaque postica communi atris instructis.

Calandra pulchella. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenoptero 13-*punctato* simillimus, sed paulo longior; punctura

thoracis et striæ elytrorum obsoletiores, maculæ posticæ thoracis basi adnexæ et plaga postica elytrorum ad suturam cum opposita conjuncta, unde distinctus videtur. Caput breve, obsolete punctatum, atrum, opacum, fronte impressa; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, basi crassum et supra antennarum insertionem tuberculo obtuso instructum, supra punctatum, profunde canaliculatum, atrum, opacum; extrorsum magis tenue, valde arcuatum, læve, atrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior; apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, atro, apice pallido-fimbriato; lateribus pone stricturam subito oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete sparsim punctulatus, sericeo-ruber, opacus, maculis quinque atris notatus, quarum prima paulo ante medium disci, ovata; secunda et tertia utrinque versus margines, anterius, rotundæ; quarta et quinta utrinque basi connexæ, sub-conicæ. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, impressum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso plana, obsolete punctato-striata, sericeo-rubra, opaca, singulo maculis tribus atris notato, prima pone callum humeralem; secunda intra medium marginis, parva, oblonga; tertia versus suturam, ante medium, major, rotundata, et ante apicem plaga magna, sinuata, communis, margines non attingens. Pygidium triangulare, convexum, profunde punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum, setulisque parvis pallidis adspersum. Corpus subtus inæqualiter, sparsim punctatum, atrum, in medio nitidum, lateribus cinereo-furfurosum. Pedes validi, atri, cinereo-guttati, femoribus clavatis, punctatis; tibiis arcuatis, striatis, interne ciliatis; tarsis elongatis, parum dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.

Ghl.

27. S. Variabilis. *Schh.*

Ellipticus, niger, rostro basi non sulcato; thorace vix punctato, læte rubro, litura media punctisque quatuor atris, liberis notato; elytris obsolete punctato-striatis, rubro et atro variegatis.

* α; Thoracis vitta media atra angusta, recta, utrinque attenuata, punctis lateralibus parvis; elytris anterius extrorsum ru-

bris, posterius plaga magna communi atra, antrorsum attenuata instructis; pedibus maxima parte rubris.

* VAR. β. Thoracis plaga media atra trapeziformi, utrinque abbreviata; elytris rubris, macula humerali, suturali, duabusque suturæ connexis atris; pedibus nigris, femoribus anterioribus fascia rubra cinctis.

* VAR. γ. Thoracis plaga media trapeziformi, basin apicemque attingente, maculisque lateralibus majoribus, dilatatis; elytris holosericeo-atris, vitta intra-marginali rubra notatis; pedibus nigris, femoribus omnibus fascia rubra cinctis.

* VAR. δ. Omnino ut var. γ, sed femora postica tota nigra.

Calandra cribaria, var. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 88. 20. *Curculio* Pl. 28. f. 112. b.

Id. 5-punctata. Dom. SAY *in Litteris.*

VAR. ε. Thoracis vitta media atra, antrorsum tantum attenuata; elytris ut in var. γ. et δ; pedibus totis nigris.

Calandra thoracica. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

VAR. ζ. Thorace ut in α; elytris anterius extrorsum rubris, apice toto suturaque inæqualiter atris; pedibus totis nigris.

Patria: America, præcipue septentrionalis, Florida, Carolina. Mus. SCHH. var. ε, Mexico, var. ζ Colombia. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT designatæ.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Sphenophori* 13-*punctati,* sed rostrum basi supra non sulcatum, thorax supra et elytra dilutius sericeo-rubra, obsoletissime tantum punctata, etc. Caput sub-globosum, disperse punctulatum, nigrum, ad basin rostri transversim impressum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, basi crassum, elevatum, disperse punctatum, sed non canaliculatum, extrorsum sub-attenuatum, valde arcuatum, totum nigrum. Antennæ validiusculæ, nigræ. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice subito duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem profunde constrictus, lobo antico punctulato, nigro, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique subito ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, vix vel obsoletissime punctatus, læte ruber, sericeo-micans, in α, seu genuino, vitta media angusta atra, utrinque attenuata

instructus, et in utroque latere maculis duabus parvis, liberis, ejusdem coloris notatus. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, nigrum, læve, medio impressum. Elytra antice sinuata, pone basin ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis; læte rubra, posterius plaga magna, communi, antrorsum triangulariter attenuata, holosericeo-atra notata. Pygidium conicum, convexum, nigrum, setulis paucis cinereis adspersum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, lateribus cinereo-furfurosum. Pedes mediocres, parce albido-setulosi, femoribus omnibus tibiisque quatuor anterioribus rubris, genubus, tibiis posticis tarsisque omnibus nigris.

Var. β, differt: plaga atra in disco thoracis trapeziformi, utrinque abbreviata; elytris macula atra prope humerum, duabusque suturæ connexis, posteriore valde dilatata, et pedibus nigris, femoribus quatuor anterioribus fascia rubra cinctis.

Var. γ et δ, secundum diagnoses datas tantum differunt.

Var. ε, differt: thoracis vitta media sub-conica, antrorsum tantum attenuata, pedibusque totis nigris.

Var. ζ, genuino α, proxima, quoad signaturas thoracis, sed elytrorum apex totus et sutura antrorsum angustate nigra; pedes toti nigri. — GHL.

28. S. IMPLICATUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, thorace supra elytrisque obscure rufis, opacis; rostro valde arcuato, basi supra non sulcato; thorace plaga disci trapeziformi, maculisque quatuor nigris notato, posticis basin adnexis; elytris obsolete punctato-striatis, nigro-maculatis; pedibus rufo-nigroque variis.

Calandra notigera. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoris pulchello et *variabili* valde similis; a priori tamen differt, rostro basi non sulcato, pedibusque rufo-variis; a posteriori thorace paulo magis convexo, maculis ejus posticis nigris basi connexis et colore rufo thoracis et elytrorum obscuriore. Caput breve, convexum vix vel obsoletissime punctatum, nigrum, opacum,

sulco transverso a rostro disjunctum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace vix brevius, basi valde crassum, convexum, obsoletissime punctatum, non canaliculatum, opacum, extrorsum tenue, cylindricum, valde arcuatum, fere læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos longior, antice fere duplo angustior quam basi, apice sinuato-emarginatus, pone apicem transversim impressus, lobo antico nigro-pallido-marginato; lateribus pone impressionem oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, vix punctulatus, saturate rufus, opacus, in disco plaga magna sub-trapeziformi, et utrinque maculis duabus nigris notatus, posticis majoribus, basin adnexis. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique modice ampliata, posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, tenuiter striata et in striis obsolete punctata, saturate rufa, opaca, callo humerali, sutura, macula minore in medio et plaga magna ante apicem, suturæ connexis, nigris instructis. Pygidium triangulare, convexum, obsolete punctatum, nigrum, setulis cinereis parce adspersum. Corpus subtus vix punctulatum, nigrum, furfure cinereo adspersum. Pedes mediocres, saturate rufi, genubus tarsisque nigris. — GHL.

* 29. S. LEBASII. *Dejean.*

Ellipticus, niger, thorace supra elytrisque obscure rufis; rostro basi supra profunde, disperse punctato; thorace convexo, lævi, sub-nitido, vitta media maculisque quatuor nigris, liberis notato, posticis sub-impressis; elytris tenuiter, sub-remote punctato-striatis, apice nigris.

Calandra id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* p. 329.

Patria : Carthagena Americes. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro variabili magnitudine æqualis et facie sub-similis, abunde tamen distinctus, rostro basi profunde punctato, thorace convexo, lævi, sub-nitido, etc. Caput breve, convexum, obsolete sparsim punctatum, nigrum, nitidum, sulco profundo, transverso a rostro disjunctum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, basi crassum, convexum, profunde sparsim punctatum, opacum;

extrorsum tenue, cylindricum, arcuatum, sub-læve, nitidum, totum nigrum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem leviter transversim impressus; lateribus pone impressionem subito ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra convexus, lævis, obscure rufus, sub-nitidus, vitta media, antice posticeque attenuata, maculisque quatuor liberis nigris notatus, posticis evidenter impressis. Scutellum oblongo-triangulare, acuminatum, nigrum, in medio impressum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, anguste striata, et in striis obsolete, sub-remote punctata, interstitiis planis, subtilissime alutaceis; obscure rufa, apice toto late nigro. Pygidium triangulare, convexum, sparsim punctatum, nigrum, parce cinereo-setulosum. Corpus subtus obsolete sparsim punctatum, nigrum, nitidum, furfure cinereo irroratum. Pedes mediocres, nigri, femoribus clavatis, nitidis, tibiis arcuatis, scabris, tarsis elongatis, modice dilatatis, subtus cinereo-spongiosis. — GHL.

* 30. S. SANGUINEUS. *Klug.*

Elongatus, angustus, niger, thorace supra elytrisque sanguineis, opacis; illo vitta dorsali atra notato; his tenuiter punctato-striatis, immaculatis; rostro valde arcuato, nitido; antennarum scapo funiculo longiore.

Calandra sanguinea et *punica*. Dom. KLUG *in Litteris.*

Id. Mexicana. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

VAR. β. Rostro pedibusque rufescentibus.

Calandra lineatocollis. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

* VAR. γ, ut var. β, sed elytra seriatim, corpus reliquum sparsim cinereo-squamulosa.

Patria : Mexico. A Dom. SCHUPPEL, CHEVROLAT, DUPONT et STURM amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura angusta et magnitudo *Lixi filiformis;* variat etiam duplo minor. Caput breve, convexum, sparsim punctatum, nigrum, fronte ad basin rostri impressa; oculi depressi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, basi breviter incrassatum, sparsim

punctulatum et tenuiter canaliculatum, extrorsum cylindricum, valde arcuatum, subtiliter punctulatum, nitidum, in α, totum nigrum. Antennæ longiusculæ, nigræ, scapo funiculo longiore, clava majuscula, ovata. Thorax latitudine baseos multo longior, antice dimidio angustior quam basi; apice sub-truncatus, pone apicem leviter constrictus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, obsolete punctulatus, sanguineus, opacus, in medio dorsi vitta lineari atra notatus. Scutellum oblongo-triangulare, nigro-piceum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito nonnihil ampliata; apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace paulo longiora, supra sub-plana, tenuiter striata, striis sub-remote punctulatis; tota sanguinea, opaca. Pygidium sub-conicum, punctatum, nigrum, apice cinereo-setulosum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, in medio nitidum, thoracis lateribus rufis. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri, nitidi, tarsorum articulo tertio dilatato, bilobo, subtus albido-spongioso.

Varietates β et γ, colore rostri pedumque differunt, secundum diagnoses. — Ghl.

* 31. S. Suturalis. *Schh.*

Oblongus, niger, rostro, thorace elytrisque rufis; thorace vitta media lineolisque lateralibus nigris; sutura elytrorum inæqualiter nigra; antennarum scapo funiculo breviore.

Patria : Brasilia australis. Ex Musæo Dom. Bartels descriptus.

Sphenophoro sanguineo magnitudine et facie simillimus, distinctus tamen, antennarum scapo et clava aliter formatis, rostro paulo breviore et crassiore, elytrorum humeris magis prominulis, etc. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, ad basin rostri striga transversa impressum; oculi magni, subtus connexi, nigri, parum prominuli; rostrum thorace brevius, validiusculum, valde incurvum, basi crassius, rugulosum, leviter carinatum, nigrum; extrorsum cylindricum, læve, nitidum, rufum. Antennæ validæ, nigræ, scapo funiculo breviore, clava cyathiformi, apice albo-spongiosa. Thorax latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-tri-sinuatus, lateribus obliquis, parum ampliatis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, vix punctulatus,

rufus, opacus, in medio dorsi vitta lineari atra notatus, et in utroque latere linea angusta nigra aliaque brevissima baseos utrinque ejusdem coloris. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, elevato-marginata, pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; lateribus non ampliata, apice sub-truncata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso plana, anguste striata, striis obsolete punctatis; sanguineo-rufa, opaca, sutura inæqualiter nigra. Pygidium triangulare, convexum, obsolete punctulatum, nigrum. Corpus subtus disperse, punctatum, nigrum, lateribus rufo-plagiatum. Pedes longiusculi, sub-tenues, nigri. — Ghl.

♂♀ 32. S. Saucius. *Germar.*

Elongatus, angustus, supra saturate rufus, subtus niger; thorace sparsim punctato, vittis tribus atris notato; elytris tenuiter punctato-striatis, obsolete nigro-maculatis; rostro pedibusque rufis.

Calandra saucia. Dom. Germar *in Litteris.*

Patria : Brasilia. A Dom. Germar amice missus. Mus. Schh. Ex Musæo Dom. Com. Mannerheim etiam communicatus.

Statura elongata, angusta *Sphenophori sanguinei,* cujus var. β, etiam in multis similis. Caput breve, convexum, confertim obsolete punctatum, nigrum, opacum, sulco transverso a rostro disjunctum; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine thoracis, basi valde crassum, punctatum et canaliculatum, opacum, extrorsum tenue, cylindricum, arcuatum, subtiliter punctulatum, nitidum, totum rufum. Antennæ longiusculæ, validæ, nigræ, clava majuscula, cyathiformi. Thorax latitudine baseos multo longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem obsolete constrictus, lobo antico, sub-tubulato, nigro; lateribus pone stricturam oblique, versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, sparsim punctatus, punctis cinereo-irroratis; saturate rufus, opacus, vittis tribus atris notatus, media recta, lateralibus arcuatis, antrorsum attenuatis. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito valde ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra fere plana, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis planis, subtiliter alutaceis; saturate rufa, opaca, maculis nonnullis

obsoletis nigris notata, quarum una in medio versus suturam, major, alia ei opposita intra marginem, oblonga, angusta et tertia in callo humerali. Pygidium triangulare, convexum, punctatum, nigrum, opacum. Corpus subtus sat profunde, sparsim punctatum, nigrum, pectore utrinque vitta rufa notato. Pedes longiusculi, subtenues, rufi, genubus tarsisque nigris. — GHL.

33. S. SPADICEUS. *Schh.*

Elongato-ellipticus, nigro-piceus, nitidus, glaber; rostro extrorsum attenuato, dilutius rufo-piceo; thorace vittis tribus nigrioribus notato, postice in medio impresso, sparsim punctato; elytris rufo-piceis, distincte punctato-striatis, interstitiis convexis, seriatim punctulatis.

Calandra atronigra. Dom. Com. DEJEAN *in Litteris*, teste Dom. CHEVROLAT.

Patria : Cayenna. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoro abbreviato longior, sed non latior. Caput breve, parum convexum, punctatum, nigro-piceum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea ovata impressa; oculi depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, basi crassius, punctulatum, nigro-piceum, extrorsum attenuatum, modice arcuatum, sub-læve, dilutius rufo-piceum, totum nitidum. Antennæ mediocres, validæ, nigræ, clava oblonga, angusta. Thorax latitudine baseos multo longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter sinuato-emarginatus, pone apicem in utroque latere striga profunda, transversa insculptus, lobo antico sub-tubulato, punctato; lateribus pone strigam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, in medio postico impressus, ibique sat profunde sparsim punctatus, cæterum lævis, nigro-piceus, nitidus, vittis tribus nigrioribus dorsalibus, at valde obsoletis notatus. Scutellum oblongum, apice rotundatum, supra sub-impressum, nigro-piceum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, posterius paulo angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace parum longiora, supra modice convexa, profunde striata et in striis distincte punctata, interstitiis convexis, subtiliter seriatim punctulatis : rufo-picea, sub-nitida, lituris obsoletis nigrioribus notata, prima humerali, secunda in medio dorsi, utrisque elytris communi, tertia ante apicem. Pygidium sub-triangulare, punctatum,

apice truncatum, carinulis tribus brevibus instructum, nigrum, opacum. Corpus subtus sat confertim punctatum, nigro-piceum, in medio nitidum. Pedes validi, dilutius rufo-picei, nitidi; tarsis dilatatis, nigris, subtus albido-spongiosis. — Ghl.

* 34. S. Quadrisignatus. *Schh.*

Elongato-ellipticus, niger, nitidus, glaber; thorace supra plano, lævissimo, basi elevato-marginato; elytris punctato-sulcatis, lituris quatuor rufescentibus notatis.

Patria: Americes meridionalis insulæ. Dom. Forsstroem. Mus. Schh.

Statura *Sphenophori hemipteri*, sed dimidio major. Caput subglobosum, læve, nigrum, nitidum; fronte ad basin rostri foveola rotunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi paulo crassius, extrorsum cylindricum, modice arcuatum, læve, totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter sinuato-emarginatus, pone apicem in utroque latere striga transversa insculptus, lobo antico sub-tubulato; lateribus pone strigam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi lævissime bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra fere planus, æqualis, omnino impunctatus, niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, læve, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim obtusissime rotundata, pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice sub-truncata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, distincte sulcata, sulcis evidenter punctatis, interstitiis sub-convexis, anterius latioribus; nigra, anterius nitida, posterius sub-opaca; in singulo elytro lituræ duæ, e lineis rufescentibus compositæ observantur, priore in disco, ante medium, altera pone medium, versus suturam; margo apicalis etiam anguste rufus. Pygidium sub-triangulare, convexum, profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum. Corpus subtus versus latera densius, in medio sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, nigri, nitidi, femoribus tibiisque subtus tenuiter testaceo-ciliatis, tarsis valde dilatatis, subtus testaceo-spongiosis. — Ghl.

♂♀ 35, S. BISBISIGNATUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, nitidus, glaber, thorace posterius in medio impresso, profunde punctato; elytris tenuius punctato-striatis, lituris quatuor obsoletis rufescentibus notatis.

Patria: Rio Janeiro Brasiliæ. A Dom. Com. MANNERHEIM et Dom. FAHRÆUS amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Sphenophori hemipteri: Sphenophoro 4-signato* similis, sed minor, thorax posterius impressus et punctatus, elytrorum striæ tenuiores, subtilius punctatæ. Caput sub-globosum, vix punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola rotundata impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius basi paulo crassius, extrorsum attenuatum, modice arcuatum, subtiliter punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ validiusculæ, nigræ. Thorax latitudine baseos multo longior, antice dimidio angustior quam basi, apice leviter sinuato-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bisinuatus, supra anterius modice convexus, obsolete punctulatus, posterius in medio impressus et sat profonde punctatus, totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare læve, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice sub-truncata, thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis subtiliter punctatis, interstitiis sub-convexis, lævibus; nigra, nitida, lituris duabus rufescentibus, obsoletis, in singulo notata, quarum prior ante medium exterius, angusta, linearis, altera pone medium in disco, e lineolis tribus composita. Prygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum, setulis cinereis adspersum. Corpus subtus versus latera densius, in medio sparsim punctatum, nitidum, pectore ventrisque basi in masculo profunde impressis. Pedes breviusculi, validi, nigri, nitidi, femoribus tibiisque subtus parce testaceo-ciliatis, tarsis modice dilatatis, subtus testaceo-spongiosis. — GHL.

* 36. S. Fossor. *Guilding.*

Ellipticus, niger, nitidus, glaber; thorace anterius sub-convexo, sparsim punctulato, postice in medio impresso, fortius punctato; elytris sulcatis, sulcis obsolete punctatis, lituris quatuor transversis pallide rufis notatis.

Calandra fossor. Dom. Guilding, teste Dom. Hope.

Patria : Insula St.-Vincent. Guilding. A Dom. Hope amice communicatus. Mus. Scch.

E minoribus generis, *Sphenophoro variabili* vix major. Caput sub-globosum, obsolete sparsim punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola oblonga impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace vix brevius, basi crassius, supra planum, extrorsum cylindricum, valde arcuatum, undique sparsim punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ, clava majuscula, ovata. Thorax latitudine baseos longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice sub-truncatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra anterius modice convexus, in disco sparsim, versus latera densius punctulatus, in medio postico impressus et fortius punctatus, totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, apice rotundatum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; posterius paulo angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra in dorso plana, distincte sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis antrorsum latioribus, planis, posterius convexis, subtiliter seriatim punctatis; nigra, sub-nitida, in singulo lituris duabus pallide rufescentibus, transversis notata, priore paulo ante, altera paulo pone medium; apex ipse etiam anguste rufus. Pygidium sub-triangulare, punctatum, nigrum, opacum, cinereo-furfurosum, apice carinatum et rotundatum. Corpus subtus versus latera densius, in disco sparsim, punctatum, nigrum, nitidum. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus, clavatis, tibiis interne ciliatis, tarsis dilatatis, subtus testaceo-spongiosis.

Ghl.

* 37. S. QUADRIMACULATUS. *Westermann.*

Ellipticus, sub-depressus, niger, rostro apice ferrugineo; thorace oblongo, confertim punctato, lateribus et subtus cinereo-furfuraceo; elytris sulcatis, interstitiis distincte seriatim punctatis, simul maculis quatuor rufo-ferrugineis notatis, basalibus majoribus.

Calandra 4-pustulata. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 88. 21. pl. 10. f. 117.

Curculio id. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 494. 100.

Rhynchophorus 4-pustulatus. HERBST, *Col.* VI. p. 27. 19. T. 61. f. 9.

Patria: Caput Bonæ Spei. Dom. OLIVIER. Guinea. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero duplo minor, et magis depressus. Caput retractum, sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum; oculi perpendiculares, elongati, subtus coeuntes, nigro-brunnei, depressi; rostrum basi profunde constrictum, veluti a capite abscissum; ante antennarum insertionem crassum, punctulatum, leviter carinatum, nigrum, opacum, extrorsum tenue, cylindricum, valde arcuatum, saturate ferrugineum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax latitudine fere duplo longior, apice emarginatus, longe intra apicem profunde constrictus, lobo antico vix punctato, pallido-marginato; lateribus parum ampliatus, basi obtuse rotundatus, supra fere planus, confertim concinne punctatus, niger, lateribus et subtus furfure cinereo vestitus. Scutellum oblongum, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim leviter emarginata, pone basin ampliata, apice truncata, thorace vix longiora, supra plana, late sulcata, sulcis obsolete punctatis, interstitiis distincte seriatim punctatis; nigra, singulo maculis duabus rufo-ferrugineis ornato, priore in medio baseos, majore, altera paulo pone medium, versus suturam. Pygidium magnum, fere quadratum, granulatum, nigrum, squamositate densa cinerea tectum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, lateribus furfure cinereo vestitum, medio nudum, nitidum. Pedes breviusculi, femoribus sub-clavatis, nigris; tibiis canaliculatis, obscure ferrugineis; tarsis longiusculis nigris.

Obs. *Calandra 4-pustulata*, Fabr. S, El. II, p. 435, 26, longe alia, (*Madarus*, nob.) quare nomen jam descripti mutandum. *Lixus*

4-pustulatus, Fabr. S, El. II, p. 501. 12. ab auctoribus ad *Calandram 4-pustulatam* Oliv. allatus, minime huic competit, nam in Syst. Ent. p. 144. 88, ubi primum descriptus, illum *Brentho dispari* affinem dicit et femora dentata tribuit.— GHL.

* 38. S. PLANIPENNIS. *Schh.*

Sub-lineari-elongatus, supra planus, rufo-castaneus, nitidus, subtus piceus; thorace lateribus punctato, vittis duabus dorsalibus abbreviatis nigris notato; elytris remote punctato-striatis, apice nigris, interstitiis lævibus, alternis latioribus.

Calandra polita. Dom. WIEDEMANN *in Litteris.*

Habitat in insula Java. Dom. WESTERMANN. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero dimidio minor, præsertim angustior, sublinearis. Caput breve, parum convexum, læve, castaneum, nitidum, fronte foveola profunda ad basin rostri impressa; oculi magni, nigri, parum prominuli; rostrum thorace brevius, parum arcuatum, basi tumidum, læve, rufo-castaneum, nitidum, extrorsum angustius, punctato-scabrum, saturatius piceum. Antennæ validæ, rufo-castaneæ, clava oblongo-ovata, apice pallido-spongiosa. Thorax latitudine duplo fere longior, sub-linearis, antice subito angustior, apice sub-tubulatus, leviter emarginatus, intra apicem ad latera et subtus constrictus, lateribus mox pone stricturam ampliatis, dein fere rectis, basi obtusissime rotundatus, supra planus; vel in disco posteriori nonnihil impressus, ad latera latius, intra basin et apicem anguste et in lineis duabus dorsalibus, minus regularibus, subtiliter punctatus, superficie reliqua lævi; rufo-castaneus, nitidus, vittis duabus dorsalibus abbreviatis nigris notatus. Scutellum breve, rotundatum, concolor, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi vix latiora, lateribus ante medium ampliata, apice singulatim obtusissime rotundata, fere truncata, thorace vix longiora, supra in dorso plana, sat profunde striata, striis remote punctatis, interstitiis convexis, alternis latioribus; rufo-castanea, nitida, limbo apicis nigro, margine tamen summo rufescente. Pygidium magnum, sub-triangulare, convexum, punctatum et carinatum, rufo-castaneum, pallido-squamulosum. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, disperse punctatatum, punctis magnis, squamositate pallida infarctis. Pedes breviusculi, validi, punctati, dilutius rufo-castanei, femoribus

apice nigris, tarsorum articulo penultimo valde dilatato, subtus pallido-spongioso. — GHL.

* 39. S. MAURUS. *Dejean.*

Oblongus, niger, glaber, thorace anterius sensim angustato, supra plano, disperse punctato, elytris confertim punctato-sulcatis, interstitiis seriatim punctulatis, scutello oblongo.

Calandra maura. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Habitat in insula Martinique. Dom. DUPONT. Mus. SCHH.

Sphenophoro sordido similis, distinctus tamen, duplo major longior, niger, glaber, thorax anterius sensim angustatus, subtilius et parcius punctatus, scutellum longius, etc. Caput breve, sub-convexum, vix punctulatum, nigrum; oculi depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, arcuatum, basi crassum, punctulatum, extrorsum tenue, cylindricum, læve, nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ, sub-setosæ, clava apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine multo longior, anterius a medio sensim angustior, apice leviter emarginatus, margine depresso; intra apicem obsolete constrictus, lateribus in medio ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, supra fere planus, subtilius disperse punctatus, niger, sub-nitidus, margine summo apicis pallido. Scutellum oblongum, apice sub-acuminatum, nigrum, læve. Elytra antice singulatim sub-rotundata, thoracis basi ibi non latiora, sed pone basin oblique ampliata, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace parum longiora, supra fere plana, regulariter sulcata, sulcis confertim punctatis, interstitiis convexis, antice latioribus, singulis serie sat regulari e punctis minutis notatis; nigra, sub-nitida, margine summo apicis ferrugineo. Pygidium triangulare, punctatum, nigrum, tri-carinatum, media abbreviata. Corpus subtus nigrum, nitidum, versus latera densius, in disco disperse punctatum. Pedes validi, punctati, nigri, subtus tenuiter testaceo-ciliati, tarsis piceis; articulo penultimo dilatato, bilobo, subtus testaceo-spongioso. — GHL.

♂♀ 40. S. Glabricollis. *Chevrolat.*

Oblongus, niger, glaber, thorace elongato, antice subito angustato, dorso plano, sub-lævi; elytris brevioribus, remote punctato-sulcatis, interstitiis convexis, lævibus, alternis latioribus sub-elevatis, scutello brevi.

Calandra id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Habitat in Bengalia, Java. Mus. Schh. et Ghl.

Sphenophoro hemiptero paulo major, longior, sed variat magnitudine; totus niger, glaber, nitidus. Caput rotundatum, convexum, vix punctulatum, nigrum, nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, parum arcuatum, nigrum, nitidum, basi tumidum, punctulatum, extrorsum cylindricum, maris scabrum, feminæ læve. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, clava ovata, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine multo longior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, margine depresso; intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein fere rectis; basi obtusissime rotundatus, supra fere planus, lateribus et subtus dense punctatus, dorso lævis, striis tantum duabus mediis, approximatis, sæpius subtiliter et obsolete punctatis, notatus; totus niger, nitidus, glaber, margine summo testaceo. Scutellum breve, apice rotundatum, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi non latiora, sed pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; posterius nonnihil angustiora, apice singulatim obtusissime rotundata, thorace vix longiora, supra fere plana, profunde sulcata et in sulcis sub-remote punctata, interstitiis convexis, lævibus, alternis paulo latioribus, magisque elevatis; tota nigra, nitida, margine summo apicis ferrugineo. Pygidium magnum, convexum, sub-triangulare, profunde punctatum, in medio antico obsoletius, intra latera utrinque evidentius carinatum, nigrum. Corpus subtus nigrum, nitidum, lateribus dense punctatum, pectore lævi. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati, subtus tenuiter testaceo-ciliati, tarsorum articulo penultimo valde dilatato, bilobo, subtus pallido-spongioso.

Ghl.

* 41. S. LIRATUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, nitidus, glaber, antennis tarsisque rufo-piceis: thorace anterius sensim attenuato, supra parum convexo, lateribus et in medio postico punctato; elytris sub-remote punctato-sulcatis, interstitiis convexis, sub-æqualibus; scutello oblongo.

* VAR. β. Triplo minor et ultra, margine apicali elytrorum evidentius rufescente.

Calandra nigrita, mas. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*
Rhynchophorus apicalis. SCHH. olim. *in Litteris.*

Patria : Insula Guadeloupe. Dom. FORSSTROEM et CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Sphenophoro glabricolli statura similis et sæpe magnitudine æqualis; variat tamen duplo aut triplo minor; thoracis structura et punctura, scutello longiore, est ab illo abunde distinctus. Caput sub-globosum, vix punctulatum, nigrum, sub-nitidum, fronte ad basin rostri foveola sat profunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, basi crassius, subtiliter punctulatum, extrorsum magis tenue, cylindricum, valde arcuatum, læve, totum nigrum, nitidum. Antennæ validiusculæ, rufo-piceæ. Thorax latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem leviter constrictus, lobo antico sub-tubulato, confertim punctato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus, supra parum convexus, lateribus confertim, in medio postico sparsim punctatus, disco reliquo lævi; totus niger, sub-nitidus. Scutellum elongato-triangulare, læve, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito modice ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, profunde sulcata et in sulcis sub-remote punctata, interstitiis convexis, æqualibus, subtiliter seriatim punctatis; nigra, nitida, margine summo apicis plerumque anguste rufescente. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum, parum nitidum, apice rotundatum. Corpus subtus versus latera dense, in medio sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes mediocres, nigri, nitidi, tarsis dilatatis rufo-piceis, subtus testaceo-spongiosis.

GYLL.

* 42. S. Nigerrimus. Ghl.

Ellipticus, ater, supra opacus, rostro mediocri, valde arcuato, thorace sub-conico, plano, in medio baseos impresso punctatoque, elytris longioribus, planis, sub-remote punctato-striatis, scutello triangulari, apice rotundato.

Calandra hemiptera, var. Dom. T. Lund. *in Litteris.*

Habitat in America meridionali. Dom. T. Lund. Mus. Ghl. et Schh.

Magnitudo et statura *Sphenophori hemipteri, sphenophoro atrato* latior, rostro breviore, thorace minus impresso et punctato, elytris longioribus, colore saturatius atro, ab illo abunde distinctus. Caput breve, parum convexum, disperse punctatum, nigrum, fronte fovea oblonga ad basin rostri impressa; oculi nigri, parum convexi; rostrum thorace brevius, valde arcuatum, basi crassius, extrorsum compressum, disperse punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava magna, apice compressa, truncata, cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos multo longior, sub-conicus, apice plus quam dimidio angustior, emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus ab apice ad medium obliquis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, supra sub-planus, intra medium baseos nonnihil impressus, ibique profunde, disperse punctatus, cæterum lævis; holosericeo-ater, opacus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, opacum, læve, apice rotundatum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin subito ampliata, posterius multo angustiora, apice singulatim rotundata, thorace tertia parte longiora, supra plana, remote punctato-striata, interstitiis planis, impunctatis; atra, opaca, margine summo apicis testaceo. Pygidium conicum, punctatum, nigrum, opacum, carina postica testaceo-ciliata. Corpus subtus nigrum, disperse punctatum, medio nitidum, lateribus opacum. Pedes longiusculi, nigri, femoribus punctatis, clavatis, anticis crassioribus, posticis longioribus et tenuioribus, omnibus ut et tibiis subtus fusco-ciliatis; tarsis valde dilatatis, subtus cinereo-spongiosis.—Ghl.

* 43. S. ATRATUS. *Dejean.*

Oblongo-ellipticus, niger, opacus, rostro longissimo, tenui, nitido; thorace sub-conico, medio impresso, lateribus et in plaga dorsali punctato; elytris brevibus, planis, remote punctato-striatis, scutello elongato, angustissimo, acuto.

Calandra atrata. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. Teste Dom. DUPONT.

Habitat Cayennæ. Dom. DUPONT. Mus. SCHH.

Longitudo *Sphenophori hemipteri*, sed angustior. Caput rotundatum, convexum, disperse punctatum, nigrum, nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace longius, modice arcuatum, basi crassius, extrorsum valde attenuatum, undique disperse punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, apice cinereo-spongiosæ. Thorax latitudine baseos multo longior, sub-conicus, apice plus quam dimidio angustior, emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus obliquis; basi bi-sinuatus, supra in medio longitudinaliter impressus, antice, lateribus et in plaga impressa dorsali disperse punctatus, punctis furfure cinereo repletis; niger, opacus. Scutellum elongatum, angustissimum, acutum, læve, nigrum, nitidum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique valde ampliata, posterius paulo angustiora, apice truncata, thorace fere breviora, supra plana, sub-remote punctato-striata, punctis mucore cinereo infarctis; nigra, opaca. Pygydium oblongo-triangulare, convexum, sub-carinatum, punctatum, nigrum, opacum, cinereo-mucosum. Corpus subtus nigrum, disperse punctatum, in disco nitidum, versus latera opacum. Pedes breviusculi, punctati, nigri, subtus cinereo-ciliati, tarsis dilatatis, subtus pallido-spongiosis. — GHL.

* 44. S. AUSTERUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, ater, supra opacus, thorace confertim punctato, medio depresso; elytris brevibus, remote punctato-striatis, rostro sub-recto, ruguloso, scutello angustissimo.

Habitat Cayennæ. Dom. STEVEN. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero fere dimidio minor, angustior, *Spheno-*

phoro tristi æqualis. Caput breve, postice convexum, obsolete punctatum, nitidum, fronte ad basin rostri transversim impressa, profunde punctata, atra, opaca; oculi depressi, nigri; rostrum fere longitudine thoracis, vix arcuatum, basi crassum, extrorsum attenuatum, confertim rugulosum, anterius linea media lævi notatum; totum atrum. Antennæ nigro-piceæ, clava parum crassa, ovata, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine baseos dimidio longior, anterius a medio ad apicem sensim augustatus, intra apicem constrictus, lateribus ante medium obliquis, posterius sub-rectis; basi bi-sinuatus, supra in disco posteriore impressus, cæterum fere planus, in limbo subtilius et magis dense, in disco profundius, disperse punctatus, punctis omnibus mucore cinereo repletis; ater, opacus, margine summo apicis ferrugineo. Scutellum oblongum, valde angustum, atrum, opacum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique valde ampliata, dein posterius angustiora, apice truncata, thorace fere breviora, supra plana, evidenter, remote punctato-striata, interstitiis planis, obsoletissime seriatim punctulatis; holosericeo-atra, opaca, punctis plerisque mucore cinereo repletis, margineque summo apicis testaceo. Pygidium magnum, triangulare, punctatum, punctis cinereo-squamulosis. Corpus subtus nigrum, nitidum, disperse punctatum, ventris lateribus posterius piceo-testaceis. Pedes validi, punctati, nigri, subtus tenuiter fusco-ciliati, tarsis valde dilatatis, subtus brunneo-spongiosis. — GHL.

* 45. S. MELANCHOLICUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, subtus nigro-piceus, nitidus, supra opacus, thorace lateribus et postice punctato, obscure purpurascente, vittis tribus integris, nigris; elytris remote punctato-striatis, rufo-brunneis, vittis interruptis atris notatis, scutello elongato, angusto.

Habitit in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Sphenophoro hemiptero affinis, sed paulo longior et angustior, thorax lateribus et in disco postico punctatus, vittis tribus nigris, integris pictus, color obscurior, etc. Caput breve, convexum, punctatum, rufo-piceum, fronte fovea gemina impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, arcuatum, basi crassum, extrorsum compressum, attenuatum, punctatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ piceæ, clava ovata, apice cinereo-

spongiosa. Thorax latitudine longior, anterius a medio sensim angustior, apice sub-tubulatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus ab apice versus medium oblique ampliatis, dein subemarginatis; basi bi-sinuatus, supra perparum convexus, antice, lateribus et in medio baseos disperse punctatus, punctis squamositate cinerea infarctis; obscure purpureus, opacus, vittis tribus integris atris pictus; subtus niger, punctatus, utrinque vitta obscure purpurea notatus. Scutellum elongatum, angustum, piceum, apice pallidum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin subito ampliata, posterius angustiora, apice fere truncata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, punctato-striata, punctis squamositate cinerea repletis, interstitiis, obsoletissime, seriatim cinereo-punctulatis; obscure rufo-brunnea, opaca, vittis inæqualiter interruptis, holosericeo-atris notata. Pygidium breve, triangulare, convexum, punctatum, piceum, opacum, pallido-squamulosum. Pectus et venter nigro-picea, medio nitida, undique disperse punctata, punctis squamositate pallida repletis. Pedes mediocres, femoribus punctatis piceis, tibiis dilutius ferrugineis, tarsis fuscis, pallido-setosis et spongiosis. — GHL.

* 46. S. POLYGRAMMUS. *Schh.*

Ellipticus, rufo-nigroque varius, furfure cinereo dense adspersus; thorace rufescente, vittis tribus integris atris notato; elytris punctato-striatis rufescentibus, interstitiis alternis elevatioribus et latioribus, lineis pluribus interruptis atris instructis.

VAR. β. Fusco-piceus, thorace vittis duabus dorsalibus obscure rufescentibus notato; elytris fusco-piceis, lineis pluribus interruptis atris instructis.

Patria: Brasilia. A Dom. Com. MANNERHEIM, Dom. FREYREISS et BESCKE communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Sphenophori hemipteri; sphenophoro melancholico* paulo minor, angustior; pectoris latera linea rufa notata, ceterum illi simillimus et nimis affinis. Caput convexum, obsolete punctatum, rufo-piceum, sub-nitidum, fronte ad basin rostri impressa, oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassius, punctatum, sub-opacum, extrorsum magis tenue, cylindricum, arcuatum, subtiliter punctulatum, nitidum, totum rufum. Antennæ mediocres, validæ, piceæ, clava majuscula, ovata. Thorax

latitudine baseos paulo longior, antice dimidio angustior quam basi; apice emarginatus, pone apicem leviter constrictus, lobo antico sub-tubulato, piceo, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato marginatus; supra fere planus, obsolete sparsim punctatus, pallide rufus, cinereo-irroratus, vittisque tribus integris atris notatus ,lateralibus antrorsum attenuatis, sed vix arcuatis. Scutellum oblongum, rufo-piceum, apice sub-rotundatum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito ampliata, posterius paulo angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra in dorso plana, anguste striata, striis obsolete punctatis, interstitiis alternis latioribus, convexis, sub-costatis; pallide rufa, dense cinereo-irrorata, lineis pluribus atris, interruptis, in costis instructa. Pygidium triangulare, convexum, punctatum, nigrum, cinereo-setulosum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum, pectoris lateribus linea rufa notatis. Pedes mediocres, validi, femoribus clavatis, basi nigris, nitidis, extrorsum supra rufescentibus, tibiis tarsisque obscure rufis.

VAR. β. Colore obscuriore tantum differt, ut in diagnosi indicatum. — GHL.

* 47. S. HEBETATUS. *Schh.*

Ellipticus, nigro-piceus, opacus, inæqualiter olivaceo-furfuraceus; rostro sub-tenui, arcuato, nitido; thorace obsolete punctato, leviter canaliculato; elytris anguste punctato-striatis, obscure ferrugineis, nigro-maculatis.

Patria: Antioquia Columbiæ. A Dom. NISSER benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Sphenophori obsoleti*, sed rostrum longius, magis tenue, elytrorum striæ angustiores, obsoletius punctulatæ, etc. Caput parvum, retractum, sub-globosum, punctatum, nigrum; oculi elongati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, arcuatum, basi crassius, punctatum et olivaceo-furfuraceum, extrorsum attenuatum, compressum, læve, nitidum, totum nigro-piceum. Antennæ crassiusculæ, nigro-piceæ, clava ovata, compressa. Thorax latitudine baseos multo longior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, longe intra apicem

constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein sub-rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra in dorso planus, obsolete punctatus, punctis farina olivaceo-cinerea infarctis, posterius in medio obsolete canaliculatus, nigro-piceus, opacus. Scutellum elongatum angustum, nigro-piceum, in medio holosericeo-atrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique ampliata, callo humerali elevato, posterius angustiora, apice sub-truncata, thorace paulo longiora, supra fere plana, anguste striata, et in striis obsolete punctata, interstitiis sub-planis, obscure ferruginea, plagis variis nigris picta, furfure olivaceo, præsertim posterius et in striis adspersa. Pygidium sub-triangulare, punctatum, nigrum, opacum, lateribus et in carinula apicali olivaceo-setulosum. Corpus subtus disperse punctatum, nigro-piceum, in medio nitidum, punctis farina cinerea repletis. Pedes validi, picei, furfure olivaceo dense tecti. — GHL.

* 48. S. LATERITIUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, nigro-piceus, crusta densa testacea undique tectus, thorace corporeque subtus confertissime punctatis, elytris punctato-striatis, interstitiis disperse punctulatis, litura disci composita nigra notatis.

Habitat ad Sierram Leonam Africes. Dom. AFZELIUS. Mus. SCHH.

Statura angusta et facies fere *Lixi; Lixo Pollinoso* Germ. paulo major. Caput breve, convexum, fronte punctata, testaceo-squamosa, vertice lævi nigro; oculi nigri parum convexi; rostrum thorace paulo brevius, modice arcuatum, basi crassum, extrorsum attenuatum, nigrum, supra a basi ultra medium confertim punctatum, crusta testacea vestitum, apice læve, nitidum; in basi fovea profunda impressum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, clava ovata. Thorax latitudine baseos multo longior, antrorsum attenuatus, sub-conicus, apice leviter emarginatus, intra apicem subtus et ad latera constrictus, lateribus obliquis, vix ampliatis, basi bi-sinuatus, supra fere planus, æqualis, confertissime punctatus, nigro-piceus, crusta testacea unicolore undique tectus. Scutellum oblongum, læve piceum, nitidum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi parum latiora, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso fere plana, tenuiter

striata, striis obsolete punctatis, interstitiis sub-planis, disperse, inæqualiter punctatis; nigro-picea, crusta adglutinata testacea omnino tecta; in medio disci singuli elytri lineolæ tres, inæqualiter longæ, approximatæ, magis nudæ, nigro-piceæ; intra apicem callus obsoletus et pone illum impressio transversa. Pygidium oblongum, punctatum, piceum, indumento testaceo tectum, apice rotundatum. Corpus subtus confertissime punctatum, piceum, crusta densa testacea tectum. Pedes mediocres, punctati, picei, testaceo-incrustati, tarsis supra magis nudis, subtus cinereò-spongiosis.

GHL.

* 49. S. CINCTUS. *Sturm.*

Oblongo-ellipticus, nigro-piceus, opacus, inæqualiter cinereo-furfurosus; thorace lineis duabus arcuatis; elytris vitta brevi antica in singulo, fasciaque media maculari communi, retrorsum arcuata, sub-argenteo-squamosis ornatis.

Calandra cincta. Dom. STURM *in Litteris.*

VAR. β. Signaturis thoracis et elytrorum cinereo-albidis, vix argenteo-micantibus; cætera ut in α.

* VAR. γ. Thoracis lateribus vittisque duabus dorsalibus ferrugineis; elytris ferrugineo-lituratis; pedibus dilute rufis.

Rhynchophorus rubellus. SCHH *in Litteris* olim.

* VAR. δ. Rostro, antennarum scapo pedibusque ferrugineis; cæterum ut var. γ.

Patria : Mexico. A Dom. STURM et SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH. var. β ex Musæo Dom. CHEVROLAT designata.

Magnitudo et statura *Sphenophori sordidi;* variat etiam magnitudine minori. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, opacum, fronte ad basin rostri foveola rotundata impressa; oculi sub-depressi, brunnei; rostrum thorace paulo brevius, validum, basi crassius, ibique supra tenuiter canaliculatum, extrorsum arcuatum, sub-compressum, punctulatum, piceum, nitidum. Antennæ longiusculæ, validæ, piceæ, clava majuscula, rotundata. Thorax latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi; apice sub-emarginatus, pone apicem obsolete constrictus, margine apicis elevato, pallido; lateribus pone stricturam oblique versus me-

dium ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, vix punctatus, nigro-piceus, opacus, vittis duabus angustis, obliquis, sub-argenteo-squamulosis ornatus, marginibusque lateralibus cinereo-furfurosis. Scutellum oblongo-triangulare, piceum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace parum longiora, supra fere plana, anguste striata, striis obsolete punctatis; nigro-picea opaca; paulo pone medium dorsi fascia macularis, communis, arcuata, utrinque antrorsum adscendens conspicitur, et in medio baseos singuli elytri vitta brevis, recta, lata, ambo e squamulis cinereo-sub-argenteis compositæ, interdum dilatatæ et confluentes, tam inter se, quam cum sutura. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigro-piceum, opacum, postice carinatum. Corpus subtus disperse punctatum, piceum, in medio nudum, nitidum, versus latera cinereo-furfurosum. Pedes mediocres, picei, nitidi, tarsis elongatis, articulo tertio dilatato, subtus cinereo-spongioso.

Varietates colore partium et indumenti tantum differunt secundum diagnoses datas. — GHL.

50. S. MELANOCARDIUS. *Linné.*

Oblongo-ellipticus, niger, furfure cinereo undique dense tectus, rostro antennisque sub-nudis; thorace obsolete, disperse punctato; elytris anguste simpliciter striatis, signo communi denudato nigro, v latinum referente, in medio dorsi notatis.

Curculio id. LINN. *Mus. Lud. Ulr.* p. 45. 4. — *Syst. nat.* I. II. p. 608. 18. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1756. 18.

FABR. *Ent Syst.* I. II. p. 397. 11. — *Mant.* I. p. 97. 10. — *Spec. Ins.* I. p. 163. 10. — *Syst. Ent.* p. 129. 7.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 476. 18.

HERBST, *Col.* VI. p. 438. 431. (Exclus. fig.)

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 434. 21.

Patria : India (orientalis. ?) Ex Musæo THUNBERGIANO Academiæ Upsaliensis descriptus.

Magnitudo *Sphenophori hemipteri.* Caput breve, parum convexum, punctatum, nigrum, furfure cinereo vestitum; oculi perpendicu-

lares, oblongi, depressi, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, basi crassum, sub-angulatum, punctatum, ante antennas angustius, cylindricum, arcuatum, totum nigrum, opacum. Antennæ breves, validæ, totæ nigræ. Thorax latitudine baseos longior, antice subito angustior, apice emarginatus, intra apicem constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, obsolete, disperse punctatus, niger, furfure cinereo dense tectus. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, thoraci concolor. Elytra antice singulatim rotundato-producta, thoracis basi ibi non latiora, sed pone basin et lateribus ampliata, apice truncata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, tenuiter striata, striis impunctatis; nigra, furfure cinereo dense tecta, relicto callo humerali nudo, nigro, et linea obliqua in singuli elytri medio versus suturam, cum opposita angulum, v, latinum referens, etiam denudatam, nigram. Pygidium convexum, conicum, disperse punctatum, nigrum, cinereo-furfuraceum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, furfure cinereo tectum. Pedes validi, nigri, dense cinereo-furfuracei. — Ghl.

* 51. S. Pustulosus. *Chevrolat.*

Oblongo-ellipticus, niger, opacus, guttulis orbiculatis cinereo-albidis undique adspersus; thorace convexo, disperse punctato, juxta basin striga transversa impresso; elytrorum striis angustis, obsolete, remote punctatis, interstitiis planis, seriatim remote guttatis.

Calandra pustulosa. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Id. irrorata. Dom. Sturm *in Litteris.*

Var. β. Guttulis plerisque detritis, elytris rufo-piceis.

Calandra punctata. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 328. Teste Dom. Chevrolat.

Patria: Mexico. A Dom. Sturm amice communicatus. Mus. Schh. — Var. β, ex Musæo Dom. Chevrolat designata.

Sphenophoro hemiptero longior, magis convexus, sed magnitudine variat. Caput sub-globosum, sparsim punctatum, nigrum, subopacum; oculi sub-depressi, nigro-brunnei; rostrum thorace paulo brevius, basi crassius, supra punctatum et sulco sat profundo, sed brevi, insculptum, opacum, extrorsum cylindricum, valde ar-

cuatum, sparsim punctulatum, nitidum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, clava majuscula, sub-globosa. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem vix vel obsoletissime constrictus, lateribus oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bisinuatus, supra modice convexus, æqualis, sparsim punctatus, juxta basin striga transversa, in medio profundiore impressus, margine postico elevato; niger, opacus, guttulis plurimis orbiculatis, cinereo-albidis, puncta impressa cingentibus, adspersus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, in illæsis albido-furfurosum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito ampliata, posterius paulo angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis obsolete, sub-remote punctatis, interstitiis planis, punctis valde remotis seriatim impressis; nigro-picea, opaca, guttulis orbiculatis cinereo-albidis, puncta impressa ambientibus, adspersa, interstitiorum plerumque majoribus. Pygidium sub-triangulare, convexum, sparsim punctatum, nigrum, setulis cinereis adspersum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, pari modo ac supra cinereo-albido-guttatum. Pedes validi, nigri, femoribus punctatis et cinereo-guttatis, subtus ciliatis, tibiis striatis, setulosis; tarsis dilatatis, subtus fusco-spongiosis.

Var. β, primo intuitu quidem dissimilis apparet, guttulis cinereo-albidis, præsertim in elytris, destituta, et illorum colore dilutius rufo-piceo; minime tamen specie distincta, modo detrita.

GHL.

* 52. S. ADSPERSUS. *Klug.*

Ellipticus, niger, opacus, guttulis inæqualibus cinereo-albidis undique confertim adspersus; thorace sub-conico, sparsim punctato, pone medium dorsi impresso; elytris obsolete punctato-striatis, guttulis cinereo-albidis, passim confluentibus confertim adspersis.

Calandra adspersa. Dom. KLUG *in Litteris.*

Patria: Mexico. A Dom. KLUG et WESTERMANN amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro pustuloso simillimus, plerumque tamen paulo minor, magis ellipticus; thorax sub-conicus, pone medium dorsi impressus, sed absque striga intra basin, unde specie distinctus videtur. Caput

sub-globosum, sparsim punctatum, nigrum, cinereo-guttatum; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassius, supra punctatum et canaliculatum, cinereo-guttatum; extrorsum cylindricum, arcuatum, sub-læve, nudum, nitidum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, clava majuscula, sub-globosa. Thorax latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem vix constrictus, lateribus ultra medium oblique ampliatis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra anterius sub-convexus, paulo pone medium dorsi late impressus, sed absque striga transversa intra basin; sparsim punctatus, niger, opacus, guttulis plurimis orbiculatis cinereo-albidis adspersus. Scutellum oblongo-ovatum, nigrum, cinereo-pruinosum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin, subito nonnihil ampliata, posterius paulo angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis obsolete, sub-remote punctatis, interstitiis planis, punctis paucis, valde remotis impressis; nigra, opaca, guttulis numerosissimis, majoribus et minoribus mixtis, passim confluentibus, cinereo-albidis adspersis. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum, setulis minutis cinereis adspersum. Corpus subtus punctatum, nigrum, guttulis cinereis anterius confertissime, in ventre parcius obsitum. Pedes mediocres, nigri, cinereo-guttati et ciliati. — Ghl.

* 53. S. Sordidus. *Schuppel.*

Ellipticus, niger, sub-opacus, furfure cinereo adspersus; thorace oblongo, antice subito angustiore, basi obtuse rotundato, supra convexo, confertim profunde punctato; elytris remote punctato-striatis, interstitiis plerisque antice latioribus, elevatis, nitidis, distincte punctatis.

Calandra sordida. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 299. 439.
Id. javana. Dom. Wiedemann *in Litteris.*

Patria: Insula Java. A Dom. Schuppel et Westermann amice communicatus. Mus. Schh. et Ghl.

Statura *Sphenophori abbreviati*, sed plerumque minor, et magnitudine varians. Caput breve, convexum, vix punctulatum, nigrum, nitidum, sulco profundo, transverso a rostro distinctum; oculi

depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, validum, basi valde crassum et tumidum, supra convexum, confertim rugoso-punctatum, sub-opacum, cinereo-pruinosum, extrorsum cylindricum, modice arcuatum, sparsim punctulatum, nitidum, totum nigrum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, clava angusta, ob-conica. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem in utroque latere striga transversa insculptus; lateribus pone strigam subito ampliatis, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, æqualis, confertim et sat profunde punctatus, niger, parum nitidus, in punctis cinereo-pruinosus. Scutellum rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-truncata, pone basin subito ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, remote punctato-striata, interstitiis convexis, plerisque anterius latioribus, elevatis, sparsim distincte punctatis; nigra, opaca, furfure cinereo tecta, interstitiis elevatis antice nitidis. Pygidium semi-ovatum, valde convexum, punctatum, nigrum, dense cinereo-furfurosum. Corpus subtus anterius dense, posterius sparsim punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Pedes validi, nigri, cinereo-furfurosi, tarsis angustis, articulo unguiculari brevi.

GHL.

* 54. S. INÆQUALIS. *Dejean.*

Supra fusco-testaceus, opacus, subtus niger, rostro pedibusque rufo-ferrugineis, thorace inæquali, lateribus scabro, vittis tribus dorsalibus nigris, lateralibus abbreviatis, elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, sub-costatis, interrupte nigro-lineatis.

Calandra id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329. Teste Dom. CHEVROLAT.

Habitat Cayennæ et in Brasilia. Mus. SCHH. et GHL.

Statura *Sphenophori* 13-*punctati*, et illi magnitudine sub-æqualis. Caput breve, convexum, piceum, læve; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, arcuatum, basi crassum, extrorsum attenuatum, sub-compressum, supra obsolete canaliculatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ crassiusculæ, piceæ, clava ovata, dilutiore, apice cinereo-spongiosa. Thorax latitudine multo longior, anterius e medio atttenuatus, apice emarginatus, intra apicem

constrictus, lateribus ab apice ad medium obliquis, dein rectis; basi bi-sinuatus, supra inæqualis, in disco anteriore elevatus, dein posterius impressus, cum callo elevato, obliquo, abbreviato utrinque; versus latera reapse disperse punctatus, sed puncta fasciculis squamosis cinereis repleta, tubercula mentiunt, unde latera scabra videntur; fusco-testaceus, vitta media fere integra et alia abbreviata in callo postico utrinque, nigro-fuscis, sæpe obsoletis, notatus; subtus utrinque bis impressus, impunctatus, niger, lituris nonnullis ferrugineis pictus. Scutellum elongatum, angustum, nigrum, cinereo-squamosum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, sed pone basin subito ampliata, humeris sub-elevatis, rotundatis; dein posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace parum longiora, supra sub-depressa, obsoletius punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus, sub-costatis; fusco-ferruginea, squamositate cinerea obducta, lineisque interruptis nigris in interstitiis elevatioribus notata. Pygidium triangulare, angustum, convexum, punctatum, piceum, tuberculis squamosis cinereis scabrum. Pectus et venter nigra, lituris ferrugineis picta, disperse punctata, punctis cinereo-squamosis. Pedes mediocres, dilutius rufo-ferruginei, cinereo-squamulosi.—Ghl.

55. S. Canalipes. *Chevrolat.*

Oblongus, nigro-piceus, opacus, fusco-cinereo-pruinosus; thorace elongato, disperse punctato, postice sub-impresso; elytris distincte punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, costatis; tibiis brevibus canaliculatis.

Calandra id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : . . . . Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Sphenophoro inæquali simillimus et valde affinis, distinctus tamen videtur, sculptura thoracis et elytrorum nonnihil diversa et colore magis nigro. Caput parvum, sub-globosum, obsolete, disperse punctulatum, nigrum, fronte ad basin rostri fovea rotunda impressa; oculi oblongi, nigri; rostrum thorace brevius, arcuatum, basi crassum, canaliculatum, scabrum, extrorsum compressum, punctulatum, sub-nudum, nigro-piceum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax valde oblongus, antice paulo angustior quam basi, apice late emarginatus, intra apicem constrictus, margine calloso, alte elevato; lateribus pone stricturam oblique versus medium am-

pliatis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, supra fere planus, ante medium baseos impressus, obsolete, disperse punctatus, niger, opacus, furfure fusco-cinereo obductus. Scutellum oblongum, acuminatum, punctatum, nigrum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, thoracis basi latiora, humeris rotundatis; elevato-callosis; posterius angustiora, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra parum convexa, sat distincte punctato-striata, interstitiis angustis, alternis elevatioribus, costatis: nigra opaca, furfure fusco-cinereo adspersa. Pygidium semi-ellipticum, convexum, disperse punctatum, apice carinatum, nigrum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, sub-opacum, punctis cinereo-furfuraceis ad latera adspersum. Pedes breviusculi, nigri, femoribus sub-clavatis, subtus ciliatis; tibiis brevibus, scabris, indumento denso cinereo tectis, sulcis pluribus distinctis exaratis.

GHL.

STIRPS 2. *Tarsi angustati, sæpissime pilosi; articulo penultimo parvo, reliquis paulo latiore, subtus haud spongioso.* (Species 56-94.)

♀ 56. S. PICEUS. *Pallas.*

Elongato-ovatus, niger, glaber, rostro basi tumido, extrorsum sub-compresso, thorace latitudine longiore, disperse punctato, elytris sub-punctato-striatis, interstitiis inordinate subtiliter punctatis, scutello triangulari.

Curculio id. PALLAS, *Iter.* I. p. 464. 34. — *Icon.* p. 23. 3. Tab. B. fig. 3.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 475. 16.

LINN. *Syst. nat.* GMEL. I. IV. p. 1750. 183.

Rhynchophorus id. HERBST. *Col.* VI. p. 20. 12. T. 60. f. 11.

Calandra halophila. Dom. FISCHER *in Litteris*, teste Dom. STEVEN.

Habitat in Caucaso. Dom STEVEN; in Gallia, Parisiis, Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Sequentibus, valde affinibus, major; *Hylobio pineti* sub-æqualis, glaber, sub-nitidus. Caput parvum, rotundatum, vix punctulatum, nigrum, ad basin rostri foveola profunda impressum: oculi depressi, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, arcuatum, basi crassum, ad antennarum insertionem utrinque tumidum, dein

angustius, compressum, disperse punctatum, totum nigrum. Antennæ breves, validæ, nigræ, clava ovata. Thorax latitudine longior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, margine depresso, intra apicem sat profunde constrictus, lateribus mox pone stricturam ampliatus, posterius nonnihil attenuatus, basi obtusissime rotundatus, supra parum convexus, disperse et subtilius punctatus, linea media lævi; totus niger, glaber. Scutellum triangulare, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, dein posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, concinne striata, striis antice latioribus, evidentius punctatis, interstitiis planis, subtiliter disperse punctatis; tota nigra, glabra. Pygidium apice rotundatum, supra rude rugoso-punctatum, nigrum, parce cinereo-squamulosum. Corpus subtus nigrum, nitidum, glabrum, disperse punctatum. Pedes breviusculi, validi, nigri, punctati, femoribus subtus parce, tibiis longius et densius, testaceo-ciliatis, tarsis piceis, testaceo-setosis.

Obs. — Specimen nostrum femineum videtur, pectore ventrisque basi non impressis.—Ulterius specimen, etiam femineum, e Gallia communicavit Dom. Chevrolat, elytris dilutioribus, obscure ferrugineis seu umbrinis præditum, in cæteris simillimum.—GHL.

♂♀ 57. S. ABBREVIATUS. *Fabricius.*

Elongato-ovatus, niger, parce cinereo-squamulosus, thorace latitudine longiore, disperse punctato; elytris sub-punctato-striatis, interstitiis planis, inordinate punctatis, punctis majusculis, squamula minuta cinerea infarctis, corpore subtus convexo. Femina.

Calandra abbreviata. FABR. *Syst. El.* II. p, 436. 31.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 270. 1. — *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 100. 2.

OKEN, *Naturg.* III. p. 768. 2.

LAMARCK, *Animaux sans vertèbres.* IV. p. 354. 2.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 403. 37. — *Mant.* I. p. 99. 25.

PANZ. *Fn. Germ.* XLII. 3. — *Ent. Germ.* p. 301. 9.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 479. 35.

VILLERS, *Ent.* IV. p. 284.

WALCKEN. *Fn. Par.* I. p. 245. 25.

Curculio decurtatus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1747. 127.

Id. elegans. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 118. 9.?

VILLERS, *Ent.* I. p. 190. 65. et IV. p. 201. 65.?

Curculio brachypterus. OLIV. *Enc. méth.* V. p. 561. 2.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1741. 555.

LESKE, *Mus.* p. 18. 734.

Mas: Thorace densius punctato, punctis tam thoracis quam interstitiorum in elytris majoribus, squamula evidentiore cinerea infarctis; pectore ventrisque basi impressis.

Calandra scotina. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 298. 438.

Id. porcula. FABR. *Syst. El.* II. p. 436. 34. forte.

Curculio porculus. FAB. *Suppl.* p. 166. 37.?

Patria: Europa intermedia et meridionalis. Sibiria, Caucasus. Mus. SCHH. et GHL.

Magnitudo et facies *Molytis coronati; Sphenophoro piceo* dimidio minor, cæterum simillimus, punctis thoracis et elytrorum majoribus, squamula cinerea infarctis, præcipue ab illo distinctus. Caput, oculi, rostrum et antennæ omnino ut apud *Sphenophorum piceum* descripta. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein posterius subrectis; basi obtusissime rotundatus, supra parum convexus, in disco disperse, versus latera et apicem densius punctatus, punctis omnibus squamula parva cinerea infarctis. Scutellum ut in priori. Elytrorum forma etiam eadem, sed illorum striæ sub-punctatæ paulo profundiores et interstitia densius punctata, punctis majoribus, singulis squamula cinerea infarctis; aut nigra, aut nigro-picea, opaca. Pygidium rugoso-punctatum, apice rotundatum, nigrum, densius cinereo-squamulosum. Corpus subtus nigrum, nitidum, disperse punctatum, punctis squamula cinerea infarctis. Pedes ut in priori omnino.

Mas notis in diagnosi indicatis tantum differt. Individua numerosa *Calandræ Scotinæ* Germ. a nobis lustrata, semper masculini sexus deprehensa, pectore ventrisque basi impressis; e contra vero omnia

Rh. abbreviati specimina feminea, corpore subtus convexo, ideoque ad eamdem speciem retulimus.

Observ. Sphenophorus piceus, *abbreviatus*, *maurus* et *interstitialis*, quoad texturam elytrorum et formam reliquorum partium, valde similes, quapropter auctorum plures illos ut varietates majores et minores unius speciei, nempe *Sphenophori abbreviati*, inspexerint. Distingui tamen possunt, notis a nobis indicatis. Synonyma Fabricii et Panzeri ad speciem jam descriptam retulimus, propter magnitudinem ab illis indicatam. Synonymia reliquorum ægre extricanda.

Ghl.

♂ 58. S. Parumpunctatus. *Schh.*

Elongato-ovatus, niger, glaber; rostro breviusculo, basi tumido, extrorsum sub-compresso; thorace oblongo, disperse punctato; elytris anguste striatis, interstitiis subtilissime punctulatis; scutello apice obtuso.

Patria : Europa meridionalis. A Dom. Lefebvre amice communicatus. Mus. Schh.

Sphenophoro piceo valde affinis, sed triplo minor, rostrum brevius et crassius, elytra subtilius striata et punctulata, scutellum apice obtusum, unde specie distinctus videtur. Caput parvum, sub-globosum, nigrum, nitidum, læve, fronte ad basin rostri foveola profunda impressa; oculi perpendiculares, depressi, nigri; rostrum thorace dimidio brevius, validum, arcuatum, basi crassius, tumidum, extrorsum sub-compressum, undique punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thoracis structura, punctura, color et omnia, ut apud *Sph. piceum* descripta. Scutellum nigrum, læve, apice obtusum et impressum. Elytrorum forma etiam ut in jam nominato, sed striæ adhuc subtiliores, antice vix profundiores, et obsoletissime tantum punctatæ, inserstitiis planis subtilissime, disperse punctulatis; tota nigra, nitida, glabra. Pygidium semi-ellipticum, convexum, confertim punctatum, nigrum, setulis minutis cinereis parce adspersum. Corpus subtus nigrum, nitidum, thorace pectoreque confertim, ventre magis disperse punctatis. Pedes breviusculi, validi, punctati, nigri, cinereo-setulosi.

Specimen descriptum masculini sexus, pectore ventrisque basi impressis.

Observ. Sub nomine: *Calandra aterrima,* Dom. Prof. Jan; e Sicilia individuum femineum communicavit Dom. Falderman, corpore fere duplo majore, et punctura interstitiorum in elytris evidentiore unice distinctum. GHL.

♂ 59. S. OPACUS. *Schh.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-opacus, thorace ovato, latitudine longiore, punctato, margine antico testaceo, elytris brevioribus, sub-punctato-striatis, interstitiis inordinate punctatis, punctis thoracis elytrorumque squamula cinerea infarctis.

Mas: Thorace densius punctato, pectore ventrisque basi impressis.

Femina: Thoracis disco disperse punctato, pectore ventreque convexis.

Calandra maura. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Habitat in Italia. Dom. MEGERLE. Mus. SCHH. et GHL.

Sphenophoro abbreviato valde affinis, sed fere dimidio minor, elytra breviora, color magis opacus, unde specie distinctus videtur. Caput, oculi, rostrum, antennæ, omnino ut in prioribus. Thorax ovatus, in utroque sexu latitudine longior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, margine depresso, sub-tubulato, intra marginem sat profunde constrictus, lateribus sub-æqualiter modice ampliatus, basi obtusissime rotundatus, supra sub-convexus, maris confertim, feminæ in disco magis disperse punctatus, punctis latiusculis, squamula minuta cinerea infarctis; niger, sub-opacus, margine antico anguste pallide testaceo. Scutellum triangulare, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace parum longiora, supra minus convexa, regulariter striata, striis antice profundioribus, sub-remote, obsolete punctatis, interstitiis planis, densius inordinate punctatis, punctis latiusculis, squamula minuta cinerea infarctis; nigra, sub-opaca, margine summo apicis ferrugineo. Pygidium sub-triangulare, apice acute rotundatum, supra convexum, rugu-loso-punctatum, sub-carinatum, nigrum, cinereo-squamulosum; basi indumento denso cinereo-albido vestitum. Corpus subtus nigrum, nitidum, disperse punctatum, punctis squamula infarctis,

pectore ventrisque basi in masculis impressis, in feminis convexis. Pedes breviusculi, validi, punctati, nigri, femoribus subtus parcius, tibiis densius et longius testaceo-ciliatis, tarsis elongatis piceis, testaceo-setosis. — GHL.

♀ 60. S. MUTILATUS. *Laichartaing.*

Ovatus, nigro-piceus, sub-opacus, thorace latitudine sub-longiore, punctato, margine antico testaceo, elytris brevioribus, sub-punctato-striatis, interstitiis alternis angustioribus, densius sub-punctato-striatis, punctis omnibus squamula infarctis.

Curculio mutilatus. LAICHART. *Tyrol. Ins.* I. p. 216 12.
Rhynchophorus abbreviatus. HERBST, *Col.* VI. p. 11. 5. T. 60. f. 6.
Calandra abbreviata. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 94. 31. T. 16. f. 195. a. b.
Calandra id. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 64. 2. T. 2. f. 4. 5.
Curculio fimbriatus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1804. 529.
GEOFFR. *Ins.* I. p. 281. 9. *Charanson brodé.*
SCHÆFF. *Icon.* T. 60. f. 5. — HARRER, *Besch.* 295.

Habitat in Europa meridionali et intermedia. Mus. SCHH. et GHL.

Proxime præcedentibus triplo aut quadruplo minor et inter se magnitudine valde variant; minimi vix *Phytonomo polygoni* majores; cæterum textura elytrorum a reliquis distinctus. Caput, oculi, rostrum, antennæ, ut in prioribus. Thorax, præsertim in masculis, latitudine paulo longior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, sub-tubulatus, margine depresso, intra marginem sat profunde constrictus, lateribus modice ampliatus, basi obtusissime rotundatus, supra sub-convexus, in masculis densius, in feminis magis disperse punctatus, punctis squamula minuta cinerea infarctis; nigro-piceus, sub-opacus, margine antico pallide testaceo. Scutellum triangulare, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi vix latiora, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra minus convexa, evidenter striata, striis remote punctatis, antice profundioribus, interstitiis inæqualiter latis, quarto et sexto a sutura præcipue reliquis angus-

tioribus et cum secundo densius punctatis, sub-striatis, interjacentibus parcius, disperse punctatis, punctis omnibus squamula cinerea infarctis; nigro-picea, interdum dilutius piceo-ferruginea, opaca, margine apicis ferrugineo. Pygidium sub-triangulare, apice acute rotundatum, extrorsum rugoso-punctatum, nigrum, basi subtilius punctulatum, furfure cinereo-albido tectum. Corpus subtus nigrum, nitidum, fortius punctatum, punctis squamula infarctis, pectore ventrisque basi in masculis impressis, in feminis convexis. Pedes breviusculi, validi, punctati, nigri, femoribus subtus parum, tibiis longius et densius, testaceo-ciliatis, tarsis elongatis, dilutius piceis, testaceo-setosis. — Ghl.

♂♀ 61. S. Meridionalis. *Dejean.*

Oblongus, niger, sub-nitidus, tibiis ferrugineis; thorace postice obtuse rotundato, supra confertim profunde punctato, plaga oblonga disci lævi; elytris piceis, sub-opacis, tenuiter punctato-striatis, interstitiis confertim punctatis.

Calandra id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Patria : Gallia meridionalis. A Dom. Com. Dejean benevole donatus. Mus. Schh.

Parvus, *Sphenophoro mutilato* angustior, sed paulo longior, præsertim in elytris. Caput breve, parum convexum, sparsim punctatum, nigrum, nitidum; oculi sub-depressi, atri; rostrum thorace paulo brevius, basi crassius et profundius punctatum, extrorsum cylindricum, modice arcuatum, subtilius punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ validiusculæ, nigræ, clava mediocri, ob-conica. Thorax latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, pone apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi obtusissime rotundatus, supra parum convexus, sat profunde, confertim punctatus, relicta plaga oblonga, lævi in medio dorsi; totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, læve, nigrum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, pone basin oblique nonnihil ampliata, callo humerali elevato; posterius paulo angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis sub-remote punctatis, interstitiis planis, alternis dorsalibus sparsim, reliquis densius, evidenter punctatis; piceo-testacea, parum nitida. Pygidium semi-ellipticum,

convexum, obsolete punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Corpus subtus inæqualiter punctatum, nigrum, nitidum, maris in medio impressum. Pedes mediocres, femoribus sub-clavatis, punctatis, nigris; tibiis sub-rectis ferrugineis, tarsis elongatis, angustis, nigris. — GHL.

62. S. MEMNONIUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, nitidus; thorace convexo, subtiliter punctulato, basi truncato, elevato-marginato; elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis planis, sparsim punctulatis.

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoro meridionali longior, sed non latior, magis convexus. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola rotunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi paulo crassius, extrorsum sub-compressum, parum arcuatum, undique punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, pone apicem sat profunde constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito-ampliatis, dein rectis; basi truncatus, elevato-marginatus; supra convexus, æqualis, undique subtiliter punctulatus, totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, elevatum, læve, nigrum, nitidum. Elytra antice truncata, pone basin subito ampliata, posterius paulo angustiora, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, anguste striata, striis evidenter, sub-remote punctatis, interstitiis planis, sat dense subtilissime punctulatis; tota nigra, sub-nitida. Pygidium semi-ovatum, parum convexum, profunde punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus clavatis, punctulatis, tibiis rectis, compressis, interne ciliis longis cinereis instructis, tarsis elongatis tenuibus. — GHL.

63. S. Imus. *Schh.*

Elongatus, angustus, niger, nitidus; thorace modice convexo, basi truncato, ibique profunde punctato, cæterum sparsim, subtiliter punctulato; elytris sulcatis, sulcis catenato-punctatis, interstitiis planis, subtilissime sparsim punctulatis.

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Sphenophoro meridionali vix brevior, sed duplo angustior, sub-lineari. Caput sub-globosum, vix punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri striga angulata impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostum thorace brevius, basi crassius, extrorsum sub-compressum, modice arcuatum, undique sparsim obsolete punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem obsolete constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi truncatus, supra anterius modice convexus, in medio baseos sub-impressus, ibique profunde sparsim punctatus, cæterum subtilissime obsolete punctulatus, totus niger, nitidus. Scutellum oblongum, læve, nigrum, nitidum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, pone basin subito nonnihil ampliata, callo humerali elevato; posterius paulo angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, in dorso antico plana, sat profunde et late sulcata, sulcis catenato-punctatis; interstitiis planis, subtilissime sparsim punctulatis; nigra, nitida, sulcis sæpe furfure cinereo repletis. Pygidium semi-ellipticum, parum convexum, confertim punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Corpus subtus punctatum nigrum, plagiatim cinereo-squamulosum. Pedes mediocres, nigri, femoribus parum crassis, nitidis, tibiis sub-arcuatis, scabris, interne ciliatis, tarsis elongatis, angustis, apice piceis.—Ghl.

* 64. S. RUSTICUS. *Dejean.*

Oblongus, convexus, niger, opacus, indumento crustaceo tectus, subtus cinereo unicolori, supra fusco-variegato; thorace inæqualiter punctato, medio breviter carinato; elytris remote punctato-striatis, postice callosis, rostro compresso, arcuato, nudo.

Calandra rustica. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 329. Teste Dom. DUPONT.

Habitat Cayennæ. Dom. DUPONT. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura convexa *cleoni sulcirostris* minoris. Caput breve, sub-convexum, disperse punctatum, nigrum, antice cinereo-incrustatum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, valde arcuatum, basi crassius, extrorsum compressum, undique punctatum, nigrum, maxima parte nudum, nitidum, basi tantum, supra cinereo-incrustatum. Antennæ nigræ, cinereo-incrustatæ. Thorax latitudine baseos longior, antice subito angustior, apice leviter emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus ante medium ampliatis, posterius angustioribus; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, antice, lateribus et in area longitudinali media inæqualiter disperse punctatus, in medio anteriori carinula brevi nuda, nigra, notatus; niger, crusta fusca tectus, punctis annulo cinereo cinctis, unde cinereo et fusco variegatus. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, nigrum, basi nudum, apice cinereo-incrustatum. Elytra antice singulatim sub-rotundata, pone basin subito ampliata, lateribus dein ultra medium rectis, posterius nonnihil angustatis; apice sub-truncata, thorace fere duplo longiora, supra convexa, remote et in dorso obsoletius punctato-striata, interstitiis alternis nonnihil elevatioribus; nigra, crusta densa fusca, cinereo-irrorata tecta; intra apicem callo elevato instructa. Pygidium, triangulare, convexum, profunde, disperse punctatum, cinereo-incrustatum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, crusta cinerea unicolori omnino tectum. Pedes breviusculi, validi, nigri, femoribus tibiisque cinereo-incrustatis, tarsis magis nudis, vix dilatatis. — GHL.

* 65. S. NUBILUS. *Say.*

Oblongo-ovatus, convexus, ater, opacus; rostro breviore, valde compresso; thorace disperse punctato, antice carinula brevi, nitida notato; elytris inæqualibus, obsoletissime striatis, striis remote punctatis, callo humerali, et postico elevatis, nitidis.

Calandra id. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria : America borealis. Ex Musæo Dom. SAY descriptus.

Sphenophoro abbreviato duplo minor. Caput parvum, retractum, punctatum, atrum, opacum, fusco-pruinosum; oculi oblongi, nigro-brunnei; rostrum thorace brevius, parum arcuatum, basi crassum, dein valde compressum, sub-carinatum, undique confertim punctatum, totum nigrum, apice nitidum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice duplo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, supra modice convexus, disperse punctatus, ater, opacus, antice carinula elevata, nigra, nitida, in medio disci desinente ibique ampliata instructus. Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, medio impressum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, inæqualia, tenuiter, obsoletissime striata, striis punctis majusculis, valde remotis impressis; atra, opaca, callo humerali et postico solum nitidis. Pygidium semi-ovatum, punctatum, nigrum, opacum. Corpus subtus punctatum, nigrum, magis nitidum, fusco-pruinosum. Pedes mediocres, nigri, fusco-pruinosi, femoribus sub-clavatis; tibiis intus ciliatis, tarsis elongatis, angustis. — GHL.

* 66. S. PERTINAX. *Olivier.*

Ellipticus, niger, indumento denso cinereo-olivaceo vestitus; thorace vittis tribus elevatis, nudis, nitidis, lateralibus postice bifidis; elytris obsolete punctato-striatis, sutura fere tota interstitiisque alternis anterius elevatioribus nudis, nitidis.

Calandra id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 90. 24. *Curculio.* T. 28. f. 417.

Rhynchophorus id.? SAY, *Descript. of Curc. of. N. Amer.* p. 21. 3.

* VAR. β. Paulo minor, elytrorum sutura interstitiisque plerisque fere totis elevatioribus, nudis, nitidis.

Calandra insculpta. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria : America septentrionalis. Typus OLIVIERI ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus. Var. β a Dom. SAY communicata. Mus. SCHH.

Sphenophoro abbreviato paulo longior, sed non latior. Caput rotundatum, parum convexum, vix punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri impressa; oculi sub-depressi, nigri. Rostrum thorace paulo brevius, basi crassius et supra breviter canaliculatum, extrorsum sub-compressum, modice arcuatum, undique punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ sub-tenues, nigræ, nitidæ, clava ob-conica. Thorax latitudine baseos longior, antice fere duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, sat confertim punctatus, vittis tribus elevatioribus, sub-lævibus, nudis, nigris, nitidis notatus, quarum dorsalis ante medium dilatata, posterius attenuata, basin non exacte attingens; laterales sub-flexuosæ, posterius bifidæ, seu ramulum externe emittentes; superficies reliqua indumento denso cinereo-olivaceo tecta. Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin subito ampliata, callo humerali alte elevato; posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, anguste striata, striis obsolete punctatis, suturæ marginibus interstitiisque alternis anterius elevatioribus nudis, nitidis, cæterum opaca, indumento denso fusco-olivaceo tecta. Pygidium semi-ovatum, convexum, obsolete punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum, albido-furfurosum. Pedes validi, nigri, femoribus clavatis, nitidis, tibiis sub-arcuatis, interne ciliatis, tarsis angustis, tenuibus.

VAR. β. Differt tantum interstitiis plerisque elytrorum a basi ultra medium elevatioribus, nudis, nitidis, et quod dimidio minor.

GHL.

* 67. S. FLEXUOSUS. *Schh.*

Ellipticus, niger, squamositate cinerea inæqualiter vestitus; thorace basi bi-sinuato, supra plagis tribus denudatis atris, nitidis notato, media brevi, antica; elytrorum striis angustis, e punctis magnis interruptis, interstitio secundo a sutura antice, calloque humerali elevatis, nudis, nitidis.

Patria: America septentrionalis, N. Orléans. A Dom. SAY et GUÉRIN amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro abbreviato dimidio minor, angustior. Caput breve, parum convexum, sparsim punctulatum, nigrum, nitidum; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, basi crassius, ibique supra punctatum et breviter canaliculatum, extrorsum compressum, modice arcuatum, sub-læve, totum nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice subito duplo angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem leviter constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato et pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi evidenter bi-sinuatus, supra parum convexus, sparsim punctatus, niger, in cavitatibus dense cinereo-squamulosus, plagis tribus elevatioribus, subtiliter punctulatis, nudis, atris, nitidis notatus, lateralibus, undatis, apicem non exacte attingentibus, in medio externe ramulum emittentibus, dorsali antica, ante medium disci utrinque dilatata et mox acuminatim desinente. Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, in medio impressum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix longiora, supra parum convexa, tenuiter striata, striis sæpe a punctis majusculis, variolosis, pulvere cinereo repletis interruptis; nigra, opaca, dense cinereo-squamulosa, interstitio secundo a sutura e basi ultra medium in carinulam elevato, calloque humerali, alte elevato, ovato, nudis, nigris, nitidis. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum, cinereo-squamulosum, apice obtusum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus clavatis, punctatis.

Obs. — *Calandra larvalis*, Germ. Ins. Sp. 1. p. 301. 144, secundum descriptionem [illegible] datam, huic certe simillima, sed thoracem basi

obtuse rotundatum illi tribuit, quod nostro non competit, unde de identitate dubium existit. — GHL.

68. S. LARVALIS (1). *Germar.*

Rostro compresso, ater, supra griseus, thoracis plagis tribus denudatis, elytris interrupte striatis, juxta suturam carinatis. — GERM.

Calandra id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 301. 441.

Patria : America septentrionalis.

69. S. CARIOSUS. (2). *Olivier.*

Niger, thorace fusco-vario, dorso macula quadrangulari nitida. OLIV.

Calandra cariosa. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 91 25. *Curculio.* T. 28. f. 415.

Patria : America septentrionalis.

* 70. S. ÆQUALIS. *Say.*

Oblongo-ovatus, niger, sub-opacus, inæqualiter cinereo-furfuraceus; thorace latitudine parum longiore, supra punctato, carinulis tribus dorsalibus parallelis, fere integris instructo; elytris sub-convexis, punctato-striatis, interstitiis planis, subtiliter punctulatis, alternis paulo latioribus.

Calandra id. Dom. SAY *in Litteris.*

Patria : America borealis, Missuri. Ex Musæo Dom. SAY descriptus.

Magnitudo et fere statura *Sphenophori abbreviati.* Caput sub-globosum, punctatum, nigrum, lateribus cinereo-furfuraceum; oculi perpendiculares, brunnei, rostrum thorace brevius, arcuatum, basi crassum, supra canaliculatum, disperse punctatum, extrorsum valde compressum, nigrum. Antennæ validæ, nigræ. Thorax latitudine parum longior, antice subito dimidio angustior quam

(1) Mihi invisus.

(2) Mihi invisus.

basi; apice emarginatus, longe intra apicem constrictus, sub-tubulatus; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein fere rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra in medio dorsi planus, carinulis tribus parum elevatis, fere parallelis instructus, interstitiis inæqualiter, sub-disperse punctatis; niger, sub-opacus, lateribus cinereo-pruinosus. Scutellum triangulare, læve, nigrum, sub-nitidum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum sub-prominulis, supra callo ovato notatis; posterius angustiora, apice fere truncata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, parum profunde striata et in striis sub-remote punctata, interstitiis, planis, subtiliter obsolete punctulatis, alternis paulo latioribus; nigra, parum nitida, versus latera cinereo-pruinosa. Pygidium parvum, rotundatum, obsolete punctatum, nigrum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, indumento denso cinereo-albido tectum; ventris medio sub-nudo, nitido. Pedes validi, nigri, femoribus sub-clavatis, disperse punctatis. — GHL.

* 71. S. CALLOSUS. *Olivier.*

Ellipticus, niger, opacus, indumento fusco-cinereo undique incrustatus; thorace inæquali, varioloso-punctato, plagis tribus elevatioribus notato, media sub-cruciformi; elytris obsolete, remote punctato-striatis, callo postico elevato, nitido.

Calandra callosa. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 92. 27. *Curculio.* T. 28. f. 416.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 329.

Patria : America septentrionalis. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro abbreviato vix brevior, sed paulo angustior. Caput breve, parum convexum, sparsim punctatum, nigrum, opacum, vertice nitido; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi multo crassius, tumidum, ibique supra sparsim punctatum, obsolete canaliculatum, opacum: extrorsum sub-compressum, modice arcuatum, punctulatum, nitidum, totum nigrum. Antennæ breviusculæ, nigræ, nitidæ, clava obconica. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem leviter constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato, pallido-marginato;

lateribus pone stricturam subito ampliatis; dein rectis; basi evidenter bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, punctis majusculis variolosis adspersus, plagisque tribus paulo elevatioribus, obsolete sparsim punctulatis notatus, media sub-cruciformi, lateralibus arcuatis; niger, opacus, indumento fusco-cinereo incrustatus. Scutellum triangulare, nigrum, nitidum, læve, medio impressum. Elytra antice singulatim rotundata, pone basin oblique ampliata, posterius multo angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace tertia parte longiora, supra parum convexa, tenuiter et obsolete striata, striis remote varioloso-punctatis, interstitio tertio a sutura reliquis magis elevato; nigra, opaca, indumento dense fusco-cinereo tecta, collo postico tantum nudo, nitido. Pygidium semi-ovatum, obsolete punctatum, nigrum, opacum, apice cinereo-setulosum. corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, opacum, fusco-cinereo-furfurosum. Pedes validi, nigri, non nitidi, femoribus clavatis, sparsim punctatis; tibiis sub-arcuatis, interne ciliatis, tarsis elongatis, angustis, subtus cinereo-pilosis. — GHL.

* 72. S. SAYI. *Schh.*

Oblongus, niger, opacus, sat dense cinereo-furfuraceus, antennis ferrugineo-piceis; thorace oblongo, confertim punctato, carinis tribus abbreviatis, punctatis, nitidis, lateralibus obliquis, notato; elytris obsolete punctato-striatis.

Patria : America borealis, N. Orléans. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Erirhini bimaculati*, statura præcedentium. Caput parvum, sub-globosum, sat profunde puctatum, nigrum, opacum; oculi oblongi, brunnei; rostrum thorace brevius, modice arcuatum, basi crassum, supra canaliculatum, confertim punctatum; extrorsum angustius, compressum, totum nigrum. Antennæ mediocres, ferrugineo-piceæ. Thorax oblongus, antice fere dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus, lobo antico elevato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi bisinuatus, supra parum convexus, confertim punctatus, niger, opacus, furfure cinereo dense vestitus; in medio dorsi carina recta, et alia utrinque, a basi oblique antrorsum adscendens, omnes disperse punctatæ, nigræ, nitidæ, antice abbreviatæ. Scutellum oblongo-

triangulare, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, humeris antrorsum sub-prominulis, supra callo oblongo, nitido instructis; posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace paulo longiora, supra parum convexa, obsolete, sub-remote punctato-striata, interstitiis planis, alternis parum elevatioribus; nigra, opaca, furfure cinereo dense obsita. Pygidium semi-ellipticum, punctatum, nigrum, dense cinereo-furfuraceum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, opacum, sat dense cinereo-furfuraceum. Pedes mediocres, nigri, tarsis angustis, piceis. — GHL.

* 73. S. CONFUSUS. *Dejean.*

Oblongo-ellipticus, niger, glaber; rostro extrorsum compresso; thorace varioloso-punctato, in medio antico sub-impresso, plagis tribus elevatioribus, subtiliter punctulatis notato; elytris anguste striatis et in striis punctis majusculis remotis impressis, interstitiis plerisque seriatim punctulatis.

Calandra confusa. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Patria: America septentrionalis. A Dom. Com. DEJEAN et Dom. HOPE benevole communicatus. Mus. SCHH.

E minoribus *Erirhino bimaculato* æqualis. Caput rotundatum, modice convexum, sparsim punctatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassum, ibique supra sat profunde punctatum, et canalicula antrorsum attenuata impressum; extrorsum compressum, modice arcuatum, vix punctulatum, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, nigro-piceæ. Thorax latitudine baseos multo longior, antice subito fere duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi levissime bi-sinuatus, fere rotundatus, supra parum convexus, inæqualis, in medio antico sub-impressus, confertim varioloso-punctatus, plagis tribus paulo elevatioribus, sparsim punctulatis notatus, media antica, posterius attenuata, lateralibus arcuatis, a basi ultra medium adscendentibus; totus niger, sub-nitidus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, nitidum, apice obtusum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim

obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra modice convexa, tenuiter striata, et in striis punctis majusculis, variolosis, remotis impressa, interstitiis plerisque seriatim punctulatis; nigra, sub-nitida, margine laterali posterius apiceque anguste testaceis. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum, pallido-setulosum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, punctulati, nigri, nitidi, femoribus tibiisque subtus tenuiter fusco-ciliatis.— GHL.

74. S. TETRICUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, supra opacus; rostro extrorsum compresso; thorace sparsim punctato, costis tribus elevatioribus nitidis notato; elytrorum striis angustis, obsoletis, remote punctatis, interstitiis alternis rugisque numerosis transversis elevatis instructis.

Patria: Brasilia. Ex Musæo Dom. FALDERMANN descriptus.

E minoribus, *Sphenophoro confuso* æqualis et sub-similis. Caput breve, obsolete punctulatum, nigrum, opacum, vertice convexo, sub-nitido, fronte impressa, foveolata; oculi depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, validum, basi crassius, ibique confertim punctulatum; extrorsum valde compressum, arcuatum, læve, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ breviusculæ, validæ, nigræ, clava breviter ob-conica. Thorax amplus, latitudine baseos dimidio longior, antice duplo angustior quam basi, apice leviter sinuato-emarginatus, pallido-marginatus; pone apicem leviter constrictus; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein sub-rectis, postice iterum nonnihil inflexis; basi leviter bi-sinuatus; supra modice convexus, sparsim sat profunde punctatus, niger, opacus, vittis tribus paulo elevatioribus, nitidis instructus, media recta, percurrente, antice posticeque attenuata, lateralibus abbreviatis, arcuatis, sparsim punctulatis. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, sub-nitidum, læve. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; posterius paulo angustiora, apice etiam singulatim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra parum convexa, obsolete, sub-remote punctato-striata, interstitiis alternis rugulisque numerosis, arcuatis elevatioribus inæqualia, tota nigra, opaca. Pygidium majusculum, triangulare, convexum, punctatum, nigrum, basi apiceque densius albido-setulosum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, in

medio nitidum. Pedes breviusculi, validi, nigri, femoribus clavatis, punctatis; tibiis striatis, scabris, tarsis elongatis, angustis, piceis. — Ghl.

* 75. S. Monilis. *Chevrolat.*

Ellipticus, fusco-castaneus, parum nitidus, inæqualiter cinereo-furfurosus; rostro extrorsum compresso; thorace in medio baseos et apicis impresso, ibique et lateribus dense varioloso-punctato, superficie reliqua elevatiore, sparsim punctulata; elytris remote punctato-striatis, interstitiis planis, vix punctulatis.

Var. β, supra dilutius rufo-brunneus.

Calandra id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Mexico, ad Toulcpec. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Sphenophoro confuso paulo latior, sed non longior; thoracis textura præcipue distinctus. Caput rotundatum, modice convexum, obsolete sparsim punctatum, nigro-piceum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassius, ibique supra sparsim punctulatum, sat distincte canaliculatum, extrorsum compressum, arcuatum, fere læve, totum nigro-piceum, nitidum. Antennæ breviusculæ, validæ, piceæ. Thorax latitudine baseos paulo longior, antice subito fere duplo angustior quam basi; apice sub-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra inæqualis, in medio baseos et apicis impressus, ibique et lateribus dense varioloso-punctatus, superficie reliqua elevatiore, litteram M quodammodo referente, sparsim subtiliter punctulatam; totus fusco-castaneus, furfure cinereo in punctis adspersus. Scutellum oblongum, piceum, nitidum, læve, apice obtusum. Elytra antice sub-sinuata, elevato-marginata, pone basin parum ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, tenuiter et obsolete striata, in striis punctis majusculis variolæformibus, valde remotis impressa, interstitiis planis, vix vel obsoletissime punctulatis; fusco-castanea, parum nitida, punctis plerisque pulvere cinereo repletis. Pygidium sub-triangulare, con-

vexum, punctatum, piceum, cinereo-furfurosum. Corpus subtus anterius dense, in ventre sparsim punctatum, nigrum, versus latera cinereo-furfurosum, in medio nudum, nitidum. Pedes validi, nigro-picei, femoribus clavatis, nitidis, tibiis sub-rectis, scabris, tarsis angustis, piceis.— GHL.

* 76. S. PLACIDUS. *Say.*

Oblongo-ellipticus, niger, opacus, cinereo-furfurosus, antennis pedibusque fusco-ferrugineis; thorace versus latera dense, in disco sparsim varioloso-punctato, callis tribus elevatioribus, nitidis notato; elytris sub-remote punctato-striatis, suturæ marginibus interstitiisque alternis elevatioribus, punctulatis.

Rhynchophorus id. SAY. *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 23. 9.
Calandra obliqua. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : America septentrionalis. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH. Eumdem, sub nomine *Calandra obliqua,* ex insula Cuba, e Musæo suo misit Dom. CHEVROLAT.

Sphenophoro confuso magnitudine et statura sub-æqualis. Caput breve, retractum, punctatum, nigrum; oculi sub-depressi, brunnei; rostrum thorace brevius, basi crassum, ibique supra dense punctatum, breviter canaliculatum; extrorsum sub-compressum, modice arcuatum, sub-læve, nigro-piceum. Antennæ mediocres, piceo-ferrugineæ. Thorax latitudine baseos longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice sub-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein fere rectis; basi bi-sinuatus, supra parum convexus, inæqualis, versus latera dense, in disco magis remote et profundius varioloso-punctatus, in medio antico fovea oblonga impressus, callis tribus paulo elevatioribus, sparsim punctulatis, nitidis notatus, medio antico, posterius attenuato, lateralibus arcuatis, a basi ultra medium adscendentibus; cæterum niger, opacus, in cavitatibus cinereo-pulverulentus. Scutellum oblongum, nigrum, nitidum, læve, apice obtusum. Elytra antice sinuata, thoracis basi parum latiora, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra parum convexa, sub-remote punctato-striata, interstitiis alternis dorsalibus elevatioribus, sparsim punctulatis, suturæ marginibus dense seriatim punctulatis; nigra, sub-opaca, in cavitatibus cinereo-pul-

verulenta. Pygidium semi-ellipticum, convexum, punctatum, nigrum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, in medio nitidum. Pedes mediocres, obscure ferruginei, femoribus sub-clavatis, subtus tibiisque interne tenuiter ciliatis.— GHL.

* 77. S. BRUTUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, sub-opacus, furfure cinereo undique adspersus, pedibus ferrugineo-piceis; thorace amplo, confertim punctato, plagis tribus elevatioribus, sub-nitidis, sparsim punctatis notato; elytris sub-remote punctato-striatis, interstitiis dorsalibus convexis, sub-seriatim punctulatis.

Patria : Peru. A Dom. GUÉRIN amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro confuso et *placido* duplo major, latior; posteriori valde affinis, sed thorax latior, densius punctatus, etc. Caput modice convexum, obsolete sparsim punctatum, nigrum; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassum, ibique supra dense punctatum, cinereo-guttatum; extrorsum sub-compressum, modice arcuatum, subtilius punctulatum, totum nigrum, non nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior quam basi; apice leviter sinuato-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, dense et profunde punctatus, punctis plerisque guttulis rotundatis cinereis circumdatis; præterea callis seu plagis tribus paulo elevatioribus, sparsim punctatis, nudis, nitidis notatus, media obsoletiore, posterius attenuata, lateralibus sub-arcuatis, a basi ultra medium adscendentibus. Scutellum triangulare, nigrum, sub-nitidum, læve, apice acuminatum. Elytra antice conjunctim sub-sinuato-emarginata, thoracis basi latiora, posterius attenuata, apice singulatim rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis punctis majusculis, valde remotis impressis, suturæ marginibus et plerisque interstitiis dorsalibus elevatioribus, convexis, sub-seriatim punctulatis; nigra, parum nitida, punctis striarum guttulis cinereis cinctis. Pygidium breve, convexum, punctatum, nigrum, dense cinereo-furfurosum, apice rotundatum. Corpus subtus sat dense punctatum, nigrum, cinereo-guttatum et

furfurosum. Pedes validi, ferrugineo-picei, femoribus clavatis, punctatis, tibiis sub-rectis, scabris, tarsis angustis, obscurioribus.

GHL.

* 78. S. RETUSUS. *Dejean.*

Oblongus, convexus, niger, glaber; thorace amplo, confertim profunde punctato, relicta area dorsali oblonga lævi, polita; elytris remote punctato-striatis, interstitiis sub-seriatim punctulatis; rostro apice comprimato.

Calandra retusa. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Patria : America borealis. A Dom. Com. MANNERHEIM donatus.

Sphenophoro gagatino statura similis, paulo major, punctura thoracis ab illo præcipue distinctus; *Sphenophoro contracto* etiam affinis, sed major, thoracis elytrorumque textura alia, etc.— Caput parvum, parum convexum, vix punctulatum, nigrum, nitidum. Oculi oblongi, depressi, nigri. Rostrum thorace brevius, validum, arcuatum, basi crassius et ibi supra fovea profunda conica, impressum; extrorsum sub-compressum, apice utrinque reflexum, nigrum, nitidum. Antennæ crassiusculæ, nigræ, nitidæ, clava ovata. Thorax amplus, latitudine longior, antice fere duplo angustior, apice emarginatus, intra apicem profunde constrictus, lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi obtusissime rotundatus, supra modice convexus, undique confertim profunde punctatus, relicta tantum area oblonga dorsali sub-elevata, lævi, polita, totus niger. Scutellum breve, triangulare, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, elevato-marginata, humeris antrorsum sub-prominulis; posterius valde attenuata, sub-triangularia, apice singulatim rotundata, thorace fere breviora, supra modice convexa, remote punctato-striata, interstitiis sub-seriatim punctulatis; nigra, parum nitida. Pygidium semi-ellipticum, convexum, punctatum, nigrum, opacum, apice cinereo-setulosum. Corpus subtus versus latera disperse punctatum, medio sub-læve, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, nigri, nitidi, tarsis elongatis, angustis. — GHL.

* 79. S. SERIEPUNCTATUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, niger, glaber, nitidus; rostro basi canaliculato; thorace amplo, inæqualiter punctato; elytris anguste striatis et in striis punctis majusculis, valde remotis impressis, interstitiis planis, alternis confertim, reliquis remote seriatim punctulatis.

Patria : Peru. A Dom. GUÉRIN amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro confuso in multis similis, sed paulo minor, magis nitidus, thoracis textura alia. Caput breve, parum convexum, obsolete, sparsim punctatum, nigrum, fronte ad basin rostri fovea profunda impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum thorace multo brevius, basi crassum, ibique supra dense punctatum et canalicula sat profunda, antrorsum attenuata insculptum, extrorsum compressum, modice arcuatum, subtiliter punctulatum, totum nigrum, nitidum. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior, apice sinuato-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico convexo, dense punctato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, elevato-marginatus; supra parum convexus, lateribus et in medio posteriori dense et profunde, in disco reliquo subtilius sparsim punctatus, totus niger, nitidus. Scutellum oblongum, nigrum, nitidum, læve, apice obtusum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi vix latiora, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim obtuse rotundata, thorace vix tertia parte longiora, supra modice convexa, tenuiter striata, et in striis punctis majusculis, valde remotis impressa, interstitiis planis, alternis et suturæ marginibus confertim, reliquis remote, omnibus seriatim punctulatis; nigra, nitida, margine summo apicis testaceo. Pygidium breve, apice rotundatum, supra profunde punctatum, nigrum, parum nitidum. Corpus subtus sat profunde, sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus clavatis, punctatis; tibiis compressis, interne sinuatis.

GHL.

* 80. S. Cultrirostris. *Ghl.*

Ellipticus, niger, glaber, rostro valde compresso, punctato, supra carinato, basi tumido; thorace amplo, inæqualiter punctato; elytris anguste striatis, striis punctis magnis, remotis, variolæ-formibus impressis, interstitiis alternis elevatioribus, seriatim punctulatis; tibiis anticis interne dente valido armatis.

Calandra compressirostris. Germar. secundum Dom. Say *in Litteris.*

Patria : America borealis. Ex Musæo Dom. Say descriptus.

Sphenophoro contracto parum major; *Sphenophoro compressirostri* Germ. quidem valde affinis videtur, vix vero idem, textura enim thoracis et elytrorum descriptioni ejus non quadrant. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, fronte ad basin rostri fovea oblonga impressa; oculi elongati, depressi, nigro-brunnei. Rostrum thorace dimidio brevius, rectum, basi utrinque dilatatum, supra profunde punctatum, extrorsum valde compressum, a latere inspectum versus apicem paulo dilatatum, punctulatum, supra acute carinatum, totum nigrum. Antennæ validæ, nigro-piceæ. Thorax latitudine multo longior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem constrictus, lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, lateribus et in vittis duabus sub-impressis, a basi versus medium adscendentibus, profunde rugoso-punctatus, disco reliquo disperse punctato; totus niger, glaber, margine summo apicis testaceo. Scutellum oblongo-triangulare, acutum, nigrum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, elevato-marginata, humeris antrorsum nonnihil prominulis, thoracis basi paulo latiora, posterius angustata, sub-triangularia, apice conjunctim rotundata, thorace fere breviora, supra modice convexa, anguste striata, striis punctis magnis, remotis, variolæformibus impressis, sutura interstitiisque alternis elevatioribus, seriatim punctulatis; tota nigra, parum nitida. Pygidium sub-triangulare, convexum, punctatum, nigrum. Corpus subtus inæqualiter, disperse punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, femoribus crassis, impunctatis, piceis, tibiis dilutius ferrugineis, anticis interne versus apicem dente valido armatis. — Ghl.

81. S. COMPRESSIROSTRIS (1). *Germar.*

Rostro apice compresso-dilatato, niger, thorace punctato-rugoso, inæquali, coleopteris abrupte striatis, interstitiis punctatis. — GERM.

Calandra id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 300. 440.
SAY, *Journ. Acad. nat. Sc.* 1823. *Amer. Ent.* I. pl. 9.

Patria : Kentucky Americæ septentrionalis.

* 82. S. GAGATINUS. *Dejean.*

Ellipticus, sub-convexus, ater, nitidus, glaber; thorace amplo, inæqualiter punctato; elytris brevibus, sub-opacis, profunde, remote punctato-striatis, interstitiis sub-undatis, subtiliter punctulatis.

Calandra gagatina. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Patria : America septentrionalis. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro confuso dimidio minor, brevior, magis convexus, *Sphenophoro retuso* statura similis. Caput rotundatum, parum convexum, obsolete sparsim punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola rotunda insculpta; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassius, ibique supra planum, subtiliter punctulatum; extrorsum sub-compressum, modice arcuatum, læve; totum atrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito fere duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi levissime bisinuatus, elevato-marginatus; supra modice convexus, lateribus et postice dense et profunde, in disco reliquo sparsim et minus fortiter punctatus; totus ater, nitidus. Scutellum triangulare, atrum, nitidum, læve. Elytra antice sub-sinuata, pone basin subito ampliata, posterius attenuata, fere triangularia; apice singulatim rotundata, thorace vix longiora, supra modice convexa, sat profunde

(1) Mihi ignotus.

striata, striis punctis majusculis, sub-remotis impressis, interstitiis sub-elevatis, utrinque e punctis striarum sub-crenatis, unde sub-undata appareant, supra quoque subtiliter, inordinate punctulata; atra, sub-opaca, interstitiis dorsalibus antice tantum nitidis. Pygidium breve, convexum, punctatum, nigrum, apice otbusum, pallido-setulosum. Corpus subtus sat profunde et dense punctatum, atrum, in medio nitidum. Pedes validi, atri, nitidi, femoribus tibiisque subtus longius cinereo-cilatis.—Ghl.

* 83. S. Contractus. *Dejean.*

Oblongus, niger, glaber, thorace dense rugoso-punctato, plaga disci elevatiore, sub-lævi; elytris interrupte striatis, disco rugoso-tuberculatis, interstitiis sub-seriatim punctatis, scutello triangulari, acuminato.

Calandra contracta. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Rhynchophorus inæqualis. Say, *Descript. of Curcul. of. N. Amer.* p. 23. 10.

Habitat in America boreali. Dom. Com. Dejean. Mus. Schh.

Sphenophoro gagatino similis, sed paulo minor, textura thoracis et elytrorum distinctus. Caput sub-convexum, disperse punctulatum, nigrum, fronte fovea oblonga impressa, in rostrum continuata; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, modice arcuatum, punctatum, nigrum, basi canaliculatum. Antennæ longiusculæ, nigro-piceæ, clava oblongo-ovata. Thorax quoad structuram omnino ut apud *Sphenophorum gagatinum* descriptus, supra undique confertim profunde rugoso-punctatus, relicta in dorso anteriore plaga sub-trapeziformi, magis elevata, nitida, subtiliter disperse punctata, antice et postice in carinulam extensa; totus niger. Scutellum triangulare, acutum, nigrum, basi impressum. Elytrorum forma ut in priori, supra modice convexa, evidentius striata, sed striæ, præsertim in disco anteriore, irregulares, interruptæ, interstitiis interne et postice seriatim punctatis, anterius tuberculis plurimis, irregularibus, planis adspersis, plerisque puncto uno alterove impressis; tota nigra, in elevationibus nitida. Pygidium magnum, convexum, punctatum, nigrum, apice rotundatum, pallido-setosum. Corpus subtus nigrum, nitidum,

profunde, disperse punctatum, ano pallido-ciliato. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus tibiisque subtus tenuiter testaceo-ciliatis, tarsis elongatis, angustis, pallido-setosis. — GHL.

* 84. S. CINCTICOLLIS. *Schh.*

Ellipticus, sub-convexus, rufo-piceus, parum nitidus; thorace lateribus et in medio postico profunde punctato, in disco sparsim subtiliter punctulato, vittis tribus nigrioribus notato; elytris sulcatis, sulcis obsolete, sub-remote punctatis, interstitiis convexis, subtilissime punctulatis.

Patria: America meridionalis. A Dom. MÉNÉTRIÉS amice communicatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro confuso paulo major, magis convexus. Caput breve, parum convexum, sparsim punctulatum, nigro-piceum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea rotundata insculpta; oculi depressi, nigro-picei; rostrum thorace paulo brevius, basi crassius, extrorsum sub-compressum, arcuatum, undique sparsim punctulatum, rufo-piceum, sub-nitidum. Antennæ breviusculæ, validæ, rufo-piceæ, clava ob-conica. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice fere duplo angustior quam basi, apice leviter sinuato-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato et pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique ultra medium ampliatis, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, æqualis, versus latera inæqualiter, in medio posteriori sub-seriatim profunde punctatus, disco reliquo subtiliter sparsim punctulato; rufo-piceus, parum nitidus, vittis tribus nigrioribus, valde obsoletis notatus. Scutellum oblongo-triangulare, piceum, nitidum, læve, apice acuminatum. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-prominulis, elevato-callosis; posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace vix longiora, supra modice convexa, sat late sulcata, sulcis sub-remote, subtiliter punctatis, interstitiis convexis, subtilissime punctulatis; nigro-picea, sub-opaca. Pygidium triangulare, convexum, punctatum, nigrum, cinereo-furfurosum. Corpus subtus versus latera, punctatum, in medio læve, piceum nitidum. Pedes breviusculi, validi, nigro-picei.

GHL.

* 85. S. SIGNATICOLLIS. *Dejean.*

Ellipticus, sub-convexus, nigro-piceus, parum nitidus, thoracis elytrorumque marginibus tibiisque dilutius ferrugineis; thoracis medietate longitudinaliter lateribusque profunde punctatis; elytrorum sulcis evidentius sub-remote punctatis, interstitiis sub-convexis, subtilissime punctulatis.

Calandra id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 329.

Patria: Brasilia, ad Buenos-Ayres. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

Sphenophoro cincticolli valde affinis, sed paulo angustior, thoracis medietas longitudinaliter profunde punctata, elytrorum sulci distinctius punctati, et color alius. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigro-piceum, sub-nitidum, fronte ad basin rostri fovea rotunda insculpta; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassius, extrorsum compressum, arcuatum, undique sparsim punctulatum, nigro-piceum, nitidum. Antennæ mediocres, piceæ, clava ovata. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito fere duplo angustior quam basi, apice sub emarginatus, pone apicem sat profunde constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatus, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, in medio secundum totam longitudinem, lateribusque dense et profunde punctatus, disco reliquo sparsim obsolete punctulato; nigro-piceus, sub-nitidus, in utroque latere posterius vitta dilutius ferruginea notatus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-prominulis, elevato-callosis; posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace parum longiora, supra modice convexa, late sulcata, et in sulcis evidenter, sub-remote, punctata, interstitiis convexis, obsolete sparsim punctulatis; rufo-picea, parum nitida, margine laterali dilutius ferrugineo. Pygidium sub-triangulare, punctatum, fusco-piceum, cinereo-setulosum. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, in medio læve, versus latera sub-punctatum. Pedes breviusculi, validi, femoribus clavatis, piceis, tibiis sub-rectis, dilutius ferrugineis; tarsis elongatis, angustis, piceis. — GHL.

86. S. PUNCTATOSTRIATUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ellipticus, sub-convexus, niger, sub-nitidus; thorace inæqualiter punctato, lateribus et postice sub-impresso, basi elevato-marginato; elytris profunde, remote punctato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis.

Calandra punctatostriata. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Brasilia, ad Campos Geraës. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoro confuso magnitudine sub-æqualis. Caput modice convexum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea sub-triangulari impressa; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassius, extrorsum compressum, arcuatum, undique sparsim punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ob-conica. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito fere duplo angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem evidenter constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein fere rectis; basi obtuse rotundatus, elevato-marginatus; supra parum convexus, inæqualis, in medio posteriori sub-impressus, ibique sat dense varioloso-punctatus et carinula brevi instructus; in medio antico, lateribus et in impressione laterali posteriori utrinque etiam dense et profunde punctatus, disco reliquo sparsim punctulato; totus niger, sub-nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, medio impressum, apice obtusum. Elytra antice conjunctim emarginata, pone basin oblique nonnihil ampliata, callo humerali elevato; posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace paulo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata, striis punctis magnis, valde remotis impressis, interstitiis convexis, subtiliter obsolete punctulatis; nigra, sub-nitida. Pygidium breve, convexum, obsolete punctatum, nigrum, dense cinereo-pulverulentum, apice rotundatum. Corpus subtus sat dense et profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus clavatis subtus et tibiis compressis, sinuatis interne longius cinereo-ciliatis. — GHL.

87. S. INCURRENS. *Schh.*

Oblongus, angustus, niger, nitidus; thorace postice in plaga antrorsum bifida, lateribus et in medio antico profunde punctato; elytris profunde, remote punctato-striatis, interstitiis convexis, vix punctulatis.

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoro confuso sub-similis, longitudine æqualis, sed paulo angustior. Caput sub-globosum, obsolete punctatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea majuscula, rotunda impressa; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassum, ibique supra tenuiter canaliculatum, obsolete punctulatum; extrorsum compressum, arcuatum, sub-læve, totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ob-conica. Thorax latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi sub-truncatus, supra inæqualis, in medio baseos impressus, ibique plaga, antrorsum bifida, ramis divergentibus, e punctis majusculis et minoribus mixtis composita notatus, in medio antico et lateribus etiam sat dense et profunde punctatus, disco reliquo sub-lævi; totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, medio impressum, apice obtusum. Elytra antice sub-trancata, elevato-marginata, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace paulo longiora, supra modice convexa, sat profunde striata et in striis evidenter remote punctata, interstitiis convexis, vix vel obsoletissime, parce punctulatis; tota nigra, nitida. Pygidium triangulare, convexum, profunde punctatum, nigrum. Corpus subtus anterius dense punctatum, ventre sub-lævi; nigrum, nitidum. Pedes mediocres, validi, nigri, nitidi, femoribus clavatis, subtus vix ciliatis.

GHL.

88. S. CICATRISTRIATUS. *Schh.*

Ellipticus, sub-convexus, niger, sub-nitidus; rostro basi canaliculato; thorace dense inæqualiter punctato; elytrorum punctis amplis, variolæ-formibus, striis tenuissimis interruptis connexis, interstitiis retiformibus, planis, subtilissime punctulatis.

Calandra torquata. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sphenophoro confuso magnitudine et statura sub-æqualis. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassius, ibique supra distincte canaliculatum, sparsim punctulatum; extrorsum compressum, modice arcuatum, totum nigrum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ob-conica. Thorax latitudine baseos multo longior, antice fere dimidio angustior quam basi; apice leviter sinuato-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, undique sat dense punctatus, punctis in medio baseos et apicis majoribus, magis profundis; totus niger, nitidus. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, elevato-marginata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; posterius angustiora, apice etiam singulatim rotundata, thorace vix tertia parte longiora, supra modice convexa, punctis amplis, orbiculatis, parum profundis, seriatim impressa, striis valde tenuibus, interruptis connexis, interstitiis planis, retiformiter anastomosantibus, subtilissime punctulatis; nigra, sub-nitida, punctis in fundo cinereo-pulverulentis. Pygidium parum convexum, dense punctatum, nigrum, apice obtuse rotundatum. Corpus subtus dense punctatum, nigrum, in medio nitidum. Pedes mediocres, punctulati, nigri, nitidi, femoribus clavatis subtus, tibiisque compressis interne cinereo-ciliatis. FHS.

* 89. S. Coesifrons. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, parum convexus, niger, sparsim cinereo-furfurosus, fronte rostrique basi fovea conica impressis; thorace amplo, dense varioloso-punctato, posterius sub-carinato; elytris obsolete punctato-striatis, opacis, interstitiis subtiliter punctulatis.

Calandra obscura et nitidipes. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Sphenophoro confuso magnitudine sub-æqualis. Caput rotundatum, parum convexum, sparsim punctulatum, nigrum, nitidum, antice fovea, basi lata, in rostro continuata et attenuata, sub-conica impressum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassius, ibique supra, ut dictum, fovea conica impressum, sparsim punctatum; extrorsum compressum, modice arcuatum, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ob-conica. Thorax latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem leviter constrictus, lobo antico sub-tubulato, punctato et pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, posterius rectis; basi levissime bi-sinuatus, supra parum convexus, punctis amplis, rotundatis, sed parum profundis, variolæ-formibus undique dense impressus, interssitiis punctorum in medio confluentibus, carinulam irregularem, nitidam formantibus, cœterum opacus, totus niger, in cavitatibus cinereo-pulverulentus. Scutellum oblongum, angustum, læve, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, thoracis basi paulo latiora, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra in dorso antico plana, anguste striata et in striis obsolete punctata, interstitiis parum convexis, obsolete punctulatis; nigro-fusca, valde opaca. Pygidium modice convexum, obsolete punctatum, nigrum, opacum, apice rotundatum. Corpus subtus versus latera sat dense varioloso-punctatum, nigrum, opacum, in medio sparsim punctatum, sub-nitidum. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus clavatis, punctulatis; tibiis compressis, interne sinuatis et ciliatis.

Gyll.

* 91. S. PUMILUS. *Leconte.*

Oblongo-ellipticus, parum convexus, niger, opacus, sparsim cinereo-pulverulentus; thorace dense varioloso-punctato, in medio sub-carinato; elytris obsolete, remote punctato-striatis, interstitiis planis, vix punctulatis, guttulis cinereis irroratis.

Calandra sordida. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 329.

Patria : America septentrionalis. A Dom. Com. DEJEAN benevole donatus. Mus. SCHH.

Parvus, *Sphenophoro confuso* plus duplo minor. Caput breve, parum convexum, dense punctatum, nigrum, fronte antice impressa; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassum, tumidum, ibique supra obsolete canaliculatum, dense punctatum, extrorsum sub-compressum, valde arcuatum, punctulatum, totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava obconica. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-emarginatus, pone apicem leviter constrictus, lobo antico sub-tubulato, dense punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein fere rectis; basi obtuse rotundatus, supra fere planus, punctis parum profundis, variolæformibus undique dense impressus, in medio dorsi carinula abbreviata instructus; niger, opacus, in punctis cinereo-pulverulentus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum. Elytra antice conjunctim sub-emarginata, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra fere plana, anguste striata, et in striis obsolete, remote punctata, interstitiis planis, vix punctulatis; nigra, opaca, guttulis cinereis irrorata, tam in punctis striarum, quam in interstitiis. Pygidium sub-triangulare, modice convexum, dense punctatum, nigrum, opacum. Corpus subtus undique dense varioloso-punctatum, nigrum, opacum, cinereo-pulverulentum. Pedes longiusculi, nigri, nitidi, femoribus modice clavatis, punctatis, tibiis angustis, rectis. GHL.

91. S. Parvulus. *Schh.*

Ellipticus, niger, opacus, sub-depressus; thorace amplo, dense et profunde punctato, in medio dorsi carinula abbreviata notato; elytris anguste striatis, et in striis punctis majusculis, remotis impressis, interstitiis alternis elevatioribus seriatim punctulatis; rostro longiusculo, sub-cylindrico.

Patria : America septentrionalis. Ex Musæo Dom. Say descriptus.

Parvus, *Sitona gressorio* fere minor; *Sphenophoro pumilo* similis, sed dimidio minor, thorax profundius punctatus, elytrorum interstitia alterna elevatiora, seriatim punctulata. Caput parvum, retractum, punctatum, nigrum, opacum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace paulo brevius, basi crassius, ibique supra obsolete canaliculatum, dense punctatum; extrorsum attenuatum, sub-cylindricum, arcuatum, totum nigrum, parum nitidum. Antennæ longiusculæ, nigræ, scapo rufo-piceo, clava ob-conica. Thorax amplus, latitudine baseos longior, antice subito dimidio angustior quam basi, apice leviter emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, dense punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam subito ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, dense et profunde punctatus, in medio dorsi carinula abbreviata, nitida instructus, cæterum opacus, niger. Scutellum oblongo-triangulare, impressum, nigrum. Elytra antice singulatim obtuse rotundata, pone basin oblique ampliata, posterius angustiora, apice sub-truncata, thorace vix longiora, supra fere plana, anguste striata et in striis punctis majusculis, remotis impressa, interstitis alternis elevatioribus, sub-seriatim punctulatis; tota nigra, sub-opaca. Pygidium semi-ellipticum, dense punctatum, nigrum, opacum. Corpus subtus sat dense et profunde punctatum, nigrum, parum nitidum. Pedes longiusculi, nigri, magis nitidi, tarsis angustis piceis. Gyll.

92. S. QUADRIVITTATUS. *Chevrolat.*

Oblongus, angustus, niger, tibiis tarsisque rufescentibus; thorace inæquali, punctato, vittis quatuor rufis notato; elytris remote punctato-striatis, rufescentibus, interstitiis alternis parum elevatioribus nigricantibus.

Calandra 4-vittata. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Parvus, angustus, *sitona 8-punctato* vix major. Caput rotundatum, parum convexum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri foveola parva, rotunda impressa; oculi subdepressi, nigri; rostrum thorace brevius, validum, basi crassius, ibique supra subtiliter canaliculatum et punctulatum; extrorsum sub-compressum, arcuatum; totum nigrum, nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, clava ob-conica. Thorax latitudine baseos longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice sub-emarginatus, pone apicem constrictus, lobo antico sub-tubulato, piceo, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi truncatus, elevato-marginatus, supra inæqualis, vittis tribus elevatioribus notatus, quarum media angustior, profundius punctata; vittæ istæ ut et margines laterales nigræ, nitidæ, superficies reliqua læte rufa, unde exstant vittæ quatuor rufæ in supina parte thoracis. Scutellum oblongo-triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace tertia parte longiora, supra parum convexa, sat profunde, sub remote punctato-striata, læte rufescentia, sutura interstitiisque alternis parum elevatioribus, punctulatis, nigris, sub-nitidis. Pygidium latum, parum convexum, dense punctatum, piceum, apice rotundatum. Corpus subtus versus latera densius, in medio sparsim punctatum, nigrum, nitidum. Pedes mediocres, femoribus clavatis, maxima parte nigris, nitidis, tibiis tarsisque rufescentibus. — GHL.

93. S. Strangulatus. *Chevrolat.*

Elongatus, angustus, sub-depressus, niger, opacus; thorace antice profunde constricto, supra disperse sat profunde punctato, area dorsali lævi; elytris sub-remote punctato-sulcatis, interstitiis alternis elevatioribus.

Calandra strangulata. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Insula Java. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

E minoribus, *sitonæ gressorio* æqualis et statura sub-similis. Caput parvum, sub-globosum, punctatum, nigrum, opacum, fronte ad basin rostri fovea oblonga impressa; oculi oblongi, nigro-brunnei; rostrum longitudine fere thoracis, arcuatum, basi crassum, extrorsum magis tenue, compressum, disperse punctatum, nigrum, parum nitidum. Antennæ breves, validæ, nigræ, clava sub-truncata. Thorax latitudine baseos multo longior, antice dimidio angustior quam basi, apice emarginatus, longe intra apicem profunde constrictus, lobo antico elevato, convexo; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter sinuatus, supra fere planus, sat profunde disperse punctatus, relicta area media longitudinali lævi, sub-nitida; cæterum niger, opacus. Scutellum triangulare, nigrum, sub-nitidum, læve. Elytra antice singulatim rotundata, elevato-marginata, pone basin oblique ampliata, posterius valde attenuata, apice etiam singulatim rotundata, thorace paulo longiora, supra in dorso plana, sat profunde sulcata et in sulcis remote punctata, interstitiis convexis, alternis elevatioribus; tota nigra, opaca. Pygidium parvum, rotundatum punctatum, nigrum. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, parum nitidum. Pedes validi, nigri, cinereo-pruinosi. — Ghl.

♂♀ 94. S. Zamiæ. *Schh.*

Ellipticus, niger, sub-nitidus; thorace antice profunde constricto, supra inæqualiter punctato, sub-rugoso, maculis atro-holosericeis notato; elytrorum sulcis dense punctatis, interstitiis convexis, remote seriatim punctatis, ferrugineo-variegatis.

Mas : Pectore ventrisque basi impressis, segmentis posterioribus ventris versus latera prominulis sub-serratis.

Femina: Pectore ventrisque basi planis, segmentis ventralibus rotundatis.

Calandra Zamiarum. Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 304. *ed.* 3. p. 309.

Patri: Caffraria, in Zamia Caffra. A Dom. Ecklon et Zeyher communicatus. Mus. Schh. Ex Musæis Dom. Bartels et Chevrolat etiam ad conferendum missus.

Sphenophoro 13-*punctato* magnitudine æqualis, et quoad habitum speciebus sectionis prioris similis, sed tarsi angustati hujus sectionis. Caput modice convexum, sparsim punctatum, nigrum, sub-nitidum, striga transversa a rostro distinctum; oculi depressi, nigri; rostrum thorace brevius, basi crassius, ibique supra dense punctatum; extrorsum sub-tenue, cylindricum, parum arcuatum, punctulatum, totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, scapo rufo-piceo. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice fere duplo angustior quam basi; apice leviter emarginatus, pone apicem profunde constrictus, lobo antico elevato, dense punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein sub-rectis; basi obtuse rotundatus, supra fere planus, punctis majusculis, profundis, aliisque minoribus immixtis, sat dense impressus, et rugulis elevatioribus, confluentibus, præsertim in medio instructus; niger, sub-nitidus, maculis nonnullis atro-holosericeis, opacis notatus, quarum una in medio disci major, sub-cruciformis. Scutellum, oblongo-triangulare, acuminatum, nigrum, læve. Elytra antice conjunctim emarginata, angulis humeralibus antrorsum prominulis; pone basin nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice singulatim rotundata, thorace vix tertia parte longiora, supra in dorso plana, evidenter sulcata, sulcis sat dense, sed parum profunde punctatis, interstitiis sub-convexis, remote, seriatim punctatis; nigro et ferrugineo variegata, sub-opaca. Pygidium, sub-triangulare, convexum, dense punctatum, nigrum. Corpus subtus sparsim punctatum, nigrum, nitidum, pectore ventrisque basi in masculis impressis, et segmentis posterioribus ventris versus latera alte elevatis, prominulis, unde latera ventris serrata, videntur; in femina pectus ventrisque basis plana, et segmenta posteriora ventris æqualia, rotundata. Pedes validi, nigri, nitidi, femoribus crassis, clavatis, tibiis sub-rectis, scabris; tarsis elongatis, tenuibus, articulo penultimo parum dilatato.

Ghl.

Incertæ species, mihi invisæ.

95. S. ENSIROSTRIS. *Germar.*

Rostro incurvo, compresso, ater, holosericeus, thorace strigis, elytris maculis duabus sanguineis. — GERMAR.

Calandra id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 296. 435.

Patria : Brasilia.

96. S. BRUNNIPENNIS. *Germar.*

Rostro apice compresso, ater, pedibus testaceis, thorace supra variegato; elytris punctato-sulcatis, testaceis. — GERM.

Calandra id. GERM. *Ins. Spec.* I. p. 297. 437.

Patria : Buenos Ayres.

97. S. NECYDALOIDES. *Fabricius.*

Niger, obscurus, thorace sub-punctato, dorso lævi, elytris striato-punctatis. — OLIV.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 435. 29.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 94. 30. *Curculio.* T. 28. f. 420.

Patria : Carolina.

98. S. MELANOCEPHALUS. *Fabricius.*

Nigro-cinerascens, capite nigro cinereoque variegato. — OLIV.

Calandra melanocephala. FABR. *Syst. El.* II. p. 435. 30.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 93. 29. *Curculio.* T. 28. f. 419.

Patria : Carolina.

99. S. LONGICOLLIS. *Olivier.*

Ater, elytris abbreviatis striatis, thorace lævi elongato. — OLIV.

Calandra id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 86. 17. T. 28. f. 413.
Patria : Insula St.-Domingo.

100. S. TEREBRANS. *Olivier.*

Ater, nitidus, thorace lævi, plano, elytris striatis, abdomine paulo breviore. — OLIV.

Calandra id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 89. 22. *Curculio.* T. 5. f. 54. a. b.

Patria : Senegallia.

101. S. ALBICOLLIS. *Olivier.*

Albus, antennis, rostro, elytris pedibusque nigris. — OLIV.

Calandra id. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 91. 26. *Curculio.* T. 28. f. 414.

Patria : Africa æquinoctialis.

102. S. ARDESIUS. *Olivier.*

Nigro-cinerascens, nitidus, rostro sub-compresso, nigro, thoracis lateribus impressis. — OLIV.

Calandra ardesia. OLIV. *Ent.* V. 83. p. 92. 28. *Curculio.* T. 28 f. 418.

Patria : Bellavacum Galliæ. (Environs de Beauvais. — OLIV.)

103. S. TRUNCATUS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 22. 4.

104. S. CICATRICOSUS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 22. 5.

105. S. VENATUS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 22. 6.

106. S. RECTUS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 22. 7.

107. S. IMMUNIS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curcul. of N. Amer.* p. 23. 8.

GENUS 391. SITOPHILUS. *Nobis.*

Rhynchophorus HERBST (1), SCHH. (2). — *Calandra* CLAIRVILLE. — *Calandra* FABR., OLIVIER, GERMAR, GYLLENHAL, STEPHENS, DEJEAN, STURM, STEVEN. — *Curculio* LINNÉ et plures

Character generis. — Antennæ breviusculæ, minus tenues; articulis duobus basalibus funiculi longiusculis, obconicis, reliquis brevibus, sub-turbinatis; clava oblongo-ovata, sub-acuminata.

Rostrum elongatum, sub-tenue, basi crassius, teres, in plerisque parum arcuatum.

Thorax valde elongatus, anterius angustior, ante apicem constrictus, basi apiceque sub-truncatus.

Elytra oblongo-sub-quadrata, versus apicem sensim perparum angustata, apice conjunctim rotundata, abdomine breviora.

Pedes mediocres, validi; articulo penultimo tarsorum reliquis parum latiore, sub-cordato, subtus vix spongioso.

Descriptio. — *Corpus* oblongum, sub-lineare, planiusculum, sculpturatum, alatum; minoris et minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque vix longiores, prope basin rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracis marginem anticum vix attingente, sub-clavato; funiculo 6-articulato: articulis 1, 2 longiusculis, sub-ob-conicis, 3-6 brevibus, aut sub-turbinatis, aut sub-rotundatis, paulo coarctatis, versus apicem crassitudine perparum crescentibus; clava oblongo-ovata, haud compressa, bi-articulata: articulo 1°. elongato, corneo, apice truncato, 2°. brevi, spongioso, apice sub-acuminato. — *Rostrum* plus minusve elongatum, in plerisque thorace nonnihil brevius, in nonnullis paulo longius, sub-tenue, basi crassius, teres, sub-deflexum, paulo arcuatum, in nonnullis sub-rectum. — *Caput* parvum, sub-conicum. — *Oculi* laterales, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos valde longior, basi sub-truncatus, interdum leviter bi-sinuatus, lateribus parum rotundatus, anterius angustior, longe intra apicem constrictus, apice sub-truncatus, supra perparum convexus. — *Scutellum* parvum, aut sub-rotundatum, aut sub-triangulare. —

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth Subgenus *Calandra*.

(2) Steph. Brit. Ent. IV. p. 8. — Ghl. Ins. Suec. III. p 255.

Elytra antice thoracis basi vix latiora, basi sub-truncata, humeris obtuse angulatis, non prominulis; lateribus sub-rectis, posterius nonnihil angustiora, apice conjunctim rotundata, abdomine breviora, supra planiuscula. — *Pygidium* sub-triangulare, deflexum. —*Pedes* mediocres, in nonnulli medii paulo breviores, validi; femoribus basi distantibus, clavatis, muticis; tibiis rectis, intus crenulatis, apice intus unco valido armatis; tarsis reflexis, articulo penultimo reliquis parum latiore, sub-bi-lobo, subtus spongioso, ultimo clavato, bi-unguiculato.

A σιτος frumentum, φἰλεω diligere.

TYPUS. — *Sitophilus oryzæ.*

Patria : Totus orbis, præsertim plagæ meridionales.

Observ. — Species hujus generis in seminibus frumentariis vitam degunt. Forma clavæ antennarum, thorax apice sub-truncatus etc. hoc genus a *Sphenophoris* distingunt.

♂♀ 1. S. INCARNATUS. *Schh.*

Oblongo-ellipticus, sub-depressus, rufo-testaceus, opacus, parce cinereo-setulosus; thorace dense et profunde punctato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis, alternis paulo elevatioribus.

Mas : rostro corpore breviore, undique dense punctato, basi distincte striato.

Femina : rostro longitudine fere corporis, basi obsolete striato, subtiliter punctulato, extrorsum attenuato, lævi, nitido.

Patria : . . . . . (Birmans, GUÉRIN) mas ex Musæo Regio Gallico descriptus; femina a Dom. GUÉRIN amice communicata. Mus. SCHH.

Sphenophoro sanguineo magnitudine sub-æqualis. Caput subconicum, punctatum, rufo-testaceum, opacum, fronte inæqualiter impressa; oculi sub-depressi, nigri; rostrum maris vix capite cum thorace longius, basi crassius, ibique supra distincte striatum, dense punctatum; extrorsum paulo tenuius, cylindricum, vix arcuatum, fere ad apicem punctatum, totum rufo-testaceum, parum nitidum. Rostrum feminæ corpore vix brevius, etiam basi crassius, ibique supra obsolete striatum, subtiliter punctulatum;

extrorsum valde tenue, cylindricum, nonnihil arcuatum, vix punctulatum, totum rufo-testaceum, nitidum. Antennæ breviusculæ, rufo-testaceæ. Thorax latitudine baseos longior, antice duplo angustior quam basi, apice sub-truncatus, pone apicem obsolete constrictus; lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, in medio antico obsolete carinatus, undique dense et profunde punctatus, rufo-testaceus, opacus, squamulis cinereo-albidis parce adspersus. Scutellum parvum, concolor, medio impressum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra perparum convexa, juxta suturam sub-impressa, profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, alternis paulo elevatioribus; tota rufo-testacea, opaca, setulis cinereo-albidis parce adspersa. Pygidium sub-conicum, obsolete punctatum, fusco-testaceum, densius albido-setulosum. Corpus subtus anterius et in limbo abdominis dense punctatum, disco ventris magis lævi; totum rufo-testaceum, albido-setulosum. Pedes mediocres, rufo-testacei, femoribus sub-clavatis, punctatis, cinereo-setulosis; tibiis sub-rectis, canaliculatis, scabris; tarsis elongatis, articulo tertio dilatato, bilobo, subtus albido-spongioso. — GHL.

2. S. SETULOSUS. *Chevrolat.*

Oblongo-ellipticus, sub-depressus, ater, opacus, inæqualiter albido-squamosus; thorace elongato, dense sed minus profunde punctato, vitta laterali utrinque guttulisque disci albo-squamosis notato; elytris punctato-striatis, lituris variis albo-squamosis ornatis.

Calandra setulosa. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Sitophilo granario triplo major. Caput sub-globosum, obsolete punctulatum, nigrum, nitidum; oculi sub-depressi, nigri; rostrum (maris forte) thorace brevius, validum, basi crassum, ibique supra dense et profunde punctatum, distincte striatum; extrorsum magis tenue, cylindricum, parum arcuatum, fere ad apicem dense punctatum, nigrum, opacum, parce albido-squamulosum. Antennæ mediocres, nigræ. Thorax latitudine baseos duplo fere longior, antice duplo angustior quam basi; apice sub-truncatus, pallido-marginatus, pone apicem obsoletissime constrictus, lateribus anterius

obliquc ampliatis, dein rectis; basi truncatus, supra inæqualis, in medio postico impressus, in medio disci obsolete carinatus, cæterum undique dense, sed minus profunde punctatus; ater, opacus, utrinque vitta laterali densa albo-squamosa notatus, guttulisque ejusmodi in disco adspersus. Scutellum breve, triangulare, atrum. Elytra antice sub-truncata, elevato-marginata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis; posterius subito angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, fere truncata, thorace vix longiora, supra subplana, sat profunde striata, striis sub-remote punctatis, interstitiis planis, obsolete punctulatis: atra, opaca, lituris dense albo-squamosis ornata; in basi exteriore nempe macula inæqualis; vitta a basi interiori versus medium ducta, pone medium disci macula didyma, et præterea puncta nonnulla sparsa. Pygidium semi-ovatum, convexum, obsolete punctatum, atrum, apice et lateribus albido-setosum. Corpus subtus dense punctatum, atrum, plagiatim albo-squamosum. Pedes longiusculi, nigri, nitidi, femoribus clavatis subtus tibiisque sub-arcuatis interne fusco-ciliatis. — GHL.

♂♀ 3. S. EXARATUS. *Dejean.*

Elongatus, niger, opacus, setulis brevissimis pallidis adspersus, capite crebre punctato, fronte profunde foveolata; thorace sat profunde confertim punctato, dorso impresso; elytris rude punctato-striatis, interstitiis alternis modice elevatis, setulosis, singulo maculis duabus sanguineis, notato.

Calandra exarata. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 329.

Id. *4-maculata.* LATREILLE, teste Dom. Com. DEJEAN.

Habitat in insula Bourbon; a Dom. STEVEN communicatus; Madagascar; a Dom. Com. DEJEAN. Mus. SCHH.

Statura fere *Sitophili granarii*, sed quadruplo major, setulis brevissimis pallidis adspersus, thorace impresso etc., a reliquis facile distinctus. Caput parvum, rotundatum, nigrum, opacum, sat crebre profunde punctatum, inter oculos evidenter foveolatum. Oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri. Rostrum thorace nonnihil brevius, basi incrassatum, profunde punctatum, dein tenue, rectum, glabrum, nitidum, sub-læve. Antennæ prope basin rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava sat magna, sub-ovata, acuminata. Thorax ma-

gnus, valde elongatus, basi apiceque truncatus, antice nonnihil angustatus, ibique undique profunde impressus, lateribus versus basin perparum ampliatis, supra sub-depressus, confertim sat profunde punctatus, in dorso postico impressus; totus niger, setulis brevissimis, rigidis, pallidis, adspersus. Scutellum minutum, depressum, rotundatum, nigrum. Elytra thoracis basi non latiora, et illo vix longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus sensim perparum angustata, apice rotundata, supra in dorso fere plana, profunde confertim punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, alternis magis elevatis, setulis brevissimis, crassis, albidis seriatim obsitis; nigra, juxta basin macula sat magna et versus apicem alia parva, rotunda, sanguineis, notata. Pygidium sub-cordatum, nigrum, punctulatum, setulis brevibus, crassis, pallidis, adspersum. Corpus subtus nigrum, opacum, sat crebre punctatum, punctis squamulis pallidis repletis. Pedes breviusculi, nigri, setulis pallidis adpersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis intus crenulatis, apice uncinatis; tarsis elongatis, fusco-ferrugineis, subtus vix spongiosis.

Observ. Mas differt a femina : rostro paulo crassiore, toto sat profunde punctato, et corpore subtus in medio impresso. — BHN.

* 4. S. SUBFASCIATUS. *Dalman.*

Elongatus, niger, antennis rostroque fusco-ferrugineis; capite profunde crebre punctato, rostro modice arcuato; thorace supra plano, rude sat crebre punctato, utrinque macula laterali, ferruginea notato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, singulo maculis transversis duabus sanguineis, ornato.

Habitat in insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

Sitophilo exarato affinis, sed dimidio minor, glaber non setosus, rostro arcuato, thorace minus crebre punctato, nullo modo impresso, signaturis elytrorum aliter locatis etc. Caput minutum, globosum, nigrum, crebre sat profunde punctatum. Oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri. Rostrum thorace nonnihil brevius, modice arcuatum, basi nonnihil incrassatum, nigrum, sat profunde punctatum, dein tenue, ferrugineum, nitidum, sub-læve. Antennæ versus basin rostri insertæ, ad dimidium thoracis pertingentes, crassiusculæ, fusco-ferrugineæ, clava breviter ovata, obtusa, cinereo-

pubescente. Thorax valde elongatus, basi apiceque truncatus, a medio apicem versus sensim angustatus, antice coarctatus et transversim impressus, supra fere planus, niger, sub-nitidus, profunde sat crebre punctatus, lateribus utrinque in medio macula sub-rotunda, obsoleta, ferruginea, notatis. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi thorace parum latiora et illo vix longiora, humeris non prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, apicem versus sensim perparum angustata, apice ipso rotundata, supra depressa, fere plana, profunde punctato-striata, interstitiis alternis angustis, vix elevatis, alternis latioribus, modice elevatis; nigra, maculis in singulo duabus rubris, prima magna basin occupante, altera paulo pone medium, transversa, ovata. Pygidium sub-cordatum, nigrum, punctulatum. Pedes breviusculi, punctati, femoribus fusco-ferrugineis, modice clavatis, muticis; tibiis dilutius ferrugineis; tarsis elongatis, subtus vix spongiosis. Bhx.

5. S. STIGMATICOLLIS. *Schh.*

Elongatus, sub-depressus, nigro et ferrugineo varius, glaber; thorace dense punctato, ferrugineo, maculis tribus nigris notato; elytris nigris, punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus et latioribus, seriatim punctulatis; singulo plaga magna baseos maculaque media ferrugineis notato.

Patria : Ile de France. Ex Musæo Regio Gallico descriptus.

Statura *Sitophili oryzæ*, sed duplo major et ultra. Caput parvum, sub-globosum, dense punctatum, nigro-piceum, fronte ad basin rostri impressa; oculi depressi, nigri; rostrum (feminæ forte) thorace paulo brevius, basi crassius, ibique supra canaliculatum et punctatum, piceum; extrorsum attenuatum, cylindricum, modice arcuatum, sub-læve, ferrugineum, nitidum. Antennæ mediocres, obscure ferrugineæ, clava apice albido-spongiosa. Thorax latitudine baseos longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, pone apicem profunde constrictus, lobo antico convexo, dense punctato, pallido-marginato; lateribus pone stricturam oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi truncatus, supra fere planus, dense et profunde punctatus, in medio antico leviter carinatus, ferrugineus, sub-opacus, maculis tribus nigricantibus notatus, quarum una in medio disci, oblonga, obsoleta, et duo sub-conicæ in basi, magis distinctæ, nigriores. Scutellum

triangulare, acuminatum, piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris obtuse angulatis; posterius angustiora, apice conjunctim obtuse rotundata, fere truncata, thorace vix tertia parte longiora, supra fere plana, concinne punctato-striata, striis per paria approximatis, interstitiis alternis elevatioribus et latioribus, subtiliter sèriatim punctulatis; nigro-fusca, plaga magna communi baseos, maculaque transversa paulo pone medium singuli elytri ferrugineis notata. Pygidium semi-ellipticum, punctatum, fusco-piceum, cinereo-setulosum. Corpus subtus dense punctatum, ferrugineum, ventre posterius nigricante. Pedes mediocres, femoribus clavatis, punctatis, ferrugineis, nitidis, tibiis tarsisque fusco-piceis.

GHL.

Observ.—Forte modo varietas *Calandr. frumenti* Fabr. Syst. El. II. p. 438-40, pari modo ac *Sitophili oryzæ* colore varians.

* 6. S. SUBSIGNATUS. *Schh.*

Elongatus, rufo-ferrugineus, capite nigro, profunde crebre punctato; rostro modice arcuato; thorace supra plano, postice leviter impresso, rude sat crebre punctato, margine basali, linea dorsali maculaque parva laterali, nigris, notato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis alternis elevatis, seriato-punctulatis, lineola disci nigra, ornatis.

Habitat in India. Mus. SCHH.

Magnitudo *Sitophili subfasciati*, nonnihil tamen angustior, colore, thorace postice leviter impresso ut et interstitiis elytrorum alternis evidenter punctulatis, ab illo facile distinctus. Caput parvum, globosum, nigrum, profunde crebre punctatum, inter oculos foveola parva impressum. Oculi laterales, oblongi, depressi, nigri. Rostrum thorace nonnihil brevius, tenue, modice arcuatum, rufo-ferrugineum, basi nonnihil incrassatum, punctulatum, dein sublæve. Antennæ versus basin rostri insertæ, crassiusculæ, fusco-ferrugineæ, clava breviter ovata, obtusa, apice cinereo-pubescente. Thorax valde elongatus, antice posticeque truncatus, a medio apicem versus sensim angustatus, antice coarctatus et transversim impressus, supra planus, in dorso postico late leviter, impressus, undique profunde, minus crebre punctatus, rufo-ferrugineus, margine basali, linea dorsali medio ampliata, maculaque laterali utrinque, nigris, ornatus. Scutellum parvum, rotundatum, rufo-

ferrugineum. Elytra antice thoracis basi parum latiora, et illo vix longiora, humeris rotundatis, lateribus inflexa, fere linearia, apice ipso rotundata, supra depressa, fere plana, profunde punctato-striata, interstitiis alternis angustis, vix elevatis, alternis latioribus, modice elevatis, evidenter seriato-punctulatis; tota rufo-ferruginea, singulo elytro lineola abbreviata inter striam 3 et 4. a sutura in medio disci locata. Pygidium sub-cordatum, ferrugineum, punctulatum. Corpus subtus piceum, remote punctatum. Pedes breviusculi, fusco-ferruginei, punctati; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, angustis, subtus fulvo-spongiosis.—BHN.

* 7. S. SCULPTURATUS. *Schh.*

Oblongus, sub-depressus, niger, parce cinereo-setulosus; rostro tenui, cylindrico, antennis, elytris pedibusque rufo-piceis; thorace amplo, sub-carinato, confertissime ruguloso-punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis alternis elevatioribus, angustis, sub-costatis, seriatim setulosis.

Patria : Bengalia. A Dom. DRÈGE detectus, et ex ejus Musæo descriptus.

Sitophilo granario duplo major, latior; *Sitophilo rugoso* in multis similis, sed major, setulosus; thorax latior, sub-carinatus, color alius, etc. Caput parvum, sub-conicum, rugoso-punctatum, nigrum, posterius convexum; oculi elongati, nigri; rostrum vix longitudine thoracis, basi crassum, tumidum, rugoso-punctatum, nigrum, extra antennarum insertionem tenue, cylindricum, sub-arcuatum, subtiliter, disperse punctulatum, rufum, nitidum. Antennæ mediocres, rufo-piceæ, prope basin rostri insertæ. Thorax amplus, latitudine baseos longior, anterius angustior, apice sub-emarginatus, fulvo-fimbriatus, intra apicem sat profunde constrictus, lateribus pone stricturam fere ad medium oblique ampliatis, dein rectis; basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio sub-carinatus, undique confertissime rugoso-punctatus, niger, opacus; Scutellum triangulare, nigrum, læve. Elytra antice thoracis basi fere angustiora, pone basin oblique nonnihil ampliata, posterius angustiora, apice conjunctim rotundata, thorace vix longiora, confertim punctato-striata, interstitiis angustis, elevatis, alternis paulo altioribus, omnibus setulis minutis pallidis, seriatim adspersis; saturate rufo-testacea, parum nitida. Pygidium triangulare, punc-

tatum et setulosum, nigrum. Corpus subtus confertissime ruguloso-punctatum, nigrum, opacum, setulosum. Pedes validi, picei, punctati et setulosi. — GHL.

♀ 8. S. RUGOSUS. *Thunberg.*

Oblongus, sub-depressus, rufo-piceus; thorace confertissime rugoso-punctato, posterius obsolete canaliculato; elytris punctato-striatis; interstitiis alternis elevatioribus, costatis; rostro tenui, cylindrico.

Cordyle id. THUNB. *Nova Acta Ups.* VII. p. 112.

Patria : Guinea. Ex Musæo THUNBERGIANO Academiæ Upsaliensis descriptus.

Sitophilo granario paulo major, magis depressus; color jam rufo-piceus, jam dilutius rufo-testaceus. Caput parvum, sub-conicum, depressum, supra canaliculatum, punctisque paucis, majusculis impressum, rufo-piceum; oculi oblongi, nigri, parum prominuli; rostrum basi crassum, tumidum, rugoso-punctatum, extra antennarum insertionem tenue cylindricum, subtiliter punctulatum, nitidum, in femina longitudine thoracis, in masculo paulo brevius, rufo-testaceum. Antennæ breves, rufo-piceæ, scapo longo, clavato, in femina basin propius insertæ, quam in masculo. Thorax latitudine baseos dimidio longior, antice angustior, apice vix emarginatus, intra apicem sat profunde constrictus; lateribus pone stricturam versus medium oblique ampliatis, dein rectis; basi levissime bi-sinuatus, supra fere planus, confertim, rude rugoso-punctatus, rufo-piceus. Scutellum minutum, piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi non latiora, pone basin parum dilatata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix longiora, supra fere plana, punctato-striata, interstitiis alternis elevatioribus, sub-costatis; rufo-testacea, sutura marginibusque obscurius piceis. Pygidium sub-triangulare, convexum, confertim punctatum, piceum, setulis brevibus scabrum. Corpus subtus anterius confertissime, rude punctatum, ventre obsoletius punctato, rufo-piceum, parum nitidum. Pedes breviusculi, validi, rufo-picei, scabri et punctati,

9. S. MELLERBORGII. *Schh.*

Elongatus, niger, pulvere griseo adspersus, capite lævi, antennis fusco-ferrugineis; rostro modice arcuato; thorace a medio apicem versus sensim angustato, supra parum convexo, dorso sub-carinato, remote profunde, lateribus crebre, punctato; elytris abdomine parum brevioribus, late striatis, striis evidenter punctatis: interstitiis seriato-punctulatis.

Habitat in insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm.

Sitophilo granario duplo fere major. Caput parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve; oculi laterales, oblongi, transversi, depressi, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, modice arcuatum, nigrum, nitidum, basi incrassatum, sat profunde punctatum, dein subtiliter punctulatum. Antennæ prope basin rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, crassiusculæ, fusco-ferrugineæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax valde elongatus, basi apiceque truncatus, a medio apicem versus sensim angustatus, antice coarctatus, transversim impressus, supra parum convexus, niger, nitidus, dorso punctis profundis, remotis, impressus, lateribus rude confertim punctatis, pulvere griseo adspersus, relicta in medio dorsi linea sub-carinata, lævi. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice thoracis basi non angustiora, et illo vix longiora, humeris sub-prominulis, rotundatis, lateribus inflexa, a basi apicem versus sensim perparum angustata, apice conjunctim obtuse rotundata, ventre parum breviora, supra parum convexa, nigra, sat late striata, striis in fundo distincte at parum profunde punctatis, pulvere griseo obsitis, interstitiis angustis planis, nitidis, singulis serie regulari e punctis minutissimis impressis. Pygidium parvum, breve, semi-rotundatum, nigrum, opacum, punctulatum. Corpus subtus nigrum, sat rude, minus crebre punctatum, pulvere griseo obsitum. Pedes breviusculi, nigri; femoribus modice clavatis, muticis; tarsis elongatis, subtus haud spongiosis. — BHN.

Obs. — *Sitophilo granario* simillimus sed præter magnitudinem duplo majorem, præcipue differt, rostro magis arcuato, et thorace anterius magis oblique attenuato, supra obsoletissime carinato.

Dom. CLAUD. FR. MELLERBORG, Medicinæ studiosus. Ardens in

natura investiganda. Amore scientiæ, cum iterum insulam Javam adiisset, mense decembris, ann. 1828 occidit. — SCHH.

♂♀ 10. S. GRANARIUS. *Linné.*

Elongatus, rufo-piceus, fere glaber; thorace anterius subito angustiore, supra carinato, profunde sparsim punctato, punctis plerisque oblongis; elytris abdomine purum brevioribus, punctato-striatis, interstitiis seriatim punctatis, alternis antice elevatioribus. — GHL.

Mas : differt a femina rostro paulo breviore et crassiore, basi supra evidentius canaliculato, extrorsum fortius punctato, ut et pectore ventrisque basi sub-impressis.

Curculio granarius. LINN. *Fn. Suec.* 587. — *Syst. nat.* I. II. p. 608. 16. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1745. 16.

FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 414. 88. — *Mant.* I. p. 103. 74. — *Spec. Ins.* I. p. 171. 56. — *Syst. Ent.* p. 134. 39.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 245. 64. — *Mon. Curc.* p. 54. 51.

DE GEER, *Ins.* V. p. 239. 25.

PANZ. *Fn. Germ.* XVII. 11. — *Ent. Germ.* p. 307. 48.

LAICHART. *Tyrol. Ins.* I. p. 218. 14.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 488. 78.

ROSSI, *Fn. Etr.* p. 118. 302. — Ed. HELLW. p. 125. 302.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 274. 111.

SCHRANK, *Enum. Ins. Austr.* p. 108. 207.

HERBST (Borowsky), *Naturg.* VI. p. 108. 4.

CEDERH. *Fn. Ingr.* 327. T. 2. f. k.

VILLERS, *Ent.* I. p. 177. 13.

WALCKEN. *Fn. Paris.* I. p. 244. 22.

FOURCR. *Ent. Paris.* I. p. 121. 18.

SCOPOLI, *Ent. Carn.* p. 29. 89.

CUVIER, *Dyr. Hist.* II. p. 175. 3.

GOEZE, *Eur. Fn.* VIII. p. 446. 6. — *Nützl. Allerl.* III. p. 17.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 88. 976.

LESKE, *Naturg.* I. *ed.* 2. p. 475. 2.

WILCKE, *Acta Holm.* 1776. IV. p. 274. T. 6.

SCHROETER, *Abhandl.* I. p. 228.

PONTOPP. *Naturg.* p. 204. 5. T. 16. — *Dan. Atl.* I. p. 671. 5. T. 29.

BLUMENB. *Handb. ed.* 7. p. 327. 3.

BRAHM. *Ins. Kal.* I. p. 160. 515.

Abhandl. d. Naturf. Gesells. in Zurich. I. p. 319. T. 1.

MULL. *Linn. Naturs.* V. I. p. 219. 16.

BECHST. *Naturg.* I. II. p. 849. 3.

BOCKS *Naturg.* V. p. 33. 21. et p. 34. 22.

VON GLEISKCHEN, *Auserlesene microsc. Entdec.* p. 129. T. 68. 69.

ROZIER, *Samml. brauch. Abh.* II. p. 55. T. 2. f. 2.

LICHTENBERG et VOIGT. *Mag. für d. Neust.* etc. III. p. 201. 1.

LEHMANN, *d. Physical. Belust.* XVII. p. 522. 4.

Hamburger Magazin. I. p. 302. et IV. p. 562.

Calandra granaria. FABR. *Syst. El.* II. p. 437. 39.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 95. 33. *Curculio.* T. 16. f. 196. a. b.

GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 255. 1.

LATR. *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 271. — *les Crust., les Arachn. et les Ins.* II. p. 88.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 110. 1.

LAMARCK, *Anim. sans vertèbres.* IV. p. 355. 3.

CUVIER, *Règne anim.* III. p. 328.

STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 9. 1.

Dict. des Scienc. nat. VI. p. 194. 4.

OKEN, *Naturg.* III. p. 768. 1. T. 17. f. 1.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305.

STEVEN, *Mus. Mosq.* p. 102.

Calandra granaria. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 62. 1. T. 2. f. 1. 2.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 100. 3.

Rhynchophorus granarius. HERBST, *Col.* VI. p. 14. 8. T. 60. f. 7.

MÉNÉTRIÉS, *Catal. raisonné.* p. 224. 1006.

Cordyle granarius. THUNBERG, *Nova Acta Ups.* VII. p. 112.

Curculio segetis. LINN. *Fn. Suec.* 611. — *Syst. nat.* I. II. p. 612. 45. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1761. 45.

VILLERS, *Ent. Linn.* I. p. 193. 85.

Rhynchænus segetis. LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 193. 164.

Curculio policarius. VOET, *Col.* — Ed. PANZ. IV. p. 54. 17. T. 37. f. 17.?

GEOFFR. *Ins.* I. p. 285. 18. *Curculio.*

SCHWENKFELD, *Ther. Siles.* 527.

LEUWENH. *Litt.* 6. *Aug.* 1687. p. 74. 83. fig. 1.— *Leyd.* 1680. p. 73. — *Contin. epistol.* 1689. p. 57.

JABLOT. *Obs. microsc.* 1754. T. 7. f. 1.

RAY, *Ins.* p. 88.

Patria : Tota Europa.

Observ. — Ex insula Java specimina misit Dom. Mellerborg, paulo minora, punctura rostri et elytrorum nonnihil fortiore prædita, cæteroquin exacte similia, vix specie distinguenda.

* 11. S. REMOTEPUNCTATUS. *Schh.*

Elongatus, niger, sub-glaber; thorace elytrorum longitudine, profunde, disperse punctato, punctis plerisque oblongis; elytris sulcatis, sulcis profundius et magis remote punctatis; rostro striatim punctulato.

Habitat in America boreali, ad New-Yorck. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et formatio partium omnino ut in *Sitophilo granario*, cui nimis affinis, colore saturatius nigro et punctura elytrorum unice distinctus. Caput, oculi, rostrum, antennæ, omnino ut in *Sitophilo granario*, modo saturatius nigra, rostri antennarumque apicibus tamen rufo-piceis. Thorax saturate niger, similiter ac in *Rhynchophoro granario* formatus et punctatus. Elytrorum structura etiam eadem, supra sulcata, sulcis, præsertim tertio a sutura, profundius et magis remote punctatis, interstitiis suturali evidentius quam in priori, seriatim punctato. Corpus subtus confertim punctatum, nigrum. Pedes breviusculi, validi, femoribus clavatis, punctatis, nigris, tibiis tarsisque piceis.—GHL.

* 12. S. LINEARIS. *Herbst.*

Elongatus, piceus, sub-glaber; rostro crassiusculo, evidenter striatim punctato; thorace convexo, confertim subtilius punctato; elytris punctato-sulcatis, maculis quatuor rufis notatis; interstitiis alternis seriatim punctatis.

Rhynchophorus id. HERBST, *Col.* VII. p. 5. 23. T. 100. f. 1.

Calandra tamarindi. CHRISTY, *Trans. Ent. Soc. Lond.* I. p. 36.
Id. frugilega. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 329.
STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 106.
STEVEN, *Mus. Mosq.* p. 102.

* VAR. β. Rufo ferrugineus, capite, rostro, thoracis disco maculaque laterali, elytrorum piceis.

* VAR. γ. Rufo-testaceus, capite piceo; immaturus forte.
Cordyle striatus. THUNB. *in Nov. Acta Ups.* VII. p. 112.
Calandra unicolor. ? STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 9. 2.

Habitat in insulis Indiæ occidentalis, Jamaica, St.-Barthelemy, etiam in Bengalia Dom. Doct. SUNDEVALL. Mus. SCHH. et GHL.

Sitophilo oryzæ similis et cum illo ab auctoribus forte confusus, sed paulo major, thorax longior, convexior, subtilius et magis concinne punctatus, elytrorum sculptura alia, etc. Caput nigrum, postice convexum, sub-læve, fronte antice confertim punctata, breviter canaliculata; oculi depressi, nigri; rostrum capite dimidio longius, validum, fere rectum, evidenter striatim punctatum, basi vix incrassatum, nigrum, apice ferrugineum. Antennæ crassiusculæ, rufo-piceæ, clava ovata, dilutiore. Thorax latitudine dimidio fere longior, anterius multo angustior, apice sub-truncatus, intra apicem constrictus, lateribus posterius nonnihil ampliatus, basi sub-sinuatus, supra modice convexus, sub-pulvinatus, confertim subtilius et concinne punctulatus, nigro-piceus, nitidus, margine summo apicis testaceo. Scutellum sub-triangulare, piceum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi non latiora, humeris fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim obtusissime rotundata, thorace vix longiora, supra parum convexa, sat profunde striata, striis confertim punctatis, interstitiis alternis latioribus, evidenter seriatim punctatis; picea, sub-nitida, plaga magna baseos maculaque minori intra apicem singuli elytri, rufo-testaceis ornata. Pygidium rotundatum, convexum, punctatum, rufo-piceum, albido-sub-setosum. Corpus subtus confertim punctatum, piceum, ventre posterius dilutius ferrugineo. Pedes breviusculi, validi, ferruginei, femoribus clavatis, punctatis, tibiis sub-arcuatis, tarsis elongatis, parum dilatatis.

Varietates colore tantum differunt, secundum diagnoses.

GHL.

♂♀ 13. S. Oryzæ. *Linnei.*

Oblongus, nigro-piceus, opacus, rostro mediocri, striatim punctato, thorace depresso, elytris sub-breviore, confertissime profundius punctato; elytris confertim crenato-striatis, maculis quatuor rufescentibus notatis. — Ghl.

Mas : rostro crassiore, evidentius carinato, profunde striatim punctato.

Femina : rostro tenuiore, basi tantum carinato, subtilissime striatim punctato, extrorsum lævi, nitido.

Curculio id. Linn. *Centuria Ins.* p. 12. 19. — *Amœn. Acad.* VI. p. 395. 19. — *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1745. 113.

Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 414. 89. — *Mant.* I. p. 103. 75. — *Spec. Ins.* I. p. 171 57. — *Syst. Ent.* p. 134. 40.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 488. 79.

Marsh. *Ent. Brit.* I. p. 275. 114.

Sturm, *Ins. Cabinet.* I. Tab. 17.

Villers, *Ent.* I. p. 188. 54. et IV. p. 269. 54.

Calandra id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 438. 4.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 97. 34. *Curculio.* T. 7. f. 81. a. b.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 603. not.

Latr. *les Crust., les Arachn. et les Ins.* II. p. 88.

Cuvier, *Règne anim.* III. p. 329.

Lamarck, *Anim. sans vertèbres.* IV. p. 355. 4.

Oken, *Naturg.* III. p. 768. 2.

Steph. *Brit. Ent.* IV. p. 9. 3.

Dict. des Scienc. nat. VI. p. 195. 5.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305.

Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 18. 10. T. 60. f. 9.

Curculio frugilegus. De Geer, *Ins.* V. p. 273. 7.

Linn. *Syst. nat.* I. IV. p. 1756. 192.

Curculio granarius. Stroem, *Danske Vid. Selsk. Skrift.* II. p. 56. 24.

Id. unicolor. Marsh. *Ent. Brit.* p. 275. 112. var. pallida.

Patria : India, Oriens, in seminibus Oryzæ.

Observ. — Colore valde variat : jam saturatius niger, rostri apice, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis, femoribus piceis; jam dilu-

tius piceus, antennis pedibusque totis ferrugineis; jam piceus, antennis, elytris pedibusque rufo-ferrugineis; jam totus pallide testaceus. Maculæ elytrorum etiam magnitudine et colore variant, aut minores, saturatius rufæ, aut dilatatæ, pallidiores. — GHL.

Incertæ species, mihi invisæ.

14. S. TAITENSIS. *Guérin.*

Calandra id. GUÉRIN, *Icon. du Règne anim.* V. T. 39 *bis.* f. 4. a. b.

15. S. FRUMENTI. *Fabricius.*

Niger, thorace punctato, ferrugineo, nigro maculato, elytris striatis; basi maculaque ferrugineis. — FABR.

Calandra id. FABR. *Syst. El.* II. p. 438. 40. (An *Sitophilus stigmaticollis* huj. Op. ante n. 5. var.?

Patria : Sumatra.

16. S. QUADRINOTATUS. *Wiedemann.*

Niger, distincte punctatus, elytris maculis duabus luteis. — WIED.
Calandra 4-notata. WIEDEM. *Zool. Mag.* II. I. p. 121. 183.]

Patria : Java.

GENUS 392. CATAPYGES. *Nobis.*

Lixus. FABRICIUS.

Character generis. — Antennæ mediocres, validæ, parce pilosæ; articulis omnibus funiculi breviusculis, turbinato-obconicis; clava oblongo-ob-ovata; articulo 1° longo, apice oblique truncato, ultimo parvo, sub-spongioso, valde retracto.

Rostrum elongatum, tenue, lineare, modice arcuatum, paulo reflexum.

Thorax valde longus, antice paulo angustior, parum convexus.

Scutellum parvum, angustissimum, acuminatum.

Elytra oblongo-sub-quadrata, linearia, apice truncata, supra planiuscula.

Pedes antici posticique paulo longiores, validi, subtus ciliati,

Descriptio: — *Corpus* elongatum, lineare, planiusculum, sculpturatum, squamosum, alatum; mediocris magnitudinis. — *Antennæ* thoracis medium vix pertingentes, prope basin rostri insertæ, validæ, parce pilosæ, fractæ, 9-articulatæ; scapo thoracem apice attingente, versus apicem sensim incrassato; funiculo 6-articulato; articulis omnibus breviusculis, turbinato-ob-conicis, sub-æqualibus; clava oblongo-ob-ovata, bi-articulata; articulo 1° longo, corneo, apice oblique truncato, sub-integro forsitan indistincte articulato; ultimo minuto, sub-spongioso, valde retracto, sub-concavo. — *Rostrum* longitudine fere thoracis, tenue, cylindricum, basi paulo crassius, modice arcuatum, paulo deflexum. — *Caput* parvum, semi-orbiculatum. — *Oculi* laterales, infra caput fere connexi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos fere duplo longior, basi rotundatus, lateribus basi rectis, dein paulo rotundatus, anterius cito angustior, longe intra apicem lateribus et infra coarctatus, apice sub-truncatus, supra parum convexus. — *Scutellum* minutum, valde angustum, lineare, apice acuminatum. — *Elytra* antice thoracis basi non latiora eoque vix longiora, linearia, basi conjunctim introrsum emarginata, mox pone basin paulo ampliata, lateribus rectis, angulis posticis rotundatis, apice truncata; abdomine breviora, supra planiuscula. — *Pygidium* sub-triangulare, apice rotundatum, sub-deflexum. — *Pedes* antici posticique longiusculi, medii breviores, validi; femoribus anticis basi distantibus, vix clavatis, fere linearibus, subtus dense ciliatis, muticis; tibiis rectis, sub-teretibus, canaliculatis intus ciliatis, apice unco fixo, valido, inflexo terminatis; tarsis sub-tenuibus reflexis, articulo penultimo reliquis latiore, apice obtuse rotundato, subtus spongioso, ultimo elongato, clavato, bi-unguicaluto.

A *καταπυγὴς*, cinædus.

Typus. — *Catapyges albo-striatus;* e Guinea.

Observ. — Speciebus nonnullis generis *Sitophili*, quoad habitum, simile est hoc genus; corpus tamen proportionaliter magis elongatum et lineare. Clava antennarum peculiari modo constructa, ab omnibus hujus divisionis generibus diversa, ad genus proprium constituendum sufficere videtur.

1. C. Albostriatus. *Fabricius.*

Lineari-elongatus, niger, nitidus, inæqualiter albido-squamosus; thorace elongato, dense punctato, lateribus late basi anguste albido-squamoso; elytris punctato-striatis, interstitiis planis, seriatim punctulatis, dorsalibus vittis integris albo-squamosis ornatis.

Lixus id. Fabr. *Syst. Eleuth.* II. p. 503. 23.
Hujus Operis. III. p. 93. 124.

Patria: Guinea. Ex Musæo Regio Danico descriptus.

Statura angusta *Lixi*, et *L. Ascanii* magnitudine sub-æqualis. Caput breve, retractum, sat dense punctatum, nigrum, nitidum, fronte ad basin rostri fovea oblonga impressa; oculi lati, sub-depressi, nigri, Rostrum thorace brevius, basi nonnihil crassius, ibique supra dense albido-squamosum; extrorsum attenuatum, cylindricum, modice arcuatum, sparsim punctulatum, totum nigrum. nitidum. Antennæ mediocres, nigræ, extrorsum albido-setulosæ. Thorax latitudine baseos duplo longior, antice dimidio angustior quam basi, apice sub-truncatus, pallido-marginatus, pone apicem, supra saltem, non constrictus, lateribus anterius oblique versus medium ampliatis, dein rectis; basi obtuse rotundatus, supra modice convexus, undique dense et concinne, punctatus, niger nitidus, margine laterali utrinque late, baseos anguste, dense albido-squamosis. Scutellum oblongum, valde angustum, nigrum. Elytra antice conjunctim emarginata, pone basin subito nonnihil ampliata, dein sub-linearia, angulo apicis rotundato; apice truncata, thorace vix longiora, supra fere plana, punctato-striata, interstitiis planiusculis, seriatim punctulatis; nigra, sub-nitida, interstitiis tribus suturæ proximis singuli elytri totis, reliquis basi apiceque lineatim dense albo-squamosis. Pygidium sub-triangulare, punctulatum, nigrum, lineatim albo-squamosum. Corpus subtus inæqualiter punctatum, nigrum, in medio nudum, nitidum, lateribus dense albo-squamosum. Pedes mediocres nigri, albo-squamosi, femoribus parum crassis, punctatis, subtus tibiisque canaliculatis interne albo-ciliatis. — Ghl.

(Genus 392 — 393.)

Ad divisionem RHYNCHOPHORIDES, *referendæ sunt incerti generis species, mihi invisæ.*

1. Indus. *Linné.*

Ater, thorace sub-ovato, excavato-punctato, elytris rugoso-sulcatis, tibiis spinosis. — Linn.

Curculio id. Linn. *Mus. Lud. Ulr.* p. 43. 2. — *Syst. nat.* I. II. p. 506. 2. — Ed. Gmel. I. IV. p. 1742. 2.

Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 396. 6. — *Mant.* I. p. 97. 5. — *Spec. Ins.* I. p. 162. 5. — *Syst. Ent.* p. 128. 4.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 474. 10.

Herbst, *Col.* VI. p. 434. 424.

Calandra id. Fabr. *Syst. El.* II. p. 431. 10.

Patria : India.

2. Cruentatus. *Fabricius.*

Ater, thorace lineis elytrisque punctis duobus ferrugineis. — Fabr.

Calandra cruentata. Fabr. *Syst. El.* II. p. 430. 6.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 82. 11. *Curculio.* T. 12. f. 147.

Curculio cruentatus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 395. 3. — *Mant.* I. p. 97. 3. — *Spec. Ins.* I. p. 162. 3. — *Syst. Ent.* p. 128. 3.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 472. 4.

Linn. *Syst. nat.* Gmel. I. IV. p. 1741. 56.

Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 12. 6. T. 61. f. 2.

Patria : Carolina.

3. Paganus. *Fabricius.*

Griseus, thoracis dorso fusco : arcubus cinereis, rostro bi-sulcato. — Fabr.

Calandra pagana. Fabr. *Syst. El.* II. 432. 15.

Curculio paganus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 396. 7. — *Mant.* I. p. 97. 6. — *Spec. Ins.* I. p. 152. 6. — *Syst. Ent.* p. 128. 6.

Oliv. *Enc. méth.* V. p. 474. 4.
Herbst, *Col.* VI. p. 435. 425.
Linn. *Syst. nat.* — Ed. Gmel. I. IV. p. 1742. 97.
Patria : India.

4. Sanguinolentus. *Fabricius.*

Ater, elytris fascia baseos sanguinea. — Fabr.

Calandra sanguinolenta. Fabr. *Syst. El.* II. p. 434. 24.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 83. 12. *Curculio.* T. 10. f. 116.
Curculio sanguinolentus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 398. 14.
Oliv. *Enc. meth.* V. p. 473. 8.
Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 24. 16. T. 61. f. 6.
Patria : Insula Tabago Americæ.

5. Fasciatus. *Fabricius.*

Ater, elytris striatis, fascia media sanguinea. — Fab.

Calandra fasciata. Fabr. *Syst. El.* II. p. 434. 25.
Oliv. *Ent.* V. 83. p. 83. 13. *Curculio.* T. 11. f. 136.
Curculio fasciatus. Fabr. *Ent. Syst.* I. II. p. 378. 15.
Oliv. *Enc. méth.* V. p. 474. 9.
Rhynchophorus id. Herbst, *Col.* VI. p. 25. 17. T. 61. f. 7.
Patria : America septentrionalis.

6. Crustatus. *Illiger.*

Niger, thorace abdomineque albo-crustatis : elytris maculis duabus rufis. Illig.

Rhynchophorus id. Illig. *Mag.* I. p. 176. 9.
Patria : Sierra Leona.

7. Sericans. *Wiedemann.*

Rubiginosus, sericans, tibiis anticis dentatis, coleopteris maculis sex nigris. — Wiedem.

Calandra id. Wiedem. *Zool. Mag.* II. I. p. 120. 181.

Id. sexmaculata. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 303.

Patria : Insula Java.

8. BIFASCIATUS. *Kollar.*

Parvus, elongatus, fuscus; thorace punctato, rubro-ferrugineo maculato; coleopteris striatis, rubro-ferrugineo 4-maculatis. — BOISDUV.

Calandra bifasciata. BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* II. p. 445. 2.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305.

Patria : Nova Hollandia.

9. TASMANII. *Boisduval.*

Elongato-ovalis, fuscus, griseo-nitens; thorace elliptico supra tenue scabriusculo; elytris striatis, interstitiis cinerascentibus maculaque media obsoleta nigro-fusca. — BOISDUV.

Calandra id. BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* II. p. 446. 3. T. 7. f. 19.

Patria : Insula Vanikoro.

10. OBSCURUS. *D'Urville.*

Elongato-ovalis, fuscus; thorace punctato, lateribus cinerascente; elytris brunneis, striatis, interstitiis griseis interruptis. — BOISDUV.

Calandra obscura. BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* II. p. 448. 4.

Patria : Nova Irlandia.

11. MELANOSOMUS. *Dupont.*

Aterrimus, holosericeus; rostro, pedibus, elytrorum margine tenuissime fusco-ferrugineis; elytris striatis; tibiis arcuatis. — BOISDUV.

Calandra melanosoma. BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* II. p. 499. 5.

Patria : Nova Hollandia.

(Incerti generis.)

12. GAGES. *Herbst.*

Rhynchophorus id. HERBST, *Col.* VI. p. 17. 9. T. 60. f. 8. (*Curculio id.* FABR. *Axinophorus id.* nob. non idem.

Patria : Guinea.

13. PRÆPOTENS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 21. 1.

Patria : Arkansaw, Amer. bor.

14. INTERSTITIALIS. *Say.*

Rhynchophorus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 21. 2.

Patria : Civitates fœderatæ Americæ borealis.

Divisio II. COSSONIDES.

Antennæ breves; funiculus 7-articulatus; clava aut indistincte articulata, aut sub-solida, apice semper spongiosa. Rostrum deflexum. Pygidium elytra tegunt. Abdominis segmenta duo prima multo longiora, arcte juncta, ægre discernenda. Pedes antici distantes.

GENUS 393. AMORPHOCERUS (1). *Nobis.*

Character generis: — Antennæ, breves, crassæ, in medio rostri insertæ; funiculo 7-articulato: articulo 1° turbinato, reliquis perfoliatis, coarctatis, sub-æqualibus, ultimo clavæ adpresso; clava minuta, breviter ovata, bi-articulata, articulo basali corneo, ultimo spongioso.

Rostrum longiusculum, crassiusculum, lineare, sub-teres, nonnihil complanatum, modice arcuatum.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus rotundatus anterius angustior, apicem versus coarctatus, supra modice convexus.

Elytra elongata, linearia, convexa, basi truncata, apice conjunctim rotundata, anum tegentia.

Pedes breves, sub-compressi; femora in medio valde ampliata; tibiæ basi tenues, versus apicem multo latiores, apice denticulatæ, et præterea unco magno mobili armatæ; articulo penultimo tarsorum latiori, bi-lobo.

Observ. Corpus elongatum, sub-lineare, modice convexum, sculpturatum, alatum; mediocris et minoris magnitudinis. — Quoad habitum generi *Cossono* valde simile, dissimile vero antennarum, tibiarum et tarsorum structura, ut et clava antennarum distincte bi-articulata, quod claram indicat diversitatem.

Patria: Africa meridionalis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 329. 192.

5. 1. A. RUFIPES. *Schh.*

Oblongus, piceus, sub-nitidus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis; fronte rostroque basi profunde punctatis; thorace profunde vage sub-remote punctato; elytris sulcatis, sulcis profunde punctatis, interstitiis sub-planis, remote seriatim punctulatis.

Mas: minor, rostro breviore, basi subtiliter magis remote punctato.

Femina: dimidio fere major, rostro longiore, crassiore, basi profunde punctato.

Patria: Caffraria; in Zamia Caffræ. A Dom. ECKLON et ZEYHER lectus et benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cossono lineari dimidio longior, sed duplo latior. Caput oblongum, porrectum, nigrum, nitidum, glabrum, vertice subtiliter fronte profunde remote punctatis; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite fere dimidio longius, deflexum, crassiusculum, sub-lineare, modice arcuatum, nonnihil complanatum, supra parum convexum, nigro-piceum, nitidum, basi profundius apicem versus subtiliter undique sub-remote punctatum, inter antennas canalicula abbreviata, parum profunda insculptum. Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, ferrugineæ; scapo apicem versus valde incrassato; clava parva breviter ovata, pubescente, apice dilutiore. Thorax latitudine baseos longior, basi apiceque truncatus, antice subito angustatus, et mox intra apicem valde coarctatus et transversim impressus, lateribus nonnihil rotundato-ampliatus, angulis baseos rotundatis, supra parum convexus, totus niger, nitidus, glaber, punctis dispersis, profundis, sub-remotis impressus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigro-piceum, nitidum, impunctatum. Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora, quam lata duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde sulcata, sulcis rude punctatis, interstitiis minus latis, supra planis, singulo serie e punctis parum profundis, valde remotis insculpto; tota picea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, undique profunde sat crebre punctatum. Pedes breviusculi, validi, ferruginei, nitidi, parce punctulati; femoribus compressis, medio valde ampliatis; tibiis basi tenuioribus,

apicem versus dilatatis, apice ipso bi-denticulatis; tarsis brevibus, subtus griseo-spongiosis. — BHN.

* 2. A. ZAMIÆ. *Schh.*

Elongatus, niger, nitidus, glaber, fronte rostroque basi subtiliter remote punctatis; thorace parum profunde, disperse, magis remote punctato; elytris profunde sulcatis, sulcis sat rude punctatis, interstitiis subplanis, seriatim remote punctulatis.

Patria : Caffraria; in Zamia Caffræ. A Dom, ECKLON et ZEYHER detectus et amice communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo fere præcedentis, sed dimidio angustior, thorace remotius subtiliter punctato, aliter coloratus. Caput porrectum, oblongum, nigrum, nitidum, inter oculos remote sat profunde punctatum; vertice lævi; fronte foveola parva insculpta; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite fere dimidio longius, deflexum, validiusculum, sub-lineare, modice arcuatum, nonnihil complanatum, supra parum convexum, nigrum, nitidum, basi evidenter etsi remote apicem versus subtilissime punctulatum, inter antennas canalicula abbreviata, obsoleta impressum. Antennæ breviusculæ, validiusculæ, piceæ, basi ferrugineæ; scapo apicem versus subito incrassato, sub-angulato; clava parva, breviter ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica longior, antice posticeque truncatus, apicem versus subito angustatus, ibique coarctatus et transversim impressus, angulis baseos rotundatis; supra parum convexus, niger, nitidus, glaber, disperse remote, parum profunde punctatus. Scutellum parvum, sub-triangulare, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, quam lata duplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis; linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, profunde sulcata, sulcis in fundo minus rude punctatis; interstitiis angustioribus, supra planis, singulis serie e punctis minutis, valde remotis impressis; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigrum, nitidum, lateribus sat profunde et crebre punctatum, medio subtiliter remote punctulatum. Pedes breviusculi, validi, nigri, nitidi, parce punctulati; femoribus compressis, medio valde ampliatis; tibiis basi angustioribus, apicem versus dilatatis, apice ipso bi-denticulatis; tarsis brevibus, piceis, subtus brunneo-spongiosis.

BHN.

* 3. A. TALPA. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, glaber, vertice lævi, fronte rostroque basi profunde punctatis; thorace minus profunde, sub remote punctato; elytris parce setosis, sulcatis, sulcis sat rude punctatis, interstitiis angustioribus, elevatis, remote seriatim punctulatis.

Patria : Caput Bonæ Spei. Dom. GROENDAL; Caffraria in Zamia Caffræ. Dom. ECKLON et ZEYHER. Mus. SCHH.

Statura fere *Cossoni linearis*, sed robustior et nonnihil latior, Caput porrectum, nigrum, nitidum, profunde sub-remote punctatum; vertice lævi; frons inter oculos foveola parva impresa; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite vix dimidio longius, deflexum, validiusculum, modice arcuatum, sublineare, nigro-piceum, basi profunde remote punctulatum, versus latera strigosum apice obsolete punctulatum, inter antennas tenue canaliculatum. Antennæ crassæ, rufo-ferrugineæ; scapo apicem versus sub-angulato; clava breviter sub-ovata, dilutiore, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, oblongus, antrorsum paulo angustior, juxta apicem coarctatus et transversim impressus, basi apiceque truncatus, lateribus nonnihil rotundatus, supra parum convexus, totus nigro-piceus, glaber, sub-nitidus, punctis sat profundis, sub-remotis undique impressus. Scutellum parvum, sub-triangulare, piceum, læve. Elytra basi sub-truncata, antice thorace vix latiora, sed illo fere duplo longiora, linearia, humeris parum prominulis, obtuse rotundatis, apice conjunctim rotundata, supra modice convexa, nigro-picea, sub-nitida, setulis fuscis parce adspersa, profunde sulcata, sulcis sat rude punctatis; interstitiis angustis, elevatis, singulis serie e punctis minutis, valde remotis impressis. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, sat profunde minus crebre punctatum. Pedes breviusculi, validi, rufo-picei, nitidi, obsolete remote punctulati; femoribus valde clavatis; tibiis pallido pubescentibus, apicem versus dilatatis, omnibus apice bi-denticulatis; tarsis brevibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

4. A. SETOSUS. *Schh.*

Lineari-elongatus, niger, sub-nitidus, setosus; fronte rostroque basi profunde crebre punctatis; thorace confertim punctato, linea media antice abbreviata, lævi notato, anterius profunde constricto; elytris minus profunde sulcatis, sulcis subtiliter punctatis, interstitiis planis, sat crebre seriatim punctulatis.

Cossonus Zamiæ. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.* Captus vivus Parisiis.

Patria: Caffraria; in Zamia Caffræ. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum amice missus.

Reliquis gracilior. *Amorphocero Talpæ* longitudine æqualis, sed dimidio fere angustior. Caput porrectum, oblongum, convexum, nigrum, nitidum, impunctatum, inter oculos tamen sub-impressum, rude crebre punctatum; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius, crassiusculum, sub-lineare, modice arcuatum, nigrum, sub-nitidum, basi profunde crebre apicem versus subtiliter punctatum. Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, nigro-piceæ; scapo apicem versus modice incrassato; clava breviter ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine nonnihil longior, basi apiceque truncatus, mox intra apicem profunde constrictus, lateribus pone stricturam nonnihil amplicatus, angulis baseos rotundatis: supra parum convexus, dorso minus profunde sat crebre lateribus confertim punctatus, in medio linea sub-elevata, antice abbreviata, lævi, notatus; totus niger, nitidus, setulis brevissimis, fuscis dense obsitus. Scutellum parvum, triangulare, nigrum, nitidum. Elytra antice truncata, thoracis basi non latiora, nec lateribus ampliata, humeris vix prominulis, rotundatis; apice ipso conjunctim obtuse rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, minus profunde sulcata, sulcis subtiliter punctatis, interstitiis planis, singulis serie e punctis minutis, sat crebris impressis; tota nigra, sub-nitida, setulis brevissimis, fuscis dense obsita. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, confertim punctatum. Pedes breviusculi, validi, nigro-picei, nitidi, punctulati, pube pallida adspersi; femoribus compressis, medio valde ampliatis; tibiis basi tenuioribus, apicem versus dilatatis, omnibus apice bi-denticulatis; tarsis brevibus, subtus brunneo-spongiosis.

BOH.

GENUS 394. COSSONUS. *Clairville.*

Cossonus CLAIRV., FABR., LATR., GERM., GYLLENH., OLIV., CUVIER, ILLIGER, THUNBERG, DEJEAN, ZETTERST., STEPHENS, WALCKEN., SCHH. (1). — *Curculio* LINN., HERBST, PAYK., PANZ. — *Hylesinus* FABR.

Character generis : — Antennæ mediocres, validiusculæ, versus apicem rostri insertæ: funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis, brevissime obconicis, reliquis brevibus, æqualibus, transversis, aut lenticularibus, aut sub-perfoliatis, parum coarctatis, ultimo clavæ haud adpresso: clava majuscula, ovata, sub-solida.

Rostrum elongatum, sæpissime basi angustum, extrorsum valde incrassatum, dilatatum, nonnihil complanatum, modice arcuatum: in nonnullis teres, sublineare, crassum.

Thorax oblongus, sub-quadrangulatus, juxta apicem jam cito angustior, sub-coarctatus, basi sæpissime bi-sinuatus, apice truncatus, supra aliquantisper convexus, in plerisque dorso postice longitrorsum impresso.

Elytra elongata, linearia, basi truncata, apice conjunctim rotundata, anum haud exacte occultantia, supra modice convexa,

Pedes mediocres; femora modice clavata; tibiæ sub-teretes, basi angustatæ, intus leviter bi-sinuatæ, apice unco magno deflexo armatæ; tarsi graciles, articulo penultimo angustato.

Observ : — Corpus valde elongatum, sub-lineare, sculpturatum, durum, alatum; minoris magnitudinis.

Patria : Totus orbis terrarum.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 330. 193. — Clairv. Ent. Helv. I. p. 58. — Germ. Ins. Spec. I. p. 307. — Id. in Wetter. Annal. I. p. 129. 12. — Fabr. Syst. El. II. p. 496. 160. — Latr. Hist. nat. des Cr. et des Ins. III. p. 199. XI. p. 103. — Id. Gen. Cr. et Ins. II. p. 271. 284. — Id. Regne anim. p. 395. — Id. les Crust., les Arachn. et les Ins. II. p. 89. — Id. Consid. gener. p. 223. 252. — Oliv. Ent. V. p. 74. 9. — Gyllenh. Ins. Suec. III. p. 256. — Cuvier, Règne anim, III. p. 329. — Steph. Brit. Ins. V. p. 7. 272. — Illig. Mag. III. p. 104. 71. — Zetterst. Fn. Lapp. I. p. 340. — Walcken. Fn. Par. I. p. 294. Thunb. in N. Acta Ups. VII. p. 108.

STIRPS I. *Clava antennarum sub-ovata.* (Species 1-45.)

Manipulus I. *Rostrum extrorsum ampliatum.* (Species 1-44.)

CENTURIA I. *Thorax postice truncatus.* (Species 1-4.)

* 1. C. LINEARIS. *Fabricius.*

Nigro-piceus, glaber, supra fere planus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis; rostro longiori, tenuiori, apice dilatato; thorace oblongo, supra a basi versus medium obsolete bis impresso, dorso anteriore subtiliter remote, lateribus magis confertim rude punctato; elytris fere planis, minus profunde punctato-striatis, interstitiis parum convexis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 496. 1.

LATR. *Gen. Crust. et Ins.* II. p. 272. 1. — *Hist. nat. des Ins.* XI. p. 105. 1.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99. *ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 419. 110. — *Mant.* I. p. 104. 87. — *Spec. Ins.* I. p. 173. 69. — *Syst. Ent.* p. 136. 49.

HERBST, *Col.* VI. p. 53. 15.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 493. 96.

WALCKEN. *Fn. Par.* I. p. 247. 33.

VILLERS, *Ent.* I. p. 189. 58. et IV. p. 270 58.

PANZ. *Ent. Germ.* p. 309. 60.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 271. 103.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1752. 154.

* VAR. β. Antennis, thorace, elytris, abdomine pedibusque dilutius ferrugineis. FABR. l. c. var.

Cossonus ferrugineus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99. *ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Habitat in Austria. Dom. Com. DEJEAN; in Gallia Dom. CHEVROLAT; in Helvetia Dom. CHEVRIER. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Cossoni cylindrici*; rostrum multo longius, basi minus crassum; thorax in dorso anteriore subtilius et parcius punctatus; elytra minus convexa, subtilius punctato-striata etc. Caput porrectum, nigrum, postice læve, inter oculos subtiliter punctu-

latum. Oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri. Rostrum capite dimidio longius, porrectum, nonnihil arcuatum, a basi ultra medium, modice crassum, teres, nigro-piceum, nitidum, subtiliter punctulatum, apice quadrangulariter valde dilatatum, planum, sæpe ferrugineum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro cum capite longiores, ferrugineæ, clava ovato-acuminata, testacea, pallido-pubescente. Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, anterius multo angustior, ibique leviter coarctatus, transversim impressus, lateribus modice rotundatus, supra fere planus, a basi versus medium longitudinaliter bis impressus, in impressione profunde punctatus, dorso antico subtiliter remote, lateribus vero magis profunde confertim punctatus; totus nigro-piceus, glaber, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, læve. Elytra thoracis basi nonnihil latiora, basi truncata, humeris elevatis, obtuse rotundatis, thorace plus duplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra plana, subtiliter punctato-striata, interstitiis parum convexis, lævibus; tota nigro-picea, subnitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, sat profunde minus confertim punctatum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-ferruginei, subtiliter remote punctulati; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

Var: β. colore dilutiori tantum differt; immatura forte.

♂♀ 2. C. FERRUGINEUS. *Clairville.*

Niger, glaber, antennis elytris pedibusque piceis; rostro capite plus duplo longiori, tenuiori, apice modice dilatato; thorace sub-quadrangulo, subtilius sub-remote punctulato, obsolete carinato, basi vix impresso; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Mas: rostro nonnihil crassiori, femoribus latiusculis.

Femina: rostro tenuiori, femoribus minus latis.

Cossonus linearis. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 60. 1. T. 1. f. 1. 2.

Curculio id. PANZ. *Fn. Germ.* XVIII. 7.

Cossonus punctellus. SCHH. *in Litteris*, olim.

♂♀ VAR. β. Elytris pedibusque rufo-ferrugineis.

Cossonus id. CLAIRV. *Ent. Helv.* I. p. 60. 2. T. 1. f. 3. 4.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 426. 526. *Curculio.* T. 35. f. 535.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 603. 1-2.

Zetterst. *Acta Holm.* 1818. p. 255. 8.

Illig. *Mag.* VI. p. 312. 1.

Latr. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 106.

Steven, *Mus. Mosqu.* II. p. 103.

Curculio parallelepipedus. Herbst, *Col.* VI. p. 275. 247. T. 81. f. 4.

♀ Var. γ Pallide testaceus, capite rostroque brunneis.

Cossonus ferrugineus, var. b. Gyllenh. l. c.

Patria : Suecia, Helvetia, Belgia, Polonia et Livonia. Mus. Schh.

Statura *Cossoni linearis,* sed dimidio fere major, variat tamen magnitudine, ab illo rostro adhuc tenuiori, multo longiori, thorace subtilius punctato, basi vix impresso etc. facile distinctus. Caput porrectum, nigrum, postice læve, inter oculos parce punctulatum, foveola parva impressum; oculi laterales, oblongi, parum prominuli, nigri; rostrum thorace paulo brevius porrectum, parum arcuatum, a basi ultra medium sub-tenue, nigrum, nitidum, sat confertim punctulatum, apice modice quadrangulariter dilatatum, planum, rufo-piceum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, capite cum thorace nonnihil longiores, minus crassæ, rufo-ferrugineæ, clava ovato-acuminata, testacea, pallido-pubescente. Thorax subquadrangulus, basi apiceque truncatus, antice leviter coarctatus et transversim impressus, lateribus fere rectis, vix rotundato-ampliatis; supra planiusculus, subtiliter minus crebre punctatus, dorso longitudinaliter, obsoletissime carinatus, basi interdum leviter impressus, niger, nitidus, glaber. Scutellum rotundatum, piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, sub-rectangulis; linearia, lateribus inflexa, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso planiuscula, interne subtilius versus latera profundius punctato-striata, interstitiis parum convexis, lævibus; tota nigro-picea, glabra. Corpus subtus piceum, nitidum, subtiliter remote punctulatum, pectore medio lævi. Pedes breviusculi, rufo-ferruginei; femoribus latiusculis, compressis, muticis; tarsis gracilibus; subtus fulvo- spongiosis.

Bhn.

Var. β. elytris pedibusque rufo-ferrugineis, immatura forte.

Var. γ colore pallide testaceo, capite rostroque brunneis tantum differt. Nuper exclusus.

* 3. C. PLATALEA.

Nigro-piceus, nitidus, glaber, supra deplanatus, antennis, tibiis tarsisque ferrugineis: rostro capite duplo longiori, tenuiori, apice minus sensimque dilatato; thorace latiori sub-quadrato, antice evidenter coarctato, supra in ipsa basi obsolete bis impresso, dorso remote lateribus crebre punctato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis latioribus, magis convexis.

SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 24. 2.

Patria : Civitates Fœderatæ Americæ borealis. Dom. SAY. Mus. SCHH.

Habitus et summa similitudo *Cossoni linearis*, nonnihil tamen major, rostro breviore, apice minus dilatato; thorace latiori, antice magis angustato, coarctato, basi tantum impresso, elytrorum interstitiis latioribus, magis convexis, ab illo distinctus. Caput parvum, porrectum, nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri. Rostrum capite duplo longius, porrectum, nonnihil arcuatum, a basi ultra medium modice crassum, teres, apice quadrangulariter dilatatum : totum nigrum, nitidum, punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, dilute ferrugineæ, clava ovata, acuminata, testacea, dense pallido-pubescente. Thorax latitudine media non longior, basi apiceque truncatus, mox pone apicem valde angustatus, coarctatus, tum rotundato-ampliatus, lateribus fere rectis, versus basin perparum angustatus, supra fere planus, in ipsa basi ante scutellum utrinque leviter impressus; totus niger, nitidus, glaber, dorso remote lateribus crebre sat profunde punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, læve. Elytra basi truncata, thorace nonnihil latiora, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis, thorace fere triplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, fere plana, profunde punctato-striata, interstitiis latioribus, sub-convexis, lævibus; tota nigro-picea, nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter, minus crebre punctatum. Pedes breviusculi, tenues, femoribus clavatis, muticis, nigro-piceis; tibiis tarsisque ferrugineis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 4. C. Cylindricus. *Dejean.*

Niger, glaber, supra paulo convexus, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, rostro breviori, crassiori, apice minus dilatato, supra breviter canaliculato; thorace sub-quadrangulo, postice in medio obsolete impresso, undique profunde minus confertim punctato, linea, dorsali lævi; elytris convexis, sulcatis, sulcis profunde punctatis. — Bhn.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99. *ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 110. 1.

Cossonus linearis. Payk. *Fn. Suec.* III. p. 242. 60. — *Mon. Curc.* p. 51. 48.

Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 256. 1.

Oliv. *Ent.* V. 83. p. 425. 525. *Curculio.* T. 35. f. 534. a. b.

Steph. *Brit. Ent.* V. p. 8. 2.

Stev. *Mus. Mosqu.* II. p. 103.

Curculio parallelepipedus, var. Herbst, *Col.* VI. p. 276. 247.

Cossonus Moelleri. Dom. Waltl *in Litteris.*

Id. corticalis. Sturm, *Ins. Cat.* 1826. p. 125.

* Var. β. Antennis, elytris abdomine pedibusque dilutius ferrugineis.

Cossonus linearis, var. b. Gyllenh. *Ins. Suec.* l. c.

Payk. *Fn. Suec.* l. c. var. β.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. l. c. var. b.

Patria : Suecia meridionalis, Styria, Westphalia, Gallia.

Centuria 2. *Thorax postice bi-sinuatus.* (Species 5-44.)

* *Thorax antice plus minusve coarctatus, haud constrictus.* (Species 5-41.)

A. *Thorax supra sub-æqualis, vix impressus, confertim punctatus.* (Species 5-13.)

5. C. Xylophilus. *Schh.*

Sub-depressus, niger, nitidus; fronte foveolata; rostro valido, apicem versus parum ampliato, evidenter sub-remote punctulato; thorace

undique sat profunde sub-remote punctato; dorso linea lævi, parum elevata, lateribus parum rotundato, basi leviter bi-sinuato; elytris minus profunde crenato-striatis, interstitiis convexis, sub-lævibus.

Patria: Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Habitus *Cossoni linearis*, nonnihil tamen minor, thorace longitudinaliter sub-carinato, a congeneribus diversus. Caput porrectum, nigrum, nitidum; vertice lævi; fronte evidenter minus crebre punctulata; foveola parva profunda, insculpta; oculi-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, validum, paulo arcuatum, basi nonnihil angustius, teres, apicem versus parum quadrangulariter ampliatum, supra deplanatum, evidenter minus crebre punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ, clava ovata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, undique sub-remote sat profunde punctatus, linea media longitudinali, nonnihil elavata, lævi, notatus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus linearia, apice ipso conjuctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, sat profunde striata, striis in fundo crebre mediocriter punctatis; interstitiis sub-convexis, coriaceis; tota nigra, nitida, glabra. Corpus subtus subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, magis nitidum. Pedes breves, nigro-picei; tarsis obscure ferrugineis. — BHN.

* 6. C. MULTIFORUS. *Say.*

Parum convexus, nigro-piceus, glaber, sub-nitidus, antennis pedibusque ferrugineis; fronte rostroque breviter canaliculatis: rostro breviori, apice valde dilatato; thorace oblongo, obsoletissime, carinato, basi leviter bi-sinuato et obsolete bi-impresso, undique profunde, sat crebre punctato: elytris profunde punctato-striatis, interstitiis convexis.

SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 30.

Patria: Mexico. Mus. Dom. SAY.

Statura fere *Cossoni linearis*, nonnihil tamen brevior et crassior.

Caput parvum, porrectum, nigrum, nitidum, crebre punctatum; fronte inter oculos canalicula abbreviata, sat profunda, impressa. Oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri. Rostrum capite nonnihil longius, porrectum, a basi ultra medium teres, modice crassum, apice quadrangulariter valde dilatatum, planum, nigro-piceum, sub-nitidum, crebre punctatum, supra a basi ad medium longitudinaliter impressum vel sulcatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax oblongus, latitudine baseos longior, apice truncatus, anterius angustatus, vix coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra planiusculus, undique profunde sat crebre punctatus, medio longitudinaliter obsoletissime carinatus, in ipsa basi ante scutellum utrinque leviter impressus; totus nigro-piceus, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, læve. Elytra basi sub-sinuata, antice thoracis basi nonnihil latiora, illoque duplo longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigro-picea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, sat crebre minus profunde punctatum. Pedes breviusculi, tenues, ferruginei, obsolete punctati; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 7. C. IMPRESSIFRONS. *Schh.*

Elongatus, niger, sub-nitidus, glaber, supra parum convexus, antennis pedibusque nigro-piceis; fronte foveolata; rostro brevi, crasso, apice nonnihil dilatato; thorace oblongo, profunde crebre punctato, postice obsolete carinato, basi modice bi-sinuato; elytris confertim punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis, lævibus.

Patria: Pensylvania. A Dom. ZIMMERMANN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Rhyncolo chloropo nonnihil minor, magis depressus, frons profunde foveolata, thorax latior, profundius punctatus, etc. Caput oblongum, nigrum, nitidum, inter oculos foveola oblonga, profunda impressum; vertice subtilissime, fronte evidenter punctulatis; oculi semi-globosi, nigri; rostrum latitudine capitis et vix illo longius, basi nonnihil constrictum, apicem versus perparum qua-

drangulariter ampliatum, convexum, sat crebre punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ breves, crassæ, nigro-piceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-acuminata, dilutiore, dense pubescente. Thorax latitudine media longior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, margine apicis vix elevato, lateribus fere rectis, basi modice bi-sinuatus, supra planus, sat profunde, minus crebre, disperse punctatus, in dorso postico carinula obsoleta, longitudinali instructus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice sub-sinuata, thoracis medio haud angustiora, humeris vix prominulis, rotundatis, lateribus non ampliata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra parum convexa, distincte et crebre striata et in striis confertim punctata, interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigra, nitida, glabra. Corpus subtus disperse, minus crebre punctatum, nigrum, nitidum; pectore canaliculato. Pedes breves, validi, nigro-picei, nitidi, remote punctulati; femoribus crasse clavatis, muticis; tarsis tenuibus dilutius piceis. — BHN.

* 8. C. PINIPHILUS. *Eschscholtz.*

Nigro-piceus, glaber, supra parum convexus; rostro breviori, crassiori, apice modice dilatato, basi obsolete canaliculato, minus profunde punctato; thorace oblongo, remote sat profunde punctato, anterius angustato, basi leviter bi-sinuato et obsolete bis impresso, in impressione rude sat crebre punctato; elytris planiusculis profunde punctato-striatis.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Habitat in California. A Dom. Com. MANNERHEIM amice donatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere, et statura *Cossoni ferruginei*; colore, thorace elytrisque profunde punctatis, rostro breviori, etc. ab illo mox distinctus. Caput porrectum, nigrum, nitidum, postice læve, inter oculos remote sat profunde punctatum; fronte, foveola parva insculpta. Oculi laterales, rotundati parum prominuli, nigri. Rostrum capite parum longius, porrectum, parum arcuatum, crassum, latum, apice quadrangulariter dilatatum, supra planum, nigro-piceum, profunde minus crebre punctatum, a basi ultra

medium late, sed parum profunde canaliculatum Antennæ versus apicem rostri insertæ, rufo-ferrugineæ parce pilosæ, clava ovata, dilutiori. Thorax oblongus, apice truncatus, anterius angustatus, ibique parum coarctatus et transversim impressus, lateribus parum rotundatus, postice leviter bi-sinuatus, supra planus, a basi versus medium longitudinaliter bis impressus, et in impressione rude sat crebre punctatus, superficie reliqua profunde sed remote punctatus; totus nigro-piceus, glaber, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, læve. Elytra thoracis basi paulo latiora, basi leviter sinuata, humeris sub-elevatis, obtuse rotundatis, thorace plus duplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, fere plana, profunde regulariter punctato-striata, interstitiis sub-lævibus, basi obsoletissime tantum punctulatis; nigro-picea, nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, remote punctatum. Pedes breviusculi, tenues; femoribus piceis; tibiis tarsisque ferrugineis. Bhn.

9. C. Puncticollis. *Chevrolat.*

Elongatus, sub-depressus, niger, nitidus, glaber; fronte foveolata; rostro sub-lineari, inter antennas tenuiter canaliculato; thorace oblongo, profunde sub-remote punctato, lateribus fere rectis; postice obsolete carinato et utrinque leviter impresso; elytris confertim punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis, lævibus.

Patria: Mexico. A Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

Habitus et summa similitudo *Cossoni impressifrontis*, dimidio tamen major; rostro fere lineari, inter antennas tenuiter canaliculato, ab illo fere unice distinctus. Caput oblongum supra modice convexum, nigrum, nitidum, postice læve, inter oculos foveola parva impressum, evidenter sat crebre punctulatum; oculi sub-rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, validum, paulo arcuatum, sub-lineare vel basi vix angustius, supra apicem versus deplanatum, sat crebre evidenter punctulatum, inter antennas canalicula tenuissima, abbreviata, insculptum; totum nigrum, sub-nitidum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, clava ovata, sub-obtusa, fusco-pubescente. Thorax latitudine postica longior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem vix constrictus lateribus sub-rectis, postice leviter bi-sinuatus, supra fere planus, sat profunde

minus crebre disperse punctatus; in dorso postico carinula longitudinali, obsoleta, instructus, ibique utrinque leviter impressus, niger, sub-nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi vix latiora, humeris rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra sub-depressa, regulariter et crebre punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigra, nitida, glabra. Corpus subtus disperse sat crebre punctulatum, nigrum, magis nitidum, pectore canaliculato. Pedes breviusculi, nigri; tarsis ferrugineis. BHN.

10. C. DEPRESSICOLLIS. *Chevrolat.*

Sub-depressus, niger, nitidus, rostro subtiliter sub-remote punctulato, apicem versus modice ampliato, inter antennas tenue canaliculato; thorace supra fere plano, basi leviter bi-sinuato, dorso profunde remote punctato; elytris striatis, striis crebre punctatis, interstitiis convexis, lævibus.

Patria : Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo *Rhyncoli chloropi;* statura et summa similitudo *Cossoni puncticollis*, rostro basi angustiore, thorace supra remotius punctato, ab illo fere unice distinctus. Caput porrectum, postice læve, antice subtiliter sub-remote punctulatum, inter oculos foveola parva insculptum, nigrum, nitidum; oculi sub-ovati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, validum, paulo arcuatum, basi nonnihil angustius, teres, apicem versus modice quadrangulariter dilatatum, subtiliter punctulatum, inter antennas canalicula longitudinali tenuissima, abbreviata, insculptum, nigrum, nitidum. Antennæ breves, nigræ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil longior, apice truncatus, anterius angustior, intra apicem vix constrictus, lateribus paulo rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, basi obsoletissime bis impressus, dorso remote disperse punctatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra ut in *Cossono sulcatulo* omnino constructa, striata et punctata; tota nigra, subnitida, glabra. Corpus subtus crebre punctulatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi; nigri, nitidi, subtiliter punctulati; femoribus clavatis, muticis; tarsis ferrugineis. BHN.

* 11. C. CORTICOLA. *Say.*

Parum convexus, nigro-piceus, glaber, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, rostro breviori, confertim punctulato, apice modice sensimque dilatato; thorace oblongo, supra vix impresso, dorso remote lateribus crebre profunde punctato; elytris piceis, sat profunde punctato-striatis, interstitiis parum convexis, obsolete punctulatis.

SAY, *Descript. of curc. of N. Amer.* p. 24. 1.

Patria: Civitates Fœderatæ America borealis. Dom. SAY. Mus. SCHH.

Magnitudo et statura *Cossoni multiflori,* ab illo fronte rostroque non canaliculatis, thoracis dorso remote punctato, basi sub-truncato, interstitiis elytrorum punctulatis, mox distinctus. Caput parvum, porrectum, nigro-piceum, subtiliter sat crebre punctulatum, puncto magno inter oculos impressum. Oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri. Rostrum capite dimidio longius, porrectum, nonnihil arcuatum, a basi ultra medium modice crassum, teres, versus apicem sensim dilatatum, supra planum, nigro-piceum, glabrum, subtilissime confertim punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, parum acuminata, pallido-pubescente. Thorax oblongus, latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, anterius angustatus, mox intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi levissime bi-sinuatus, supra fere planus, basi vix impressus, dorso profunde remote, lateribus crebre, punctatus; totus niger, glaber, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum, læve. Elytra basi truncata, antice thorace nonnihil latiora et illo duplo longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, sat profunde punctato-striata, interstitiis parum convexis, obsolete remote punctulatis; tota picea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, sat profunde minus crebre punctatum. Pedes breviusculi, tenues, ferruginei, obsolete punctulati; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 12. C. CONCINNUS. *Schh.*

Parum convexus, niger, glaber, nitidus; rostro, antennis pedibusque ferrugineis; fronte rostroque apice quadrangulariter dilatato, breviter canaliculatis, thorace basi leviter bi-sinuato et utrinque obsolete impresso, undique crebre sat profunde punctato; elytris confertim punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis.

Patria: Connecticut. Dom. SAY. Mus. SCHH.

Longitudo *Rhyncoli chloropi*, sed angustior. Caput parvum, porrectum, nigrum, nitidum, vertice sub-lævi; fronte subtiliter crebre punctulata, sulco longitudinali, sat profundo insculpta; oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite parum longius, porrectum, perparum arcuatum, a basi ultra medium modice crassum, supra tenue canaliculatum, apice quadrangulariter valde dilatatum, planum, totum ferrugineum, sub-nitidum, undique crebre subtiliter punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, ad dimidium thoracis vix pertingentes, minus tenues, ferrugineæ, clava breviter ovata parum acuminata, pallido-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, anterius sensim angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, basi ante scutellum utrinque obsolete impressus; totus niger, sub-nitidus, glaber, undique crebre, sat profunde punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra basi sinuata, antice thorace nonnihil latiora, quam lata plus duplo-longiora, humeris elevatis, obtuse rotundatis, linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, confertim sat profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigrum, nitidum, sat crebre punctatum, segmentis 3 et 4 abdominis lævibus, ultimo confertim punctulato. Pedes breviusculi, tenues, obsolete punctati; femoribus modice clavatis, obscure ferrugineis; tibiis tarsisque dilutius ferrugineis; tarsis gracilibus subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 13. C. CONVEXIUSCULUS. *Chevrolat.*

Sub-depressus, niger, sub-nitidus; fronte rostroque subtiliter punctulatis; rostro apicem versus minus ampliato; thorace undique sat crebre punctato, basi leviter bi-sinuato ibique obsolete impresso et carinato; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, lævibus.

Patria : Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo et summa similitudo *Cossoni concinni*, rostro apicem versus minus dilatato, thorace basi carinato, ab illo distinctus videtur. Caput supra modice convexum, nigrum, nitidum, postice læve, inter oculos foveolatum, subtiliter punctulatum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, validum, sub-rectum, basi angustius, teres, apicem versus quadrangulariter modice dilatatum, ibique supra deplanatum, subtiliter confertim punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ nigro-piceæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica nonnihil longior, apice truncatus, anterius angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi leviter, bi-sinuatus, supra sub-depressus, undique sat crebre punctatus, basi obsolete impressus, ibique carinatus; totus niger, sub-nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra ut in præcedentibus, crebre minus profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus confertim subtiliter punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Pedes breviusculi, nigri, nitidi; tarsis ferrugineis.

BHN.

B. *Thorax supra impressus, confertim punctatus.* (Species 14-29.)

* 14. C. EPHIPPIGER. *Guérin.*

Rufo-testaceus, glaber, supra fere planus; rostro apice subito ampliato, supra sulcato; thorace undique sat crebre punctato, basi late impresso, carinato; elytris nigro-cyaneis, basi apiceque rufo-testaceis, punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Cossonus id. GUÉRIN, *Iconogr.* V. T. 39 *bis.* fig. 7.

Cossonus præcellens. SCHH. *in Litteris*, olim.

Habitat in insula Java; a Dom. DE HAAN communicatus. Mus. SCHH.

Cossono canaliculato dimidio major, præsertim latior, magis depressus. Caput porrectum, rufo-testaceum, sat crebre et profunde punctatum; oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, porrectum, nonnihil arcuatum, a basi ultra medium modice crassum, apice quadrangulariter dilatatum, supra planum, sulco sat lato, minus profundo, in fronte extenso, sculpturatum, rufo-testaceum, crebre punctulatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ longitudine thoracis, ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa. Thorax latitudine media non longior, apice truncatus, mox pone apicem valde coarctatus, tunc subito ampliatus, lateribus modice rotundatus, basi profunde bisinuatus, supra fere planus, a basi versus medium late at minus profunde impressus, et in impressione carinatus; totus undique sat profunde et crebre punctatus, rufo-testaceus, glaber, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, rufo-testaceum. Elytra thoracis basi nonnihil latiora, basi singulatim oblique rotundata, reflexa, humeris rotundatis, thorace plus duplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra depressa, fere plana, punctato-striata, interstitiis lævibus, alternis nonnihil elevatis, nigro-cyanea, sub-nitida, glabra, basi apiceque rufo-testacea. Corpus subtus rufo-testaceum, nitidum, subtiliter remote punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-testacei, geniculis infuscatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 15. C. CASTANEIPENNIS. *Schh.*

Niger sub-opacus, supra deplanatus, rostro brevi, apice valde ampliato; thorace sub-quadrangulo, basi profunde bi-sinuato, postice late triangulariter impresso et carinato, rude sat confertim punctato: elytris rufo-castaneis, apice infuscatis, sulcatis, sulcis profunde punctatis, interstitiis subtilissime punctulatis.

Habitat in Brasilia. Dom. FREYREISS. Mus. SCHH.

Cossono lineari parum brevior, sed latior. Caput porrectum, nigrum, parum nitidum, vertice subtiliter remote, fronte confertim punctulatis; frons inter oculos canalicula parva impressa.

Oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis, validum, parum arcuatum, basi angustius, extrorsum quadrangulariter dilatatum, nigrum, opacum, crebre punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine capitis cum thorace, nigro-piceæ, clava ovato-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, antice angustior, leviter coarctatus et transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatis, basi profunde et oblique bisinuatus, supra fere planus, a basi ad medium triangulariter impressus, et in impressione ante scutellum carinatus; totus niger, sub-nitidus, profunde sat confertim punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra basi singulatim interne modice rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris prominulis, oblique angulatis, thorace plus duplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra fere plana, sulcata, sulcis profunde punctatis, interstitiis angustis, elevatis, singulis serie e punctis minutissimis, impressis; tota rufo-castanea, parum nitida, apice infuscata. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, sat profunde et confertim punctatum. Pedes breviusculi, tenues, nigri, punctati; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

16. C. SEMIRUFUS. *Chevrolat.*

Niger, sub-nitidus, supra fere planus, capite rostroque crebre punctulatis; fronte foveolata; thorace fere quadrangulo, profunde punctato, medio longitudinaliter lateque impresso, area utrinque dorsali subtilitius punctulata, notato, basi profunde bi-sinuato, elytris a basi ultra medium rufo-castaneis, profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Patria : Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Cossoni castaneipennis*, magis nitidus, thorace longitudinaliter evidenter impresso, utrinque area subtilius punctulata, notato, elytris aliter coloratis, ab illo facile distinctus. Caput breve, supra modice convexum, postice obsolete, anterius subtiliter, crebre punctulatum, nigrum, sub-nitidum, inter antennas foveola parva, insculptum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite fere dimidio longius, basi angustius, teres, apicem versus quadrangulariter ampliatum, apice

ipso truncatum, paulo arcuatum, subtiliter crebre punctulatum, nigrum, sub-opacum. Antennæ nigro-piceæ, clava-ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil brevior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, antice posticeque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra fere planus, medio longitudinaliter lateque impressus, et in impressione profunde crebre punctatus, basi carinatus, utrinque area angusta dorsali subtiliter lateribusque sat crebre profunde punctatus, totus niger, sub-nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, piceum, nitidum. Elytra antice singulatim intus nonnihil rotundato-producta, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus non ampliata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso fere plana, profunde sat crebre punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, lævibus; a basi ultra medium rufo-castanea, dein apicem versus nigra, parum nitida. Corpus subtus subtiliter crebre punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Pedes breves, validi, punctulati; femoribus nigris; tibiis tarsisque-piceis. — BHN.

* 17. C. DEPLANATUS. *Schh.*

Fusco-piceus, nitidus, supra planus; rostro brevi, crasso, versus apicem valde sensimque ampliato; thorace sub-æquilatero, crebre, sat profunde punctato, postice sub-triangulariter, minus profunde impresso, ibique fortius punctato, basi modice bi-sinuato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Patria : Brasilia interior. Dom. BESCKE. A Dom. Com. MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Longitudo *Cossoni ferruginei,* sed latior. Caput supra sub quadratum, parum convexum, crebre subtiliter punctulatum, inter oculos foveola parva impressum; oculi sub-rotundati, modice convexi; rostrum capitis longitudine, parum arcuatum, subtiliter crebre punctulatum, apicem versus sensim valde ampliatum. Antennæ mediocres, crassiusculæ, rufo-piceæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine vix brevior, apice fere duplo angustior, truncatus, intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi modice bi-sinuatus, supra planus, crebre, sat profunde punctatus, postice impressione subtriangulari, lata, parum profunda, fortius punctata, prædítus. Scutellum minutum,

rotundatum, læve. Elytra linearia, thorace fere triplo longiora, antice thoracis basi parum latiora, basi singulatim paulo rotundata, humeris rotundatis, apice conjunctim rotundata, supra plana, crebre, sat profunde punctato-striata, interstitiis lævibus, fusco-picea, in dorso dilutiora. Corpus subtus subtiliter, minus crebre punctatum, fusco-piceum, nitidum, abdomine medio rufo-ferrugineo. Pedes breves validiusculi, subtiliter punctati. — RLD.

* 18. C. SULCIROSTRIS. *Chevrolat.*

Elongatus, parum convexus, niger, sub-nitidus; rostro brevi, crasso, cum fronte longitudinaliter sulcato, apice valde dilatato, thorace basi profunde bi-sinuato, evidenter impresso et carinato, undique profunde sat crebre punctato, lateribus modice rotundato-ampliato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis carinatis, subtilissime punctulatis.

Patria: Mexico. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Cossoni corticalis magnitudine et statura simillimus, thorace latiore, lateribus magis rotundato-ampliato, basi evidenter impresso, fronte rostroque sulcatis ab illo distinctus. Caput breve, convexum, postice subtilissime, remote anterius evidenter crebrius punctulatum, nigrum, nitidum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite nonnihil longius, basi constrictum, extrorsum valde ampliatum, fere orbiculatum, apice sub-truncatum, confertim punctatum, canalicula profunda in fronte extensa insculptum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ validiusculæ, nigræ, basi interdum piceæ, pilosæ, clava ovata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, apice truncatus, mox pone apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam valde rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, postice triangulariter sat profunde impressus et in impressione ante scutellum carinatus, profunde sat crebre dorso tamen subtiliter remotius punctatus; totus niger, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi vix latiora, nec lateribus ampliata, humeris, rotundatis; apice conjunctim obtuse rotundata, thorace fere duplo longiora, supra in dorso parum convexa, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, angustis, subtilissime remote, vage punctulatis; nigra, sub-nitida. Corpus

subtus nigrum, sub-nitidum, sat crebre punctulatum. Pedes breves, validi, nigri, punctati; tarsis gracilibus, interdum ferrugineis.

BHN.

* 19. C. CORTICALIS. *Fabricius.*

Elongatus, paulo convexus, niger, sub-nitidus, glaber, rostro brevi, crasso, triangulariter usque in frontem impresso, apice valde et abrupte dilatato; thorace sub-quadrangulo, profunde, sat confertim punctato, lateribus paulo rotundato, basi profunde bi-sinuato ibique impresso et carinato, area utrinque parva dorsali sub-lævi; elytris crebre et profunde punctato-striatis, interstitiis carinatis, subtilissime punctulatis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 497. 4.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 246. 527. *Curculio.* T. 35. f. 536.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99. *ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Cossonus scrobiculatus. Dom. GYLLENH *in Litteris*, olim.

VAR. β. Dimidio minor.

Patria: America meridionalis. A Dom. TOEND. LUND. e Brasilia a Dom. de WINTHEM et CHEVROLAT communicatus. Mus. SCHH. var. β e Columbia a Dom. CHEVROLAT ad describendum missus.

Longitudo *Cossoni ferruginei,* sed robustior. Caput breve, subtiliter punctulatum, postice sub-læve; fronte sulco, in rostrum continuato, impressa; oculi laterales, sub-ovati, depressi; rostrum longitudine capitis, crassum, sub-rectum, basi angustatum, apice quadrangulariter valde ampliatum, evidenter punctulatum, impressione triangulari, anterius abbreviata instructum. Antennæ validiusculæ, nigro-piceæ, clava ovata, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos haud longior, sub-quadrangulus, antice paulo angustior, et leviter coarctatus, apice truncatus, lateribus parum rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, basi obsolete triangulariter impressus ibique breviter carinatus; profunde, sat confertim punctatus, area utrinque parva dorsali sub-lævi. Scutellum parvum, rotundatum. Elytra linearia, thorace duplo longiora, basi singulatim oblique paulo rotundato-producta, antice thorace parum latiora, humeris obtuse angulatis, apice conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso paulo convexa, crebre, profunde punctato-striata, interstitiis convexis, angustis, subtilis-

sime remote punctulatis. Corpus subtus sat profunde, sed minus crebre punctulatum. Pedes breviusculi, validi, nigro-picei, punctati.

RLD.

* 20. C. AMBIGUUS. *Schh.*

Modice convexus, niger, sub-nitidus, glaber, rostro brevissimo, crasso, canaliculato, apice modice ampliato; thorace amplo, oblongo, basi leviter impresso ibique carinato, profunde sub-remote punctato; elytris sulcatis, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis, obsoletissime punctulatis.

Patria: ..... A Dom. TOENDER LUND. communicatus. SCHH.

Magnitudo *Cossoni ferruginei* et fere statura *Cossoni elongatuli*, aliter coloratus, rostro apice ampliato, thorace amplo longiore, ab hoc mox distinctus. Caput porrectum, nigrum, nitidum, subtiliter parce punctatum; fronte foveola parva profunda insculpta; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite fere brevius, crassum, rectum, basi nonnihil angustius, extrorsum modice quadrangulariter ampliatum, nigrum, nitidum, supra planum, evidenter sub-remote punctulatum, canalicula tenui, apicem versus abbreviata, in fronte usque producta, exaratum. Antennæ nigræ, parum pubescentes. Thorax latitudine baseos dimidio longior, apice truncatus, lateribus rotundato-ampliatus, juxta apicem leviter coarctatus et transversim impressus, basi parum profunde bi-sinuatus, lobo medio minuto, supra fere planus, in medio baseos obsolete impressus, ibique leviter carinatus, undique profunde sed minus crebre punctatus; totus niger, glaber, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim oblique sub-rotundata, thoracis medio parum angustiora, humeris oblique angulatis; thorace sesqui-longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra modice convexa, nigra, sub-nitida, minus profunde sulcata, sulcis sat rude punctatis, interstitiis angustis, elevatis, subtilissime punctulatis. Corpus subtus nigrum, sat crebre punctulatum. Pedes breviusculi, validiusculi, nigri, nitidi, remote punctulati; tarsis piceis. — BHN.

* 21. C. PYRIROSTRIS. *Mannerheim.*

Parum convexus, niger, nitidus, glaber, antennarum basi tarsisque ferrugineis, clava magna, fronte foveolata, rostro brevi, apice dilatato, confertim punctulato; thorace basi modice bi-sinuato, minus profunde triangulariter impresso et carinato, dorso undique remote profunde lateribus crebre punctato; elytris profunde sub-remote punctato-striatis, interstitiis convexis lævibus.

Patria : St.-Domingo. A Dom. Com. de MANNERHEIM benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Cossoni linearis*; statura et summa similitudo *Cossoni squamæ*, sed dimidio major, rostro confertim punctato, thorace basi minus profunde impresso, dorso undique etsi remote punctato, ab illo distinctus. Caput elongatum, porrectum, nigrum, nitidum; vertice lævi; fronte subtiliter minus crebre punctulata, inter oculos foveola parva, sat profunda insculpta; oculi rotundati, parum prominentes, nigri; rostrum capite paulo longius, crassiusculum, parum arcuatum, basi angustius, teres, extrorsum valde dilatatum, ibique supra planum, nigrum, nitidum, confertim subtiliter punctulatum. Antennæ crassiusculæ, obscure ferrugineæ, clava magna, breviter ovata, fusco-holosericea. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius angustatus, mox intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi modice bi-sinuatus, supra paulo convexus, basi ante scutellum minus profunde triangulariter impressus et in impressione rude punctatus et carinatus; niger, nitidus, dorso undique remote lateribus crebre punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra basi singulatim oblique sub-rotundata, antice thorace nonnihil latiora et illo duplo longiora, humeris sub-rotundatis; linearia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, nigra, nitida, glabra, profunde punctato-striata, punctis striarum rotundis, subremotis, interstitiis angustis, convexis, lævibus. Corpus subtus nigrum, nitidum, minus crebre evidenter punctatum. Pedes breviusculi, nigro-picei, nitidi; tarsis ferrugineis. — BHN.

* 22. C. GUILDINGII. *Schh.*

Parum convexus, niger, nitidus, glaber, antennis pedibusque obscure ferrugineis, clava majuscula, fronte foveolata, rostro brevi, apice valde dilatato, confertim punctulato; thorace basi modice bi-sinuato ibique foveola profunda, antice rotundata, postice carinata, impresso, dorso undique profunde sub-remote lateribus crebre punctato; elytris profu nde sub-remote punctato-striatis, interstitiis convexis, lævibus.

Cossonus depressus. Dom. GUILDING *in Litteris*; teste Dom. HOPE.

Patria : Insula St.-Vincent. A Dom. HOPE amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Cossoni pyrirostris*, dimidio tamen minor, thorace ad basin aliter profundius impresso, in impressione postice tantum carinato, ab illo fere unice distinctus. Caput, oculi et rostrum omnino ut in præcedenti. Antennæ crassiusculæ, dilutius ferrugineæ, clava majuscula, ovata, fusco-pubescente. Thorax omnino ut in *Cossono pyrirostri* constrictus, supra paulo convexus, basi ante scutellum foveola profunda, antice rotundata, postice obsolete carinata, rude punctata, insculptus, dorso undique remote profundius lateribus crebre punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra basi sub-sinuata, antice thorace nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis; lateribus non ampliata, apice ipso conjunctim rotundata; thorace plus duplo longiora, suprà paulo convexa, dorso sub-depressa, profunde punctato-striata, punctis striarum rotundis, sub-remotis, interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus crebrius profundius punctatum, nigrum, sub-nitidum. Pedes breviusculi, nigro-picei, nitidi; femoribus basi, tibiis apice tarsisque ferrugineis. — BHN.

* 23. C. PERFIDIOSUS. *Schh.*

Niger, sub-nitidus, supra parum convexus; antennarum basi pedibusque fusco-ferrugineis, fronte foveolata, rostro brevi, obsolete carinato, apice modice dilatato, confertim punctulato; thorace basi sat profunde bi-sinuato ibique sub-triangulariter profunde impresso et brevissime carinato, dorso subtilius sub-remote, basi, lateribus et subtus rude crebre punctato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus, anterius convexis.

Patria: Carraccas la Guayra. A Dom. SCHUPPEL benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Cossoni Guildingii*, nonnihil tamen convexior, rostro obsolete carinato, thorace basi aliter impresso, brevissime carinato, lateribus et subtus profundius punctato, elytris minus rude punctato-striatis, interstitiis posterius planis, ab illo distinctus. Caput porrectum, supra modice convexum, postice læve, inter oculos subtiliter confertim punctulatum, foveola parva insculptum, nigrum, nitidum; oculi rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, validum, paulo arcuatum, basi angustius, teres, extrorsum quadrangulariter ampliatum, confertim punctulatum, supra longitudinaliter obsolete carinatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ validæ; scapo dilute ferrugineo, flagello nigro-piceo, clava ovata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos vix longior, apice truncatus, anterius angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice sat profunde bi-sinuatus, supra modice convexus, basi triangulariter profunde impressus et in impressione rude punctatus, dorso sub-remote minus profunde lateribus et subtus crebre profunde punctatus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato producta, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rectangulatis, rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra modice convexa, sat profunde regulariter punctato-striata, interstitiis anterius elevatis, convexis, posterius planis, undique lævibus; nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigrum, sub-opacum. Pedes breviusculi, fusco-ferruginei; tibiis apice tarsisque dilutius ferrugineis. BHN.

24. C. Convexicollis. *Chevrolat.*

Niger, sub-nitidus, supra parum convexus, rostro apicem versus modice ampliato, supra sub-remote punctato, vertice lævissimo, fronte foveolata; thorace oblongo lateribus paulo rotundato-ampliato, undique profunde, sub-remote punctato, basi modice bi-sinuato et triangulariter impresso, dorso longitudinaliter carinato, carina utrinque serie e punctis profundioribus cincta; elytris crebre punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis, lævibus.

Patria: Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom Chevrolat ad describendum amice missus.

Cossono lineari dimidio minor, præsertim angustior, thorace longiore, basi impresso, profundius punctato, etc. Caput oblongum, supra modice convexum, nigrum, nitidum, vertice lævi, inter oculos sub-remote punctatum, foveola parva, profunda, insculptum; oculi sub ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, validum, parum arcuatum, basi angustius, teres, extrorsum quadrangulariter modice ampliatum, ibique supra deplanatum, sub-remote punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ breviusculæ, validæ, piceæ, clava ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, postice modice bi-sinuatus, supra modice convexus, undique profunde sub-remote punctatus, basi tri-angulariter impressus, longitudinaliter tenue carinatus, carinula in dorso antico serie e punctis profundioribus cincta; totus niger, sub-nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi vix latiora, humeris sub-rectangulatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, profunde crebre et profunde punctato-striata, interstitiis angustis, convexis; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus sat crebre punctatum, nigrum, magis nitidum. Pedes breves, nigri; tarsis ferrugineis. — Boh.

* 25. C. EXARATUS. *Chevrolat.*

Sub-depressus, niger, nitidus, glaber; antennis tarsisque ferrugineis, capite lævi, fronte foveolata, rostro breviore, apice modice dilatato, thorace basi leviter bi-sinuato et triangulariter impresso, in impressione sub-carinato, dorso remote lateribus dense punctato: elytris confertim punctato-striatis, interstitiis convexis, lævibus.

Cossonus exaratus et sulcatulus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

* VAR. β. Rufo-castaneus. Nuper exclusus.

Cossonus rufescens. Dom. CHEVROLAT *in Litteris* postea.

Patria: Mexico. Mus. Dom. CHEVROLAT et SCHH.

Parvus. Statura *Cossoni convexicollis* sed paulo minor, thorace basi obsolete carinato, dorso subtilius punctato, lateribus magis rotundato, ab illo bene distinctus. Caput parvum, nigrum, nitidum, læve, inter oculos foveola oblonga impressum; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite parum longius, porrectum, nonnihil arcuatum, a basi ultra medium teres, modice crassum, apice modice dilatatum; nitidum, nigrum, subtiliter crebre punctulatum. Antennæ minus tenues, rufo-piceæ, clava breviter ovata, obtusa, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos parum longior, apice truncatus, anterius angustatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, postice ante scutellum triangulariter parum profunde impressus, in impressione obsolete carinatus, dorso remote, lateribus crebre punctatus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra basi singulatim sub-rotundata, thorace paulo latiora illoque duplo longiora, humeris obtuse rotundatis; linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra sub-depressa, sat profunde confertim punctato-striata; interstitiis angustis, convexis, lævibus, nigra: sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter, sat crebre punctulatum. Pedes breviusculi, nigro-picei, nitidi, obsolete punctati, tarsis ferrugineis. — BOH.

* 26. C. IMPRESSUS. *Schh.*

Parum convexus, nigro-piceus, glaber, nitidus: fronte foveolata, rostro brevi, crasso, apice sensim ampliato; thorace satis profunde, minus crebre punctato, basi leviter bi-sinuato, triangulariter impresso et carinato; elytris castaneis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Patria: Insula Jamaica, Cuba. Dom. AUBÉ. Mus. SCHH.

Inter minimas hujus generis. Magnitudo, statura et summa similitudo *Cossoni vulnerati.* Caput porrectum, nigrum, nitidum, postice læve, inter oculos subtiliter punctulatum; fronte foveola parva insculpta. Oculi rotundati, parum prominuli, nigri. Rostrum vix longitudine capitis, crassiusculum, parum arcuatum, nigro-piceum, subtiliter punctulatum, apice modice quadrangulariter ampliatum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, capite cum rostro nonnihil longiores, crassiusculæ, nigro-piceæ, clava ovato-acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, apice truncatus, anterius, angustatus, leviter constrictus, lateribus preparum rotundatus, basi sub-bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, nitidus, undique satis profunde minus crebre punctatus, in medio baseos leviter impressus, ibique profundius punctatus, ante scutellum carinatus. Scutellum parvum, rotundatum, castaneum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, oblique angulatis, thorace vix duplo longiora, linearia, apice conjunctim rotundata, supra parum convexa, dorso planiuscula, castanea, sutura infuscata, nitida, apicem versus subtiliter ad basin magis profunde punctato-striatis; interstitiis modice convexis, angustis, lævibus. Corpus subtus nigro-piceum, subnitidum, remote evidenter punctulatum. Pedes breviusculi, tenues; femoribus nigro-piceis, tibiis tarsisque ferrugineis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 27. C. FOSSATUS. *Schh.*

Ater, sub-opacus, supra deplanatus, rostro brevi, cum capite confertissime punctulato, apice quadrangulariter valde dilatato: thorace latitudine parum breviore, lateribus modice rotundato-ampliato, longitudinaliter late impresso, undique profunde confertim punctato, basi profunde bi-sinuato: elytris sulcatis, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis angustis, elevatis, seriato-punctulatis.

Habitat in America meridionali. A Dom. T. LUND. communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Cossonis corticali*; a reliquis colore atro, magis opaco, thoracis dorso longitudinaliter late impresso, mox distinctus. Caput porrectum, minus elongatum, atrum, opacum, confertissime punctulatum; frons foveola parva obsoleta impressa. Oculi laterales, rotundati, nigri, parum prominuli. Rostrum longitudine capitis, parum arcuatum, basi angustius, extrorsum quadrangulariter valde ampliatum, atrum, opacum, confertissime subtiliter punctulatum. Antennæ rostro cum capite paulo longiores, versus apicem rostri insertæ, crassiusculæ, piceæ, articulo primo ferrugineo, clava ovato-acuminata, fusco-pubescente. Thorax latitudine media non longior, apice truncatus, antice leviter coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra fere planus, parum convexus, dorso a basi ad apicem usque longitudinaliter late impressus; totus ater, parum nitidus, undique crebre profunde punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim paulo oblique rotundato-producta, antice thorace paulo latiora et illo plus duplo longiora, humeris elevatis, oblique angulatis, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, sulcata, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis angustis, elevatis, singulis serie regulari e punctis minutissimis, sat crebris impressis. Corpus subtus atrum, sub-nitidum, crebre evidenter punctatum. Pedes breviusculi, tenues, nigro-picei, punctati; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. BHN.

* 28. C. Marginalis. *Schh.*

Parum convexus, piceus, sub-nitidus, antennis; thorace, elytris pedibusque rufo-castaneis, rostro crasso, late sulcato, apice modice dilatato; thorace oblongo, longitudinaliter bi-impresso, medio carinato, subtiliter minus confertim punctato, basi leviter bi-sinuato; elytris nigro-marginatis, sulcatis, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis lævibus.

Habitat in insula Bourbon. A Dom. Steven et Audouin communicatus. Mus. Schh.

Statura et similitudo *Cossoni elongatuli*, rostro apicem versus magis ampliato, thorace subtiliter remotius punctulato, ab illo mox distinctus. Caput porrectum, nigrum, postice læve, inter oculos parce sat profunde punctatum; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum vix longitudine capitis, crassum, rectum, rufo-piceum, nitidum, basi nonnihil angustius, apicem versus modice dilatatum, profunde punctulatum, supra sulco sat lato, in fronte usque extenso, apice abbreviato, exaratum. Antennæ crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava ovato-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax oblongus, latitudine baseos multo longior, apice truncatus, anterius angustatus, ibique leviter coarctatus et transversim impressus, lateribus modice rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, fere planus, subtiliter remote punctulatus, dorso longitudinaliter late impressus et in impressione profunde punctatus, carinatus; totus rufo-castaneus, nitidus, glaber, margine antico infuscato. Scutellum parvum, rotundatum, rufo-castaneum. Elytra basi sub-sinuata, antice thorace nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis; linearia, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, sulcata, sulcis sat profunde punctatis; interstitiis angustis, modice elevatis, lævibus; tota rufo-castanea, marginibus suturalibus angustius, lateralibus latius, nigris. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, profunde remote punctatum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-castanei, geniculis piceis.

Bhn.

29. C. ELONGATULUS. *Fabricius.*

Angustus, parum convexus, ferrugineus, nitidus, glaber, capite piceo, rostro brevi, sub-lineari, crasso, basi late sulcato, apice vix ampliato; thorace angusto, profunde sat confertim punctato, longitudinaliter obsolete bi-impresso, medio sub-carinato, basi leviter bi-sinuato; elytris sulcatis, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis levibus, sutura margineque laterali infuscatis.

FABR. *Syst. El.* II. p. 496. 2.
Curculio id. FABR. *Suppl. Ent. Syst.* p. 168. 111-112.
Cossonus sulcifrons. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

* VAR. β. Dimidio fere minor, rufo-testaceus.

Patria: Caput Bonæ Spei. A Dom. TOEND. LUND. communicatus. Mus. SCHH. India orientalis et Ile de France. Mus. CHEVROLAT.

Cossono cylindrico paulo major. Caput porrectum, piceum, nitidum, postice læve, inter oculos minus profunde sub-remote punctatum; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite paulo brevius, crassiusculum, parum arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, fere lineare, ferrugineum, nitidum, sat profunde punctulatum: supra sulco sat lato in fronte usque producta, apice abbreviata, exaratum. Antennæ crassiusculæ, ferrugineæ, clava ovato-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax elongatus, apice truncatus, anterius sensim angustatus, ibique leviter constrictus, lateribus perparum rotundatus, basi sub-bi-sinuatus, supra fere planus, profunde sat confertim punctatus, dorso longitudinaliter obsolete bi-impressus, intra impressiones linea parum elevata, sub-lævi, notatus; ferrugineus, lateribus et subtus interdum infuscatus. Scutellum parvum, rotundatum, ferrugineum. Elytra elongata, basi sub-truncata, thoracis medio parum latiora, humeris sub-rectangulatis; thorace duplo longiora, linearia, apice conjunctim rotundata, supra in dorso fere plana, sulcata, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis angustis, modice elevatis, lævibus; tota ferruginea, sutura et marginibus lateralibus plus minusve infuscatis. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, remote evidenter punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, ferruginei, obsolete remote punctulati, geniculis parum infuscatis. — Mas.

C. *Thorax supra impressus, area utrinque magna lævi, vel subtilissime punctulata.* (Species 30-40.)

* 30. C. CANALICULATUS. *Fabricius.*

Parum convexus, niger, sub-nitidus, glaber, capite impunctato, linea supra oculos transversa impresso, rostro breviori, crasso, apice modice ampliato, remote punctulato; thorace oblongo, dorso lævi, a basi fere ad apicem triangulariter impresso, in impressione et ad latera profunde punctato; elytris punctato-striatis, interstitiis lævibus, abdomine fusco-ferrugineo.

Cossonus id. FABR. *Syst. El.* II. 496. 3.

Patria : Insula Java. Dom. DE HAAN. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere statura *Cossoni corticalis,* ab illo rostro non impresso, thorace angustiori, aliter punctato, elytris minus profunde punctato-striatis, abdomine ferrugineo, mox distinctus. Caput porrectum, nigrum, nitidum, vix visibiliter punctulatum, inter oculos foveola parva et supra eos linea transversa impressum. Oculi laterales, nigri, parum prominuli. Rostrum longitudine capitis, crassum, sub-rectum, apice quadrangulariter ampliatum, minus crebre punctatum, nigrum, nitidum. Antennæ pone medium rostri insertæ, rostro cum capite nonnihil longiores, validiusculæ, piceæ, clava breviter ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, apice truncatus, antice coarctatus, lateribus perparum rotundatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, dorso lævi, a basi ad apicem fere triangulariter sed in medio interrupte impressus; in impressione profunde crebre punctatus et obsolete carinatus, lateribus sat profunde sed minus crebre punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim parum rotundato-producta, antice thorace parum latiora, et illo plus duplo longiora, humeris sub-rotundatis, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra in dorso parum convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, sub-lævibus; tota nigra, sub-nitida. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, remote subtiliter punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, picei, punctati; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

31. C. [illegible] *Fabricius*.

Parum convexus, niger, nitidus, antennis tibiisque piceis, rostro breviusculo subtiliter remote punctulato, apice valde dilatato; thorace oblongo, basi profunde et bi-sinuato et triangulariter impresso, area dorsali utrinque lævi; versus latera rude punctato; elytris apicem versus piceo-ferrugineis, sat profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Cossonus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 407. 5.

* VAR. β. Elytris a medio ad apicem rufo-ferrugineis.

Patria: America meridionalis. A Dom. TORNDER LUND. communicatus. Mus. GYL. et SCHH.

Statura fere *Cossoni linearis*, sed latior et dimidio minor. Caput porrectum, nigrum, nitidum, subtilissime remote punctulatum; vertice lævi; fronte inter oculos foveola parva impressa; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius, crassiusculum, parum arcuatum, basi angustius, extrorsum quadrangulariter ampliatum, nigrum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Antennæ crassiusculæ, obscure ferrugineæ, clava ovato-acuminata, pallido-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, anterius angustior, leviter coarctatus, lateribus paulo rotundatus, basi profunde bi-sinuatus, lobo medio parvo, supra fere planus, a basi versus medium profunde triangulariter et ante medium fovea impressus, in impressione rude punctatus, area dorsali utrinque sparse subtilissime punctulata cincta, versus latera et antice profunde sed minus crebre punctatus; totus niger, glaber, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi conjunctim rotundata, antice thorace paulo latiora et illo duplo longiora, humeris oblique angulatis; linearia, apice conjunctim rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, nigra, versus apicem dilutiora, castanea, nitida, profunde punctato-striata, præsertim versus basin, interstitiis angustis, fere planis, lævibus. Corpus subtus nigrum, nitidum, minus crebre evidenter punctatum, pectore medio lævi. Pedes breviusculi, tenues, rufo-picei; tibiis tarsisque ferrugineis.

Bn:

* 32. C. LATITHORAX. *Schh.*

Parum convexus, niger, nitidus, glaber, antennis pedibusque rufo-piceis, rostro brevi, dorso sub-tumido, subtiliter punctulato, extrorsum quadrangulariter dilatato; thorace sub-quadrato, anterius ampliato, basi profunde, triangulariter impresso, ibique rude punctato, area dorsali utrinque subtilissime punctata, lateribus anticeque seriebus duabus dorsalibus profunde punctato; elytris sat profunde striato-punctatis, interstitiis lævibus, pone medium apicem versus rufo-ferrugineis.

Patria: India orientalis.? Ex Musæo Dom. BARTELS ad describendum amice missus.

Magnitudo et summa similitudo *Cossoni squamæ,* rostro basi crassiore, thorace latiore, anterius magis ampliato, ab illo fere unice distinctus. Caput porrectum, nigrum, nitidum, læve; fronte inter oculos foveola parva insculpta; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, modice arcuatum, basi angustius, teres, extrorsum quadrangulariter ampliatum, deplanatum, supra in dorso nonnihil fornicatum, nigrum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum, apice piceum. Antennæ validiusculæ, obscure ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine vix longior, apice truncatus, mox ad apicem subito angustatus, lateribus a basi ad apicem sensim ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra fere planus, a basi versus medium profunde triangulariter impressus et in impressione rude crebre punctatus, area dorsali utrinque subtilissime punctulata, notatus, lateribus et subtus crebre profunde punctatus, in dorso antico seriebus duabus e punctis profundis insculptus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra basi singulatim oblique subrotundata, antice thorace parum latiora et illo duplo longiora, humeris oblique angulatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, nigra, a medio apicem versus rufo-castanea, margine nigra, nitida, glabra, profunde punctato-striata, præsertim versus basin, interstitiis fere planis, lævibus. Corpus subtus minus crebre obsolete punctulatum, nigrum, parum nitidum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-picei: tibiis tarsisque ferrugineis. — BOH.

33. C. FOVEATUS. *Chevrolat.*

Sub-depressus, niger, nitidus, rostro longiore, subtiliter remote punctulato, apice modice dilatato; thorace quadrangulo, basi profunde triangulariter impresso, ibique lateribusque rude punctato, area dorsali utrinque lævi, notato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis latioribus, lævibus.

Patria : Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Magnitudo, statura et summa similitudo *Cossoni squamæ*, aliter coloratus, rostro longiore, elytrorum interstitiis latioribus, minus convexis, ab illo unice distinctus. Caput porrectum, subtilissime remote punctulatum, nigrum, nitidum; vertice lævi; fronte inter oculos foveola parum profunda impressa; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite fere duplo longius, validum, paulo arcuatum, basi angustius, teres, extrorsum quadrangulariter modice ampliatum, subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, clava ovata, sub-acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine media haud longior, apice truncatus, anterius angustior, intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice rotundatus, postice profunde bi-sinuatus, supra fere planus, a basi versus medium profunde triangulariter impressus, ibique rude punctatus, dorso antico seriebus duabus e punctis profundis insculptus, area dorsali utrinque lævi notatus, lateribus profunde crebre punctatus, niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice singulatim nonnihil rotundato-producta, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra sub-depressa, sat profunde punctato-striata, præsertim versus basin, interstitiis latioribus, minus convexis, lævibus; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus minus crebre evidenter punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, nigri; tarsis ferrugineis. BHN.

34. C. PUNCTIFRONS. *Chevrolat.*

Depressus, niger, nitidus, rostro breviore, crassiusculo, cum fronte evidenter confertim punctulato, apice abrupte valde dilatato; thorace a basi fere ad apicem profunde triangulariter impresso, ibique lateribusque sat rude punctato, area dorsali utrinque subtiliter punctulata, notato; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis planis, lævibus.

Patria: Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Statura et summa similitudo *Cossoni foveati*, rostro breviore cum fronte evidenter crebrius punctulato, thorace utrinque area dorsali subtiliter punctulata, elytris minus profunde punctato-striatis, ab illo distinctus videtur. Caput porrectum, postice læve, antice subtiliter crebre punctulatum, nigrum, nitidum, inter oculos puncto tenuissimo insculptum; oculi sub-rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, validum, paulo arcuatum, basi angustius, teres, extrorsum quadrangulariter ampliatum, crebre subtiliter punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigræ, clava ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice truncatus, anterius angustior, intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, lateribus paulo rotundatus, postice profunde bi-sinuatus, supra fere planus, a basi ultra medium sat profunde sub-triangulariter impressus et in impressione sat rude punctatus posticeque carinatus, area dorsali utrinque subtilissime sub-remote dorso antico longitudinaliter lateribusque sat crebre punctatis; niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, regulariter mediocriter minus profunde quam in *Cossono foveato* punctato-striata, interstitiis planis, lævibus; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus subtiliter sat crebre punctulatum, nigrum, magis nitidum. Pedes breviusculi, nigri, subtiliter punctulati, tarsis ferrugineis. BHN.

35. C. LIGNIPERDUS. *Schh.*

Angustior, sub-depressus, niger, nitidus, rostro brevi, apice valde dilatato, sat crebre punctulato; thorace basi triangulariter leviter impresso, ibique, seriebus duabus dorsalibus lateribusque sub-remote punctato, area utrinque dorsali sub-lævi notato, intra apicem profundius constricto; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis angustioribus, lævibus, sutura medio elevata.

Patria: Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Affinis certe *Cossoni foveati*, sed dimidio fere minor, gracilior, thorace antice profundius constricto, basi leviter impresso, magis remote punctato, a præcedentibus bene distinctus. Caput porrectum, postice sub-læve, inter oculos subtiliter punctulatum, foveola parva, sat profunda insculptum, nigrum, nitidum; oculi sub-rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, validum, sub-rectum, basi angustius, teres, dein apicem versus quadrangulariter dilatatum, sat crebre punctulatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ breves, validæ, nigræ, clava ovata, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media longior, apice truncatus, anterius angustior, mox intra apicem profundius magis late consrictus et transversim impressus, lateribus paulo rotundatus, postice modice bi-sinuatus, supra fere planus, basi triangulariter leviter impressus et in impressione, dorso antico lateribusque sub-remote sat profunde punctatus, area utrinque dorsali crebre subtilissime punctata, notatus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, regulariter mediocriter punctato-striata, interstitiis angustioribus, lævibus, tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus punctulatum, nigrum. Pedes breviusculi, nigri; tarsis ferrugineis. BHN.

* 36. C. LEBASII. *Dejean.*

Depressus, niger, nitidus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro capite parum longiore, obsolete punctulato, apice sensim modice dilatato; thorace oblongo, a basi ultra medium triangulariter impresso, ibique carinato, crebre punctato, ante medium seriebus duabus e punctis profundis, area dorsali lævi, versus latera crebre punctato; elytris basi plaga elongata ferruginea, mediocriter punctato-striatis, interstitiis planis lævibus.

Cossonus id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p.

Patria: Carthagena. A Dom. Com. DEJEAN amice communicatus. Mus. SCHH.

Cossono squama paulo brevior, sed dimidio fere angustior, thorace a basi ultra medium triangulariter impresso et in impressione carinato, lateribus minus rude punctato, elytris subtilius punctato-striatis, ut et colore alio, ab illo distinctus. Caput porrectum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum, postice læve, inter oculos foveola parva insculptum; oculi sub-rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, sub-rectum, basi angustius, teres, extrorsum modice quadrangulariter ampliatum, deplanatum; totum nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum. Antennæ crassiusculæ, obscure ferrugineæ, clava ovata, sub-obtusa, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil longior, apice truncatus, mox intra apicem leviter coarctatus, anterius angustior, lateribus paulo rotundatus, basi sub-bi-sinuatus, supra fere planus, a basi ultra medium profunde triangulariter impressus, in impressione carinatus et rude punctatus, area dorsali lævi utrinque cincta, lateribus et in dorso antico punctis sat crebris sed minus profundis impressus; totus niger, glaber, nitidus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis; linearia, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, dorso fere plana, mediocriter crebre punctato-striata, interstitiis antice sub-elevatis, posterius planis, lævibus; nigra, nitida, glabra; a basi ad medium plaga, posterius angustata, plus minusve distincte ferruginea, de-

corata. Corpus subtus subtiliter sat crebre punctulatum, ferrugineum, nitidum, segmentis ultimis abdominis nigro-piceis. Pedes breviusculi, nigro-picei; tibiis apice tarsisque ferrugineis.—BOH.

* 37. C. VULNERATUS. *Illiger.*

Parum convexus, nigro-piceus, glaber, nitidus, antennis, tibiis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro brevi, apice sensim paulo ampliato; thorace profunde et remote punctato, basi sub-truncato, a basi ad medium triangulariter impresso, dorso antico seriebus duabus e punctis magnis, utrinque area lævi; elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Cossonus. id. ILLIG. *Mag.* IV. p. 131. 30.

Hylesinus canaliculatus. FABR. *Syst. El.* I. II. p. 395. 30.

Curculio canaliculatus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 471. 324.

HERBST, *Col.* VI. p. 503. 537.

Patria: America meridionalis. A Dom. TOENDER LUND. missus. Mus. GHL. et SCHH.

Rhyzophago bipustulato magnitudine æqualis. Caput læve; fronte canalicula abbreviata impressa; oculi rotundati, paulo prominuli; rostrum longitudine capitis, ebeonicum, crassiusculum, sub-rectum, subtilissime; minus crebre punctulatum, apicem versus paulo sensimque ampliatum. Antennæ validiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava ovata, obtusa, cinereo-holosericea. Thorax latitudine basos multo longior, apice truncatus, anterius angustatus, leviter coarctatus, lateribus parum rotundatus, basi sub-truncatus, supra depressus, lateribus profunde, remote punctatus, a basi versus medium triangulariter impressus et in impressione profunde punctatus, in dorso seriebus duabus e punctis profundis impressus, utrinque area lævi. Scutellum parvum rotundatum. Elytra linearia, thorace vix duplo longiora, basi sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris obtuse angulatis, apice conjunctim rotundata, supra parum convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis parum convexis, lævibus. Corpus subtus minus profunde, remote punctulatum; pectoris abdominisque medio lævi. Pedes breviusculi, sub-tenues; femoribus nigro-piceis, tibiis tarsisque ferrugineis. — BOH.

38. C. DECEPTOR. *Schh.*

Sub-depressus, niger, nitidus, glaber, antennis pedibusque piceis, capite vix punctato, rostro longiore, obconico; thorace angusto, basi triangulariter impresso, ibique rude punctato, dorso lævi, antice punctis quatuor impresso, lateribus minus subtiliter punctulato; elytris tenue punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Patria : America. A Dom. AUBÉ amice communicatus.

Statura *Cossoni Lebasii*, sed dimidio fere minor, magis nitidus, thoracis dorso antico tantum punctis nonnullis impresso, in impressione non carinato, lateribus subtiliter punctulato, elytris minus profunde punctato-striatis, ab illo facile distinctus. Caput porrectum, vix punctatum, nigrum, nitidum, glabrum; fronte non impressa; oculi laterales, sub-rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, paulo arcuatum, a basi ultra medium teres, modice crassum, versus apicem sensim modice ampliatum et nonnihil deplanatum; nigrum, sub-opacum, obsolete punctulatum, apice fusco-ferrugineum. Antennæ pone medium rostri sitæ, ultra medium thoracis pertingentes, obscure ferrugineæ, clava magna, ovata, sub-obtusa, dense cinereo-pubescente. Thorax oblongus, latitudine baseos longior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus, et transversim impressus, anterius angustior, lateribus parum rotundatus, basi modice bi-sinuatus, lobo medio producto, supra fere planus, basi triangulariter profunde impressus et in impressione rude punctatus, area magna dorsali lævi, dorso antico punctis quatuor profundis impresso; lateribus minus subtiliter crebre punctatus; totus niger, nitidissimus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, obtuse angulatis; linearia, apice ipso conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, dorso fere plana, subtiliter punctato-striata, punctis anterius evidentioribus; interstitiis angustis, planis, lævibus; tota nigra, nitidissima, glabra. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigrum, nitidum. Pedes breviusculi, picei, tibiis tarsisque dilutioribus.

BHN.

59. C. THORACICUS. *Chevrolat.*

Depressus, niger, nitidus, rostro brevi cum fronte sub-remote evidenter punctulato, apice quadrangulariter valde ampliato; thorace supra plano, dorso lævi, seriebus duabus longitudinalibus antice coeuntibus, sub-impressis, irregulariter profunde, lateribus et subtus sub-remote subtilius punctatis; elytris mediocriter crebre punctato-striatis, interstitiis angustis, parum convexis, lævibus.

Patria : Orixaba in Mexco. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Cossono Lebasii paulo major, depressus, aliter coloratus, punctura thoracis a congeneribus facile distinctus. Caput porrectum, postice læve, inter oculos sub-remote punctatum, canalicula tenui, abbreviata insculptum, nigrum, nitidum; oculi rotundati, sub-depressi, nigri; rostrum capite fere brevius, validum, sub-rectum, basi nonnihil angustius, teres, extrorsum quadrangulariter ampliatum, deplanatum, sub-remote punctulatum; totum nigrum, nitidum. Antennæ crassiusculæ, nigro-piceæ, clava ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos non longior, apice truncatus, mox intra apicem coarctatus et transversim impressus, anterius angustior, lateribus paulo rotundatus, postice sub-bi-sinuatus, supra planus, dorso subtilissime remote punctulatus, medio seriebus duabus impressis, e punctis profundis irregulariter locatis, antice coeuntibus notatus, lateribus et subtus sat crebre punctatus; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice leviter sinuata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-rectangulatis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, supra depressa, plana, crebre mediocriter punctato-striata, interstitiis angustis, parum convexis, lævibus, nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus crebre sat profunde punctatum, nigrum, sub-nitidum. Pedes breviusculi, nigro-picei, punctulati; tarsis ferrugineis. — BHN.

* 40. C. Suturalis. *Schh.*

Depressus, niger, nitidus, glaber, antennarum basi tarsisque obscure ferrugineis, rostro brevi, apice quadrangulariter modice dilatato; thorace disco lævi, longitudinaliter late impresso, in impressione rude punctato et sub-carinato, lateribus confertim punctato, basi leviter bi-sinuato; elytris rufo-castaneis, sutura apiceque nigris, confertim punctato-striatis, interstitiis convexis.

Habitat in Africa australi. A Dom. Drège donatus. Mus. Schh.

Magnitudo et fere color *Cossoni exarati*, magis depressus, thorace aliter impresso et punctato ab illo facillime distinctus. Caput parvum, porrectum, nigrum, nitidum, subtilissime punctulatum; fronte inter oculos foveola oblonga, longitudinali insculpta; oculi laterales, rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum capite vix longius, porrectum, parum arcuatum, a basi ultra medium teres, modice crassum, apice quadrangulariter dilatatum, ibique supra planum, nigrum, nitidum, subtilissime crebre punctulatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus tenues, nigro-piceæ, basi ferrugineæ, clava ovata, sub-obtusa, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine parum longior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem constrictus, lateribus parum ampliatus, basi leviter bisinuatus, supra fere planus, disco lævi, in medio tamen longitudinaliter lateque impressus et in impressione rude punctatus, obsolete carinatus; lateribus confertim minus profunde punctatis; totus niger, nitidus, glaber. Scutellum sub-rotundatum, nigrum, læve. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris vix prominulis, rotundatis, callo elevato; lateribus non ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, supra fere plana, sat profunde confertim striata, et in striis punctata, interstitiis parum convexis, impunctatis; tota rufo-castanea, sutura, margine laterali apiceque nigris. Corpus subtus nigrum, nitidum, disperse sat profunde punctatum, ventre medio impressum. Pedes breves, validi, nigri, nitidi, obsolete punctati; femoribus medio incrassatis; tarsis gracilibus, obscure ferrugineis. — Bhn.

D. *Thorax supra æqualis, lævis.* (Species 41.)

* 41. C. GLABRICOLLIS. *Schh.*

Depressus, niger, nitidus, glaber, antennis tarsisque ferrugineis, rostro longiore, vix punctato, apice modice sensimque dilatato; thorace apice leviter constricto, lævi, seriebus duabus dorsalibus subtiliter punctatis impresso; elytris subtiliter punctato-striatis, punctis lateralibus profundioribus, interstitiis planis, sub-lævibus.

Patria: Africa australis. A Dom. DRÈGE ad describendum benevole communicatus. Mus. SCHH.

Medius. Statura *Cossoni linearis*, sed dimidio minor, magis depressus. Caput parvum, oblongum, porrectum, nigrum, nitidum, impunctatum, inter oculos foveola obsoleta, oblonga impressum; oculi rotundati, parum prominuli, obscure brunnei; rostrum capite dimidio longius, porrectum, apicem versus nonnihil arcuatum, a basi ultra medium teres, apice sub-quadrangulariter modice dilatatum, nigrum, nitidum, læve. Antennæ pone medium rostri insertæ, minus tenues, ferrugineæ, clava magna, ovata, obtuse acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica non longior, apice truncatus, anterius angustatus ibique coarctatus, lateribus medio parum rotundato-ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra fere planus, niger, nitidus, lævis; utrinque in dorso serie longitudinali e punctis plurimis parvis, parum profundis impressus. Scutellum parvum, apice rotundatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi parum latiora, humeris fere rectangulatis, callo elevato; lateribus non ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra depressa, fere plana, subtiliter punctato-striata, punctis lateralibus profundioribus, interstitiis angustis, planis, lævibus; tota nigra, nitida. Corpus subtus nigrum, nitidum, disperse subtiliter punctatum. Pedes breves, nigri, nitidi; femoribus crasse clavatis, muticis; tarsis gracilibus, ferrugineis. — BHN.

** *Thorax antice profunde constrictus.* (Species 42-44.)

* 42. C. Spathula. *Chevrolat.*

Oblongus, sub-convexus, niger, opacus, cinereo-pulverulentus, rostro basi profunde constricto, apice sub-orbiculato, inæquali, postice profunde canaliculato; thorace foveolato, obsolete carinato, confertim varioloso, anterius profundissime constricto, fere abscisso, basi profunde bi-sinuato; elytris seriatim favosis.

Habitat in Insula Cuba. Dom. Chevrolat. Mus. Schh.

Cossono lineari paulo brevior, sed fere latior. Caput breve, convexum; obsolete punctatum, nigrum; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite longius, basi constrictum, extrorsum valde ampliatum, fere orbiculatum, supra inæquale, punctulatum, lateribus tuberculatum, basi profunde canaliculatum, nigrum, opacum. Antennæ validæ, nigræ, pilosæ, clava apice cinerea. Thorax latitudine paulo longior, apice truncatus, longe intra apicem profundissime constrictus, veluti abscissus, lobo anteriore elevato, obsolete punctulato, collare mentiente; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi profunde bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio canaliculatus, canali posterius latiore et profundiore, medio sub-interrupto, longitudinaliter carinato; superficies reliqua punctis magnis, latis, variolosis confertim adspersa; totus niger, opacus, in cavitatibus cinereo-pulverulentus. Scutellum parvum, nigrum. Elytra antice sinuata, thoracis basi non latiora nec lateribus ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra convexa, favosa, seu punctis magnis rotundatis, approximatis, seriatim digestis, impressa; interstitiis omnibus, tam longitudinalibus quam transversis, angustis, elevatis, convexis; nigra, opaca, in cavitatibus cinereo-pulverulenta. Corpus subtus nigrum, medio sub-nitidum, confertim varioloso-punctatum, cinereo-pulverulentum. Pedes breves, validi, nigri, punctati, tarsis piceis.

Bhn.

43. C. ABSCISSUS. *Schh.*

Elongatus, sub-convexus, niger, opacus, rostro apicem versus valde ampliato, apice ipso truncato, supra confertim punctato: thorace obsolete carinato, profunde sat crebre punctato, anterius profundissime constricto, fere abscisso, basi bi-sinuato: elytris striatim favosis, interstitiis seriatim punctulatis.

Patria: Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum benevole communicatus.

Cossono spathulæ affinis, vix latior, sed fere dimidio longior, rostro minus orbiculato, thorace profundius punctato, basi non impresso, dorso obsolete carinato etc. ab illo facile distinctus. Caput oblongum, convexum, ante oculos leviter constrictum, obsolete remote punctatum, nigrum, opacum; fronte foveola oblonga impressa; oculi ovati, depressi, nigri; rostrum capite vix longius, basi constrictum, extrorsum valde ampliatum, apice ipso truncatum, supra planum, crebre punctulatum, lateribus non tuberculatum, nigrum, opacum. Antennæ validiusculæ, nigræ, pilosæ, clava ovata, apice cinereo-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, apice truncatus, longe intra apicem profundissime constrictus, veluti abscissus, lobo anteriore elevato, minus profunde punctato, collare mentiente; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, in medio obsolete longitudinaliter carinatus, punctis profundis, sat crebris impressus; totus niger, opacus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub-sinuata, thoracis basi non latiora, nec lateribus ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, favosa, seu punctis magnis rotundatis, approximatis, seriatim digestis, impressa; interstitiis omnibus, angustis, elevatis, convexis, longitudinaliter, subtiliter punctatis; tota nigra, opaca. Corpus subtus nigrum, subnitidum, profunde minus crebre punctatum. Pedes breves, validi, punctati, pube pallida parce adspersi; femoribus clavatis, nigris; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — BHN.

44. C. Torridus. *Chevrolat.*

Elongatus, sub-convexus, nigro-piceus, sub-opacus, rostro lato, apice ipso valde ampliato, emarginato, supra plano, carinato; thorace minus profunde crebre punctato, anterius profunde constricto, basi bi-sinuato; elytris rufo-piceis, mediocriter punctato-striatis, interstitiis planis, punctulatis.

Patria : Senegallia. Ex Musæo Dom. Chevrolat ad describendum amice communicatus.

Cossono abscisso affinis, nonnihil tamen major, rostro latiore, supra carinato, thorace crebre minus profunde punctato, non carinato, anterius minus profunde constricto, elytris parum profunde punctato-striatis, aliter coloratis etc., ab illo bene distinctus. Caput breve, supra fere planum, crebre parum profunde punctulatum, nigrum, opacum; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius et paulo angustius, validum, rectum, basi leviter constrictum, apice ipso truncatum, emarginatum, supra planum, obsolete punctulatum, medio longitudinaliter carinatum, nigrum, opacum. Antennæ validiusculæ, piceæ, clava parva, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos longior, apice truncatus, longe intra apicem profunde constrictus, lobo anteriore modice elevato, obsolete punctato, collare mentiente; lateribus pone stricturam modice ampliatus, postice sat profunde bi-sinuatus, punctis crebris, minus profundis, sæpe confluentibus impressus; nigro-piceus, sub-opacus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum. Elytra antice sub truncata, thoracis basi non latiora, nec lateribus ampliata, humeris sub-rectangulatis; apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, mediocriter punctato-striata, punctis striarum sat crebris, interstitiis angustis, planis, seriatim sat crebre punctulatis; tota rufo-picea, sub-opaca. Corpus subtus sub-remote punctatum, nigro-piceum, magis nitidum. Pedes breves, validi, sat profunde sub-remote punctati, nigro-picei, nitidi, tarsis obscure ferrugineis.

Bhn.

Manipulus II. *Rostrum teres, sub-lineare.* (Species 45.)

45. C. LATUS. *Chevrolat.*

Parum convexus, niger, sub-nitidus, rostro tereti, lineari, crassiusculo, modice arcuato, subtiliter punctulato; thorace ante scutellum foveola rotunda impresso, dorso sub-remote, lateribus crebre profunde punctato; elytris crebre profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, lævibus.

Patria: Orixaba in Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Maximus hujus generis. *Lixo Bardanæ* magnitudine fere æqualis, magis depressus. Caput breve, supra convexum, postice subtilissime remote inter oculos profunde crebre punctatum, foveolatum, nigrum, nitidum; oculi sub-ovati, parum prominuli, nigri; rostrum capite paulo longius, validum, teres, lineare, parum arcuatum, supra convexum, apice deplanatum, subtiliter sub-remote punctulatum, nigrum, nitidum. Antennæ validæ, nigro-piceæ, clava ovata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, anterius angustior, intra apicem obsolete constrictus, lateribus pone stricturam rotundato-ampliatus, postice bi-sinuatus, supra fere planus, in ipsa basi ante scutellum foveola parum profunda, rude punctata, insculptus, dorso ante foveolam remote lateribus crebre profunde punctatus; totus niger, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, læve. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim obtuse rotundata; thorace fere triplo longiora, supra in dorso paulo convexa, sat profunde striata et in striis rude crebre punctata; interstitiis angustis, convexis, lævibus; tota nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus sat profunde minus crebre punctatum, nigrum, magis nitidum. Pedes breves, nigri, nitidi, sub-remote punctati; tarsis obscure ferrugineis.

BOH.

Stirps 2. *Clava antennarum elongata.* (Species 46 et 47.)

* 46. C. Depressus. *Chevrolat.*

Latior, depressus, niger, sub-nitidus, pectore abdomineque obscure testaceis; antennarum clava sub-cylindrica, oblonga, fronte rostroque apice modice dilatato-canaliculatis; thorace crebre punctato, medio longitudinaliter leviter impresso et carinato; elytris crebre profunde punctato-striatis; interstitiis convexis, quarto a sutura reliquis magis elevato.

Var. β. Rufo-castaneus, capite, rostro pedibusque et interdum thorace obscurioribus.

Patria : Mexico. A Dom. Chevrolat amice communicatus. Mus. Schh.

E majoribus. *Cossono lineari* dimidio major, præsertim latior. Caput oblongum, convexum, nigro-piceum, sub-nitidum, postice fere læve, fronte confertim punctulata, inter oculos canalicula abbreviata, insculpta; oculi ovati, parum prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis, basi attenuatum, teres, apicem versus modice quadrangulariter ampliatum, parum arcuatum, supra fere planum, confertim punctulatum, canalicula sat profunda, antice posticeque abbreviata insculptum, totum nigro-piceum, sub-nitidum. Antennæ validiusculæ, nigro-piceæ, clava oblonga, cylindrica, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media haud longior, anterius subito angustior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra fere planus, undique sat crebre punctatus, medio longitudinaliter impressus et in impressione carinatus; totus niger, sub-nitidus. Scutellum parvum, nigrum, nitidum. Elytra linearia, antice sub-sinuata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, profunde confertim punctato-striata; interstitiis angustis, convexis, quarto a satura reliquis magis elevato; nigra, sub-nitida, glabra. Corpus subtus confertim punctulatum, testaceum, sub-nitidum; segmentis ultimis abdominis obscurioribus. Pedes breves, subtiliter punctulati, nigri; tarsis ferrugineis.

Bhn.

47. C. CONICIROSTRIS. *Chevrolat.*

Deplanatus, niger, sub-nitidus, pectore abdomineque ferrugineis, antennarum clava oblongo-ovali, rostro brevi, sub-lineari, sub-recto, depresso, cum fronte breviter leviterque canaliculato ; thorace crebre punctato, longitudinaliter impresso et carinato, basi profunde bisinuato ; elytris crebre profunde punctato-striatis, interstitiis subconvexis, quarto a sutura elevatiore.

Patria : Mexico. A Dom. CHEVROLAT ad describendum amice communicatus.

Statura et affinitas *Cossoni depressi*, sed dimidio minor, rostro apice non ampliato, leviter tantum canaliculato, antennarum scapo minus clavato, clava breviore, distinctus videtur. Forte tantum alter sexus esset *Cossoni depressi*, cum vero nihil certi de hac re exstat, ut species distincta interim est habenda. Caput rotundatum, parum convexum, crebre minus subtiliter punctatum, fronte canalicula brevi impressa ; oculi rotundati, modice prominuli ; rostrum capite vix longius, sub-lineare, sub-rectum, supra deplanatum, crebre subtiliter punctulatum, inter antennas canaliculo brevi et tenue exaratum. Antennæ mediocres, validiusculæ, rufo-piceæ, clava oblongo-ovali, obtusa, cinereo-holosericea. Thorax latitudine baseos parum brevior, antice fere duplo angustior, apice truncatus, intra apicem leviter coarctatus, lateribus modice, fere æqualiter rotundatus, basi sat profunde bi-sinuatus, supra fere planus, crebre sat profunde punctatus, longitudinaliter obsolete impressus, et carinula parum elevata instructus. Scutellum parvum, rotundatum, læve. Elytra linearia, thorace triplo longiore, antice singulatim, modice oblique rotundata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtusis, sub-angulatis, apice conjunctim rotundata, supra fere plana, sulcata et in sulcis crebre, profunde punctata, interstitiis angustis, subtilissime seriatim punctulatis, interioribus planiusculis, exterioribus sub-carinatis, quarto a sutura cæteris elevatiore. Corpus subtiliter, minus confertim punctulatum, rufo-ferrugineum, abdomine apice infuscato. Pedes breviusculi, punctulati, femoribus modice clavatis. — BLD.

Forte hujus generis, species mihi invisæ.

48. C. Tardii. *Vigors.*

Piceo-niger, aut castaneus, nitidus, antennis pedibusque castaneis, elytris punctato-striatis, interstitiis rugosis. — Steph.

Stephens, *Brit. Ent.* V. p. 7. 1. — *Catal.* p. 148. 1490.
Curtis II. Tab. 59.

Patria : Irlandia.

49. C. Tenellus. *Klug.*

Elongatus, planus, fusco-niger, thoracis elytrorumque ambitu, rostro pedibusque ferrugineis. — Klug.

Klug. *Ins. von Madag.* p. 114. 179.

Variat thorace elytrisque dorso unicoloribus rufo-testaceis.

Patria : Madagascar.

Genus 395. PORTHETES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, in mare prope medium, in femina basi rostri insertæ; scapo basi tenui, extrorsum valde incrassato, præsertim in mare; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-turbinatis, reliquis sub-perfoliatis, paulo coarctatis, extrorsum sensim crassioribus, ultimo clavæ haud adpresso ; clava minuscula, sub-ovata, 4-articulata.

Rostrum elongatum, basi incrassatum, dein abrupte tenue, cylindricum.

Thorax lateribus modice rotundatus, apice subito angustatus, coarctatus, supra fere planus.

Scutellum trigonum.

Elytra elongata, linearia, apice conjunctim rotundata, anum occultantia, supra parum convexa.

Pedes mediocres, tibiæ apice unco parvo deflexo armatæ ; articulus penultimus tarsorum latus, bilobus.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-lineare, parum convexum,

sculpturatum, alatum. — *Antennæ* in masculo versus medium, in femina in ipsa basi rostri insertæ, validæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° elongato, basi tenui, sensim valde ampliato, extrorsum maxime clavato, præsertim in mare, 2° et 3° longiusculis, sub-turbinatis, illo majore, 4-8 brevibus, transversis, sub-perfoliatis, paulo coarctatis, gradatim crassitudine perparum crescentibus, ultimo clavæ haud adpresso; clava minuscula, sub-ovata, 4-articulata, articulo 1° corneo, reliquis ægre discernendis. — *Rostrum* vix longitudine thoracis, tenue, cylindricum, parum arcuatum, sub-deflexum, ante insertionem antennarum crassius; scrobe ad basin rostri lateraliter posita, brevissima. — *Oculi* distantes, sat magni, sub-rotundati, parum convexi. — *Thorax* latitudine media parum longior, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter modice rotundatus, apicem versuscito angustatus, coarctatus, supra parum convexus, fere planus. — *Scutellum* distinctum, triangulatum. — *Elytra* antice sub-truncata, thoracis basi vix dimidio latiora et illo plus duplo longiora, linearia, humeris obtuse angulatis; apice conjunctim rotundata, pygidium occultantia, supra parum convexa. — *Pedes* validi, sub-æquales, basi distantes; femoribus perparum compressis, versus apicem valde clavatis, muticis; tibiis sub-teretibus, rectis, apice unco parvo deflexo instructis; tarsis basi angustatis, articulo penultimo lato, bilobo, apicali bi-unguiculato.

TYPUS. — *Porthetes Zamiæ.*

A πορθητής, vastator.

Observ. — Quoad habitum hoc genus haud dissimile est speciebus generis *Cossoni*, sed forma rostri antennarumque structura mox distingunt.

♂♀ 1. P. ZAMIÆ. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, nitidus, sub-depressus, parce setosus, antennis, tibiis tarsisque obscure ferrugineis, rostro basi crasso, profunde crebre punctato; thorace disperse sub-remote punctato, mox intra apicem coarctato, tubulato; elytris testaceis, sulcatis, sulcis in fundo sub-remote punctatis, interstitiis transversim rugulosis.

Mas: paulo minor, rostro a basi ad medium incrassato, antennis in medio rostri insertis.

Femina : rostro basi tantum incrassato, antennæ basi rostri sitæ.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffræ. A Dom. ECKLON et ZEYHER lectus et benevole communicatus, Mus. SCHH.

Cossono lineari dimidio minor. Caput oblongum, convexum, subtiliter sat crebre punctulatum, nigro-piceum, nitidum, inter oculos obsolete foveolatum ; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri ; rostrum vix longitudine thoracis, in mare a basi ad medium, in femina basi tantum valde incrassatum, ibique supra planum, confertim punctulatum, dein apicem versus in utroque sexu tenue, cylindricum, sub-læve, nigro-piceum, sub-nitidum, apicem versus dilutiore. Antennæ breviusculæ, validæ, obscure ferrugineæ, pilosæ, clava parva, ovata, parce cinereo-pubescente. Thorax latitudine nonnihil longior, apice sub-truncatus, intra apicem constrictus et transversim impressus, tubulatus, lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein perparum rotundatis ; basi truncatus, supra sub-planus, disperse sub-remote, minus profunde punctatus ; nigro-piceus, nitidus, setulis parvis, fuscis adspersus. Scutellum parvum, triangulare, nigro-piceum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris vix prominulis, rotundatis ; lateribus vix ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso sub-plana, profunde sulcata, sed in sulcis punctis parum profundis, oblongis, remotis impressa, interstitiis angustis, obsolete transversim rugulosis ; testacea, sub-nitida, setulis parvis pallidis, præsertim versus apicem adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum, punctis setulis brevissimis, albidis obsitis. Pedes breviusculi, validi, punctati, setulis pallidis parce adspersi ; femoribus sub-compressis, clavatis, nigro-piceis ; tibiis tarsisque obscure ferrugineis. — BHN.

GENUS 396. MESITES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, in mare versus medium, in femina basi rostri insertæ ; scapo modice clavato ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, turbinatis, reliquis sub-perfoliatis, nonnihil coarctatis, successive paulo latioribus, ultimo clavæ haud adpresso : clava parva, breviter ovata, indistincte bi-articulata.

Rostrum longiusculum, in mare crassiusculum, sub-teres, lineare, in femina basi incrassatum, dein sub-tenue, cylindricum.

Thorax oblongus, anterius angustior, apice coarctatus, supra modice convexus.

Scutellum minutum, rotundatum, sub-elevatum.

Elytra elongata, sub-cylindrica, modice convexa, anum haud exacte occultantia.

Pedes validi, antici paulo longiores, tibiæ apice unco valido, curvato, armatæ; tarsi angustati.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-lineare, modice convexum, sculpturatum, alatum. — *Antennæ* in mare ante medium, in femina in ipsa basi rostri insertæ, crassiusculæ, fractæ: articulo 1° oculos fere superante, modice clavato, 2° et 3° sub-turbinatis, 4-8 brevibus, transversis, sub-perfoliatis, sub-coarctatis, gradatim crassitudine paulo crescentibus, ultimo clavæ non arcte adpresso; clava parva, breviter ovata, acuminata, indistincte bi-articulata, articulo 1° corneo, ultimo spongioso. — *Rostrum* capite duplo longius, deflexum, parum arcuatum; in uno sexu (quem opinior esse masculum) lineare, subteres, crassiusculum; scrobe ante medium rostri incipiente, subito subtus flexa, profunda; in altero sexu seu in femina ante antennarum insertionem crassius, deinde subtenue, cylindricum; scrobe basali, cavernosa. — *Oculi* laterales, rotundati, modice prominentes. — *Thorax* latitudine postica fere duplo longior, basi apiceque truncatus, lateribus modice rotundatus, anterius angustior, juxta apicem coarctatus, supra parum convexus. — *Scutellum* minutum, rotundatum, sub-elevatum. — *Elytra* thorace vix latiora, sed plus duplo longiora, basi truncata, humeris obtuse angulatis; linearia, sub-cylindrica, modice convexa, apice conjunctim rotundata, anum haud exacte occultantia. — *Pedes* validi, antici paulo longiores, basi distantes, femoribus clavatis, sub-compressis, muticis; tibiis sub-rectis, apice unco magno, deflexo, curvato armatis; tarsis longiusculis, angustatis, subtus haud spongiosis, articulo ultimo elongato, parum clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Mesites pallidipennis.*

A μεςίτης, qui est medius inter duos

Observ. — Generi *Portheti* prope accedit, sed clava antennarum inarticulata, forma rostri in mare, scutello, unco tibiarum tarso-

rumque structura nimis diversum, quare ut genus distinctum proposui.

‡ 1. M. Pallidipennis. *Schh.*

Elongatus, piceus, nitidus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis, fronte profunde foveolata, rostro capite longiore, inter antennas canaliculato; thorace oblongo, minus crebre punctato, elytris testaceis, apice infuscatis, sulcatis, sulcis punctatis, interstitiis subtiliter seriatim punctulatis.

Mas: dimidio minor, rostro lineari, crassiori, antennæ fere in medio rostri sitæ.

Femina: major, rostro in ipsa basi incrassato, dein tenue, filiformi, antennæ in basi rostri insertæ.

Habitat in Tauria; in Odessa Dom. Lundstedt; in Caucasus Dom. Parreys. Secundum Dom. Schuppel semper cohabitant, quare sine dubio eamdem speciem efficiunt. Mus. Schh.

Statura fere *Cossono*, et *Cossono lineari* dimidio minor et ultra. Caput porrectum, piceum, nitidum, postice læve, inter oculos subtiliter, sub-remote punctulatum; fronte foveola profunda impressa; oculi laterales, rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum capite multo longius, crassiusculum, vix arcuatum, rufopiceum, nitidum, punctulatum, lineola inter antennas longitudinali, abbreviata, impressum. Antennæ crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava breviter ovata, adhuc pallidiori, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine multo longior, basin et apicem versus angustior, lateribus parum rotundatis; apice truncatus, ibique coarctatus et transversim impressus, basi leviter bi-sinuatus vel sub-truncatus, supra parum convexus, nigro-piceus, nitidus, glaber, minus crebre punctatus, linea media antice abbreviata, lævi notatus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum. Elytra basi sub-truncata, antice thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis, thorace vix duplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, dorso fere plana, dilute testacea, sub-nitida, apice nonnihil infuscata, leviter sulcata et in sulcis mediocriter sat crebre punctata; interstitiis angustis, modice elevatis, subtiliter seriatim punctulatis. Corpus subtus ferrugineum,

crebre evidenter punctulatum. Pedes breviusculi, validi, ferrugi-nei : femoribus anticis crassioribus ; tarsis gracilibus.—BHN.

♂♀ 2. M. CUNIPES. *Solier.*

Elongatus, niger, glaber, antennis pedibusque ferrugineis ; fronte foveolata, rostro capite longiore, inter antennas canaliculato ; thorace oblongo, minus crebre punctato, linea media lævi notato ; elytris sulcatis, sulcis punctatis, interstitiis subtilissime seriatim punctulatis.

Mas : rostro crassiori, lineari, basi evidenter longius canaliculato, antennæ fere in medio rostri sitæ.

Femina : rostro in ipsa basi incrassato, dein apicem versus tenue, filiformi, antennæ in basi rostri insertæ.

Cossonus id. Dom. SOLIER *in Litteris*, secundum Dom. AUBÉ.

Patria : Gallia meridionalis. A Dom. AUBÉ amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Mesitis pallidipennis* ♀, colore nigro vel piceo, interstitiis elytrorum obsoletius punctulatis, ab illo fere unice distinctus. Caput porrectum, nigro-piceum, subnitidum, postice læve, fronte subtiliter sub-remote punctulatum ; inter oculos foveola profunda insculptum ; oculi laterales, subrotundati, modice prominuli nigri ; rostrum capite fere duplo longius, crassiusculum, sub-rectum, nigro-piceum, nitidum, punctulatum, canalicula basali longitudinali, in mare longius producta, insculptum. Antennæ crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, clava breviter ovata, pallidiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media multo longior, mox intra apicem coarctatus, et transversim impressus, apice truncatus, antice posticeque nonnihil angustatus, lateribus paulo rotundatus, basi sub-truncatus vel leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, niger vel nigro-piceus, nitidus, glaber, punctis sub-remotis impressus, linea media lævi, antice abbreviata, instructus. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, impunctatum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris elevatis, obtuse angulatis ; linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra paulo convexa, dorso fere plana, leviter sulcata et in sulcis mediocriter sat crebre punctata : interstitiis angustis, modice ele-

vatis, subtilissime seriatim punctulatis; tota nigra vel nigro-picea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, sat crebre evidenter punctulatum. Pedes breviusculi, validi, ferruginei; femoribus latiusculis, anticis crassioribus; tarsis gracilibus.—BHN.

GENUS 397. PHILOEOPHAGUS.

Cossonus OLIVIER, GYLLENH. — *Rhyncolus* STEPHENS, DEJEAN. — *Curculio* HERBST, MARSHAM.

Character generis.— Antennæ mediocres, sub-tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus longiusculis. sub-obconicis, reliquis brevibus, lenticularibus, sub-æqualibus; clava sub-ovata, bi-articulata, sub-solida.

Rostrum elongatum, validum, teres, sub-arcuatum.

Oculi rotundati, depressi.

Thorax oblongus, basin et apicem versus angustior, lateribus rotundatus, supra modice convexus.

Scutellum parvum, rotundatum.

Elytra elongata, sub-linearia, basi truncata, humeris obtuse angulatis; supra convexa, præsertim posterius.

Pedes mediocres, sub-æquales; tarsi angustati.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, oblongo-sub-ovatum, modice convexum, sculpturatum, alatum; minusculæ magnitudinis.—*Antennæ* rostro capiteque nonnihil longiores, in medio rostri insertæ, sub-tenues, fractæ; articulo 1° oculos attingente, clavato, 2° et 3° longiusculis, sub-obconicis, 4—8 brevibus, transversis, lenticularibus, exterioribus gradatim perparum latioribus, ultimo clavæ haud adpresso; clava sub-ovata, articulo 1° brevissimo, corneo, ultimo spongioso, articulis haud discernendis. — *Rostrum* capite paulo longius, deflexum, validum, teres, parum arcuatum; scrobe lineari, angusta, in medio rostri incipiente, arcuata, subtus flexa.— *Oculi* laterales, parvi, rotundati, depressi, — *Thorax* latitudine longior, basi apiceque truncatus, lateribus sub-æquliter rotundatus, apicem versus angustior, parum vel vix coarctatus, supra modice convexus. —*Scutellum* parvum, rotundatum.— *Elytra* thoracis basi dimidio latiora, et illo fere triplo longiora, basi truncata, humeris obtuse angulatis; lateribus rectis, apice conjunctim rotundata, anum haud exacte obtegentia; supra convexa, præsertim posterius.— *Pedes* breviusculi, sub-tenues, longitudine sub-æquales, antici basi

sæpius approximati; femoribus clavatis, muticis, tibiis rectis, apice unco valido, acuto, perpendiculari armatis; tarsis angustatis, articulo ultimo longo, parum clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Phlœophagus lignarius.*

A φλόιός cortex, φάγω comedo.

Patria : Europa, Africa, America.

Observ. — Habitus valde congruit cum speciebus quibusdam generis *Rhyncoli*, tenuiores tamen sunt antennæ itemque rostrum et structura antennarum dissimilia.

1. P. SILBERMANNI. *Schh.*

Elongatus, supra parum convexus, niger, sub-nitidus, glaber, antennis tarsisque rufo-ferrugineis, rostro longiore, modice arcuato, thorace rude sub-remote punctato, postice carinato, lateribus, sub-recto, basi leviter bi-sinuato; elytris profunde crenato-striatis, interstitiis angustis, carinatis, lævibus.

Cossonus xylophagus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Mexico. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Magnitudo *Cossoni linearis*, sed magis convexus. Caput parvum, breve, convexum, subtilissime remote punctulatum, nigrum, nitidum, inter oculos foveola parva insculptum; oculi parvi, ovati, depressi, nigri; rostrum capite angustius, longitudine fere thoracis, validum, teres, arcuatum, evidenter, crebrius punctulatum, nigrum, nitidum, glabrum. Antennæ validæ, rufo-ferrugineæ, clava ovata, acuminata, dense cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, apice truncatus, anterius angustior, lateribus non ampliatus, rectus, basi leviter bi-sinuatus, supra paulo convexus, sub-remote rude punctatus, a basi ad medium carinula parum elevata, lævi, instructus; totus niger, sub-nitidus, punctis pulvere griseo repletis. Scutellum parvum, rotundatum, nigrum, nitidum, læve. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra in dorso paulo convexa, profunde et crebre crenato-striata, interstitiis angustis, sub-convexis, lævibus; tota nigra, sub-

nitida. Corpus subtus profunde sat crebre punctatum, nigrum, magis nitidum. Pedes breviusculi, subtiliter punctulati, nigri, nitidi; tarsis rufo-ferrugineis. — BHN.

Dom. GUST. SILBERMANN vir non de una tantum litterarum disciplina bene meritus laudibusque florentissimus auctor.

* 2. P. EBENINUS. *Schh.*

Elongatus, paulo convexus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, antennis pedibusque piceis, rostro crassiore, obsoletius punctato; thorace intra apicem leviter coarctato, sub-remote disperse punctato; elytris tenue sulcatis, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis sub-convexis, obsolete vage punctulatis.

* VAR. β. Dilutius rufo-piceus.

Patria: Caffraria, in Zamia Caffræ. A Dom. ECKLON et ZEYHER lectus et amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitido *Phlœophagi lignarii,* sed dimidio major, rostro crassiore, obsoletius punctato, thorace intra apicem leviter constricto, elytris sulcatis ab illo distinctus. Caput porrectum, convexum, nigro-piceum, nitidum, obsolete remote punctulatum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, cylindricum, parum arcuatum, nigro-piceum, nitidum, obsolete crebre punctulatum. Antennæ sub-tenues, piceæ, pilosæ, clava ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine longior, basi apiceque angustatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, apice truncatus, mox intra apicem utrinque constrictus, basi leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, sub-remote, parum profunde, disperse punctatus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus nec ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, tenue sulcata sulcis sat profunde et crebre punctatis, interstitiis convexis, obsolete vage minus crebre punctulatis; nigro-picea, sub-nitida. Corpus subtus piceum, nitidum, sat crebre parum profunde punctulatum. Pedes breviusculi, sub-tenues, rufo-picei; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis; trasis tenuibus, parum dilatatis.

BHN.

* 3. P. FERRUGINEUS. *Schh.*

Elongatus, minus convexus, pallide ferrugineus, sub-nitidus, glaber, oculis nigris, capite piceo, rostro crassiore, obsoletius punctato; thorace intra apicem vix coarctato, subtiliter, disperse punctato; elytris tenue sulcatis, sulcis sat profunde punctatis, interstitiis sub-convexis, subtilissime vage punctulatis.

Patria: Africa australis. A Dom. DRÈGE benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et summa similitudo *Phlœophagi ebenini* minus convexus, rostro breviore, ut et colore alio, ab illo distinctus videtur. Caput parvum, porrectum, convexum, dilute piceum, sub-nitidum, subtiliter disperse punctulatum, inter oculos leviter impressum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum capite dimidio longius, crassiusculum, cylindricum, modice arcuatum, dilute ferrugineum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum. Antennæ sub-tenues, dilute ferrugineæ, parce pilosæ, clava ovata, sub-obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine parum longior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem utrinque leviter coarctatus, lateribus modice rotundato-ampliatus, postice leviter bi-sinuatus, supra modice convexus, dilute ferrugineus, sub-nitidus, glaber, minus crebre parum profunde, disperse punctatus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, ferrugineum, læve. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi dimidio fere latiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra minus convexa, distincte sulcata, sulcis sat profunde et crebre punctatis, interstitiis convexis, obsolete, minus crebre, disperse punctulatis; tota dilute ferruginea, sub-nitida. Corpus subtus ferrugineum, nitidum, disperse parum profunde punctulatum. Pedes breves, sub-tenues, dilute ferruginei; femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis; tarsis gracilibus, parum dilatatis.

BHN.

* 4. P. HISPIDUS. *Schh.*

Elongatus, sub-depressus, piceus, opacus, cinereo-setulosus, antennis pedibusque dilutioribus, rostro tenui, longitudine fere thoracis; thorace profunde sat crebre punctato, dorso sub-carinato, antice coarctato; elytris sulcatis, sulcis in fundo sub-remote punctatis, interstitiis planis, transversim rugulosis et seriatim punctulatis.

Patria : Caffraria, in Zamia Caffræ. A Dom. ECKLON et ZEYHER inventus et benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo fere *Phlœophagi ebenini*, sed magis depressus, setulosus. Caput porrectum, convexum, nigro-piceum, postice sub-læve, inter oculos sat profunde et crebre punctatum; fronte foveola parva insculpta; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, sub-tenue, teres, modice arcuatum, piceum, sub-nitidum, striolato-rugosum, dorso obsolete carinatum. Antennæ ante medium rostri sitæ, sub-tenues, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava ovata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, supra sub-planus, antice posticeque angustatus, mox intra apicem distincte constrictus et transversim impressus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi sub-truncatus, supra punctis magnis, profundis, sat crebris absque ordine impressus, dorso longitudinaliter carinatus; nigro-piceus, sub-nitidus, setulis rigidis, brevissimis, cinereis ad latera sat dense obsitus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rectangulatis; lateribus non ampliata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, sulcata, sed in sulcis punctis oblongis, parum profundis, sub-remotis, impressa; interstitiis angustis, planis, transversim rugulosis et punctulis sat crebris seriatim impressis; picea, callo humerali et margine laterali ferruginea, setulis brevissimis, rigidis, fuscis, præsertim versus apicem adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum, setulis depressis albidis parce adspersum. Pedes breviusculi, sub-tenues, ferruginei, punctulati, albido-setulosi; femoribus clavatis; tarsis tenuibus, parum dilatatis. — BHN.

* 5. P. Lignarius. *Marsham.*

Elongatus, paulo convexus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, antennis pedibusque dilutioribus, rostro tenuiore, evidenter punctato; thorace intra apicem utrinque leviter coarctato, sat crebre, subtiliter punctulato; elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis planis, obsolete rugulosis. — Bhn.

Cossonus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* III. p. 258. 2. — Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 111. 2.

Rhyncolus id. Steph. *Brit. Ent.* V. p. 6 2. — *Catal.* p. 149. 1497.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p.

Curculio id. Marsh. *Ent. Brit.* p. 275. 113.

Patria: Suecia, Finlandia, Anglia.

6. P. Fallax. *Schh.*

Elongatus, angustus, sub-depressus, fusco-piceus, opacus, cinereo-setulosus, antennis pedibusque ferrugineis, rostro capite duplo longiori; thorace oblongo, anterius sensim angustato, crebre punctulato; elytris confertim punctato-striatis, interstitiis sub-convexis, seriatim setulosis.

Patria: Caffraria. A Dom. Ecklon et Zeyher ad describendum amice communicatus.

Parvus. *Phlœophago lignario* duplo minor, præsertim angustior. Caput breve, convexum, fusco-piceum, confertim subtiliter punctulatum, parce cinereo-setulosum; oculi laterales, ovati, depressi, nigri; rostrum capite duplo longius, crassiusculum, cylindricum, sub-rectum, fusco-piceum, confertim striolato-rugosum, cinereo-setulosum. Antennæ in medio rostri sitæ, sub-tenues, ferrugineæ, pilosæ, clava ovata, cinereo-pubescente. Thorax oblongus, latitudine baseos dimidio longior, basi apiceque truncatus, anterius sensim angustatus, lateribus vix rotundato-ampliatus, angulis baseos rotundatis, supra sub-planus; confertim subtiliter punctulatus; totus fusco-piceus, margine apicali ferrugineus, setulis brevissimis cinereis undique sat dense adspersus. Scutellum parvum, rotundatum,

fusco-piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rectangulatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere duplo longiora, supra in dorso sub-plana, posterius declivia, regulariter confertim punctato-striata, interstitiis angustis, sub- convexis, singulis serie e setulis parvis, reclinatis, cinereis obsitis, tota fusco-picea, sub-nitida. Corpus subtus piceum, subtiliter disperse punctulatum, setulis cinereis parce adspersum. Pedes breviusculi, sub-tenues, rufo-picei, punctulati, parce cinereo-setulosi; femoribus clavatis, tarsis tenuibus, parum dilatatis.

Bhn.

7. P. Minimus. *Chevrolat.*

Elongatus, sub-depressus, nigro-piceus, antennis, rostro apice pedibusque rufo-ferrugineis, rostro breviori, crassiori, arcuato; thorace a basi apicem versus sensim angustato, undique sub-remote punctato; elytris rufo-castaneis, mediocriter punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Cossonus id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria: Orixaba in Mexico. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Parvus. Statura *Cossoni* et *Cossono exarato* fere triplo minor. Caput breve, convexum, vix punctulatum, nigro-piceum, nitidum; oculi ovati, sub-depressi, obscure brunnei; rostrum capite plus duplo longius et dimidio angustius, validum, teres, arcuatum, subtilissime punctulatum, a basi ultra medium nigro-piceum, dein apicem versus rufo-ferrugineum; totum nitidum, glabrum. Antennæ breviusculæ, validæ, dilutius ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus pone stricturam versus basin sensim perparum ampliatus, postice fere truncatus, supra sub-depressus, undique sub-remote disperse punctatus, nigro-piceus, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, sat profunde striata et in striis mediocriter crebre punctata, interstitiis angustis, lævibus, tota rufo-castanea, nitida. Corpus subtus crebre punctulatum, piceum. Pedes breviusculi, rufo-ferruginei. — Bhn.

* 8. P. SPADIX. *Herbst.*

Sub-convexus, nigro-piceus, sub-nitidus, cinereo-pubescens, antennis pedibusque ferrugineis, rostro minus crasso, longitudine fere thoracis; thorace oblongo, utrinque minus ampliato, profunde punctato, obsoletissime carinato; elytris crenato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis, rugulosis.

Curculio id. HERBST, *Col.* VI. p. 256. 222. T. 78. f. 11. Secundum Dom. SCHUPPEL.

Rhyncolus velutinus. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Rhyncolus globulipennis. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

VAR. β. Dilutius rufo-piceus.

Habitat in Austria, Illyria, Italia et ad Algier. Mus. Reg. Acad. Scient. HOLM. et SCHH.

Statura et summa similitudo *Phlœophagi sculpti*, ab illo rostro paulo longiore, thorace utrinque minus rotundato-ampliato, medio obsoletissime carinato distinctus videtur. Caput globosum, subtiliter crebre punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum; oculi parvi, ovati, sub-depressi, nigri; rostrum longitudine fere thoracis, validum, teres, parum arcuatum, nigro-piceum, sub-nitidum, crebre punctulatum. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, clava ovato-acuminata, pallido-pubescente. Thorax latitudine media paulo longior, antice posticeque truncatus, basin et apicem versus angustior, lateribus modice rotundatus, supra convexus, nigro-piceus, parum nitidus, confertim punctatus, punctis latis sed parum profundis variolæ-formibus insculptus, dorso certo situ obsoletissime carinatus, tomento cinereo præsertim versus latera adspersus. Scutellum minutum, triangulare, nigro-piceum. Elytra basi truncata, antice thorace paulo latiora et illo duplo longiora, humeris rotundatis, pone humeros apicem versus sensim perparum ampliata, supra convexa, postice declivia, apice ipso conjunctim obtuse rotundata, profunde crenato-striata, insterstitiis obsolete et parce punctulatis, transversim sub-rugosis; nigro-picea, tomento cinereo tenuiter adspersa. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, dense varioloso-punctatum. Pedes breviusculi, ferruginei, præsertim tarsi; femoribus parum incrassatis, muticis. — BHN.

* 9. P. SCULPTUS. *Schh.*

Sub-convexus, rufo-piceus, parce cinereo-pubescens, antennis pedibusque rufo-testaceis; thorace breviore, confertim varioloso-punctato, lateribus ampliato; elytris crenato-striatis, interstitiis rugulosis, obsolete punctulatis, rostro capite longiore et angustiore.

Habitat in Suecia, prope Holmiam. Dom. NYBLÆUS. In Scania Dom. SUNDEVALL. Mus. SCHH et GHL.

Rhyncolo truncorum æqualis, rostro paulo longiore, punctis thoracis latioribus, elytris crenato-striatis et indumento ab illis distinctus. *Phlœophago spadice* adhuc magis propinquus, sed illius rostrum adhuc longius, thoracis latera minus ampliata, color saturatius nigro-piceus, etc. Caput breve, convexum, obsoletius punctatum, rufo-piceum; oculi parvi, depressi, nigri. Rostrum capite multo angustius et duplo longius, validum, sub-arcuatum, confertim punctatum, rufo-piceum. Antennæ dilutius testaceæ, clava acuminata. Thorax latitudine vix longior, basi apiceque truncatus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, supra convexus, confertim punctatus, punctis latis, sed parum profundis, variolæ-formibus; piceus, tomento cinereo, præsertim versus latera adspersus. Scutellum minutum, triangulare, concolor. Elytra antice thoracis basi latiora, humeris rotundatis, lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, profunde crenato-striata, interstitiis obsolete et parce punctulatis, transversim sub-rugosis; picea, tomento cinereo tenuiter adspersa. Corpus subtu saturatius nigro-piceum, magis nitidum, dense varioloso-punctatum. Pedes breviusculi, dilutius rufo-testacei, præsertim tarsi.

GHL.

10. P. UNCIPES. *Chevrolat.*

Oblongo-ovatus, paulo convexus, rufo-ferrugineus, antennis, rostro pedibusque dilutioribus; thorace oblongo, profunde crebre punctato, scutello nullo; elytris confertim punctato-striatis, interstitiis convexis, rugulosis, pallido-setulosis.

Styphlus? id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Italia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Phlœophago lignario dimidio minor, angustior. Caput parvum ro-

tundatum, ferrugineum, sat crebre minus profunde punctatum. Oculi ovati, depressi, nigri. Rostrum longitudine thoracis, minus tenue, teres, modice arcuatum, rubrum, undique confertim punctatum. Antennæ pone medium rostri insertæ, longitudine thoracis, crassiusculæ, rufo-testaceæ, albido-pilosæ, clava ovata, dilutiori. Thorax oblongus, latitudine multo longior, basi apiceque truncatus, mox pone apicem coarctatus, lateribus perparum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, rufo-ferrugineus, profunde crebre punctatus. Scutellum nullum. Elytra antice thoracis basi nonnihil latiora et illo fere triplo longiora, humeris vix prominulis, rotundatis, a basi ultra medium sensim ampliata, tum apicem versus citius angustata, apice ipso conjunctim sub-rotundata, supra parum convexa, rufo-ferruginea, confertim punctato-striata, interstitiis angustis, convexis, subtiliter rugulosis, setulis pallidis seriatim obsitis. Corpus subtus rufo-ferrugineum, nitidum, sat profunde punctatum. Pedes dilutius rufo-ferruginei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apice unco arcuato, acuto instructis; tarsis elongatis, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

GENUS 398. RHYNCOLUS. *Creutzer.*

Rhyncolus CREUTZ., MEGERLE, DEJEAN, STURM, LATR., STEPHENS, STEVEN, SCHH. (1). — *Cossonus* GERM., GYLLENH. — *Hylesinus* FABR. — *Curculio* LINN., PAYK., HERBST.

Character generis. — Antennæ breviusculæ, crassiusculæ; funiculo 7-articulato: articulo basali majore, turbinato, reliquis brevibus, sub-perfoliatis, coarctatis; clava minuta, sub-ovali, indistincte 4-articulata.

Rostrum in plerisque brevissimum, crassiusculum, lineare, teres.

Thorax oblongus, modice convexus.

Scutellum parvum, rotundatum.

Elytra elongata, convexa, cylindrica.

Pedes breviusculi; tarsi graciles; articulo penultimo in plerisque angustato.

Descriptio : — *Corpus* parvum, elongatum, sub-cylindricum,

---

(1) Latr. Regne animal, p. 395. — Steph. Brit. Ent. IV. p. [illegible] — Gue. Disp. Meth. p. 532. *Cossonus*, sub gen. *Rhyncolus*.

durum, alatum. — *Antennæ* longitudine capitis rostrique, in medio rostri insertæ, inflexæ, crassiusculæ, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1° oculos attingente, clavato, 2° turbinato, reliquis brevibus, perfoliatis, coarctatis, successive perparum crassioribus, clava minuta, aut oblongo-ovali, aut brevi, obtusa, indistincte 4-articulata, quasi spongiosa. — *Rostrum* lineare, sub-deflexum, in plerisque brevissimum, latitudine capitis, quo vix longius; in aliis capite longius et angustius, sub-teres; scrobe pone medium incipiente, profunda, subtus in medio rostri decurrente. — *Caput* porrectum, convexum. — *Oculi* laterales, rotundati, aut paulum prominuli, aut depressi. — *Thorax* latitudine postica sesqui-longior, basi apiceque truncatus, anterius paulo angustior et prope apicem leviter coarctatus, lateribus pone medium rotundato-ampliatus, supra modice convexus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* thoracis medio non latiora, sed illo duplo, in nonnullis fere triplo longiora, linearia, supra convexa, apice obtuse rotundata, anum occultantia. — *Pedes* breves, validiusculi, basi plus minusve distantes, longitudine sub-æquales; femoribus sub-compressis, in medio incrassatis, muticis; tibiis sub-teretibus, rectis, basi angustatis, apice extus unco magno deflexo armatis; tarsis gracilibus, in plerisque articulis omnibus angustatis, in nonnulis (ex. gr. *Rh. chloropo* et *elongato*) articulus penultimus paulo latior, bilobus, ultimo clavato, biunguiculato.

TYPUS. — *Rhyncolus chloropus.*

A ῥύγχος rostrum, ὄλος atramentum.

Patria : Totus orbis terrarum.

Observ. — Videtur essentialiter in eo differre a genere *Cossono*, quod primus tantum articulus funiculi antennarum cæteris longior est, clava minor, rostrum aliter constructum et corpus convexius.

* 1. R. PROCER. *Dalman.*

Lineari-elongatus, ferrugineus, glaber, rostro capite longiori, profunde punctato; thorace oblongo, subtiliter remote punctato, medio linea abbreviata, lævi, antice transversim impresso; elytris punctato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis; apice attenuatis.

Cossonus filiformis. LATREILLE, DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305 *ed.* 3. p. 330.

Habitat in insula Java. Dom. MELLERBORG. Mus. SCHH.

Phlæophago lignario parum latior, sed dimidio longior, magis depressus. Caput porrectum, ferrugineum, nitidum, postice læve, inter oculos profunde minus crebre punctatum; fronte foveola parva impressa. Oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri. Rostrum capite nonnihil longius, crassiusculum, parum arcuatum; a medio apicem versus nonnihil ampliatum, ferrugineum, minus crebre profunde punctulatum, lineola obsoleta inter antennas longitudinali, abbreviata, impressa. Antennæ in medio rostri insertæ, rostro cum capite nonnihil longiores, crassiusculæ, ferrugineæ, clava ovato-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine multo longior, apice truncatus, juxta apicem coarctatus et transversim impressus, basin et apicem versus angustior, lateribus nonnihil rotundatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, ferrugineus, glaber, nitidus, sat profunde minus crebre punctatus, relicta in medio dorsi linea abbreviata, lævi. Scutellum parvum, rotundatum, ferrugineum. Elytra basi sub-truncata, thoracis medio nonnihil latiora, humeris elevatis, fere rectangulis, thorace duplo longiora, linearia, apice conjunctim sub-truncata, supra parum convexa, minus profunde punctato-striata, interstitiis planis, obsoletissime punctulatis; ferruginea, sub-nitida. Corpus subtus ferrugineum, minus crebre evidenter punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, ferruginei, punctati; femoribus parum clavatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 2. R. Encaustus. *Chevrolat.*

Lineari-elongatus, ater, nitidus, glaber, rostro lato, crasso, subtiliter punctulato, thorace subtilissime sub-remote punctulato, antice profunde constricto, lateribus vix ampliato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, lævibus.

Patria: Madagascar. A Dom. Schuppel et Brullé amice communicatus. Mus. Schh.

Cossono lineari longitudine æqualis, sed multo angustior. Caput oblongum, supra convexum, postice læve, fronte subtiliter remote punctulatum, inter oculos canalicula abbreviata, tenuissima insculptum; oculi rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum fere longitudine et latitudine capitis, validum, rectum, lineare, apice sub-truncatum, supra paulo convexum, subtiliter sub-remote punctulatum, inter antennas foveola parva, obsoleta, impressum, nigrum, nitidum. Antennæ breves, crassiusculæ, nigræ, clava, parva, ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media longior, apice truncatus, longe intra apicem profunde constrictus, lobo anteriore sub-elevato, collare mentiente; lateribus pone stricturam nonnihil ampliatus, angulis baseos rotundatis; postice sub-truncatus, supra paulo convexus, subtilissime sub-remote punctulatus, ater, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, concolor, læve. Elytra lineari-elongata, antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra in dorso paulo convexa, subtiliter punctato-striata, interstitiis latis, planis, sub-lævibus, vel obsoletissime rugulosis; tota atra, nitida, glabra. Corpus subtus nigrum, nitidum, pectore subtiliter ventre obsoletissime punctulatis. Pedes breviusculi, validi, nigri, subtilissime punctulati. — Bhn.

* 3. R. Filiformis. *Gyllenhal.*

Angustus, nigro-piceus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis, rostro crasso, longitudine capitis; thorace elongato, anterius angustato, coarctato, transversim impresso, subtiliter punctato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis obsolete seriato-punctulatis.

Habitat in India orientali. Mus. Gyllenh. et Schh.

Statura elongata et magnitudine individuorum minorum *Colydi*

elongati. Caput porrectum, nigro-piceum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum, vertice sub-lævi; fronte foveola parva, obsoleta, impressa. Oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri. Rostrum latitudine capitis et illo parum longius, apicem versus nonnihil ampliatum, vix arcuatum, nigro-piceum, sat confertim subtiliter punctulatum, lineola obsoleta, longitudinali, abbreviata, inter antennas impressa. Antennæ in medio rostri insertæ, ad dimidium thoracis non pertingentes, crassiusculæ, ferrugineæ, clava breviter ovata, adhuc pallidiori, cinereo-pubescente. Thorax elongatus, apice truncatus, mox pone apicem coarctatus, et transversim impressus, ultra medium sensim perparum ampliatus, dein versus basin iterum nonnihil angustatus, basi leviter bi-sinuatus, supra parum convexus, nigro-piceus, nitidus, subtiliter minus crebre punctulatus. Scutellum minutum, rotundatum, nigro-piceum, nitidum, læve. Elytra basi truncata, antice thorace parum latiora, humeris rectangulis, thorace vix duplo longiora, linearia, sub-cylindrica, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, nigro-picea, sub-nitida, subtilissime punctato-striata, interstitiis planis, transversim obsoletissime strigosis, singulis serie e punctis minutissimis impressis. Corpus subtus nigro-piceum, subtiliter minus crebre punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, ferruginei; femoribus modice clavatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 4. R. CYLINDRUS. *Schh.*

Elongatus, sub-cylindricus, nigro-piceus, glaber, antennis pedibusque dilutioribus, rostro crasso, longitudine capitis, basi tenue canaliculato; thorace elongato, sub-cylindrico, antice leviter constricto, sat profunde minus crebre punctato, medio linea angusta, sub-elevata, lævi notato; elytris sat profunde punctato-striatis, interstitiis obsoletissime seriato-punctulatis.

VAR. β. Rufo-castaneus, antennis pedibusque dilutioribus.

Cossonus longicollis. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Habitat in Iberia. Dom. STEVEN. Mus. SCHH. Var. β in Dalmatia. Mus. Dom. CHEVROLAT.

Rhyncolo chloropo proximus, illo multo angustior et dimidio longior; rostro nonnihil longiore, thorace magis elongato, sub-cy-

lindrico, minus confertim punctato, dorso linea media lævi notato, elytrorum interstitiis obsoletissime seriato-punctulatis etc. diversus. Caput porrectum, subtiliter romote punctulatum, nigro-piceum, vertice sub-elevato, lævi; oculi rotundati, nigri, parum prominuli; rostrum longitudine capitis, et illo nonnihil angustius, validum, paulo arcuatum, supra perparum convexum, punctulatum, lineola obsoletissima, longitudinali, in fronte usque producta, pone medium abbreviata, impressum, totum nigro-piceum. Antennæ crassiusculæ, scapo ferrugineo, articulis reliquis piceis, clava flagello paulo crassiore, ovata, sub-acuminata, testacea, cinereo-pubescente. Thorax elongatus, angustus, sub-cylindricus, apice truncatus, anterius nonnihil angustior, intra apicem leviter constrictus, lateribus vix ampliatus, basi sub-truncatus, supra convexus, minus crebre sat profunde punctatus, relicta in medio dorsi linea abbreviata, interdum sub-carinata, lævi, notatus, nigro-piceus, sub-nitidus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra basi sub-truncata, antice thorace vix latiora et illo sesqui-longiora, sub-cylindrica, humeris fere rectangulatis; linearia, apice conjunctim rotundata, supra convexa, picea, nitida, sat profunde punctato-striata, interstitiis sub-planis, singulis seriatim obsoletissime punctulatis. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, crebre punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-ferruginei. — Bhn.

* 5. R. Præustus. *Schh.*

Elongatus, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber, capite, rostro elytrorumque apice nigro-piceis, rostro crasso, capite nonnihil breviori; thorace elongato, sub-cylindrico, intra apicem profunde constricto subtiliter punctulato, elytris subtilissime punctato-striatis, interstitiis obsolete punctulatis.

Habitat in insula Java. Mus. Schh.

Statura *Rhyncoli cylindri* sed dimidio fere minor. Caput porrectum, nigro-piceum, nitidum, postice læve, inter oculos parce punctulatum; fronte foveola minutissima, impressa. Oculi laterales, rotundati, nigri. Rostrum capite nonnihil angustius et brevius; crassum, sub-rectum, supra parum convexum, piceum, parce punctulatum, lineola obsoleta, longitudinali, valde abbreviata, impressa. Antennæ in medio rostri insertæ, capite cum rostro vix longiores, crassiusculæ, ferrugineæ, clava breviter ovata, adhuc pallidiori.

pubescente. Thorax elongatus, sub-cylindricus, basi apiceque truncatus, anterius nonnihil angustior, prope apicem profunde constrictus, et transversim impressus, lateribus vix rotundatus, supra modice convexus, subtiliter minus crebre punctatus; totus ferrugineus, nitidus, glaber, margine antico obscuriore. Scutellum minutum, rotundatum, ferrugineum. Elytra basi truncata, antice thorace paulo latiora, et illo vix duplo longiora, humeris elevatis, fere rectangulis, linearia, apice conjunctim sub-acuminata, supra modice convexa, subtiliter punctato-striata, stria suturali profunde impressa, interstitiis planis, obsoletissime punctulatis: tota rufo-castanea, apice infuscata. Corpus subtus ferrugineum, nitidum, obsolete punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, ferruginei; femoribus modice clavatis, geniculis infuscatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis. — BHN.

* 6. R. ELUMBIS. *Schh.*

Lineari-cylindricus, rufo-ferrugineus, glaber, nitidus, rostro angustiori, longitudine capitis; thorace elongato, a basi apicem versus sensim angustato, profunde minus crebre punctato; elytris punctato-striatis, interstiis sub-lævibus, sutura utrinque confertim seriato-punctata.

Habitat ad Remedios Columbiæ. Dom. NISSER. Mus. Reg. Acad. Scient. Holm. Mus. SCHH.

Longitudo *Rhyzophagi bipustulati*, sed angustior. Caput porrectum, ferrugineum, nitidum, postice læve, inter oculos parce punctulatum. Oculi laterales, rotundati, parum prominuli, nigri. Rostrum longitudine capitis, crassiusculum, sub-rectum, supra convexum, ferrugineum, punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, capite cum rostro vix longiores, crassiusculæ, ferrugineæ, clava, ovata, dilutiori, cinereo-pubescente. Thorax elongatus, a basi apicem versus sensim angustatus, basi apiceque truncatus, supra parum convexus, ferrugineus, nitidus, margine antico infuscato, undique profunde minus crebre punctatus. Scutellum minutum, rotundatum, ferrugineum. Elytra basi sub-truncata, thoracis basi vix latiora, humeris elevatis, rectangulis, thorace vix duplo longiora, linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, supra parum convexa, rufo-ferruginea, nitida, regulariter evidenter punctato-striata, interstitiis planis sub-lævibus, margine suturali subtiliter seriatim

punctulata. Corpus subtus ferrugineum, sub-nitidum, subtiliter punctulatum. Pedes breviusculi, tenues, rufo-ferruginei; femoribus modice clavatis; tarsis gracilibus, subtus fulvo-spongiosis.

BHN.

* 7. R. ANGUSTATUS. *Schh.*

Angustus, lineari-elongatus, sub-depressus, piceus, nitidus, rostro longitudine capitis, arcuato, lineari, apice emarginato; thorace oblongo, sat crebre punctulato, intra apicem constricto, lateribus a basi sensim angustato; elytris crebre mediocriter punctato-striatis, interstitiis subtilissime seriatim punctulatis.

Patria : Madagascar. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Parvus. Longitudo fere *Rhyncoli chloropi*, sed multo angustior, magis depressus. Caput oblongum, supra modice convexum, postice læve, inter oculos subtiliter punctulatum, obsolete foveolatum; totum piceum, nitidum; oculi rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite nonnihil longius et angustius, validum, lineare, modice arcuatum, apice ipso leviter emarginatum, supra paulo convexum, subtiliter punctulatum, nigro-piceum, nitidum. Antennæ validiusculæ, ferrugineæ, clava parva, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior, basi apiceque truncatus, longe intra apicem sat profunde constrictus, lateribus a basi apicem versus sensim perparum angustatus, supra paulo convexus, fere planus, punctis parvis sat crebris, dispersis impressus, totus nigro-piceus, nitidus glaber. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra lineari-elongata, antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris rotundatis; lateribus non ampliata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra in dorso sub-depressa, mediocriter crebre punctato-striata, interstitiis angustis, planis, seriatim subtilissime punctulatis, tota picea, nitida. Corpus subtus subtiliter sub-remote punctulatum, nigro-piceum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, dilutius rufo-picei, præsertim tarsi. — BHN.

* 8. R. CHLOROPUS. *Fabricius.*

Niger, glaber, antennis brevibus, crassis, pedibusque rufo-piceis, rostro brevissimo, lato, depresso, elytrorum interstitiis obsolete seriatim punctulatis. — GHL.

Cossonus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 259. 3. et IV. p. 606. 3.

LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 106. 2. — *Gen. Cr. et Ins.* II. p. 273. not.

ZETTERST. *Fn. Ins. Lapp.* I. p. 341. 1.

SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 111. 3.

Hylesinus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 393. 17.

Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 471. 323. — *Mant.* I. p. 117. 218. — *Spec. Ins.* I. p. 190. 163. — *Syst. Ent.* p. 149. 116.

HERBST, *Col.* VI. p. 56. 19. T. 62. f. 12.

PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 311. 134. — *Mon. Curc.* p. 116. 110.

PANZ. *Fn. Germ.* XIX. fig. 14. — *Ent. Germ.* p. 328. 168.

MARSH. *Ent. Brit.* p. 310. 207.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 540. 311.

VILL. *Ent.* I. p. 209. 150.

Rhyncolus id. DEJEAN. *Cat. Col. ed.* 1. p. 100. *ed.* 2. p. 306. *ed.* 3. p. 330. — Forte.

Curculio ater. LINN. *Fn. Suec.* n. 637. — *Syst. nat.* I. II. p. 617. 86. — Ed. GMEL. I. IV. p. 1788. 86.

BONSD. *Curc. Suec.* II. p. 31. 19. Tab. fig. 20.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 540. 312.

VILL. *Ent.* I. p. 210. 154.

MULL. *Zool. Dan. Prodr.* p. 86. 954.

Rhyncolus ater. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 5. 1. — *Syst. Catal.* p. 148. n. 1489.

Curculio linearis. SCHRANK, *Enum.* p. 126. 240. Specimen immat. forte.

Id. incisus. FOURCR. *Ent. Par.* I. p. 119. 11.?

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 564. 15.?

VILLERS, *Ent.* IV. p. 271. 66.?

Curculio inusus. VILL. *Ent.* I. p. 190. 66.?

Id. exaratus. LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1804. 530.

Geoffr. *Ins.* I. p. 282. 11.?

Patria : Europa septentrionalis.

* 9. R. Elongatus. *Gyllenhal.*

Niger, glaber, antennis brevibus, crassis, pedibusque piceis; thorace profundius punctato, medio sub-carinato; elytris sulcato-punctatis, rostro brevissimo, depresso, latitudine capitis. — Ghl.

Cossonus id. Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 606. 3. 4.

Sahlb. *Ins. Fenn.* II. p. 112. 4.

Rhyncolus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 100. *ed.* 2. p. 306. *ed.* 3. p. 331. forte.

Curculio planirostris. Panz. *Fn. Germ.* XVII. I. 18. —*Krit. Rev. d. Ins. Fn.* I. p. 134. forte.

Patria : Europa septentrionalis.

Observ. — Magnitudo et statura præcedentis, cui simillimus, sed differt : antennis adhuc crassioribus, thorace paulo breviore, lateribus magis rotundato, profundius et minus crebre punctato, dorso carinula vel saltem linea media lævi notato, elytris profundius sulcato-punctatis, interstitiis angustioribus, etc.

* 10. R. Porcatus. *Muller.*

Oblongus, sub-cylindricus, niger, glaber, rostro brevi, lato, anterius angustato, antennis ferrugineis, clava compressa; thorace profunde minus crebre punctato, lateribus parum rotundato; elytris cylindricis, apice obtuse rotundatis, profunde punctato-sulcatis, interstitiis seriatim punctatis. — Rld.

Cossonus id. Germ. *Ins. Spec.* I. p. 308. 447.

Gyllenh. *Ins. Suec.* IV. p. 607.

Rhyncolus crassirostris. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 100. *ed.* 2. p. 306. *ed.* 3. p. 330.

Rhyncolus puncticollis. Dom. Ziegler *in Litteris.*

Patria : Germania, Gallia, Iberia.

Observ. — *Rhyncolo culinari* paulo major, colore nigro, rostro latiore, versus apicem angustato, thorace minus crebre punctato, lateribus æqualiter et parum rotundato, elytris profundius sulcatis, interstitiis nec rugulosis nec muricatis ab illo distinctus.

* 11. R. CULINARIS. *Reich.*

Oblongus, rufo-ferrugineus, sub-nitidus, clava compressa, rostro brevi, angustiore, cylindrico: thorace sub-ovato, sat crebre profunde punctato: elytris setosis, linearibus, apice obtuse rotundatis, profunde sulcato-punctatis, interstitiis sub-seriatim punctulatis et transversim rugosis, postice sub-muricatis. — BHN.

Cossonus id. GERMAR, *Ins. Spec.* I. p. 306. 445. — *Neue Wetter. Annal.* I. p. 130. 2.

GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 605. not.

Rhynchænus id. Dom. REICH. *in Litteris.*

Rhyncolus piceus. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 6. 3.

Id. brevirostris. Dom. MEGERLE *in Litteris.*

Patria : Germania', Gallia, Volhynia.

Observ. — *Rhyncolo chloropo* vix latior, sed dimidio brevior, rostro angustiore, non canaliculato, thorace breviore, profundius punctato, elytris evidenter crenato-striatis, interstitiis transversim angulosis, posterius sub-muricatis, ut et colore alio, ab illo facile distinctus.

* 12. R. EXIGUUS. *Schh.*

Dilutius rufo-ferrugineus, nitidus, glaber, clava sub-compressa, capite rostroque subtiliter confertim punctulatis; thorace utrinque paulo rotundato, sat crebre profunde punctato: elytris linearibus, apice obuse rotundatis; profunde sulcato-punctatis, interstitiis subtilissime sub-seriatim punctulatis, postice non muricatis.

Patria : Batavia. A Dom. WALTI amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et summa similitudo *Rhyncoli culinaris*, nonnihil tamen gracilior, magis nitidus, glaber, capite rostroque subtilius, magis crebre punctulatis, thorace utrinque magis æqualiter sed minus rotundato, elytrorum interstitiis subtilissime punctulatis, apice non muricatis, ab illo distinctus videtur. Caput convexum, subtiliter, crebre punctulatum, ferrugineum, nitidum; oculi ovati, brunnei, sub-depressi; rostrum capite angustius et illo vix longius, validum, rectum, supra convexum, confertissime punctulatum, ferrugineum,

nitidum, glabrum. Antennæ breviusculæ, minus crassæ, ferrugineæ, clava dilutiore, sub-compressa, apice obtusa, cinereo-pubescente. Thorax latitudine paulo longior, basi apiceque truncatus, longe intra apicem late sed obsolete transversim impressus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, supra modice convexus, confertim sat profunde punctatus, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber. Scutellum parvum, elevatum, rotundatum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulis; lateribus apicem versus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice fere retusa, evidenter sulcata, sulcis punctis majusculis, sub-remotis, impressis, interstitiis subtilissime punctulatis; rufo-ferruginea, nitida, glabra. Corpus subtus rufo-ferrugineum, confertim et sat profunde punctatum. Pedes breviusculi, validi, ferruginei. — BHN.

* 13. R. SUBMURICATUS. *Schh.*

Piceus, sub-nitidus, rostro brevi, latitudine fere capitis, obselete carinato; thorace confertim punctato, lateribus paulo ampliato, intra apicem transversim impresso; elytris punctato-sulcatis, interstitiis anterius subtiliter punctulatis, posterius sub-muricatis.

MÉNÉTRIÉS, *Catal. raisonné*, p. 224. 1007.

Habitat in Volhynia. Dom. BESSER; in Caucaso Dom. MÉNÉTRIÉS; in Gallia Dom. CHEVROLAT. Mus. SCHH.

Parvus *Rhyncolo culinari* æqualis et similis, rostro breviori et latiori, thorace lateribus fere æqualiter rotundato ab illo præcipue distinctus. Caput convexum, subtiliter punctatum, piceum, nitidum; oculi, ovati, brunnei, sub-depressi; rostrum latitudine fere capitis et illo vix longius, supra convexum, obsolete carinatum, confertissime punctulatum, piceum. Antennæ breviusculæ, minus crassæ, piceæ, clava dilutiore, apice obtusa. Thorax latitudine vix longior, antice leviter emarginatus, longe intra apicem late, sed obsolete transversim impressus, lateribus nonnihil ampliatus, basi truncatus, supra posterius convexus, sub-pulvinatus, confertim punctatus, piceus, sub-nitidus. Scutellum parvum, elevatum, concolor Elytra antice sub-truncata, thoracis basi multo latiora, humeris fere rectangulis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra convexa, postice fere retusa, evidenter sulcata, sulcis punctis majusculis, sub-remotis impressis, interstitiis anterius obsoletissime punctulatis et transversim

rugulosis, posterius sub-muricatis. Corpus subtus piceum; magis nitidum, confertim et sat profunde punctatum. Pedes breviusculi, validi, picei, tarsis dilutioribus. BHN.

* 14. R. TRUNCORUM. *Schuppel.*

Latior, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber, clava sub-cuneiformi, compressa, rostro capite longiore, subtiliter punctulato, thorace sub-ovali, profundius sub-remote punctato; elytris linearibus, apice obtuse rotundatis, profunde sulcato-punctatis, interstitiis subtilissime punctulatis; femoribus compressis, utrinque dilatatis. — BHN.

Cossonus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* IV. p. 605. 2-3.
GERM. *Ins. Spec.* I. p. 308. 446.
Rhyncolus id. STEPH. *Brit. Ent.* IV. p. 6. 4.
Rhyncolus culinaris. STURM, *Ins. Catal.* 1826. p. 191.
Id. tenuirostris. Dom. CREUTZER *in Litteris.*

Patria : Germania, Gallia, Suecia meridionalis.

Observ. — *Rhyncolo culinari* affinis, sed latior, magis nitidus, thorace utrinque magis et fere æqualiter ampliato, sub-remote punctato, elytris latioribus, interstitiis non rugulosis, subtilissime disperse punctulatis, postice haud muricatis; femoribus compressis, utrinque rotundato-ampliatis, ab illo diversus.

* 15. R. LATINASUS. *Say.*

Sub-depressus, niger, glaber, antennarum clava pedibusque rufo-ferrugineis; rostro brevi, latitudine fere capitis, sub-lineari; thorace oblongo, profunde sub-disperse punctato, obsoletissime carinato; elytris rufo-castaneis, confertim punctato-striatis, interstitiis angustis, convexis.

Rhyncolus id. SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 30.

Patria : America borealis, Florida. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Rhyncolo chloropo et *elongato* valde affinis, sed dimidio minor, magis depressus. Caput breve, subtiliter punctatum, nigrum, nitidum; fronte foveola parva impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum latitudine capitis et vix illo longius, fere lineare, convexum,

punctatum, nigrum. Antennæ breves, crassæ, nigræ, clava breviter ovata, acuminata, ferruginea. Thorax latitudine multo longior, anterius angustior, apice truncatus, intra apicem leviter constrictus, margine apicis in medio elevato; lateribus parum ampliatus; basi sub-truncatus, supra fere planus, sat profunde disperse punctatus, dorso obsoletissime carinatus, niger, nitidus. Scutellum sub-triangulare, nigrum, læve. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis, callo sub-elevato; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, distincte striata et in striis confertim punctata, interstitiis angustis, convexis; tota rufo-castanea, sub-nitida. Corpus subtus disperse punctatum, nigrum, nitidum, pectore canaliculato. Pedes breves, validi, rufo-ferruginei, femoribus crasse clavatis. BHN.

16. R. PLEBEJUS. *Schh.*

Elongatus, minus convexus, nigro-piceus, nitidus, glaber, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, capite sub-remote punctulato, rostro lato, sub-depresso; thorace angustiore, oblongo-ovali, utrinque paulo ampliato, sat profunde minus crebre punctato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis lævibus.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum benevole missus.

Longitudo *Rhyncoli culinaris*, sed gracilior, aliter coloratus, thorace angustiori, profundius punctato, elytrorum interstitiis lævibus, ab illo bene distinctus. Caput porrectum, convexum, nigrum, nitidum, subtiliter sub-remote punctulatum; frons inter oculos foveola obsoleta impressa; oculi parvi, rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite vix longius eodemque vix angustius, crassum, lineare, sub-rectum, supra fere planum, inter antennas obsolete impressum, subtiliter sat crebre punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum. Antennæ crassiusculæ, rufo-ferrugineæ, pilosæ, clava minuta, oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax oblongus latitudine baseos fere dimidio longior, basi apiceque truncatus, antice posticeque angustatus, mox intra apicem leviter coarctatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, supra parum convexus, minus crebre profunde punctatus; totus nigro-piceus, glaber, sub-nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi fere dimidio latiora, humeris rotundatis, lateri-

bus apicem versus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace fere duplo longiora, supra modice convexa, posterius declivia, profunde punctato-striata, interstitiis planis, lævibus. Corpus subtus nigro-piceum, sub-nitidum, subtiliter minus crebre punctulatum. Pedes breviusculi, validi, rufo-ferruginei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apicem versus nonnihil dilatatis,

BHN.

17. R. TRIVIALIS. *Schh.*

Elongatus, obscure ferrugineus, nitidus, glaber, capite subtiliter subremote punctulato, rostro plano, obsolete punctato; thorace latiore, sat profunde minus crebre punctato; elytris minus profunde punctato-striatis, interstitiis latiusculis, sub-convexis, lævibus.

Patria: Caput Bonæ Spei. Ex Musæo Dom. DRÈGE ad describendum benevole communicatus.

Habitus et magnitudo *Rhyncoli culinaris*. Statura etiam et summa similitudo *Rhyncoli plebeji*, ab illo colore dilutiore, capite rostroque minus evidenter punctatis, thorace nonnihil latiore, elytrorum interstitiis magis convexis, fere unice distinctus. Caput porrectum, convexum, obscure ferrugineum, obsolete remote punctulatum, inter oculos foveola minutissima insculptum; oculi laterales, parvi, rotundati, parum prominuli, nigri; rostrum capite vix longius et illo paulo angustius, crassum, lineare, sub-rectum, supra fere planum, obsolete sat crebre punctulatum, obscure ferrugineum, nitidum, glabrum. Antennæ in medio rostri sitæ, crassiusculæ, rufoferrugineæ, clava parva, oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos parum longior, basi apiceque truncatus, anterius angustior, lateribus rotundato-ampliatus, supra parum convexus, sat crebre profunde punctatus, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber, margine apicali infuscatus. Scutellum parvum, rotundatum, piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis; lateribus non ampliata, apicem versus angustata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace fere triplo longiora, supra modice convexa, postice declivia, minus profunde crebre punctato-striata, interstitiis latiusculis, sub-convexis, lævibus; tota obscure ferruginea, sub-nitida, glabra. Corpus subtus ferrugineum, nitidum, subtiliter sat crebre punctulatum.

Pedes breviusculi, validi, rufo-ferruginei; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis rectis, apicem versus nonnihil dilatatis; tarsis tenuibus. Bhn.

* 18. R. Cylindrirostris. *Olivier.*

Piceo-ferrugineus, glaber, antennis pedibusque dilutioribus; thorace subtilius punctato, lateribus ampliato, antice constricto; elytris punctato-striatis, interstitiis sub-disperse punctulatis, rostro capite longiore, cylindrico, supra breviter canaliculato.

Cossonus id. Oliv. *Ent.* V. 83. p. 427. 528. T. 35. f. 537. Secundum ejus Musæum, teste Dom Chevrolat.

Rhyncolus id. Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 100. *ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Id. stlembus. Schh. *in Litteris,* olim.

Habitat in Gallia, Parisiis. Dom. Chevrolat; et in Scania Dom. Sundevall. Mus. Schh. et Ghl.

Parvus, *Rhyncolo truncorum* æqualis, thorace lateribus ampliato, antice constricto, ab affinibus distinctus. Caput convexum, obsolete, disperse punctulatum, ferrugineum, nitidum; oculi nigro-brunnei, modice convexi; rostrum capite longius et paulo angustius, cylindricum, confertim punctulatum, supra in medio breviter canaliculatum, saturatius piceum. Antennæ crassiusculæ, ferrugineæ, clava apice pallida, sub-acuminata. Thorax latitudine media vix longior, antice paulo angustior quam basi, apice emarginatus, intra apicem evidenter constrictus, lateribus æqualiter rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra modice convexus, confertim sed minus profunde punctatus, rufo-ferrugineus, sub-nitidus, glaber. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulis, lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra convexa, sub-sulcata, sulcis confertim evidenter punctatis, interstitiis subtiliter disperse punctulatis; saturatius picea, minus nitida. Corpus subtus nigro-piceum, confertim punctatum, sub-nitidum. Pedes breviusculi, validi, dilutius rufo-ferruginei. — Ghl.

19. R. REFLEXUS. *Schh.*

Piceo-ferrugineus, glaber, rostro brevi, apicem versus sensim perparum angustato; thorace profunde sat crebre punctato, lateribus ampliato, antice sat profunde constricto; elytris mediocriter crenato-striatis, interstitiis punctulatis et transversim rugulosis, interstitio sexto versus apicem valde elevato, carinato, reflexo.

Habitat in Gallia, Parisiis. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT ad describendum amice missus.

Rhyncolo culinari statura sub-similis, nonnihil minor, elytris apice reflexo-carinatis, ab affinibus mox distinctus. Caput convexum, obsolete disperse punctulatum, ferrugineum, nitidum, inter oculos foveola parva, obsoleta, insculptum; oculi nigro-brunnei, modice convexi; rostrum capite vix longius et angustius, crassum, rectum, apicem versus sensim perparum angustatum, sat crebre evidenter punctulatum, ferrugineum, nitidum, glabrum. Antennæ crassiusculæ, ferrugineæ, clava parva, dilutiore, sub-acuminata. Thorax latitudine media vix longior, antice multo angustior quam basi, basi apiceque truncatus, mox intra apicem sat profunde constrictus, lateribus pone stricturam modice rotundato-ampliatus, supra paulo convexus, sub-remote sat profunde punctatus, rufo-ferrugineus, sub-nitidus, glaber. Scutellum minutum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, postice declivia, sub-sulcata; sulcis confertim mediocriter punctatis, interstitiis subtiliter disperse punctulatis et transversim rugulosis; interstitium sextum versus apicem valde elevatum, carinatum, reflexum, octavum etiam modice elevatum; tota rufo-picea, minus nitida. Corpus subtus ferrugineum, magis nitidum, obsolete sub-remote punctulatum. Pedes breviusculi, validi, dilutius rufo-ferruginei. — BHN.

* 20. R. Punctatulus. *Ziegler.*

Nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, antennis pedibusque rufo-ferrugineis, rostro brevissimo, impresso, latitudine capitis; thorace confertim punctulato; elytris mediocriter punctato-striatis, interstitiis ruguloso-punctatis.

Dejean, *Cat. Col. ed.* 1. p. 100. *ed.* 2. p. 306. *ed.* 3. p. 331.

Habitat in Gallia. Dom. Com. Dejean et Dom. Chevrolat; in Helvetia. Dom. Chevrier. Mus. Schh.

Parvus, *Rhyncolo elongato* affinis, sed triplo minor; antennis tenuioribus, thorace breviori, crebre subtiliter punctato, elytrorum interstitiis punctato-rugulosis, præterea ab illo facile distinctus. Caput porrectum, crassum, nigrum, nitidum, vertice obsoletissime, fronte evidenter punctulatis; oculi rotundati, modice prominuli, nigri; rostrum longitudine capitis et illo multo brevius, crassum, nigro-piceum, nitidum, confertim punctulatum, supra perparum convexum, distincte sat late longitudinaliter impressum. Antennæ minus crassæ, rufo-ferrugineæ, clava ovato-acuminata, testacea, pallido-pubescente. Thorax latitudine postica paulo longior, anterius angustior, lateribus pone medium nonnihil rotundato-ampliatus, basi apiceque truncatus, supra convexus, nigropiceus, nitidus, confertim punctulatus. Scutellum minutum, rotundatum, nigrum. Elytra basi truncata, thorace vix latiora sed illo fere duplo longiora, humeris fere rectangulis; lateribus linearia, apice conjunctim rotundata, supra convexa, postice declivia, nigro-picea, sub-nitida, subtiliter punctato-striata, interstitiis planis, punctulatis et transversim rugulosis. Corpus subtus nigrum, parum nitidum, sat crebre punctulatum. Pedes breviusculi, dilutius ferruginei; femoribus modice clavatis, muticis. — Bhn.

* 21. R. Troglodytes. *Schh.*

Nigro-piceus, glaber, antennis pedibusque ferrugineis, fronte rostroque basi canaliculatis; thorace confertim subtiliter punctulato, lateribus vix ampliato, postice sub-latiore, antice leviter constricto; elytris obscure ferrugineis, subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, transversim rugulosis.

Patria: Peru. A Dom. Guérin amice communicatus. Mus. Schh.

Parvus. Magnitudo *Rhyncoli punctatuli*, fronte rostroque cana-

liculatis, thorace subtilius punctulato, elytris tenuissime punctato-striatis, interstitiis transversim subtiliter rugulosis, ab illo bene distinctus. Caput porrectum, convexum, postice obsolete disperse inter oculos evidenter punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum; fronte canalicula lata, parum profunda, ad medium rostri continuata, insculpta; oculi rotundati, modice prominuli, brunnei; rostrum capite longius et paulo angustius, crassum, rectum, cylindricum, confertim subtiliter punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum, glabrum. Antennæ crassiusculæ, ferrugineæ, clava pallida, sub-acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine media nonnihil longior, antice paulo angustior quam basi, antice posticeque truncatus, mox intra apicem constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, subtiliter crebre punctulatus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber. Scutellum minutum, rotundatum, concolor. Elytra antice sub-truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulis, vix elevatis, lateribus non ampliata, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, subtiliter crebre punctato-striata, interstitiis planis, subtilissime transversim rugulosis; obscure ferruginea, regione scutellari, sutura apiceque infuscatis, tota sub-nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, confertim punctulatum, parum nitidum. Pedes breviusculi, validi, dilutius rufo-ferruginei. — BHN.

22. R. NITIDULUS. *Schh.*

Elongatus, nigro-piceus, nitidus, glaber, antennis tarsisque ferrugineis, rostro brevissimo; thorace confertim punctulato, lineola longitudinali, sub-elevata, antice posticeque abbreviata, notato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis convexis, sub-carinatis, lævibus.

Patria : Caffraria. A Dom. ECKLON et ZEYHER ad describendum amice missus.

Parvus. Statura omnino *Rhyncoli plebeji*, sed dimidio minor, rostro breviori, thorace confertim punctulato, sub-carinato, elytrorum interstitiis magis convexis. Caput porrectum, breve, convexum, nigro-piceum, subtiliter crebre punctulatum; oculi laterales, rotundati, haud prominuli, nigri; rostrum validum, capite brevius, sub-rectum, supra parum convexum, nigro-piceum, nitidum, sub-

tiliter confertim punctulatum. Antennæ in medio rostri insertæ, breviusculæ, validæ, ferrugineæ, pilosæ, clava ovata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, antice subito angustior, intra apicem leviter constrictus et transversim impressus, basi apiceque truncatus, lateribus pone stricturam nonnihil rotundato-ampliatis; supra modice convexus, subtiliter confertim punctulatus, lineola longitudinali, sub-elevata, antice posticeque abbreviata, lævi, notatus; totus nigro-piceus, glaber, nitidus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi dimidio latiora, humeris rotundatis; lateribus apicem versus nonnihil ampliata, apice conjuntim rotundata, thorace fere duplo longiora, supra modice convexa, posterius, declivia, parum profunde sulcata, sulcis in fundo profunde punctatis, interstitiis angustis, sub-carinatis, lævibus; tota nigro-picea, nitida, glabra. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter punctulatum. Pedes breviusculi, validi, nigro-picei, nitidi, punctulati; femoribus parum clavatis; tibiis rectis; tarsis tenuibus, obscure ferrugineis. — Bhn.

* 23. R. Oryzæ. *Schh.*

Saturate ferrugineus, glaber, sub-nitidus; rostro valido, sub-arcuato, capite longiore; thorace, lateribus rotundato, concinne punctato; elytris subtilius punctato-striatis, interstitiis convexis, subtilissime, sub-seriatim, punctulatis.

Patria : .... Inter grana Oryzæ, in tabernis mercatorum Holmiæ, a Dom. Nyblæo lectus. Mus. Schh.

Rhyncolo cylindrirostro plus duplo minor, angustior. Caput majusculum, convexum, punctulatum, ferrugineum, nitidum; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite paulo longius et parum angustius, crassum, sub-arcuatum, punctulatum, ferrugineum. Antennæ breviusculæ, validæ, flagello piceo, clava dilutius testacea. Thorax latitudine media vix longior, antice paulo angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem vix constrictus, lateribus rotundato-ampliatus, basi truncatus, supra convexus, pulvinatus, confertim, concinne punctatus, ferrugineus, nitidus, glaber. Scutellum sub-triangulare, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis; lateribus nonnihil ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace triplo longiora, supra convexa,

distincte striata, striis subtiliter punctatis, interstitiis convexis, obsolete punctulatis; saturate ferruginea, sub-nitida. Corpus subtus confertim punctulatum, saturate ferrugineum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, saturate ferruginei, femoribus clavatis, muticis; tibiis rectis, interne versus apicem dente valido armatis; tarsis dilatatis, articulo unguiculari elongato, tenui. — GHL.

* 24. R. LAURI. *Schh.*

Saturate ferrugineus, glaber, parum nitidus; rostro valido, capite longiore, vix arcuato; thorace confertim punctato, lateribus modice ampliato; elytris pallide testaceis, punctato-striatis, interstitiis subconvexis, punctulatis.

Patria: Mexico, in seminibus Lauri perisci. A Dom. FALDERMANN communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo, statura et affinitas *Rhyncoli oryzæ;* differre tamen videtur: rostro longiore, thoracis lateribus minus ampliatis, elytris pallidioribus, etc. Caput majusculum, postice convexum, punctulatum, ferrugineum, fronte foveola parva impressa; oculi semi-globosi, nigri; rostrum capite paulo longius, validum, sub-arcuatum, punctatum, ferrugineum, basi supra leviter carinatum. Antennæ breviusculæ, validæ, piceæ, clava dilutius testacea. Thorax latitudine paulo longior, antice, subito angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem obsolete constrictus, sub-tubulatus; lateribus modice ampliatus, basi sub-truncatus, supra modice convexus, confertim punctatus, saturate ferrugineus, parum nitidus. Scutellum subtriangulare, pallidius testaceum. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris fere rectangulatis; lateralibus vix ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace plus triplo longiora, supra convexa, distincte punctato-striata, interstitiis sub-convexis, punctulatis; tota pallide testacea. Corpus subtus confertim punctatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Pedes breviusculi, validi, rufo-ferruginei, ut in *Rhyncolo oryzæ* constructi. — GHL.

25. R. TERETIROSTRIS (1). *Klug.*

Capite thoraceque punctatis, elytris punctato-striatis, cylindricus, ferrugineus, rostro elongato, cylindrico. — KLUG.

KLUG, *Ins. von Madag.* p. 114. 180.

Patria : Madagascar.

GENUS 399. CATOLETHRUS. *Nobis.*

Character generis : — Antennæ breviusculæ, crassiusculæ, prope basin rostri insertæ; funiculo 7-articulato, articulo basali majore, crassiore, reliquis brevibus, sub-perfoliatis, coarctatis, crassitudine sensim crescentibus; clava angusta, sub-ovali, indistincte quadri-articulata.

Rostrum elongatum, minus crassum, teres, arcuatum, basi sub-constrictum.

Oculi laterales, valde demissi, depressi, oblongi.

Thorax elongatus, supra planus, intra apicem coarctatus.

Scutellum minutum, rotundatum.

Elytra elongata, cylindrica, paulo convexa.

Pedes breviusculi; tibiæ apice unco minuto armatæ.

Descriptio : — *Corpus* parvum, elongatum, supra fere planum, durum, alatum. — *Antennæ* non procul a basi rostri insertæ ejusque longitudine, inflexæ, crassiusculæ, fractæ, 12-articulatæ; articulo 1°-oculos superante, crasso, elevato; 2°-crassiore, sub-turbinato, reliquis brevibus, perfoliatis, coarctatis, crassitudine sensim crescentibus; clava parva, angusta, oblongo-ovali, indistincte 4-articulata. — *Rostrum* thorace nonnihil brevius, deflexum, minus crassum, teres, arcuatum, basi sub-constrictum; scrobe pone medium incipiente, profunda, subtus versus basin rostri excurrente. — *Caput* mediocre, rotundatum, supra modice convexum. — *Oculi* laterales, valde demissi, oblongi, depressi. — *Thorax* latitudine baseos multo longior, basi apiceque truncatus, anterius angustior, mox intra apicem coarctatus, lateribus paulo rotundato-ampliatus, supra planus. — *Scutellum* minutum, rotundatum. — *Elytra* elongata, antice truncata, thoracis basi paulo latiora, linearia, apice con-

(1) Mihi invisus.

junctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra paulo convexa, dorso fere plana, anum occultantia. — *Pedes* breves, validiusculi, basi modice distantes, longitudine sub-æquales; femoribus compressis, latiusculis, muticis; tibiis rectis, basi tenuioribus, apicem versus nonnihil ampliatis, apice extus unco minuto, deflexo, armatis; tarsis gracilibus, articulis angustatis, penultimo paulo latiore, ultimo clavato, bi-unguiculato.

TYPUS. — *Catolethrus longulus.*

A κατώλεθρος perniciosus.

Patria : America meridionalis.

Observ. — A genere *Rhyncolo*, rostro tenuiori, longiori, arcuato, basi sub-constricto, antennis basin rostri propius insertis, thorace magis elongato, supra plano, elytris minus convexis, bene et facile distinguitur. — BHN.

♂♀ 1. C. LONGULUS. *Chevrolat.*

Lineari-elongatus, angustus, nigro-piceus, sub-nitidus, glaber, rostro tenui; thorace supra fere plano, subtiliter sub-remote punctulato, antice constricto; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis subtilissime vage punctulatis.

Cossonus longulus. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*
Rhyncolus tenuirostris. SCHH. *in Litteris* olim.

Patria : Mexico. A Dom. CHEVROLAT benevole communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo *Colydii elongati.* Caput breve, convexum, nigro-piceum, nitidum, subtilissime remote punctulatum; oculi laterales, ovati, haud prominuli, nigri; rostrum thorace nonnihil brevius, sub-tenue, teres, basi paulatim incrassatum et sub-constrictum, præsertim in mare, modice arcuatum, subtiliter remote punctulatum, nigro-piceum, sub-nitidum, apice dilutius, maris paulo brevius et crassius. Antennæ non procul a basi rostri insertæ, validiusculæ, rufo-piceæ, pilosæ, clava oblongo-ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, antice subito angustior, basi apiceque truncatus, intra apicem constrictus et transversim impressus, lateribus pone stricturam modice rotundato-ampliatus, supra planus, punctis parvis sub-remotis, dorso evidentioribus impressus,

dorso antico obsoletissime carinatus, nigro-piceus, sub-nitidus, margine apicali ferrugineus. Scutellum parvum, rotundatum, nigro-piceum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris sub-elevatis, rotundatis; lateribus non ampliata, linearia, apice conjunctim rotundata, thorace plus duplo longiora, supra parum convexa, obsoletius striata, sed in striis punctis parvis sat crebris impressa, striis dorsalibus apicem versus profunde impressis, obsolete punctatis, interstitiis planis, subtilissime vage punctulatis; tota nigro-picea, nitida, apice dilutiora. Corpus subtus nigro-piceum, nitidum, subtiliter crebre punctulatum. Pedes breviusculi, sub-tenues, picei, nitidi; femoribus clavatis; tibiis rectis; tarsis gracilibus, parum dilatatis. — Bhn.

* 2. C. Rufus. *Schh.*

Lineari-elongatus, ferrugineus, sub-nitidus, glaber, rostro longiori, arcuato; thorace oblongo, intra apicem profunde constricto, evidenter sub-remote punctato, linea media angusta, lævi, sub-elevata, notato; elytris rufo-ferrugineis, profundius punctato-striatis, interstitiis obsoletissime punctulatis.

Patria : Brasilia. A Dom. Faldermann amice communicatus. Mus. Schh.

Rhyzophago depresso magnitudine æqualis. *Proëci nigrifronti* dimidio minor, rostro longiori, thorace intra apicem profunde constricto, supra sub-carinato, profundius remotius punctato, elytris evidenter punctato-striatis, ut et colore alio ab illo distinctissimus. Caput breve, rotundatum, supra convexum, subtilissime sub-remote punctulatum, obscure ferrugineum, nitidum, glabrum; oculi laterales, oblongi, depressi, nigri; rostrum capite fere triplo longius et illo multo angustius, teretiusculum, arcuatum, obscure ferrugineum, nitidum, subtilissime punctulatum, basi sub-constrictum. Antennæ breves, minus tenues, rufo-ferrugineæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, distincte quadri-articulata, dilutiore, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica multo longior, basi apiceque truncatus, mox intra apicem profunde constrictus, anterius angustior, lateribus pone medium paulo rotundato-ampliatus, supra planus, sat profunde sub-remote punctatus, linea media angusta, longitudinali, sub-elevata, lævi, notatus; totus obscure ferrugineus, nitidus, glaber. Scutellum parvum rotundatum, ferrugineum, læve.

Elytra antice truncata, thoracis basi vix latiora, humeris non prominulis, rotundatis, lateribus linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, dorso fere plana, subtiliter striata, et in striis confertim evidenter punctata, interstitiis angustis, planis, subtilissime punctulatis; tota dilutius ferruginea, nitida, glabra. Corpus subtus subtiliter sub-remote punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Pedes breves, validi, ferruginei, nitidi; femoribus clavatis, muticis; tarsis gracilibus, dilutius ferrugineis. — BHN.

GENUS 400. PROËCES. *Nobis.*

Character generis: — Antennæ breviusculæ, versus medium rostri insertæ, minus tenues; funiculo 7-articulato: articulis duobus basalibus brevissime obconicis, reliquis transversis, lenticularibus, coarctatis; clava majuscula, breviter ovata, indistincte 4-articulata.

Rostrum elongatum, sub-tenue, cylindricum, arcuatum.

Oculi laterales, rotundati, sub-depressi.

Thorax elongatus, sub-conicus, pone medium paulo latior, basin et apicem versus angustior, supra fere planus.

Scutellum parvum, apice rotundatum.

Elytra elongata, linearia, supra planiuscula.

Pedes breviusculi; tibiæ apice unco longo instructæ; tarsi angustati.

Descriptio: — *Corpus* elongatum, sub-lineare, supra planiusculum, sculpturatum, durum, alatum; aut minimæ aut minutissimæ magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque vix longiores, versus medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° elongato, oculos attingente, clavato, 2° et 3° brevissime obconicis, illo paulo longiore, 4-8 brevibus, transversis, lenticularibus, coarctatis, successive paulo crassioribus; clava majuscula, breviter ovata, 4-articulata, articulis ægre discernendis. — *Rostrum* longitudine thoracis, cylindricum, lineare, sub-tenue, arcuatum, sub-deflexum; scrobe lineari, sensim subtus flexa. — *Caput* porrectum, modice convexum, pone oculos linea transversa impressum. — *Oculi* laterales, rotundati, sub-depressi. — *Thorax* latitudine postica sesqui-longior, sub-conicus, basi apiceque truncatus, anterius dimidio angustior quam basi, intra apicem coarctatus, lateribus pone medium paulo rotundato-ampliatus, supra fere planus. — *Scutellum* minutum, apice rotundatum. — *Elytra* thoracis medio non latiora illoque fere triplo

longiora, linearia, basi truncata, humeris obtusangulis; versus apicem angustiora, apice ipso obtuse rotundata, anum obtegentia, supra planiuscula. — *Pedes* breviusculi, validiusculi, basi distantes, longitudine sub-æquales; femoribus valde clavatis, muticis; tibiis rectis, basi tenuioribus, versus apicem paulo ampliatis, comprimatis, apice extus unco longo, deflexo armatis; tarsis angustatis, articulo penultimo bi-lobo, ultimo clavato, bi-unguiculato.

Typus. — *Proëces macer.*

A προήκης prolixus, longus.

Patria : Madagascar.

Observ. — Habitus hujus quodammodo idem est ac generis *Catolethri,* sed præcique differt insertione et structura antennarum, situ et forma oculorum, unco quoque tibiarum longiore, etc.

1. P. Nigrifrons. *Chevrolat.*

Elongatus, sub-depressus, rufo-ferrugineus, sub-nitidus, capite oculisque nigris, rostro longiori, arcuato, thorace oblongo, a medio apicem versus angustato, subtiliter disperse punctato; elytris apicem versus obscurioribus, tenue punctato-striatis, interstitiis planis, subtilissime seriatim punctulatis.

Cossonus id. Dom. Chevrolat *in Litteris.*

Patria : Madagascar. Dom. Reiche. Ex Musæo Dom. Chevrolat descriptus.

Rhyncolo chloropo dimidio minor, gracilior et magis depressus. Caput breve, nigrum, nitidum, inter oculos foveola parva, obsoleta impressum; vertice obsoletissime fronte evidenter punctulatis; oculi laterales, oblongi, modice prominuli, nigri: rostrum capite fere duplo longius, illoque angustius, teretiusculum, arcuatum, rufo-ferrugineum, sub-nitidum, basi infuscatum, subtiliter punctulatum. Antennæ breves, minus crassæ, testaceæ, parce pilosæ, clava breviter ovata, sub-obtusa, indistincte quadri-articulata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos multo longior, a medio apicem versus angustatus, antice truncatus, intra apicem obsoletissime constrictus, lateribus modice rotundato-ampliatus, basi etiam truncatus, supra fere planus, subtiliter, disperse punctatus, rufo-

ferrugineus, sub-nitidus. Scutellum parvum, sub-rotundatum, rufo-ferrugineum, læve. Elytra antice truncata, thoracis basi parum latiora, humeris vix prominulis, rotundatis; lateribus non ampliata, apice conjunctim rotundata, thorace duplo longiora, supra parum convexa, subtiliter striata et in striis confertim punctulata, interstitiis angustis, planis, singulis serie regulari e punctis minutissimis impressis; tota rufo-ferruginea, sub-nitida, apicem versus nonnihil infuscata. Corpus subtus rufo-ferrugineum, sub-nitidum, subtiliter disperse punctatum. Pedes breves, validi, dilutius rufo-ferruginei, nitidi; femoribus clavatis, muticis; geniculis infuscatis; tarsis gracilibus, concoloribus. — BHN.

* 2. P. MACER. *Schh.*

Angustus, sub-depressus, rufo-ferrugineus, nitidus, rostro longiori, tenuiori, arcuato; thorace anterius angustato, lateribus parum rotundato, undique subtiliter sub-remote punctato; elytris subtiliter crebre punctato-striatis, interstitiis angustis, lævibus.

Patria: Madagascar. A Dom. SCHUPPEL amice communicatus. Mus. SCHH.

Rhyzophago parvulo æqualis. Longitudo *Phlæophagi minimi*, sed duplo angustior, rostro multo longiori, tenuiori, thorace intra apicem profundius constricto, subtiliter punctulato, elytris tenuiter punctato-striatis etc. ab illo bene distinctus. Caput oblongum, convexum, postice linea transversa impressum, obsoletissime inter oculos evidenter etsi subtiliter punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum; fronte infuscata, obsoletissime canaliculata; oculi parvi, rotundati, haud prominuli, obscure brunnei; rostrum longitudine thoracis, capite multo angustius, sub-tenue, teres, arcuatum, subtilissime punctulatum, rufo-ferrugineum, nitidum. Antennæ breviusculæ, validæ, dilutius rufo-ferrugineæ, clava ovata, acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine postica longior, apice truncatus, lateribus pone stricturam ultra medium sensim ampliatus, dein nonnihil rotundatus, basi sub-truncatus, supra planus, mediocriter, disperse, sub-remote punctulatus, rufo-ferrugineus, nitidus, glaber. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris rotundatis; lateribus linearia, apice conjunctim obtuse rotundata, thorace plus duplo longiora, supra sub-depressa, subtiliter confertim punc-

tato-striata, interstitiis angustis, vix clavatis, lævibus; rufo-ferruginea, nitida, apice obsolete infuscata. Corpus subtus subtilissime punctulatum, ferrugineum. Pedes breviusculi, dilutius ferruginei.

BHN.

GENUS 401. EUMYCTERUS. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ longiusculæ, validiusculæ; funiculo 7-articulato; articulo basali elongato, sub-obconico, reliquis brevibus, sub-turbinatis, crassitudine sensim crescentibus; clava angustata, sub-ovata, indistincte articulata.

Rostrum elongatum, cylindricum, lineare, arcuatum, subtenue.

Oculi demissi, in fronte valde distantes, infra caput fere connexi, depressi.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus modice ampliato-rotundatus, antrorsum paulo angustior.

Scutellum parvum, rotundatum, sub-elevatum.

Elytra elongata, convexa, sub-cylindrica.

Pygidium apertum, sub-deflexum, abdomini contiguum, extra apicem elytrorum vix prominens.

Pedes longiusculi, antici basi valde distantes; articulo penultimo tarsorum latiore, bi-lobo.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, sub-lineare, modice convexum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* mox pone medium rostri insertæ, thoracis medium attingentes, validiusculæ, fractæ, 12-articulatæ: articulo 1° oculorum marginem inferiorem vix attingente, clavato, 2° valde elongato, sub-obconico, 3-8 brevibus, sub-turbinatis, successive perparum crassioribus; clava angustata, sub-ovata, indistincte 4-articulata. — *Rostrum* longitudine capitis cum thorace, teres, arcuatum, deflexum, sub-tenue; scrobe lineari, sensim subtus flexa. — *Oculi* in fronte valde distantes, infra caput fere connexi, sub-ovati, depressi. — *Thorax* latitudine paulo longior, basi apiceque truncatus, lateribus perparum ampliato-rotundatus, apicem versus angustior, supra modice convexus. — *Scutellum* punctiforme, sub-elevatum. — *Elytra* antice thoracis basi vix latiora et duplo longiora, linearia, basi truncata, humeris vix angulatis; supra convexa, apice angustiora, conjunctim rotundata, anum vix occultantia. *Pygidium* sub-deflexum, articulum sextum ventris formans, vix tamen ultra elytrorum apicem prominens. —

Pedes elongati, validiusculi, mutici; femoribus modice clavatis; tibiis teretibus, rectis; tarsis latiusculis, articulo penultimo paulo latiore, bi-lobo, subtus vix spongioso, articulo ultimo sub-clavato, bi-uguiculato.

A εὖ bene, μυκτὴρ nasus.

TYPUS. — *Eumycterus albosquamulatus.*

Patria : Anatolia.

Observ. — Speciebus generis *Rhyncholi* quoad habitum quodammodo simile est hoc genus, rostro tamen longiore, tenuiore, oculis valde distantibus, infra caput fere connexis, pedibus longioribus, forma pygidii evidenter distinctum.

1. E. ALBOSQUAMULATUS. *Chevrolat.*

Elongatus, piceus, sub-nitidus, squamulis albidis parce adspersus, rostro longo, sub-tenui, arcuato; thorace oblongo, subtiliter sub-remote punctulato, linea angusta dorsali lævi notato; elytris subtiliter punctato-striatis, interstitiis planis, punctis remotis, seriatim impressis.

Nov. Gen. id. Dom. CHEVROLAT *in Litteris.*

Patria : Anatolia ad Ismir. Ex Musæo Dom. CHEVROLAT descriptus.

Magnitudo *Sitophili granarii.* Caput breve, rotundatum, convexum, subtilissime punctulatum, dilute piceum, sub-nitidum: oculi sub-ovati, transversi, infra caput fere connexi, nigri, depressi; rostrum longitudine capitis cum thorace, deflexum, sub-tenue, teres, arcuatum, subtiliter punctulatum, obscure ferrugineum, sub-nitidum, apice ipso infuscatum. Antennæ ad thoracis medium pertingentes, minus crassæ, dilute piceæ, parce pilosæ, clava sub-ovata, modice acuminata, cinereo-pubescente. Thorax latitudine baseos nonnihil longior, basi apiceque truncatus, apicem versus angustatus, intra apicem leviter constrictus, lateribus parum rotundato-ampliatus, supra modice convexus, piceus, sub-nitidus, squamulis albidis ad latera et basin parce adspersus, subtiliter, sub-remote, disperse punctatus, linea dorsali, longitudinali, lævi, angusta præditus. Scutellum parvum, rotundatum, sub-

elevatum, piceum, læve. Elytra antice truncata, thoracis basi fere angustiora, humeris vix prominulis, rotundatis, callo sub-elevato; lateribus non ampliata, apicem versus angustata, apice conjunctim rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, subtiliter striata et in striis punctulata, interstitiis planis, singulis serie e punctis distinctis, remotis impressis; tota picea, sub-nitida, squamulis albis in disco antico basi apiceque densioribus adspersa. Corpus subtus disperse punctatum, piceum, sub-nitidum, squamulis albidis parce adspersum. Pedes elongati, validi, obscure ferruginei, punctulati, squamulis albidis adspersi; femoribus modice clavatis, muticis; tibiis teretibus rectis; tarsis modice dilatatis, subtus fulvo-spongiosis. — Bhn.

Genus 402. LYMANTES. *Nobis.*

Character generis. — Antennæ mediocres, validiusculæ; funiculo 7-articulato : articulis duobus basalibus longiusculis, sub-turbinatis, reliquis brevibus, transversis, coarctatis, gradatim crassitudine paulo crescentibus; clava breviter ovata, indistincte articulata.

Rostrum elongatum, validum, lineare, sub-teres, modice curvatum, ad basin quasi abscissum.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, lateribus basi subrectis, antrorsum rotundatus, subito angustior.

Scutellum nullum.

Elytra oblongo-sub-ovata; basi introrsum sub-emarginata, humeris rectangulatis.

Descriptio. — *Corpus* elongatum, parum convexum, sculpturatum, alatum; minusculæ magnitudinis. — *Antennæ* rostro capiteque vix longiores, pone medium rostri insertæ, minus tenues, fractæ, 12-articulatæ : articulo 1°. oculorum marginem inferiorem attingente, clavato, 2°. et 3°. longiusculis, sub-turbinatis, 4-8 brevibus, transversis, coarctatis, successive perparum crassioribus, ultimo clavæ adpresso; clava breviter ovata, indistincte (4?) articulata. — *Rostrum* thorace paulo brevius, validum, lineare, subteres, parum arcuatum, basi profunde constrictum, sicut abcissum; scrobe versus apicem incipiente, lineari, profunda, sensim subtus flexa. — *Oculi* laterales, depressi. — *Thorax* latitudine postica sesqui-longior, basi apiceque truncatus, lateribus sub-rectis, apicem versus rotundatus, subito angustior, ad latera antica levi-

ter coarctatus, supra parum convexus. — *Scutellum* haud observandum. — *Elytra* elongata, thoracis basi parum latiora, et sesqui longiora, basi conjunctim introrsum leviter emarginata, humeris rectangulatis; apicem versus sensim angustata, apice ipso conjunctim rotundata, anum obtegentia; supra modice convexa. — *Pedes* breviusculi, validiusculi, antice basi approximati; femoribus modice clavatis; muticis; tibis sub-teretibus, rectis, apice unco minuto, deflexo armatis; tarsis tenuibus, articulo ultimo gracili, biunguiculato.

TYPUS. — *Lymantes scrobicollis.*

A λυμαντὴς, perniciosus.

Observ. — *Generis Phlœophagi* proximum quidem est, abunde tamen differt rostro longiore aliterque constructo, scutello haud observando elytrisque basi conjunctim introrsum emarginatis.

* 1. L. SCROBICOLLIS. *Schh.*

Elongatus, angustus, sub-depressus, nigro-piceus, nitidus, parce cinereo-setulosus, antennis pedibusque dilutius ferrugineis; rostro porrecto, seriatim rude punctato; thorace oblongo, disperse varioloso-punctato; elytris remote punctato-striatis.

Patria: America borealis. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Magnitudo et fere facies *Dryophthori Lymexylonis.* Caput brevissimum, intra thoracem retractum, antice retusum, nigrum; oculi laterales, oblongi, nigro-brunnei; rostrum validum, thorace paulo brevius, parum arcuatum, basi profundissime constrictum, veluti abscissum, supra sub-planum, profunde seriatim punctatum, in medio leviter carinatum, nigrum, sub-nitidum. Antennæ versus apicem rostri insertæ, breviusculæ, validæ, obscure ferrugineæ. Thorax latitudine multo longior, antice subito angustior, apice sub-emarginatus, intra apicem utrinque obsolete constrictus, lateribus pone stricturam oblique ampliatis, dein fere rectis; basi truncatus, supra sub-planus, punctis magnis, remotis, variolæformibus absque ordine impressus, nigro-piceus, sub-nitidus. Scutellum vix observandum. Elytra antice truncata, thoracis basi parum latiora, humeris rectangulatis; lateribus nonnihil ampliata.

apice conjunctim rotundata, thorace vix dimidio longiora, supra in dorso sub-plana, posterius declivia, obsoletius striata, sed in striis punctis magnis, remotis impressa, interstitiis angustis, punctulis valde remotis adspersis; nigro-picea, sub-nitida, setulis parvis cinereis, præsertim versus apicem adspersa. Corpus subtus profunde, disperse punctatum, nigro-piceum. Pedes breviusculi, validi, rufo-ferruginei, femoribus parum clavatis; tibiis arcuatis, scabris; tarsis tenuibus, parum dilatatis. — Ghl.

Genus 403. ATHROTOMUS (1). *Klug.*

Antennæ mediocres, funiculo indistincte septem-articulato, articulo primo conico, reliquis transversis brevibus, ad clavam crassioribus, clava ovata, tri-articulata; tarsi breves, depressi, articulo penultimo distincte bilobo. — Klug, *Insect. von Madagascar,* p. 30.

1. A. Depressus. *Klug.*

Niger, nitidus, capite thoraceque punctatis, elytris punctato-sulcatis, interstitiis punctulatis, antennis piceis. — Klug.

Klug, *Ins. von Madagascar,* p. 113. 178. T. 4. f. 12.

Patria : Madagascar.

---

(1) Genus indescriptus : mihi invisus.

Divisio III. DRYOPHTHORIDES.

Antennæ breves; funiculus 4-articulatus. Rostrum sub-deflexum. Pygidium ab elytris tectum.

GENUS 404. DRYOPHTHORUS. *Schuppel.*

Dryophthorus SCHH., LATREILLE (1), BOISDUVAL, SAY, DEJEAN, STEVEN. — *Bulbifer* MEGERLE, STURM, DEJEAN olim. — *Calandra* DEJEAN. — *Cossonus* OLIVIER, GYLLENHALL. — *Lixus et Calandra* FABRICIUS. — *Rhynchophorus et Curculio* HERBST.

Character generis. — Antennæ breves, validæ; ante medium rostri insertæ; funiculo 4-articulato: articulis 1° et 2° brevissime obconicis, illo paulo longiore, 3° et 4° transversis, apice truncatis, coarctatis, crassitudine sensim crescentibus; clava majuscula, ovalis, sub-solida, apice spongiosa.

Rostrum longiusculum, validum, sub-teres, parum arcuatum.

Oculi laterales, demissi, ovati, depressi, parvi.

Thorax oblongus, basi apiceque truncatus, antice quam basi paulo angustior, lateribus modice rotundato-ampliatus, intra apicem profunde constrictus.

Scutellum haud observandum.

Elytra elongata, thoracis basi paulo latiora, humeris obtusangulis; versus apicem attenuata, ad latera apicis utrinque carinata, supra modice convexa.

Tibiæ apice unco valido, sub-deflexo armatæ; tarsi breves, graciles, 5-articulati.

Observ. — Corpus elongatum, modice convexum, sculpturatum, durum, minusculæ magnitudinis.

TYPUS. — *Dryophthorus lymexylon.*

Patria: Europa borealis et intermedia, America borealis, Madagascar, insulæ Oceani australis.

---

(1) Schh. Curc. Disp. Meth. p. 332. 194. — Latr. Règne anim. p. 395. — Id. les Cr., les Arachn. et les Ins, II. p. 89.

* 1. D. LYMEXYLON. *Fabricius.*

Fusco-piceus, griseo-sub-pubescens, antennis pedibusque rufescentibus, rostro basi leviter impresso; thorace sub-cylindrico, intra apicem profunde constricto, rude punctato; elytris profunde punctato-striatis, interstitiis angustis, elevatis, lævibus. — BHN.

GUÉRIN, *Icon. du Règne anim.* V. T. 39 *bis.* f. 8. a. d.
DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.
Lixus id. FABR. *Syst. El.* II. p. 504. 32.
Curculio id. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 420. 113.
HERBST, *Col.* VI. p. 231. 195. T. 76. f. 9.
PAYK. *Fn. Suec.* III. p. 240. 49.
PANZ. *Fn. Germ.* XVIII. Tab. 11. — *Ent. Germ.* p. 311. 68.
LATR. *Hist. nat. des Cr. et des Ins.* XI. p. 140. 50.
Cossonus id. GYLLENH. *Ins. Suec.* III. p. 260. 4.
OLIV. *Ent.* V. 83. p. 427, 529. *Curculio.* T. 35. f. 538.
SAHLB. *Ins. Fenn.* II. p. 112. 5.
Bulbifer id. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 1. p. 99.
Curculio corticalis. PAYK. *Mon. Curc.* p. 41. 38.

Patria: Germania, Gallia, Suecia, Caucasus.

* 2. D. CORTICALIS. *Say.*

Rufo-ferrugineus, pulvere griseo adspersus, antennis pedibusque dilutioribus, rostro basi profundius impresso; thorace sub-cylindrico, intra apicem profunde constricto, magis rude punctato, elytris obsoletius punctato-striatis, interstitiis minus elevatis, lævibus.

SAY, *Descript. of Curc. of N. Amer.* p. 24.

Patria: America borealis. A Dom. SAY amice communicatus. Mus. SCHH.

Statura et similitudo *Dryophthori lymexylonis*, sed dimidio minor, præsertim brevior, rostro basi profundius impresso, thorace magis rude remotius punctato, elytrorum sulcis obsoletius punctatis, interstitiis minus elevatis, ab illo distinctus. Caput porrectum, convexum, punctatum, ferrugineum, punctis pulvere griseo re-

pletis; oculi parvi, depressi, obscure brunnei; rostrum capite dimidio longius, validum, sub-cylindricum, paulo arcuatum, punctatum, in ipsa basi profunde impressum, colore et indumenti capitis. Antennæ breviusculæ, validæ, dilutius ferrugineæ, clava parva, ovata, apice cinereo-pubescente. Thorax latitudine media paulo longior, apice truncatus, longe intra apicem profunde constrictus, lobo anteriore elevato, obsolete punctato, collare mentiente; lateribus pone stricturam vix ampliatus, basi sub-bi-sinuatus, supra modice convexus, punctis profundis, sub-remotis insculptus; ferrugineus, pulvere griseo adspersus. Scutellum parvum, rotundatum, concolor. Elytra antice truncata, thoracis basi latiora, humeris sub-rectangulis; a medio apicem versus attenuata, apice ipso sub-rotundata, thorace vix duplo longiora, supra convexa, postice declivia, sat profunde sulcata, sulcis in fundo obsoletius punctatis, interstitiis angustis, minus elevatis, lævibus; ferruginea, pulvere griseo adspersa. Corpus subtus obsolete remote punctulatum, dilutius ferrugineum. Pedes breves, dilutius ferruginei.— BHN.

* 3. D. BITUBERCULATUS. *Fabricius.*

Latior, fusco-piceus, antennis pedibusque rufescentibus, rostro basi non impresso; thorace profunde punctato, intra apicem leviter constricto, lateribus nonnihil rotundato; elytris apicem versus paulo attenuatis, punctato-striatis, interstitiis latioribus, minus elevatis, punctis totius corporis pulvere griseo impletis.

Calandra bituberculata. FABR. *Syst. El.* II. p. 438. 42.

OLIV. *Ent.* V. 83. p. 95. 32. *Curculio.* T. 13. f. 167. a. b.

BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* II. p. 451. 2.

Curculio bituberculatus. FABR. *Ent. Syst.* I. II. p. 414. 90.— *Mant.* I. p. 103. 76. — *Spec. Ins.* I. p. 171. 58.

OLIV. *Enc. méth.* V. p. 489. 81.

LINN. *Syst. nat.* — Ed. GMEL. I. IV. p. 1745. 112.

Rhynchophorus id. HERBST, *Col.* VI. p. 29. 22. T. 61. f. 12. a. b.

Dryophthorus crenatus. BOISDUV. *Voy. de l'Astrol.* II. p. 450.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305. *ed.* 3. p. 330.

Calandra crenata. Dom. ESCHSCHOLTZ *in Litteris.*

Patria: Nova Zelandia. Dom. BANKS. Insulæ Sandwich maris

Pacifici Dom. ESCHSCHOLTZ. California Dom. BESSER. Mus. SCHH.

Dryophthoro lymexylone paulo longior, sed dimidio latior, rostro basi non impresso, thorace latiore, utrinque magis ampliato, intra apicem minus profunde constricto, elytris postice minus attenuatis, minime crenato-striatis, interstitiis latioribus, paulo elevatis, ab illo imprimis distinctus. Caput convexum, sat profunde et crebre punctatum, punctis griseo-repletis, fusco-piceum, opacum; oculi parvi, depressi, brunnei; rostrum capite vix dimidio longius et illo angustius, validum, modice arcuatum, apicem versus nonnihil ampliatum, subtilius punctulatum, basi nonnihil constrictum, ibique rugosum, colore et indumenti capitis. Antennæ validæ, rufo-ferrugineæ, clava parva, articulo ultimo albo-pubescente. Thorax latitudine media vix longior, apice truncatus, antice caput arcte amplectens, latitudine baseos multo angustior, ibique constrictus, lateribus pone stricturam fere rotundatus, postice truncatus, supra sub-depressus, undique punctis majoribus, sat crebris, griseo repletis, excavatus, tuberculis autem a celeb. Fabricio memoratis, minime conspicuis; fusco-piceus, opacus. Scutellum vix conspicuum. Elytra antice truncata, thoracis basi nonnihil latiora, humeris sub-rotundatis; fere linearia, apice rotundata, thorace duplo longiora, dorso subdepressa, late striata, punctis regularibus, sat profundis, griseo inductis, impressa, interstitiis latioribus, minus elevatis, sub-punctatis. Corpus subtus profunde sub-remote punctatum, punctis pube grisea indutis, fusco-piceum, opacum. Pedes breviusculi, rufescentes, obsolete punctulati parce pubescentes. — BHN.

66 4. D. EXCAVATUS. *Dejean.*

Latior, niger, opacus, parce griseo-pulverulentus, antennis tarsisque ferrugineis, rostro longo, arcuato, tomentoso; thorace remote parum profunde punctato, intra apicem constricto, in dorso antico foveola magna, profunda, insculpto; elytris punctato-striatis, punctis striarum remotis, interstitiis alternis dorsalibus magis elevatis, præsertim posterius.

DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 3. p. 330.

Calandra excavata. DEJEAN, *Cat. Col. ed.* 2. p. 305.

Patria: Madagascar. A Dom. Com. DEJEAN benevole communicatus. Mus. SCHH.

Dryphtoro lymexylone paulo longior, sed duplo latior, notis indicatis a congeneribus facile distinctus. Caput breve, rotundatum, vix punctatum, nigrum, opacum; oculi parvi, oblongi, sub-depressi, brunnei; rostrum longitudine thoracis, validum, lineare, arcuatum, supra a basi ad medium longitudinaliter impressum, obsolete punctulatum, nigrum, opacum, griseo-pulverulentum et tomentosum. Antennæ validæ, ferrugineæ, clava ovata, sub-obtusa, articulo ultimo albo-pubescente. Thorax latitudine postica vix longior, basi apiceque truncatus, intra apicem sat profunde constrictus, anterius angustior, lateribus pone stricturam nonnihil rotundatus, supra paulo convexus, remote parum profunde punctatus, in dorso antico foveola magna, profunda, sub-rotunda, excavatus; totus niger, sub-opacus, parce griseo-pulverulentus. Scutellum vix observandum. Elytra antice truncata, thoracis basi paulo latiora, humeris fere rectangulatis; a medio apicem versus attenuata, apice ipso conjunctim rotundata, thorace dimidio longiora, supra modice convexa, punctato-striata, punctis striarum remotis, interstitiis alternis dorsalibus elevatis, carinatis, præsertim posterius, alternis planis, omnibus lævibus; tota nigra, opaca, parce griseo-pulverulenta. Corpus subtus remote, minus profunde punctatum, punctis griseo repletis, nigrum, opacum. Pedes breviusculi, nigri, obsolete punctati, parce pubescentes; tarsis ferrugineis.

BHN.

NOTA.

Ut in descriptionibus generum magnitudo specierum quodammodo designaretur, terminos quosdam a me fictos ubique adhibui, quos hoc loco exemplis et mensura explicare optimum censui. Exponuntur igitur in tabula sequenti, ubi longitudo corporis semper *præter rostrum*, mensura Gallica exprimitur.

Corpus *maximæ* magn. : long. 16-24 lin. ex. gr. *Rhynchophori maximi.*

— *majoris*........long. 11-15 lin. *Hipporhini, Entimi, Cratosomi.*

— *majusculæ*......long. 7-10 lin. *Cleoni, Heilipodes, Molytes.*

— *mediæ*..........long. 4- 6 lin. *Otiorhynchi, Tanymeci.*

— *mediocris*.......long. 3- 4 lin. *Pissodes.*

— *minoris*........long. 2- 3 lin. *Polydrosi, Phytonomi, Erirhini.*

— *minusculæ*......long. 1-1$\frac{1}{2}$ lin. *Apion, Orchestes.*

— *minutissimæ*....long. $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin. *Rhamphus*, pauca *Apia*, etc.

Curculionidum maximi huc usque cogniti sunt: *Protocerius Colossus* ♂, longitudine præter rostrum 24, cum rostro 30 lin. et *Eutrachelus Temminckii* ♂, long. præter rostrum 23, cum rostro 32 lin. —Inter minimas species cognitas numerantur: *Rhamphus flavicornis* et *Apion minimum* longit. præter rostrum $2/3$ lin. præsertimque *Apion Tamarisci* et *Nanodes pallidulus* quorum longitudo dimidiam lineam non superat.

Species in hoc opere huc usque enumeratæ.

Divisio	*Bruchides*	160
——	*Anthribides*	101
——	*Camarotides*	2
——	*Attelabides*	99
——	*Rhinomacerides*	7
——	*Ithycerides*	1
——	*Apionides*	145
——	*Rhamphides*	4
——	*Brenthides*	76
——	*Antliarhinides*	8
——	*Cylades*	6
——	*Ulocerides*	8
——	*Oxyrhynchides*	3
——	*Brachycerides*	115
——	*Entimides*	68
——	*Pachyrhynchides*	16
——	*Brachyderides*	423
——	*Cleonides*	223
——	*Molytides*	109
——	*Byrsopsides*	19
——	*Phyllobides*	7
——	*Cyclomides*	98
——	*Otiorhynchides*	167
——	*Erirhinides*	715
——	*Apostasimerides*	1062
——	*Conophorides*	1
——	*Cionides*	93
——	*Rhynchophorides*	201
——	*Cossonides*	98
——	*Dryophthorides*	4
		4089

INDEX ALPHABETICUS

IN

SYNONYMIÆ INSECTORUM

TOMUM QUARTUM,

GENERA ET SPECIES

CURCULIONIDUM.

OBSERVATIONES.

Nomina generum litteris grandioribus,
Nomina specierum litterisminoribus,
Et systematica in hoc indice asterisco (*) notata sunt, ut melius a synonymicis distinguantur.
Numerus primus ordinem generis,
Numerus autem secundus ordinem speciei cujusque suo in genere indicat.

CURCULIO.

FINIS INDICIS



CORRIGENDA

AD

GENERA ET SPECIES CURCULIONIDUM

TOMUS TERTIUS.

Pag. lin.

2, 32, p. 10, *lege* p. 110, 1.
5, 26, *deleatur* ?.
7, 25-26, adde *Lix. rubiginosus.* Dahl in Litteris, teste Dom. Chevrolat.
26-31, dele *L. umbellatarum*, et synonym. omnia, quia *L. umbellatarum* est species distincta.
33, *adde* Dalmatia, Mus. Dom. Chevrolat.
8, 25, IX. p. 284. *lege* I. p. 285.
11, 18, Syst., *lege* Germ.
13, 18, longiusculi, *lege* breviusculi.
23, ult., acuminatis, *lege* minus acuminatis.
30, 4, cinereo-pubesc., *lege* cinereo-albido-pubescentibus.
37, 18-19, *elytrorum*, lege *elytrorumque.*
38, 14, fulvo-s ongiosis, *lege* fulvo-spongiosis.
52, 24, *dele* Fabr. Syst. El. II. p. 502. 21.?
25, dele *Curc. Pica.* Fabr. etc.
53, 25-26, adde *Lixus Pica*, Fabr. Syst. El. II. p. 502, 21. — *Curc. id.* Fabr. Ent. Syst. Suppl. p. 167. n. 106-107. secundum Mus. Reg. Dan.
54, 22, 532, *lege* 502.
24, F. Lund. *lege* Toender Lund.
37, basin, oblique, *lege* basin oblique.
76, 24, dele *Curc. angustatus.* Herbst. etc.
28, *filiformis*, lege *pollinosus.*
91, 26, *antennis tarsisque*, lege *antennis tibiis tarsisque.*
29-30, adde *Curc. angustatus* Herbst. Col. VI. p. 45. 3. T. 62. f. 3. secundum Dom. Schüppel, teste Dom. Schmidt.
96, 10, oblongi, ovati, *lege* oblongo-ovati.
104, 2, parum, *lege* parvus.
107, 1, n 31. *lege* 81.
28, interstitiis, magis, *lege* interstitiis magis.
108, 4, singulatim, *dele*,
110, 10, ferrugineo - variegatus, *lege* ferrugineo variegatus.
111, 16, pulverulentus, *lege* pulverulentis.
113, 3, lata *Larino*, *lege* lata *Larini.*
115, 22, lateribus, pone, *lege* lateribus pone.
116, 3, lateral, *lege* laterali.
120, 16, Elisabethgrad, *lege* Elisabethgorod.
127, 29, Helssinfonsiæ, *lege* Helsingforsiæ.
129, 20, *dele* obsolete.
135, 6, albidoto-mentosus, *lege* albido-tomentosus.
134, 22, Elisabethgrad, *lege* Elisabethgorod.
136, 19, p. 447, *lege* p. 477.
141, 35, *sitonæ lineato* lege *Sitonæ lineatæ.*
151, 1-2, et penult. HOPLOPAROXUS, *lege* HOPLOPAROCHUS. Hoc genus delendum et cum ACALLOPISTO conjungendum.
158, 23, nonnihi, *lege* nonnihil
164, 14, *Fohræi*, lege *Fahræi.*
165, 16, *Fohræus*, lege *Fahræus.*
176, 16, *dele* H.
194, 16, latum, *lege* totum.
204, 30, lineari, *lege* laterali.
206, 26, thoracis paulo, *lege* thoracis basi paulo.
235, 14, Doct., *lege* Docens.
16, nominis, *lege* nomen

CORRIGENDA.

Pag. lin.

245, 20. III. *lege* I. II.
23, ?, *lege* ♀.
254, 6, Asi, *lege* Africa.
255, 20-22, citatum Fabr. delendum, utpote propriam speciem efficiens.
256, 20, *Pissodis*, lege *Pissodi*.
257, 8, alterna, dorsalia, *lege* alterna dorsalia.
259, 29, post passim, *adde* in Austria a Dom Chevrolat.
263, not. lin. 3, vorte, *lege* worte.
scriba, *lege* Scriba.
264, 33, adde *Curc. violascens*.
265, 23, simultaneæ, *lege* simultanee.
33, p. 459, *lege* p. 559.
267, 30, n° 4, *lege* K.
269, 33, n° 9, *lege* g.
271, 11, Pensylvania, America, *lege* Pensylvania Americæ.
277, 16, Denudatis, *lege* dentatis.
282, 24, albo maculato, *lege* albo-maculato.
36, rufo-furrugineum, *lege* rufo-ferrugineum.
283, 10, brunneo tinctis, *lege* brunneo-tinctis ,.
288, 31, angustatis, *lege* angulatis.
289, 23, parum, arcuatum, *lege* parum arcuatum.
290, 8, *thorax*, lege *thorace*.
292, 8, 553? *lege* 253?
294, 10, nostro, *lege* rostro.
302, 19, T. 35. *lege* T. 34.
304, 23, supra-testaceus, *lege* supra testaceus.
305, 21, Ent.Syst., *lege* Ent. Germ.
306, penult. T. 13., *lege* T. 14.
308, 35, post *sub-convexus*, adde niger,
315, 11, n° 5. 7. *lege* n° 5, T.
316, 9, T. 41, *lege* T. 81.
318, 7, NOTIOPHILUS, *lege* NOTIODES.
21, 4-articulata, *lege* 11-articulata.
319, 2, νοτιος, etc., *lege* νοτιωδης humidus.
320, 34, ELLESCUS, *lege* ELLESCHUS in omnibus locis.
321, 31, *, *lege* et.
331, 11, terminalis, *lege* terminatis.
337, 7, sub-ovale, *lege* sub-ovatum
339, 1, Ins., *lege* Fns. V.
350, 4, genibus, *lege* genubus.
355, 26, punctulatum, *lege* punctatum.
362, 7, breviori, *lege* brevior.
364, 22, ὀτίς, *lege* ὠτίς.
23, intermedialis, *lege* intermedia.
366, 11, psæsertim, *lege* præsertim.
371, penult. sagitifer, *lege* sagittifer.
376, 11, quadratim, *lege* gradatim.
377, 11, squamusitate, *lege* squamositate.
383, 4. *Schh.* lege *Ghl.*
384, 33, thoracis, basi, *lege* thoracis basi.
386, 5, *interrupto*, lege *interrupte*.
10, p. 106, *lege* p. 166.
389, 11, T. 84, *lege* T. 24.
391, 1, LONCOPHORUS, *lege* LONCHOPHORUS. Et in omnibus locis.
10, tectis, *lege* rectis.
30, sub-longum, *lege* sub-oblongum.
394, ult. idem, *lege* eadem.
415, 14, obsoleto, *lege* obsolete.
417, 14, *medio, nigro-fusco*, lege *medio nigro-fusco*.
418, 33, densa, *lege* dense.
419, 11, parum, convexus, *lege* parum convexus.
421, 9, delectus, *lege* detectus.
424, 8, elevato, *lege* clavato.
27, angulis, *lege* ungulis.
428, 16, multo, *lege* sed multo.
22, lateribus, *dele* 1.
429, 24, subrecto, *lege* subrecta.
445, 9, *tinctus*, lege *hirtus*.
449, antep. lineata, *lege* lineola.
458, 25, Fabr., 3, *lege* Fam. 3a
464, 8, *Rhynchænus*, lege *Pachyrhinus*.
468, 3, basi, *lege* basali.
471, 25, thoracis, *lege* thoracis basi.
482, 9, T. 2, *lege* T. 22.
488, 7, longiora, *lege* latiora.
492, 12, corporis, *lege* corpori
493, 17, p. 411, *lege* p. 611.
31, p. 457, *lege* p. 475.
494, 7, *obsolete*, lege *obsoleta*

CORRIGENDA.

Pag. lin.

498, 7, f. *lege* n°.
514, 21, post *nigris*, adde *sparsis*,.
515, 32, crassis est pilis, *lege* crassos pilos habet.
516, 31, scrobs linearia, *lege* scrobe lineari.
519, 15, scrobs, *lege* scrobe.
521, 29, *elevatis*, lege *clavatis*.
530, 25, *Thil.*, lege *Cneorh.*
531, 14, punctulatum, *lege* punctatum.
532, 32, *limi*, lege *Limi*.
536, penult. IV. *lege* III.
537, 13, valde, *lege* multo.
14, hic. ..... adpressus, *lege* hoc ..... adpresso.
541, 17, fusco bi, *lege* fusco-bi.
546, 13, satura, *lege* sutura
550, 2, *tibiarum*, dele 1.
551, 14, arcuatæ, *lege* armatæ.
555, 9, punctulatum, *lege* punctatum.
10, *post* perpendicularis, *adde* ,.
557, penult. ab-invicem, *lege* invicem.
559, 19, *cinaræ*, lege *Cynaræ*.
563, 8, pubescentes, *lege* pubescente.
570, penult., oblongo, *lege* obtuso.
585, 24, p. 498, *lege* p. 49. 8.
27, p. 495, *lege* p 475.
586, 3, *Rhynchænus*, lege *Curculio*.
3-4, adde *Rhynchæn. calcaratus*. Fabr. Syst. El. II. p. 457, 95.
30, anticis, *dele* ,.
591, 21, 3°, *lege* 8°.
601, 32, *deleatur* rostro.
603, 2, apice carinatum, *lege* carinatum, apice.
7, bas, *lege* basi.
610, 14-15, adde *Rhynchæn. nero*. Fabr. Syst. El. II. p. 466. 38. et *Lixus reticulatus*. Fabr. Syst. El. II. p. 505. 37.
615, 26, breviter, *lege* brevior.
628, 15, magni, *lege* nigri.
629, 31, *post* Schh. *adde* e.
641, 38, armatum, *lege* arcuatum
643, 27, *Michorhynchus*, lege *Microrhynchus*.

Pag. li

668, 35, lateribus, *lege* teretibus.
691, 1, p. 21, *lege* p. 26.
709, 34, *inter* 202 *et* Ed. *adde* Schrank Faun. Boica. I. p. 485. 525. — Rossi Faun. Etr. Mant.
719, 1, ERICTHROPUS, *lege* ERYTHROPUS.
27-28, parvum, *lege* parum.
723, 1, crassus, *lege* crassius.
738, 7-8, *arcuato*, lege *armato*.
740, 5, *striato-*, lege *seriato-*.
748, 25, CARBONARIUS, *lege* BINOTATUS. Dej.
30, dele *Cal. carbonaria* Fabr. (ut species distinctas.)
30-31, *adde : Centr. carbonatrius*, Dej. Cat. Co ed. 2. p. 290, ed. 3. p. 314.
760, 13, *posterius*, lege *posterius maculis*.
762, 35, *sud-depressus*, lege *sub-depressus*.
767, 27, decorata, *lege* decorato.
776, 2, sopngiosis, *lege* spongiosis.
778, 15, remotis, *lege* armatis.
790, 13, *signum*, lege *comma*. Schh.
19, dele *Calandra signum*. Fabr. (ut species distinctas.
794, 3, acuta, *lege* aucta.
813, antepen., rotundato, ampliatus, *lege* rotundato-ampliatus,
821, 15, atro fimbriatum, *lege* atro-fimbriatum.
827, 17, *elytrorumque*, dele,.
829, 11, *Platymeri*, lege *Platymero*.
830, 3, *Platymeri*, lege *Platymero*.
834, Col. 2, lin. 14, masculus, *lege* musculus.
835, — 1, — 34, incernatus, *lege* inceratus
846, — 1, — 24, HOPLOPARONXUS, *lege* HOPLOPAROCHUS.
853, — 2, — 1, 8 *lege* 7







